LIBRARY
Brigham Young University

A24-

Unter gesetzlichem Schutze gegen Nachdruck und Uebersetzung.
Enregistré dans les bureaux du Ministre de l'Intérieur de la France.
Déposé au bureau de la Librairie institué au département de l'Intérieur à Bruxelles.
St. Louis Mo.: B. Herder, 17 South Broadway.

Oeniponte, Typis Wagnerianis.

THEOLOGIAE DOGMATICAE

COMPENDIUM

IN USUM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

TOMUS III.

EDIDIT

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTOR, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSOR P. O.

CUM APPROBATIONE CELSISSIMI ET REVERENDISSIMI EPISCOPI BRIXINENSIS ET FACULTATE SUPERIORUM.

EDITIO NONA EMENDATA.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1896.

272.01
H948t
v.3

THEOLOGIAE SPECIALIS

PARS ALTERA

COMPLECTENS

TRACTATUS TRES

DE GRATIA, DE SACRAMENTIS ET DEO OMNIUM CONSUMMATORE.

AUCTORE

H. HURTER S. J.

S. THEOLOG. ET PHILOS. DOCTORE, EJUSDEM S. THEOLOG. IN C. R. UNIVERSITATE OENIPONTANA PROFESSORE P. O.

EDITIO NONA RECOGNITA.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1896.

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
LIBRARY
PROVO, UTAH

Unter gesetzlichem Schutze gegen Nachdruck und Uebersetzung.
Enregistré dans les bureaux du Ministre de l'Intérieur de la France.
Déposé au bureau de la Librairie institué au département de l'Intérieur à Bruxelles.

St. Louis Mo.: B. Herder, 17 South Broadway.

Oeniponte, Typis Wagnerianis.

Tractatus VIII.
De Gratia Christi.

1. *Disputationis connexio.* — Natura quaevis praestitutum sibi finem habet, in quem irrationalis quidem necessario fertur atque dirigitur; rationalis vero seu homo (adultus) propriis actibus et meritis tendere debet: nam, „qui fecit te sine te, non te justificat sine te," inquit ad rem Augustinus serm. 169 n. 13. Porro duplex naturae rationalis distingui potest finis: naturalis alter, respondens ipsius viribus exigentiaeque; alter supernaturalis vires naturae omnemque ejus exigentiam excedens, ad quem ea potuit sola indebita Dei bonitate elevari et destinari. Complacuit autem Deo, hominem a se creatum ad finem statumque supernaturalem elevare [1]), quo tamen ille miserando casu excidit. Verum unigenitus Dei Filius misericordia motus boni instar samaritani misertus est humani generis lapsi (Luc. 10, 30 ss.) lapsumque erexit atque possibilitate donavit iterum consequendae salutis, quae finaliter consistit in visione intuitiva ipsius Dei. Cum talis finis atque beatitudo plane sit supernaturalis, ut data opera ostendemus tract. ultimo, homo ex se est impar illi consequendo. Quare

---

[1]) Nos revera ad finem supernaturalem esse destinatos, quae assertio suppositum est totius hujus disputationis, colligitur **1.** ex dictis t. II. n. 326 ss. coll. 338 ss. 343. 358, ubi ostendimus, protoparentes fuisse ad ordinem supernaturalem evectos, et quamvis eo exciderint peccato suo, ruinam humano generi invectam per Christi passionem et mortem fuisse reparatam (n. 648 ss.). Colligitur **2.** ex dicendis de visionis beatificae, ad quam certe destinati sumus, supernaturalitate (cf. infra n. 674 ss.); **3.** ex tot testimoniis N. praesertim Testamenti, quibus describitur conditio, ad quam a Deo per Christum non solum in altera vita, sed jam in praesenti destinamur. Destinamur enim, ut simus non solum servi Dei, sed et amici, filii (sane adoptivi), fratres et coheredes Christi, ejusque bonorum, vitae et spiritus consortes etc., quae conditionem plane supernaturalem designare ostendimus t. II. n. 340. Hinc Paulus testatur: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* 1. Cor. 2, 9, et status, ad quem vocamur exhibetur ut terminus novae creationis (mox n. 2[3]) et generationis. Est ergo status altior quam is sit, qui est sequela creationis et naturae. Cf. Scheeben § 162 ss.

sicut quaevis natura ab ipsa sua conditione instructa est facultatibus et viribus, quae pares sint ad consequendum finem naturalem: ita cum Deus decreverit naturam rationalem destinare in finem exigentiam ejus viresque excedentem, necesse fuit, ut naturae hujus insufficientia suppleretur subministratis auxiliis habitualibus et actualibus, quibus ea instructa par redderetur ad tantum consequendum finem (cf. s. Thomas c. G. III, 147). Ejusmodi subsidia generatim gratiae nomine designari possunt, eaque constituunt praesentis disputationis argumentum, quod tamen mox accuratius definiemus. Haec interim dicta sint, ut tractatus nexus cum praecedentibus perspiciatur.

2. *Gratiae praestantia.* — Quod gratiae praestantiam, ideoque hujus disputationis momentum attinet, non est, cur nunc multa dicamus. Sufficiat **1.** meminisse gratiam esse fructum sanguinis Christi: tanto autem pretio quanta respondebit merces?

2. Gratiae est, naturam rationalem perficere, supra se elevare atque consortem reddere naturae divinae (2 Petr. 1, 4). Si vero jam tanta est naturae rationalis dignitas atque praestantia, quanta erit gratiae, quae illam adeo perficit atque ad tam sublimem conditionem attollit?

3. Ratione gratiae homo ea praeditus dicitur nova creatura [1]), ex morte ad novam revocatus vitam; novo auctus intellectu [2]), *venit*

[1]) 2 Cor. 5, 17; Gal. 6, 15; Eph. 2, 10. Gratiae opificium in homine, praesertim peccatore, haud immerito confertur cum opificio sex dierum Gen. 1 descripto. Sicut enim initio terra erat inanis et vacua, in statu chaotico 1, 2: ita tristissima est hominis conditio ante gratiam et absque gratia Rom. 1, 21 ss.; 1 Cor. 6, 9 ss. Cf. generatim tom. I. thes. IV. Verum sicut Spiritus Dei non deseruit indigestam illam molem Gen. 1, 2, sed fovit atque fecunditate donavit: ita neque Spiritus Dei deseruit genus humanum, ut mira per Christum inducta humani generis mutatio comprobat (tom. I. n. 87). Sicut Deus primum dixit: *Fiat lux, et facta est lux* Gen. 1, 3: ita prima gratiae operatio est illustratio. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Jesu* 2 Cor. 4, 6. Lucem subsecutum est firmamentum Gen. 1, 6; ita peccatores gratia fidei illustrati, eriguntur in spem (cf. conc. trid. sess. 6 cap. 6). Sicut tertia die terra cohibuit maris undas atque virescere coepit: ita gratia agente cupiditatum franguntur impetus; *nam qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* Gal. 5, 24, jamque incipit peccator poenitens virescere atque florescere bonis operibus virtutumque exercitio. Sicut quarta die luminaria constituta sunt, quae praeessent diei noctique: ita praevalente gratia secundum fidei lumen universa disponitur hominis vita, *justus enim ex fide vivit* Rom. 1, 17. Sicut quinta sextaque die universa terra animata fuit omnis generis animantibus, piscibus, quadrupedibus, volatilibus: ita vita gratiae omnia justificati opera bona vivificat, meritoria reddit vitae aeternae, ipsumque ita animat, ut idoneus reddatur, qui alios Christo lucretur atque gignat. Sicut denique ultimum Dei opus fuit homo, qui esset ad ipsius imaginem et similitudinem: ita gratia hanc restaurat imaginem peccatis foedatam atque ad perfectam adducit similitudinem. Cf. Petrus Damianus fuse hanc comparationem instituens ep. l. 2 ep. 5 et Hugo a s. Victore de sacr. l. 1 p. 1 c. 12.

[2]) Cf. Irenaeus l. 5 cap. 6—10; Fulgentius ep. 17 synodica n. 47: „Verumtamen in anima nostra et carne non parvum nobis gratiae Dei monstratur exemplum.

enim *Dei Filius,* teste Joanne 1 ep. 5, 20, *et dedit nobis sensum* διάνοιαν, *ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus* [1]): unde qui eo destituuntur, dicuntur a Paulo 1 Cor. 2, 14 *animales,* qui eo fruuntur *spirituales.* Gratia novam inserit voluntatem novumque cor (Ez. 11, 19 s.; 36, 26 s.), tantasque subministrat vires, ut imbecilli prius atque infirmo cum Paulo jam dicere liceat: *Omnia possum in eo, qui me confortat* Philip. 4, 13. Quare sicut Deus inspirando homini de limo terrae formato spiraculum vitae eum fecit in animam viventem: ita inspiratione gratiae hominem animalem refingit redditque spiritualem [2]).

Imo **4.** conferunt patres gratiae animam invadentis et pervadentis operationem cum virtute Altissimi b. Virginem, ut Christum conciperet Salvatorem, obumbrantis. „Forma praecessit, ita Fulgentius de incarn. et gr. Chr. c. 20, in carne Christi, quam in fide nostra spiritualiter agnos-

---

Nam sicut ex seipsa caro vitam non habet, sed ab anima accipit; sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit. Sicut etiam (*al.* enim), ut caro vivat, solius opus est animae: ita quoque, ut homo credat, solius opus est gratiae; et sicut caro nihil operari potest, si eam vivificare anima desinat, sic homo nihil bene velle potest, si ab eo gratiae juvamen abscedat. Ut ergo caro et vivere possit et operari, praesentis animae vivificatione fulcitur; homo quoque, ut bonum velit aut faciat, gratiae vivificantis subsidio jugiter adjuvatur. Interest autem ut caro nostra, quantum (f. quamdiu) vivificatur ab anima, non solum bene, sed etiam male operandi accipiat facultatem; cum autem nos gratia vivificat, nonnisi ad bene volendum, nec nisi ad bene operandum nobis adjutorium subministrat."

[1]) Ideo s. literae patresque gratiam passim cum luce coelitus immissa conferunt, qua privati coeci ac in tenebris sedentes sumus (cf. Is. 9, 2 coll. Matth. 4, 16). „Quemadmodum, inquit Clemens al. cohort. ad gentes n. 11, absente sole per cetera quidem astra nox esset ubique diffusa: sic nisi Verbum cognovissemus et ab eo essemus illuminati, nil sane differremus ab altilibus gallinis in tenebris saginatis, ut postea mortem patiamur." „Sic est ipsum liberum hominis arbitrium, inquiunt episcopi africani in Sardinia exsules ep. syn. n. 5, absque dono gratiae, sicut est oculus sine luce . . . Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum lumen possit aspicere: sic et libero arbitrio hominis nulla potest gratiae suffragari cognitio, nisi detur ipsius spiritalis gratiae infusio."

[2]) Quocirca gratia a Prospero in carmine de ingratis p. 2 v. 337 s. dicitur „mutans intus mentem atque reformans, vasque novum ex fracto fingens virtute creandi." Cf. opusc. XXIV. 94 s. cum annot. subjecta et p. 99. Mirabilem gratiae virtutem praeclare describit Cyprianus ep. 1 n. 4: „Postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit, postquam coelitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod prius difficile videbatur, geri posse, quod impossibile putabatur: ut esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse coepisse, quod jam Spiritus sanctus animaret." Cf. n. 3. 5. Quaeri autem potest, utrum ordo gratiae et ordo supernaturalis ab invicem distinguantur? Resp. unum ab altero a parte rei non distingui, utroque proinde vocabulo eundem designari ordinem, qui comparate ad naturam, quam supra omnem exigentiam mirifice perficit, dicitur supernaturalis; quatenus vero excludit omne debitum atque ex indebita proficiscitur benevolentia, dicitur ordo gratiae.

camus. Nam Christus Filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus et natus est. Sic ergo in hominis corde nec fides concipi poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus s. infundat et nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus [1]).“

5. Gratia semen est gloriae, gloria est gratia consummata: unde cum tantus sit fructus, quantae virtutis atque pretii erit radix et semen i. e. gratia? Sed haec de gratiae praestantia innuisse sufficiat: plura enim disputatione procedente praesertim p. II. dabimus.

3. Non diffitemur *argumenti difficultatem,* quae duplici praesertim ex capite oboritur: tum quia gratia spectat ad ordinem spiritualem et psychologicum, cujus consideratio satis est implexa homini ad sensibilia prono, tum quia gratia undequaque est supernaturalis, ideoque sensus experientiam vimque intelligendi naturalem per se fugit ac plerumque vix per suos innotescit effectus: et tamen tenendum est, eam nobis inhaerere, omnia bona nostra opera praevenire atque comitari et quidem ita, ut sine ipsa salutariter ne cogitare quidem possimus. Sed jam ad rem accedamus.

4. *Nominis gratiae multiplex acceptio.* — Potiores significationes nominis gratiae [2]) paucis complectitur s. Thomas 1. 2 q. 110 a. 1: „Respondeo dicendum, quod secundum communem modum loquendi tripliciter gratia accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus, sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam regis i. e. rex habet eum gratum. Secundo sumitur pro aliquo dono gratis dato, sicut consuevimus dicere: hanc gratiam facio tibi. Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati, secundum quod dicimur agere gratias beneficiorum: quorum trium secundum dependet ex primo. Ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat [3]). Ex secundo autem procedit tertium: quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio consurgit.“ In praesenti tractatu gratiae nomen secunda praesertim accipitur significatione, atque generatim significat *donum gratis collatum* [4]): quare duplex vel triplex ad illam concurrit elementum: materiale, aliquod bonum seu beneficium; formale, gratuitas, qua confertur; cujus proinde fons et radix neque sit voluntas coacta, neque amor concupiscentiae dantisque utilitas, sed amor purae benevolentiae (alicujus superioris erga inferiorem, neque enim facile lo-

---

[1]) Cf. etiam Augustinum de praed. Ss. c. 15 n. 31; op. imperf. l. 1 c. 138. 140.

[2]) Habert theologiae graecorum patrum vindicatae circa universam materiam gratiae l. 1 c. 4 decem et tres recenset nominis gratiae acceptiones.

[3]) Etiam pulchritudo, quae provocat dilectionem, solet dici gratia: unde gratiosus idem est saepe ac pulcher.

[4]) Cf. Ripalda de ente supernat. disp. 101 sect. 1; Kleutgen Theologie der Vorzeit t. 2 sect. 7 c. 1; Palmieri tr. de gr. act. th. 1; Scheeben § 160, qui n. 620 falsas aliquot notiones recentiorum notat.

quimur de gratia ab inferiori praestita superiori). Neque etiam sufficit, ut bonum solum conferatur cum benevolentia, sed conferri debet ex benevolentia, ut haec sit ratio dandi bonum: hinc illud adagium ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.

Haec notio **a.** colligitur ex ipso vocis etymo, ut passim inculcat Augustinus. „Ipsum quippe gratiae nomen, ita ille de gestis Pelagii n. 33, et ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam, qui dignus est, accipit.“ Cf. de nat. et grat. c. 4; in Ps. 43.

b. Ex Rom. 4, 4: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum:* ergo gratia excludit rationem debiti; Rom. 11, 6: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia:* ideoque gratia non confertur ex justitia, sed ex misericordia, ex benevolentia; Eph. 2, 4 ss. (n. 30 [2]), ubi triplex hoc elementum gratiae divinae: doni praestantia, summa gratuitas, pura Dei benevolentia, ab Apostolo graviter inculcatur.

c. Ex controversia cum pelagianis, qui propterea censebantur inimici gratiae, quod affirmarent, gratiam secundum merita dari, ut patebit ex testimoniis, quibus passim in hoc tractatu utemur.

5. *Gratiae partitiones.* — Gratiae notionem excipit multiplex ejusdem partitio. Prima est, qua ea distinguitur in gratiam *increatam* et *creatam*, prout donum collatum est vel increatum vel creatum: sunt enim et dona increata, quae divinitus nobis conceduntur; ita unigenitus Dei Filius, quem Pater diligens mundum nobis dedit Joan. 3, 16; ita Spiritus sanctus, qui datus est nobis Rom. 5, 5; ita ipse ille amor divinus, quo Deus nos prosequitur quique fons est inexhaustus tot gratiarum, maximum censeri debet beneficium [1]). Nos de gratia creata in primis agemus.

6. Majoris momenti est altera partitio, qua gratia creata distinguitur in *naturalem* et *supernaturalem* [2]), de qua distinctione sit

Thesis CLXXII. ***Licet bona naturalia dici possint et quandoque a patribus dicantur gratia, usu tamen loquendi biblico et ecclesiastico ea solum dona gratia solent vocari, quae naturae rationali gratis superaddita ad vitam aeternam consequendam conducunt.***

Demonstratio p. I. Bona naturalia dici posse gratiam ex definitione supra n. 4 declarata patet. Sunt enim et illa vera bona, gratis et ex benevolentia divina collata: praesertim si individuorum ratio habeatur. Licet enim plura debita dici possint speciei seu humano generi universim spectato, ut sa-

---

[1]) Cf. Thomas l. c. coll. 1 p. q. 38 a. 2: „Ratio gratuitae donationis est amor, ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo quod damus ei, est amor, quo volumus ei bonum.“

[2]) Ab hac distinctione non multum differt illa quorundam theologorum in gratiam *theologicam*, quae eadem est cum gratia supernaturali et elevante, et in *philosophicam*, quae continetur auxiliis, quae Deus absque debito ut sapiens et bonus Dominus ac provisor distribuere posset et etiam distribuerct in statu naturae non elevatae, proinde gratis, quod nimirum sint beneficia a creationis beneficio distincta.

nitas, ingenium aliaeque animae corporisque dotes etc., ea tamen rationem habent veri beneficii indebiti pro hoc individuo, quod prae aliis iis potitur. Ideo etiam Ecclesia pro ejusmodi bonis Deum orat et pro acceptis gratias agit. Revera autem bona naturalia gratiam subinde dici a patribus, patet ex epistola quinque episcoporum, inter quos et Augustinus, ad Innocentium I., in qua inter alia scribunt n. 7: „Etsi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus; nec ita essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, aut arbor, quae non sentit, aut pecus, quod non intelligit, sed homines, qui et essemus et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus; et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere valeamus; unde merito et ista gratia dici potest, quia non praecedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen qua praedestinati vocamur, justificamur, glorificamur, ut dicere possimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32).“ Huc spectat integer Augustini sermo 26, ubi ex. gr. n. 7 scribit: „Excepta ergo illa gratia, qua condita est humana natura (haec enim christianis paganisque communis est), haec est major gratia, non quod per Verbum homines creati sumus, sed quod per Verbum carnem factum fideles facti sumus.“ Hoc sensu etiam patres immortalitatem angelorum solent subinde gratiam appellare.

7. **Demonstratio p. II.** Usu loquendi biblico et ecclesiastico gratiae nomine designari non bona naturalia, sed bona naturae superaddita, quae ad vitam conducunt aeternam, patet **1.** ex verbis n. 6 allatis;

2. ex disputatione sec. V. cum pelagianis, qui ultro concedebant, bona naturalia esse gratiam, et tamen habiti sunt gratiae inimici, ut qui eam negarent. „Defendendo naturam, inquit Augustinus de gratia et nat. c. 23, gratiae Christi qua justificamur, apertissime contradicit (Pelagius).“ Nomine ergo gratiae, cujus necessitas ad salutem ex praescripto doctrinae catholicae erat profitenda, non intelligebantur bona naturalia, sed bona naturae superaddita. Hinc episcopi illi l. c. exigunt: „Eam confiteatur (Pelagius) apertissime gratiam, quam doctrina christiana demonstrat et praedicat esse propriam christianorum, quae non est natura, sed qua salvatur natura.“

Sane **3.** patres et Scripturae de ea jugiter loquuntur gratia, quam per Christum accipimus, quae est fructus et merces sanguinis ipsius, qua justificamur etc. Atqui per Christum non recipimus dona naturalia, sed dona naturae superaddita per Adamum amissa, quibus disponimur ad vitam aeternam.

„Abjiciatur, inquit Augustinus ep. 194 n. 8, a christianorum cordibus ista fallacia (pelagianorum). Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus ut homines essemus, sed qua justificati, cum mali homines essemus. Ista est enim gratia per J. Christum D. N. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.“ Et quinque illi episcopi l. c. n. 8: „Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, qua salvamur et justificamur ex fide Christi . . . Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non

immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, evangelicis apostolicisque literis legimus.« Gemina habet Augustinus de gratia et lib. arb. c. 13 n. 25: »Numquid natura erit gratia? Nam et hoc ausi sunt pelagiani dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem . . . Sed non haec est gratia, quam commendat Apostolus per fidem J. Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis et infidelibus certum est nobis esse communem: gratia vero per fidem J. Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides . . . Denique sicut eis, qui volentes in lege justificari, a gratia exciderunt, verissime dicit: *Si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (Gal. 2, 21); sic et his, qui gratiam, quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur: Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est.«

4. Adeo vulgata erat haec gratiae notio, ut cum Pelagius gratiae profiteretur necessitatem, hujus vero nomine fraudulenter intelligeret bona naturalia, episcopi concilii diospolitani ne suspicati quidem sint fraudem, eumque pronunciarint catholicum.

»His enim auditis verbis (hominem adjuvari Dei gratia), inquiunt episcopi supra laudati n. 2, catholici antistites (concilii diospolitani) nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere et populis Dei praedicare consueverunt: eam utique, de qua dicit Apostolus: *Non irritam facio gratiam Dei: nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (Gal. 2, 21): sine dubio gratiam, qua justificamur ab iniquitate, et qua salvamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam, quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines sumus; negare vero eam, qua christiani et filii Dei sumus: quis eum patienter catholicorum sacerdotum non dicimus audiret, sed ante oculos suos ferret? Quapropter non culpandi sunt judices, quia ecclesiastica consuetudine nomen gratiae audierunt, nescientes quid hujusmodi vel in suae doctrinae libris vel in suorum solent auribus spargere.«

5. Scripturae et patres vel aequivalenter vel diserte gratiam opponunt naturae: quocirca dicunt, hominem, quod natura non est vel non potest, gratia esse vel posse; naturam gratia juvari, sanari, salvari etc. Supponunt ergo gratiam, de qua loquuntur, ambitu donorum naturalium non contineri, sed extra, praeter et supra naturam esse.

Ita Augustinus ep. 217 n. 11: »Hoc (ut credant homines) opus est gratiae, non naturae. Opus est, inquam, gratiae, quam nobis attulit secundus Adam, non naturae, quam totam perdidit in seipso Adam.« Et Prosper c. Collat. n. 41: »Omnia, quae ad vitam et pietatem pertinent, non per naturam quae vitiata est, habemus: sed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus.« Et jam Tertullianus de anima c. 1 disserens, quo pacto lapides fieri possint filii Abrahae (Matth. 3, 9), scribit: »Haec erit vis divinae gratiae potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur.« Et adv. Hermogenem c. 5: »Nam et dei erimus, si meminerimus illi esse de quibus praedicavit: *Ego dixi, vos dii estis* (Ps. 81, 6), . . . sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate: quia ipse est solus, qui deos faciat.« Alia testimonia per tractatum sparsa reperies.

6. Praetermisso scholae suffragio [1]) hujus loquendi usus congruam reddit Suarez in proleg. 3 de gr. c. 2 n. 4 rationem: „Gratia propriissime sumpta supponit personam vel naturam, cui fit: et ideo prima hominis creatio secundum Scripturae phrasim non dicitur proprie gratia, quia nihil supponit, sed primum esse confert. Proprietates autem resultantes ex natura et subsidia, quae ex vi ipsius naturae illi debentur, gratiae etiam in rigore non sunt, ut notavit Thomas 1. 2 q. 111 a. 1 ad 2.“ Et revera si semel concedatur, praeter bona naturalia esse etiam bona supernaturalia, nil mirum, quod haec in primis gratia vocentur, cum triplex gratiae elementum (n. 4) in ipsis quam maxime eluceat: nam **a.** et in ratione doni excedunt bona naturalia, sunt enim non ejusdem sed altioris ordinis; et **b.** non sunt tantum negative, sed positive, et supposita etiam creatione adhuc indebita, ideoque magis indebita seu duplici titulo: excludunt enim non solum debitum ex operibus profectum, sed et debitum in natura ipsa fundatum; et **c.** ratione benevolentiae praecellunt bona supernaturalia naturae bona: haec enim oriuntur ex benevolentia Domini erga servum; illa redundant ex benevolentia Patris adoptantis filios.

Seposita gratia naturali, de gratia supernaturali in hoc tractatu agemus, quae jam definiri poterit: Donum supernaturale gratis a Deo creaturae rationali concessum pertinens aliquo modo ad vitam aeternam.

8. *Gratia Dei et Christi.* — Distinguitur tertio gratia supernaturalis in *gratiam Dei* et *gratiam Christi* pro discrimine status originalis et lapsi: quae enim in illo collata fuit, dicitur gratia Dei; quae modo confertur, ratione causae meritoriae vocatur gratia Christi seu gratia Dei per Christum. Inter utramque sunt aliqua discrimina, sed mere accidentalia; differunt enim **a.** ratione subjecti: gratia Dei collata fuit non digno: gratia Christi confertur indigno; **b.** ratione fontis: illius enim fons est benevolentia, hujus misericordia; **c.** ratione finis: illa enim collata fuit, ut elevaret hominem ad ordinem supernaturalem: haec vero simul est medicinalis et elevans seu sanans tam impotentiam moralem ex concupiscentia profectam, quam impotentiam physicam naturae insitam ad actus salutares (n. 35). Differunt **d.** ratione gratuitatis: illa erat pure gratuita, haec meritis est parta, non quidem a nobis, sed a Christo capite nostro. Quod tamen discrimen supponit hypothesim illam, quam defendimus tom. II. th. 143, incarnationem scil. decretam esse dependenter a praeviso Adami peccato. Qui vero contendunt, Verbum carnem assumpturum fuisse, etiamsi Adamus non peccasset, gratiam, quam dicimus gratiam Dei, vocant gratiam Christi capitis, alteram vero gratiam Christi Redemptoris. Alii tamen theologi gratiam, quae incipit a vocatione ad fidem, appellant gratiam Christi aut gratiam Salvatoris; eam vero, quae hanc praecedit atque datur infidelibus negativis, gratiam Dei. Cf. Dechamps de haer. jansen. l. 3 d. 8 c. 12 n. 3 s.

---

[1]) Cf. du Plessis d'Argentré in observ. ad testimonia doctorum scholast., qui a sec. XII. ineunte ad hanc usque aetatem de gratia pro conditione corruptae naturae disputarunt a. 1 § 1; deque his distinctionibus Suarez proleg. 3 c. 4 s.

9. *Gratia externa et interna.* — Quarta gratiae distributio est in gratiam *internam* et *externam,* prouti beneficia, quae hominem ad consecutionem salutis juvant, interna sunt et animae intrinsecus inhaerentia, ut illustrationes salutares, habitus fidei, gratia sanctificans: vel externa, extra hominem posita, ut praedicatio Evangelii, exemplum Christi. Ad gratiam externam revocari debet singularis Dei protectio, qua nos a peccatis praeservat, secundum illa Augustini verba serm. 99 n. 6: „Regebam te mihi, servabam te mihi: ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci; locus et tempus defuit: et ut haec deessent, ego feci . . . Agnosce ergo gratiam, cui et debes, et quod non admisisti. Mihi debet iste, quod factum est et dimissum vidisti: mihi debes et tu, quod non fecisti. Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.“ Confess. l. 2 c. 7: „Gratiae tuae deputo et quaecunque non feci mala;“ de corrept. et gratia c. 13 n. 41. De gratia interna disseremus, cum eam in primis impugnaverint pelagiani.

10. *Gratia gratum faciens et gratis data.* — Hanc distinctionem excipit quinta, qua gratia interna distinguitur in gratiam *gratum facientem* et gratiam *gratis datam:* quae gratiarum species ratione finis praecipue distinguuntur, nam gratia gratum faciens confertur immediate ad propriam sanctificationem et utilitatem; gratia vero gratis data immediate ad utilitatem et salutem aliorum. Utraque bifariam patet. Illa enim consistit in donis gratiae, quae vel formaliter i. e. sua inhaesione, vel efficienter seu dispositive subjectum Deo faciunt gratum (n. 11): haec vero complectitur vel dona naturae superaddita ordinaria in aliorum salutem supernaturalem concessa, ut sunt character sacerdotalis, potestas jurisdictionis; vel dona extraordinaria, quae charismata dici solent, quorum plura recenset s. Paulus 1 Cor. 12, 7 ss.: *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Adverte tamen, etsi gratiae gratis datae a Paulo hic recensitae iis designantur nominibus, quae etiam aliquibus ex septem donis s. Spiritus tribuuntur, cum his tamen confundi non debere. Haec enim, ut alibi videbimus, pertinent **a.** ad dona gratum facientia; **b.** haberi possunt ab omnibus, imo ex voluntate Dei omnes iis potiri deberent; **c.** fructus sunt gratiae sanctificantis, quam consequuntur, et momenta dynamica, quae nos juvant ad proficiendum in sanctitate, eaque **d.** intime invicem sunt connexa: quae de charismatibus a Paulo recensitis dici nequeunt. Quamvis vero gratiae etiam gratum facientes sint gratis

datae, adeoque hoc nomen utrique competat speciei, appropriatum tamen fuit speciei infimae, sicut nomen generis animal tribui solet speciei infimae i. e. brutis irrationalibus: eoque magis tributum fuit hoc nomen illis donis et charismatibus, quia ea in primis respiciens Christus apostolis commendavit: *Gratis accepistis, gratis date* (Matth. 10, 8). Notari tamen debet, plures scholae theologos nomine gratiae gratis datae designasse quoque gratiam actualem. In praesenti tractatu agemus de gratia gratum faciente. Cf. Kleutgen t. 2 disp. 7.

11. *De gratia habituali et actuali.* — Ipsa autem gratia gratum faciens alia est *habitualis* et permanens seu permanenter (quamdiu peccato non excluditur) animae inhaerens eamque refingens, secundum statum perficiens, ad ordinem supernaturalem elevans ac Deo gratam reddens; alia *actualis* et transiens, secundum actum perficiens, ut piae mentis illustrationes. Quae distinctio tanti est momenti, ut inde pendeat praecipua tractatus divisio.

12. Notandum est tamen, licet gratia actualis sub genere gratiae gratum facientis tamquam species contineatur, usu loquendi obtinuisse, ut nomine gratiae gratum facientis designetur praesertim gratia habitualis, nominatim illa gratia habitualis, quae immediate et formaliter gratos nos Deo reddit scil. gratia sanctificans; imo haec, praesertim apud veteres, per excellentiam simpliciter dici solet gratia, quia, ut videbimus, inter omnes gratias solis atque metae instar eminet, ad quam reliquae omnes destinantur gratiae, ad eam scil. inducendam, augendam, conservandam; ac proinde sicut radii solem orientem praecedunt, ortum comitantur atque subsequuntur, ita gratiae actules habitualem praecedunt, comitantur, subsequuntur. Agemus vero in priori tractatus parte de gratia actuali, in altera de gratia habituali.

PARS I.

DE GRATIA ACTUALI.

13. Gratia actualis saepe nomine magis communi a theologis appellari solet auxilium, adjutorium Dei, a s. Thoma motio divina, a patribus graecis τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, βοήθεια, ἡ ἄνωθεν ἐπικουρία, ἡ τοῦ θεοῦ ῥοπή, ἡ θεία κίνησις, ἡ Λόγου χείρ etc., atque ita a Perrone describitur: „Gratuitum illud internum auxilium, quod Deus per Christi merita homini lapso largitur, tum ut ejus infirmitati consulat atque ita ipse valeat mala declinare ac bona praestare, tum ut eum erigat ad statum supernaturalem atque idoneum faciat ad actus supernaturales eliciendos, ut justificationem possit adipisci in eaque jam consecuta perseverare, donec perveniat ad vitam aeternam.“ Quae vero ad gratiam actualem spectant, tribus complectemur capitibus: in primo indagabimus ejus naturam variasque species; in altero ejus proprietates, et in tertio habitum, qui intercedit gratiam actualem inter et liberum arbitrium, ad quod juvandum conceditur.

Caput I.

De gratiae actualis natura variisque partitionibus.

14. *Gratiae actualis discrimen ab habituali et a concursu.* — Gratiam actualem distingui ab habituali patet: illa enim est transiens atque consistit in actibus; haec est permanens consistens in habitibus; illa necessaria est ad omnes actus salutares, non vero haec; illa ad hanc disponit, aspirat, et nisi ei resistatur, eam inducit atque infusam consequitur. Licet autem ab ea sit distincta, et modo a theologis sedulo distinguatur, a patribus tamen saepe per modum unius cum gratia habituali consideratur propter intimum qui inter utramque intercedit nexum, nam gratia actualis non est nisi propter gratiam sanctificantem. Neque confundenda est gratia actualis cum concursu divino, qui ad omnem causarum secundarum operationem est necessarius. Concursus enim supposita creatione est debitus, non vero gratia. Ille necessarius est vel ad opera mala, non vero gratia: imo etsi gratia adsit, concursus insuper ad actus salutares requiritur. Gratia actualis praevenit voluntates novasque suppeditat vires: concursus vires novas non suggerit, sed causae secundae vires supponit tantumque requiritur, ut eae in actum secundum transire possint.

15. **Thesis CLXXIII.** ***Ad gratias actuales spectant immediata mentis illustratio atque inspiratio voluntatis immediata, quam Deus in nobis sine nobis operatur.***

Declaratio. p. I. Loquimur hic **1.** de gratia actuali interna (n. 9), quae nobis datur ad opera salutaria estque principium actus salutaris: ad hunc enim finem a Deo confertur. **2.** Ad hanc gratiam dicimus referendas esse illustrationes mentis voluntatisque inspirationes. Illustratio autem **3.** (idem dicatur de inspiratione) accipi potest active et passive seu formaliter. Passive consistit in actu vitali indeliberato intellectus, quem Deus operatur in nobis sine nobis. Dicimus in actu indeliberato, neque enim gratia prima, qua Deus nos praevenit, excitat, est actus nobis liber, alioquin nulla esset gratia actus liberos praeveniens, omnis gratia esset jam ab initio gratia cooperans, nulli gratiae praevenienti et excitanti resisteretur etc., quae adversantur omnino doctrinae catholicae. Ideoque etiam dicitur actus ille illustrationis fieri sine nobis, scil. libere cooperantibus, sed tamen in nobis, quia actus ille illustrationis, licet indeliberatus, est vitalis, proinde elicitur quidem ab intellectu, non tamen virtute sua naturali, sed obedientiali, quae assistentia divina supernaturali ad eum eliciendum determinatur (n. 97). Illustratio vero **4.** active spectata est illa ipsa operatio Dei naturae indebita, cui respondet illustratio passive accepta, quam descripsimus, seu qua Deus ita influit in intellectum, ut in eo oriantur cogitationes sanctae etc. Loquimur hic **5.** de gratia actuali prout a nobis recipitur, nobis inest, nos excitat etc., proinde de illustratione et de inspiratione passive considerata. Non tamen contendimus **6.** ad gratias actuales exclusive spectare illustrationes mentis et voluntatis inspirationes, tum quia nolumus negare rationem gratiae actualis quadam-

tenus extendi quoque posse ad actus indeliberatos sensus et appetitus sensitivi, qui certissime a Deo in nobis excitari nosque juvare in operibus salutis possunt; tum quia de ratione gratiae actualis est non solum illustrare mentem et inspirare voluntatem, sed etiam subministrare virtutem ad eliciendos actus salutares, de quo tamen munere opportunius agetur c. 3. Notari 7. debet, concilia et patres nomine illustrationis saepe complecti simul voluntatis inspirationem: et vicissim in voluntatis inspiratione subintelligere mentis quoque illustrationem, quia indivulso nexu ita sunt connexae ut lux et calor in eodem solis radio.

16. **Demonstratio p. I.** Ad gratiam actualem generatim spectare illustrationem intellectus voluntatisque inspirationem facile colligitur

1. ex ejusdem descriptionibus, quae saepe in divinis literis, patrum operibus, Ecclesiae definitionibus et precibus occurrunt, quarum plurimas in ipso tractatu reperies. Cum enim sermo est de illo auxilio, quo indigemus ad pie vivendum salutemque consequendam, ideoque de gratia actuali, jugiter mentio fit illustrationis intellectus atque excitationis voluntatis. Ita orat David Ps. 118, 34: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo;* v. 32: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Huc spectant Eph. 1, 17 s.: *Deus D. N. J. Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus* etc.; 2 Cor. 4, 6 (p. 2 annot.).

Huc pertinet conc. carthaginensis can. 4: „Per ipsam (gratiam) nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere et quid vitare debeamus“; ubi etiam anathema dicitur in eos, qui negent, „per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus . . . Cum enim dicat Apostolus (1 Cor. 8, 1): *Scientia inflat, charitas vero aedificat:* valde impium est, ut credamus, ad eam quae inflat nos habere gratiam Christi; ad eam quae aedificat non habere, cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus: ut aedificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est (Ps. 93, 10): *Qui docet hominem scientiam:* ita etiam scriptum est: *Charitas ex Deo est* (1 Joan. 5, 7).“ Huc Ecclesiae oratio feria IV. quatuor temp. infra Quadrag.: „Mentes nostras, quaesumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus, quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus.“ Huc Augustini declaratio de pecc. mer. et remiss. l. 2 c. 17: „Ut innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabatur, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntatem.“ Hinc passim vocat gratiam, quae juvat intellectum, cogitationem piam, vocationem altam et secretam, certam scientiam, aperitionem veritatis; quae vero afficit voluntatem, inspirationem charitatis, dilectionis; delectationem, suavitatis inspirationem, voluptatem etc.

2. Illustrari potest haec veritas duplici ratione ex gratiae actualis scopo derivata. Gratia enim actualis **a.** confertur nobis ad vitam supernaturalem agendam: haec autem continetur actibus intellectus et voluntatis. Juvanda ergo est utraque facultas: sed intellectus utpote lumen

juvatur lumine, voluntas robore. Ergo gratia actualis continebitur illustratione atque inspiratione, qua excitetur et roboretur voluntas. Deinde **b.** gratia actualis confertur quoque ad sananda vulnera peccato originali inflicta. Praecipuum autem vulnus est concupiscentia, qua vel ipsa ratio obnubilatur et decipitur, ne judicet secundum pretium rerum objectivum; qua immutatur voluntatis gustus et palatum, ut placeat malum, desipiat bonum, ut sequatur passionis impetum. Gratiae ergo operatio dirigi debet et in intellectum, ut hunc illuminet, dissipet tenebras, corrigat judicia erronea, dirigat electionem; dirigi debet et in voluntatem, ut hujus immutet gustum, quo sapiat virtus, desipiat vitium, ut eam corroboret adversus concupiscentiae rebellionem, qua de re plura n. 88. Quare revera ad gratiam actualem spectant piae illustrationes intellectus voluntatisque inspirationes.

17. **Decl. p. II.** Duplex distingui debet mentis illustratio: altera, quae vi legis psychologicae sponte sua oritur in mente ex propositione veritatis, ideoque naturalis est; altera vero oritur ex immediato Dei influxu in intellectum, quo quidem non aliquid novi revelatur, sed proposito (saltem plerumque) objecto externo intellectus altiori instruitur lumine atque idoneus evadit, ut supernaturali modo ea quae sibi proponuntur, apprehendat. Illa dici potest naturalis, objectiva et mediata, mediante objecto proposito excitata; haec supernaturalis, subjectiva et immediata. Illustrationis naturalis et objectivae causa (partialis) esse potest homo, ut magister, qui apte proponendo et disponendo veritates ratio est, ut discipulus videat veritatum nexum et ex notis perveniat in cognitionem aliorum, quae eum antea latebant, atque ita eum illuminat. Illustrationis supernaturalis et subjectivae causa est solus Deus, auctor intellectus. Illa conferri potest cum ea, qua quis admoto lumine objectum illuminat; haec cum ea, qua peritus medicus lumen oculorum restituit, vel suppeditato telescopio aciem videndi plurimum auget: quae tamen comparatio non est adaequata.

18. **Dem. p. II.** Doctrina catholica ad gratiam actualem internam spectare non objectivam, sed subjectivam et immediatam illustrationem,

1. probatur ex divinis literis: Joan. 6, 44 ss: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me;* 2 Cor. 3, 5: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed nostra sufficientia ex Deo est;* Matth. 11, 25: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis:* Act. 16, 44: *Quaedam mulier nomine Lydia, purpuraria . . . colens Deum audivit* (verba Pauli): *cujus Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo.* Cf. 1 Cor. 2, 7 ss.; 1 Jo. 2, 20 etc. Ex qui-

bus habemus: **a.** revelationem aliquam divinam esse distinctam a propositione doctrinae externae; **b.** hanc adscribi Patri, ideoque distingui a revelatione et institutione externa vel ipsius Christi; **c.** eam exhiberi adeo necessariam, ut sine illa non prosit ad salutem institutio externa cum illustratione illa naturali, quae sponte sua ipsam consequitur, adeo ut ex ejus defectu credere non possimus. Ergo gratia actualis, quae ad salutem operandam necessaria est, non continetur objectiva et mediata illustratione, sed subjectiva immediate a Patre luminum profecta.

2. Probatur ex conc. arausicani II. can. 7: „Si quis per naturae vigorem . . . evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus s., qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu." Ergo praeter evangelicam praedicationem (externam) specialis ad fidei assensum requiritur illuminatio et inspiratio, cujus auctor sit Spiritus s.

3. Probatur ex patribus, qui hoc inculcant occasione praesertim verborum Pauli 1 Cor. 3, 7: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus,* quibus praeter praedicationem externam, quam sponte sua et naturaliter consequitur intellectus illustratio voluntatisque motio, requiritur specialis Dei in animum credentis influxus.

Ita Augustinus de gratia Chr. c. 13: »Haec gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultius, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.« »Adhibetur enim, inquit de pecc. mer. et remiss. l. 1 n. 37, sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis, verumtamem *neque qui plantat est aliquid* etc. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel angelum; sed ut sentiat et cognoscat verum esse quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod aeternum manet, quod etiam in tenebris lucet (Jo. 1, 5).« Unde infert de civ. Dei XV, 6: »Spiritus s. operatur intrinsecus, ut aliquid valeat medicina, quae adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, sive istos corporis, sive illos, quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil homini prodest praedicationis veritas.« In eundem sensum scribit s. Thomas in Joan. 14. lect. 6: »Ille vos docebit omnia, quia quaecunque homo doceat extra, nisi Spiritus s. interius det intelligentiam, frustra laborat; quia nisi Spiritus cordi adsit audientis, otiosus erit sermo doctoris, *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam* (Job 32, 8), et in tantum, quod etiam ipse Filius organo humanitatis loquens non valet, nisi ipsemet operetur interius per Spiritum s.« Ita Justinus dial. cum Tryphone n. 7 inducit senem secum colloquentem: »Tu vero ante omnia precare lucis tibi portas aperiri; nec enim haec (prophetarum oracula) quisquam perspicere et intelligere possit, nisi cui Deus intelligere dederit et Christus ejus.« Augustinus de gratia Christi c. 24 disserens de mirabili mutatione irae Assueri in lenitatem (Est. 15, 11) scribit: »Legant ergo et intelligant, intueantur atque fate-

antur, non lege atque doctrina forinsecus insonante, sed interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.« Praeclare Prosper in carmine de ingratis v. 336 (opusc. XXIV, 94 s.):

»Non hoc consilio tantum hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia, sed mutans intus mentem atque reformans
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba prophetae,
Non praestata sibi praestat natura, sed unus,
Quod fecit, reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret:
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, discipulus, sed gratia sola
Efficit inque graves adolet plantaria fructus.«

Patrum doctrinam pulcherrime complexus est Thomas a Kempis de imit. Christi l. 3 c. 2 n. 2: »Possunt quidem (homines) verba sonare, sed spiritum non conferunt; pulcherrime dicunt, sed te tacente cor non accendunt; literas tradunt, sed tu sensum aperis; mysteria proferunt, sed tu reseras intellectum signatorum; mandata edicunt, sed tu juvas ad perficiendum; viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantum agunt, sed tu corda instruis et illuminas; illi exterius rigant, sed tu fecunditatem donas; illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis.« Unde sequitur corollarium practicum magni momenti. Explicatur nimirum factum illud, quod saepe oratores sacri celeberrimi plausum quidem referant ex suis concionibus, sed fructus perpaucos; cum contra viri potius rudes et illiterati, sed sancti, ex concione admodum simplici fructum consequantur uberrimum multorumque scil. infidelium vel peccatorum conversionem. Impetrant siquidem meritis vitae sanctae nec non fusis precibus lacrimisque a Deo copiosam auditoribus suis gratiam internam, quae aptam efficacemque reddit ad salutem concionis gratiam externam. Unde patet quanti momenti sit in ministerio apostolico mortificationis orationisque studium.

4. Probatur assertio ex analogia fidei. Actus enim salutares debent esse supernaturales. Atqui supernaturales non sunt, nisi facultates eleventur et viribus supernaturalibus augeantur; requiritur ergo immediatus Dei influxus in intellectum nostrum, vi cujus lumen intellectuale ad altiorem evehatur ordinem, ut objecta proposita eo apprehendat modo, quo sibi relictum antea non potuit. Atqui ejusmodi influxus aptissime dicitur illustratio immediata. Haec ergo est de ratione gratiae ad actus salutares necessariae.

19. **Dem. p. III.** Tenendum omnino est, etiam inspirationem voluntatis, quam ad gratiam actualem spectare supra diximus, oriri ex immediato Dei influxu in voluntatem, neque sufficere eam, quae sponte sua vi legis psychologicae ex supernaturali et immediata intellectus illustratione oboritur. Quod probatur

1. ex antiquitatis monumentis, quae gratiam inspirationis diserte distinguunt a gratia illuminationis, et ex aequo adscribunt Spiritui sancto. Quod si illius nomine nonnisi eam intellexissent, quae sponte sua naturaliter consequitur illustrationem, non eam ita sedulo distinguerent, urgerent ejusque necessitatem adeo inculcarent.

Ita concilii arausicani II. can. 7 (supra n. 18 [2]) et can. 4 conc. carthaginiensis (n. 16). Ita Augustinus de pecc. mer. et remiss. l. 2 c. 19: »Intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo sanctis suis alicujus operis justi non dare vel certam scientiam vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminantur tenebrae eorum, et suavitatem, qua det fructum terra eorum.« Et iterum serm. 17 in Ps. 118 n. 3: »Docet Deus suavitatem inspirando delectationem . . . docet scientiam insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint, quae ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero, ut etiam faciamus: quando Deus ea docet, sic docet, ut scienda sciamus aperiendo veritatem; ut facienda faciamus inspirando suavitatem;« et l. 4 contra duas ep. pelag. c. 5 n. 11: »Legem diversis locutionum modis et varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi (pelagiani) gratiam: ut scil. a Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quae facienda sunt, noverimus, non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quae proprie gratia est.« De gratia Christi c. 26: »Istam Dei gratiam in divinis eloquiis manifestam etiam Pelagius, manifeste fateatur . . . Cognitionem et dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat. Quia *scientia inflat, charitas aedificat* (1 Cor. 8, 1). Et tunc scientia non inflat, quando charitas aedificat. Et cum sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus: non sic justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio: quod autem majus est, humano usurpet arbitrio« [1]).

2. Patres passim gratiam iis nominibus designant, quae immediate ad voluntatem referuntur. Vocant enim illam suavitatem, delectationem, dilectionem, bonam voluntatem, etc. Quare inspiratio voluntatis non tam fructus gratiae actualis, quam potius formaliter gratia actualis esse videtur.

Quod **3.** suadet etiam fidei analogia. Ut enim actus voluntatis sint salutares, proinde supernaturales, elici debent a voluntate ad dignitatem principii supernaturalis elevata. Voluntas vero non redditur principium supernaturale, si tantum moveatur supernaturali illustratione intellectus [2]).

20. **Scholion.** *De nexu gratiae internae cum externa.* — In praesenti rerum ordine, qui est ordo reparationis et supernaturalis, lege divina semper quidem cum gratia externa, et si non semper, saltem persaepe propositioni alterius quoque objecti externi, quod naturaliter aptum est excitare cogitationem motionemque voluntatis ethice honestam, adnexa est ejusmodi gratia interna intellectus et voluntatis, ut cogitatio motioque excitanda sit supernaturalis. »Cum igitur verbum Dei, scribit ad rem auctor de vocat. omnium gent. I, 8,

---

[1]) Cf. Dechamps de haer. jans. l. 3 disp. 3 c. 16; Scheeben § 287.
[2]) Cf. Ripalda disp. 101. 102 et 103; Mazzella disp. 1 a. 4.

per ministerium praedicantium auribus carnis infertur, miscetur operatio potentiae divinae cum sono vocis humanae: et qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque firmavit affectum. Dulcescit animae cibus verbi, veteres tenebrae nova luce pelluntur et obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur; transit animus de voluntate in voluntatem, et si illa, quae pellitur, aliqua cunctatione remoratur, ea tamen, quae gignitur, electiora quaeque sibi vindicat« etc. Hoc autem modo omnia cooperantur in salutem (Rom. 8, 28); vel universitas rerum in odorem cedit vitae, ut loquitur idem auctor II, 4 et »semper misericordia Domini plena est terra, et unicuique fidelium ad colendum Deum ipsa rerum natura doctrina est,« teste Leone M. serm. 6 in quadr. c. 1; hoc modo Deus secundum Augustinum in Ps. 102 »vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam; vocat beneficiis creaturae« etc. Quare vere dici potest, humanum genus vel saltem fideles vivere in atmosphaera gratiae, gratia undique esse circumdatos. Quae consideratio Deo et Christo est digna et analogiae dogmatum consona, illudque theorema confirmat, quod statuimus tr. VI p. 2 s. 1, mundum institutum esse etiam ad utilitatem hominis supernaturalem [1]). Propter hunc nexum gratiae internae cum externa repeti debet, ut cum unius tantum fit mentio, altera etiam subintelligatur vel praesupponatur, et cum uni tribuitur actus salutaris, alterius concursus propterea non negetur.

21. *Gratiae actualis partitiones.* — Gratia actualis dividitur

1. in operantem et cooperantem. Illius nomine ea intelligitur gratia, quae operatur in nobis sine nobis, i. e. nobis nondum libere cooperantibus, illuminando, movendo, alliciendo etc. Cooperans dicitur, quae supposito consensu influit in actum deliberatum et qua adjuti bonum operamur.

Fatendum tamen est, alios aliter hanc explicare distinctionem, quod non est mirum: nomina enim haec sunt sat indeterminata. Ita secundum Bellarminum de gr. et lib. arb. 1, 14 gratia operans ea est, quae operatur primam hominis voluntatem bonam deliberatam; cooperans vero, quae nos adjuvat, postquam jam nos aliquid boni egerimus priori gratia adjuti petendo, desiderando etc. Secundum alios gratiae operanti tribuenda est finis intentio vel actus elicitus: gratiae vero cooperanti electio mediorum vel actus imperatus. Theologi scholae saepe etiam gratiam habitualem, quatenus nos formaliter constituit justos, vocant gratiam operantem; illam enim Deus in nobis sine nobis operatur: quatenus vero habitus est operis meritorii principium, eam dicunt gratiam cooperantem [2]). Nostram explicationem expressit Augustinus l. 1 de lib. arb. c. 17 n. 33: »Quis istam etsi parvam dare coeperat (Petro) caritatem, nisi ille, qui praeparat voluntatem et cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens ... Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine ipso vel operante

---

[1]) Cf. patrum effata opusc. III, 100 ss. a. et apud Ripalda disp. 20.

[2]) Ita Thomas 1. 2 q. 111 a. 2; de verit. q. 27 a. 5. Cf. Ripalda d. 112; Montagne de gratia quaest. prooem. a. 4. A Bellarmini explicatione non dissentit Estius in 2. dist. 26 § 7.

ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.« Et Bernardus de lib. arb. n. 47: »Ipsa gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum: sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum in primo illud (liberum scil. arbitrium) praeveniat, in ceteris comitetur: ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur.«

2. Dividitur in excitantem et adjuvantem. Illa est interior illustratio, inspiratio, qua homo a somno peccati et torpore excitatur ad bonum agendum aut malum fugiendum, inclamans: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis: et illuminabit te Christus* Eph. 5, 14. Adjuvans voluntatem juvat in exsequendo opere, ad quod fuit excitata.

3. Dividitur in praevenientem seu vocantem, comitantem et subsequentem, cujus partitionis non obscure mentio fit in conc. tridentino sess. 6 c. 16; et a Fulgentio, sed alio sensu, ep. 6 ad Theodorum c. 8: „Ibi (in ss. literis) profecto invenio et praevenientem gratiam, qua potest elisus surgere: et comitantem, qua in via recti possit itineris currere: et subsequentem, qua valeat ad regni coelestis beatitudinem pervenire.“ Ejus vero ratio, etsi aliter ab aliis explicatur, satis clara ex ipsis verbis videtur.

22. Ad *pleniorem* harum *partitionum intelligentiam* notetur **a.** unam eandemque esse gratiam, quae dicitur excitans, praeveniens, operans, vocans: et unam eandemque, quae dicitur adjuvans, cooperans, comitans; promiscue enim haec nomina a patribus adhibentur. Ea tamen **b.** non sunt tautologica; etsi enim unam eandemque gratiam exprimunt, eam aliter atque aliter pro diversis ad voluntatem significant relationibus. Dicitur enim v. g. excitans, quatenus consideratur homo in statu mortis spiritualis vel teporis; vocans, quatenus homo est devius a via recta; et utroque nomine designatur simul hujus gratiae munus et ratio formalis. Dicitur praeveniens, quatenus hominis praevenit consensum et merita, eumque ex se plane impotentem ad opera salutis praeparat novisque instruit viribus. Dicitur operans, ut ei vindicetur causalitatis principatus. **c.** Gratia nominibus primo loco recensitis expressa accedente voluntatis consensu fit gratia, quae nominibus altero loco recensitis exprimitur: nam a patribus eadem gratia, quae prius describitur vocans, praeveniens, exhibetur obtento voluntatis consensu et cooperatione, adjuvans, cooperans etc. Quod etiam clare colligitur ex concilii tridentini sess. 6 cap. 5. 6 et can. 5. Cf. Liv. Meyer hist. controversiarum de div. gratiae auxiliis IV, 22. Merito contra thomistas provocare licet ad s. Thomae verba 1. 2 q. 111 a. 2 ad 4: »Ad quartum dicendum, quod gratia operans et cooperans est eadem gratia; sed distinguitur secundum diversos effectus;« quae verba, ut patet ex art., de gratia etiam actuali intelligi debent. Et sane eadem illa salutaris cogitatio, quae hominem prius torpentem ad bonum opus excitavit, supposito hominis consensu, non cessat, sed jam bene operantem comitatur, juvat eique cooperatur; neque illa virtus, quam gratia praeveniens voluntati suppeditat, ut par ad salutariter operandum reddatur, cessat, sed evidenter perseverat in voluntate jam bene operante, eamque juvat: propterea enim data est; ergo gratia quae prius erat praeveniens, eadem jam est cooperans

et adjuvans. Non tamen negamus, eam cooperationis decursu posse crescere, intendi, adjectis novis illustrationibus inspirationibusque opportunis necnon aucta virtutis subministratione ampliari. Est tamen rationis discrimen inter gratiam excitantem etc. et adjuvantem: nam **a.** illa constituit actum primum facultatis rationalis ad opera salutaria; gratia adjuvans spectat ad actum secundum. Illa **b.** continetur actibus indeliberatis; haec adsignificat voluntatis consensum; illa **c.** quoad suum effectum proprium et formalem (excitandi etc.) semper est efficax, sed saepe voluntatis consensum non obtinet, sine quo tamen gratia adjuvans nequit concipi.

23. *Aliae gratiae actualis partitiones.* — Dividitur gratia actualis

4. in *medicinalem* et *elevantem,* pro duplici illius munere, quo vel sanat vulnera peccato originali inflicta, ignorantiam et concupiscentiam, vel elevat facultates animae ad eliciendos actus supernaturales. Quod discrimen ut accurate perspiciatur, haec notentur: **a.** unam eandemque gratiam utrumque obire posse munus, hinc necessarium non esse duplicem semper supponere gratiam re distinctam; **b.** certum esse in praesenti rerum ordine eandem gratiam, si non semper, saepe saltem medicinalem simul esse et elevantem; **c.** hac vero proprietate gratiam praesentis ordinis distingui a gratia tum protoparentibus ante lapsum, tum angelis collata, quae non fuit medicinalis, sed elevans tantum. **d.** Certum item esse, gratiam esse posse solum medicinalem, nec elevantem, cum Deus, in alio praesertim rerum ordine, hominem concupiscentiae naturaliter obnoxium ad servandam naturae legem juvare posset auxilio suo, quod non sufficeret ad actum supernaturalem; qua in hypothesi gratia medicinalis non esset proprie supernaturalis, sed praeternaturalis vel ordinis naturalis tantum. Quare **e.** gratia elevans et medicinalis differunt α. ratione termini: terminus gratiae elevantis sunt actus salutares, supernaturales; gratiae medicinalis terminus esse possunt actus etiam ethice tantum boni (n. 26); β. ratione necessitatis: illa enim in hypothesi elevationis ad finem supernaturalem est absolute necessaria; haec in hypothesi vigentis concupiscentiae moraliter tantum, ideoque non semper est necessaria; γ. ratione effectus: illius est auferre impotentiam physicam; hujus minuere difficultatem, impotentiam moralem; δ. ratione ordinis: illa tantum datur in ordine supernaturali, estque per se supernaturalis; haec vero esse potest in ordine, qui supernaturali est inferior, neque enim supponit ordinem supernaturalem, neque exigit, ut sit per se supernaturalis, quamvis gratis a Deo conferatur.

5. Dividitur gratia actualis in gratiam supernaturalem quoad *substantiam* et quoad *modum.* Illa est in se, intrinsecus atque entitative ordinis supernaturalis; quoad modum autem supernaturalis ea dicitur, quae in se, intrinsecus atque entitative naturalis ordinis est, et solum ratione modi,

quo confertur, naturae ordinem atque debitum praetergreditur. Cf. Suarez proleg. 3 de gr. c. 6 n. 16.

6. Ea distinguitur in *efficacem* et *sufficientem*, quae omnium partitionum est celeberrima. Verum notetur, **a.** eam alio sensu accipi a theologis ante controversias de auxiliis gratiae atque a theologis, qui post illas floruerunt. Antiquiores enim theologi nomine gratiae sufficientis intelligebant gratiam minus validam, tenuem vel remote ad justificationem disponentem; nomine vero gratiae efficacis gratiam validam vel proxime ad justificationem disponentem. Cf. Schneemann Weitere Entwickelung der thomistisch-molinist. Controverse, Freiburg 1880 § 7 pag. 124 ss. Nunc vero temporis nomine gratiae efficacis intelligi solet gratia cum bono opere connexa; nomine vero gratiae sufficientis gratia, quae effectu caret. **b.** Hoc sensu eam admitti posse: unanimis enim catholicorum est doctrina, ex gratiis divinitus erogatis plures quidem effectum habere, propter quem tribuuntur, non paucas tamen effectu carere. Si ad hoc factum brevi quadam formula significandum, ea gratia dicatur efficax, quae effectum sortitur suum; sufficiens vero illa, quae licet, quantum est ex se, sufficiat, fructu tamen ex defectu cooperationis frustratur: nihil verius hac distinctione, licet ea loquendi ratio minus sit apta. Nullo enim loquendi usu ostendi poterit, apposito sufficientis designari virtutem carentem semper suo effectu; et eodem fere jure possemus sacramenta aliaque salutis media distinguere in efficacia et sufficientia, prouti effectum habent vel eo carent: quod tamen insolitum. Si **c.** nomine gratiae sufficientis ea designatur, quae ex sese suaque indole semper a bono opere est divisa, ea distinctio plane rejici debet. Nulla enim est gratia actualis, quam Christus pretiosissimo suo sanguine emit, quae ex sese suaque natura a bono opere sit divisa, quaeque non in opus tendat et insito veluti pondere feratur. Hinc absentia effectus jugiter in divinis literis et a patribus cooperationis defectui adscribitur.

Caput II.

De gratiae actualis proprietatibus.

24. Tres praecipuae recenseri solent gratiae actualis proprietates, ejus scilicet necessitas, gratuitas et universalitas: quare in tres articulos hoc caput dividemus.

Articulus I.

De gratiae actualis necessitate.

25. De gratiae actualis necessitate disputantibus contra duplicis generis adversarios erit agendum, quorum alii per defectum, per excessum alii peccant.

§ 1. Gratiae actualis necessitas contra eos, qui liberi arbitrii vires nimis extollunt, asserta.

26. *Duplex actuum genus.* — Duplex actuum genus distingui debet pro duplici fine, ad quem Deus hominem destinare, et hinc pro duplici statu et ordine, in quo homo considerari potest, naturali scilicet vel supernaturali. „Finis, inquit s. Thomas 1. q. 23 a. 1, ad quem res creatae ordinantur a Deo, est duplex. Unus, qui excedit proportionem naturae creatae et facultatem: et hic finis est vita aeterna, quae in divina visione consistit, quae est supra naturam cujuslibet creaturae . . . Alius autem finis est naturae creatae proportionatus, quem scil. res creata potest attingere secundum virtutem suae naturae.“ Illi actus, qui homini conveniunt in ordine naturali, quibus ipse satisfacit legi naturae et tendit in finem naturalem, dicuntur actus ethice boni. Illi vero actus, qui conveniunt homini in ordine supernaturali, quatenus destinatus est ad finem naturam excedentem, quibus satisfacit legi hujus ordinis et quibus velut totidem gressibus in finem tendit supernaturalem, quo continetur ejus salus, dicuntur theologice boni, salutares, vel, ut patres loquuntur, actus ut oportet, ut expedit, qui ad veram pietatem et justitiam pertinent, simpliciter boni etc. Duplex autem distinguitur salus (supernaturalis) hominis: prima, quae obtinetur in justificatione, et secunda, quae est ipsa gloria. Quare duplex quoque distingui potest genus actuum salutarium, quorum priores dicuntur simpliciter salutares, quibus scil. homo disponitur ad justificationem; posteriores simpliciter meritorii, quibus justificatus meret gloriam. Hinc actus ethice bonos ab actibus salutaribus re distingui manifestum est. Distinguuntur enim lumine praefulgente, cum illi eliciantur secundum rationis lumen, hi vero praeeunte lumine fidei vel saltem supernae illustrationis. Distinguuntur principio eliciente, ut videbimus; dignitate interna et pretio morali: actus enim naturales conveniunt homini, ut homo et servus est; salutares vero, ut est filius vel in fieri vel in facto esse; distinguuntur fine, in quem tendit: unde illis repit velut super terram, hisce quasi alis elevatus in finem natura celsiorem, in beatitudinem Dei propriam tendit.

27. Hoc discrimen summi est momenti, ex cujus negatione plerique Baji, Jansenii et Quesnelli errores circa statum protoparentum lapsique generis humani conditionem pullularunt, ut bene ostendit Ernst die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin § 5. Etiam recentiorum errores opinionesque malesanae in hac materia prodierunt ex hujus discriminis neglectu. Illud autem omnino esse statuendum colligitur non solum ex rei natura, sed etiam ex disputatione cum pelagianis, contra quos semper propugnatum fuit, naturam posse quidem aliqua ad ornandam vitam terrenam, » quae secundum justitiae (naturalis) regulam non solum vituperare non pos-

sumus, verum etiam merito recteque laudamus,« ut loquitur Augustinus de spir. et lit. c. 27: sed sine gratia esse eam plane impotentem ad actus salutares. Ergo hi alterius sunt ordinis atque actus ethice boni seu naturales, ad quos natura sane est potens. Colligitur praeterea ex damnatione plurium prop. Baji, ut 13. 15. 17. 22. 34. 36. 37; ex damnatione prop. 24 synodi pistoriensis: »Qua vero parte (doctrina synodi) inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum ‚remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis (ex s. Augustino de spir. et lit. c. 28):' perinde ac si ‚inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur,' non daretur ‚dilectio humana licita, quae non reprehenditur (ex s. Augustino s. 340),' falsa, alias damnata.« Idem discrimen inculcatur in schemate constit. dogmaticae de doctrina cath. a conc. vaticano edendae c. 5 (Acta et decr. ss. conc. coll. lacensis VII, 563): »Hinc etiam fit, ut illa, quam dicunt, vitae probitas, qua mandata Dei, quod ad operum substantiam pertinet, utcunque servantur, a justitia et sanctitate, quae operantem ad coeleste regnum perducit, longe distet. Licet enim vis illa naturae insit, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit, quod non solum non vituperetur, verum etiam merito recteque laudetur: nihil tamen horum, quandoquidem sine fide et sine gratia fiunt, ad illam pietatem pertinet, quae in vitam transfert aeternam.« Cf. Ripalda disp. 44 s. 1; Kleutgen I 2. disp. 7 c. 3 § 5 et insignem disp. P. Arrubal in congreg. de auxiliis ap. L. Meyer in hist. l. 5 c. 23.

28. Quibus praemissis duplex oritur quaestio, num gratia necessaria sit ad actus salutares; deinde num etiam necessaria sit ad actus ethice bonos. A priori incipiamus.

A. De necessitate gratiae ad actus salutares.

29. **Thesis CLXXIV.** ***Gratia Dei ad omnes actus salutares necessaria est.***

Declaratio. Thesis dogma complectitur fundamentale religionis christianae. Hinc Augustinus de nat. et gratia c. 60: »Nullo modo, nisi adjuvante gratia Salvatoris Christi crucifixi et dono Spiritus ejus, vel quoslibet ad plenissimam perfectionem vel quemquam ad qualemcunque profectum verae piaeque justitiae pervenire qui negaverint, nescio utrum recte possint in qualiumcunque christianorum numero deputari.« Cf. ep. 178 n. 2; ep. 190 n. 22. Statuitur ea in primis contra pelagianos, qui ineunte sec. V. auctore Pelagio (cum Coelestio et Juliano eclanensi) praeter errores circa statum originalem protoparentum (cf. t. II. n. 310[1]) et peccatum originale (ib n. 359), alios quoque sparserunt de gratia, qui ad haec capita revocari possunt: **1.** Nomine gratiae intelligebant bona naturalia, naturalem possibilitatem seu potentiam, qua bene operari possumus. Cum vero nimis evidens esset ex universa revelatione christiana, naturam gratia juvari, nomine adjutorii gratiae **2.** intelligebant gratiam externam legis, evangelii, exempli in primis Christi. Num demum admiserint gratiam etiam internam saltem illustrationis, controvertitur inter theologos. Quamvis plurimi id concedant, non desunt tamen theologi graves, ut Lugo, Bellarminus, Norisius, Sfondratus,

Lessius, Suarez etc., qui id probabilius negent. Cf. Liv. Meyer in diss. docta et erudita de erroribus pelag. et massil. adnexa t. 1 suae hist. congr. de auxiliis. Certum saltem est, quidquid reclamant nonnulli, eos nunquam admisisse gratiam immediatae inspirationis voluntatis. Quamcunque demum **3.** gratiam naturae superadditam admittebant, ejus negabant gratuitatem atque **4.** ejus ad actus salutares necessitatem; tuebantur enim, eam tantum dari ad facilius operandam salutem. Statuitur thesis etiam contra socinianos, rationalistas.

30. Quantum autem horum error censeretur petere ipsa religionis christianae fundamenta, inde colligere licet, quod ab a. 412, quo primum pelagianorum haeresis magis innotescere coepit, usque ad a. 431 circa 24 concilia recenseri possunt, in quibus illa haeresis damnata fuit, omnesque pontifices sec. V. in illa damnanda et exstirpanda fuerunt solliciti. Cf. de his accurate disserentem Garnerium in diss. 2 ad p. I. op. Marii Mercatoris, cujus synopsim utilem exhibet theol. wirceburg. t. 4 de gratia n. 176 ss. Quare Augustinus scribere potuit l. 4 contra duas epistolas pelagianor. n. 20, eorum »profanas vocum novitates Ecclesiam Christi et occidentalem et orientalem horruisse;« et Coelestinus I. ep. ad Nestorium: »Orientem et Occidentem telis unitatis Pelagium et Coelestium et suae doctrinae sequaces profligasse;« et auctor ep. ad Demetriadem c. 10: »Restiterunt huic impietati recta innumerabilium corda sanctorum, et non solum docti quique pontifices, verum etiam universales Ecclesiae plebes apostolicae sedis exemplo, insaniam novi dogmatis horruerunt.« Damnata praeterea fuit in conc. arausicano II (cf. supra n. 18[2]) et in tridentino sess. 6 can. 2: »Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, A. S.;« can. 3: »Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus s. inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet . . . A. S.«

31. **Demonstratio.** Lemmatis instar praemittimus, merito nos posse supponere, quoties in literis divinis opera quaedam commendantur, vel de illis instituuntur fideles, sermonem esse de operibus salutaribus. Neque enim Scriptura sacra alium in finem nobis est data, quam ut nos de salute deque via ad salutem instruat. Jam vero Scriptura multipliciter docet gratiam ad ejusmodi opera esse necessariam.

1. Docet negando nos aliquid posse absque gratia: Joan. 15, 1 ss., ubi Salvator inter alia dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis . . . Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Quo in loco sermo est **a.** de gratia: nam sermo est de eo influxu, quem exserit Christus in palmites, quatenus est vitis, seu quatenus est Verbum caro factum. Atqui Verbum caro factum non continetur inter ordinem naturalem, non est elementum ordinis naturalis seu causa naturalis, sed essentialiter est fundamentum et radix ordinis plane novi i. e. supernaturalis. Ergo sermo est de influxu

non naturali, de concursu, sed de influxu supernaturali, id est de gratia. Sermo est **b.** de operibus salutaribus, ut patet tum ex lemmate praemisso, tum ex eo, quod de iis fructibus est sermo, quos agricola coelestis et Christus vitis exspectat, desiderat, intendit, et quibus probamur palmites genuini tantae vitis. Sermo est **c.** de operibus salutaribus omnibus. Etsi enim immediate agitur de operibus justorum, mediate tamen, argumento scilicet a fortiori, colligi potest, quod si justi indigent gratia ad opera salutaria, a fortiori ea indigebunt peccatores. Deinde ratio, quam Christus reddit, et comparatio, qua utitur, ita est universalis, ut se extendat ad peccatorum quoque opera.

Quae illatio duplici confirmatur ratione. Nam in divinis literis homines sibi relicti in ordine salutis exhibentur mortui Ephes. 2, 1; coeci 5, 8; animales seu incapaces percipiendi ea, quae sunt Dei 1. Cor. 2, 14. Sicut ergo mortui quin resuscitentur, vivere, coeci quin illuminentur, videre nequeunt: ita homo sine Dei auxilio non poterit operari aliquid ad salutem spectans. Hinc passim sermo est de renovatione, restauratione, recreatione, regeneratione, resurrectione, qua homines praeparentur, vivificentur, aptentur in omni bono (Hebr. 13, 21) et creentur in Christo Jesu in bonis operibus (Eph. 2, 10). — Accedit authentica traditio exegetica patrum sec. V. et VI. Ita scribit Augustinus tr. 81 in Joan. n. 3: »Ne quisquam putaret, saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: *hic fert fructum multum,* non ait, quia sine me *parum* potestis facere, sed *nihil* potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola, ut plus afferat; tamen nisi in vite manserit et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset.« — Ita auctor ep. ad Demetriadem c. 13, postquam dixit, esse »innumerabilia testimonia, quae ex paginis et N. et V. T. quadam conclamatione confirment, hanc esse verae humilitatis excellentissimam dignitatem, ut omnia, quae hominem faciunt christianum, ad divinae gratiae donum referantur:« subdit, esse »quaedam brevissima tantae plenitudinis tantaeque virtutis, ut nulla adversantis ingenio possint in sensum alium detorqueri. Nam quae contradictio admitti potest in eo, quod ipsa Veritas discipulis per Evangelium Joannis dixisse narratur: *Sicut palmes* etc.«

2. Quod Scriptura negando docet, affirmando quoque inculcat, generatim salutem gratiae adscribens exclusis operibus naturalibus. Non potest autem salus simpliciter adscribi gratiae, si homines actus plures, quibus salutem consequuntur, propriis elicerent viribus. Ita Ephes. 2, 1 ss., ubi v. 8 ss. legimus: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu* (causa meritoria et exemplari) *in* (ἐπί significat intentionem, scopum, ad quem) *operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quot incisa, tot argumenta ad probandum, in ordine salutis naturae vires non sufficere, sed primas partes

Deo per gratiam nos recreanti esse dandas. Philip. 1, 6: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi J.;* 2, 12. 13: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere.* Cf. ad Tit. 3, 5; 2. Tim. 1, 9; Rom. 3, 20 etc.

3. Scriptura singillatim opera salutaria gratiae adscribit, ut inductione fuse ostendit auctor de vocat. omnium gentium I, 23 s. Ita adscribit diserte vel aequivalenter gratiae salutares cogitationes 2. Cor. 3, 5: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est;* 1. Cor. 2, 14: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia;* Salvatoris agnitionem et invocationem 1. Cor. 12, 3: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto;* veram fidem Philip. 1, 29: *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini;* Eph. 2, 8 (supra); orationem Rom. 8, 26: *Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis* (postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus;* Zach. 12, 10; justificationem Rom. 3, 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius* etc.; charitatem ib. 5, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibns nostris per Spiritum s., qui datus est nobis;* et aliis omissis gloriam ib. 6, 32: *Gratia autem Dei vita aeterna in Christo J. D. N.*

4. Probatur ex Ecclesiae fideliumque orationibus, quo argumento utitur conc. carthaginense in ep. ad Innocentium I. n. 4, et ita proponitur in auctorit. praeteritorum sedis ap. episc. n. 12: „Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut judaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis coelestis misericordiae aula reseretur. Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus (opusc. XVIII, 266)."

5. Probatur dogma ex patrum traditione, pro qua sufficiant verba Vincentii lir. commonit. c. 24: „Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi praesumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret?"

6. Confirmatur ratione theologica, quam ita proponit s. Thomas 1. 2 q. 109 a. 5: „Actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos; nullus autem actus excedit proportionem principii activi, et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest perficere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam . . . Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, . . . et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc exigitur altior virtus, quae est virtus gratiae.“ Loquitur quidem s. Thomas de actibus meritoriis, eadem tamen ratio valet et de actibus, qui disponunt ad justificationem, cum et haec sit supernaturalis (t. II. n. 319. 340). Geminam rationem proponit q. 62 a. 2 et c. G. III, 147 „Res inferioris naturae in id, quod est proprium superioris naturae, non potest perduci nisi virtute illius superioris naturae, sicut luna, quae ex se non lucet, fit lucida virtute et actione solis; et aqua, quae per se non calet, fit calida virtute et actione ignis. Videre autem ipsam primam veritatem in seipsa ita transcendit facultatem humanae naturae, quod est proprium solius Dei . . . Indiget igitur homo auxilio divino ad hoc quod in dictum finem perveniat.“ — Non dissimilis ratio videtur innui Ecclesiae oratione dominicae XVIII. post Pentecosten: „Dirigat corda nostra, quaesumus, Domine, tuae miserationis operatio, *quia tibi sine te* placere non possumus.“ Sicut scil. solum Verbum caro factum Deo condigne potuit satisfacere; sicut illud tantum sacrificium Deo gratum et acceptum est, in quo se offert ipse Unigenitus: ita in praesenti rerum ordine actus tantum illi Deo sunt grati et accepti, quorum ipse est princeps auctor per gratiam.

Unde auctor de voc. omnium gent. I, 6 n. 6: »Deus hoc amat in nobis, quod ipse fecit: et hoc odit, quod ipse non fecit.« — Et auctor ep. ad Demetr. c. 17: »Dignum quippe est, ut imago Dei (de) Deo splendeat, et inde pulchra, inde sit compta, dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (Ps. 4, 7). Alioquin adultera est et a divino aliena conjugio, si alterius cujuspiam decorem in speculo sui cordis ostentat, aut ullis aliis monilibus acquiescit ornari nisi illis, quae de thesauris sponsi per s. Spiritus pignus accepit.« — »Sordet enim, inquit Prosper ep. 7 ad Ruf., natura sine gratia.« Cf. de thesi epistolae praeclarissimae conc. carthaginensis et milevitani, et quinque episcoporum ad Innocentium I. cum hujus responsis; necnon ep. Coelestini 21 ad episc. Galliae, quas habes opusc. t. XVIII; Scheeben § 165. 166; Palmieri de gratia c. 2 a. 2.

32. **Thesis CLXXV.** ***Ad pleniorem dogmatis catholici de necessitate gratiae ad omnes actus salutares declarationem statuimus 1. etiam ad initium fidei necessariam esse gratiam.***

Decl. Thesis est de fide, ut patet ex canonibus concilii arausicani II. a. 229, quorum 5 ita sonat: »Si quis sicut augmentum, ita etiam initium

fidei ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiae donum, i. e. per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.« Statuitur autem contra semipelagianos, qui concedebant quidem, gratiam necessariam esse ad opera salutaria, non tamen ad prima germina salutis, ad initium fidei [1]); contra Abaelardum [2]), et Hermes, qui semipelagianorum errorem impugnans in eundem lapsus est [3]). Quamvis enim cum dogmate catholico tueatur necessitatem gratiae ad omnes actus salutares, hos ad tres revocat: ad fidem efficacem (seu operosam), spem efficacem et caritatem efficacem ; reliqui actus secundum ipsum eatenus sunt salutares, quatenus illorum uni nituntur. Ad actus vero amoris, fiduciae in Deum etc., qui mox transeunt, neque efficacem habent influxum, ut lex spiritus praevaleat legi carnis, in quo praedominio secundum ipsum salus nostra consistit, non exigit gratiam, quia ipso judice salutares non sunt, sicut neque ad fidem theoreticam.

33. **Demonstratio. 1.** Probatur haec veritas corollarii modo fere omnibus iis, quibus praecedentem thesim demonstravimus. Si aliquis enim actus est salutaris, profecto est primus ille, quo salutem incipimus desiderare et quaerere; quo agnoscimus nostram indigentiam, ad quaerendum medicum inducimur atque ad eum recurrimus. Ab hoc enim reliqua pendent. Quocirca ad hunc in primis necessaria est gratia.

2. Id exigit vel dignitas gratiae, ut ipsa sit initium, radix et aurora salutis. *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* Rom. 11, 35 s., quibus Deo sicut in ordine naturali, ita et in supernaturali prima initia tribuuntur. Propterea Christus Joan. 6, 44 testatur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* quae profecto spectant vel primum salutis gressum. Ideo vocatur Christus a Paulo ἀρχηγὸς τῆς πίστεως Hebr. 12, 2 h. e. interprete Chrysostomo hom. 28 in h. l., „ipse fidem nobis indidit, ipse initium dedit.“

3. Hinc quaerit Apostolus: *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* (1. Cor. 4, 7)? „Quo praecipue testimonio, inquit Augustinus de praed. SS. c. 3 n. 7, etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis.“

---

[1]) Dissentiunt quidem theologi nonnihil, cum accurate definire nituntur, quid proprie nomine initii fidei intelligerent semipelagiani, (qui etiam reliquiae pelagianorum, vel ab urbe, in qua praecipui hujus erroris fautores commorabantur, massilienses dicebantur) et quoadusque illud extenderent. De eorum erroribus cf. Hilarius et Prosper in suis ad Augustinum epistolis (opusc. XXIV, 50 ss. et XXXVI, 1 ss.). Accuratam historicam synopsim de semipelagianis eorumque erroribus exhibet theologia wirceb. n. 188 ss.

[2]) Cf. ejus capit. haeres. n. 6 apud Migne 182, 1051.

[3]) Theolog. dogmaticae III § 282—87. Cf. Kleutgen l. c. 3 § 2.

4. Accedunt conciliorum et patrum effata plane universalia, quibus gratiae necessitatem ad prima salutis semina, ad primam fidei conceptionem et auroram extendunt.

Ita auctor op. de vocat. omnium gentium I, 23: »Hominis bonum meritum ab initio fidei usque ad perseverantiam donum atque opus esse divinum.« — Ita Prosper in resp. ad c. 8 gallorum: »Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus (in conc. carthaginensi a. 418), quorum constitutionem contra inimicos gratiae Dei totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, gratia Dei per Jesum Christum D. N. non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari, ita ut sine illa nihil verae sanctaeque pietatis habere, dicere vel cogitare valeamus.« — Ita Coelestinus I. in auctoritatibus sedis apost. episcoporum de gratia Dei, pluribus testimoniis ad rem adductis, concludit n. 14: »His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem; et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere.« Quare conc. arausicanum II. can. 25 respiciens facta, ad quae semipelagiani pro suo provocabant errore, declarat: »Manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit (Luc. 23, 43), et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est (Act. 10, 2 s.), et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit (Luc. 19, 3 ss.), illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum.« Cf. de hac thesi Augustini l. de praedest. SS. et Prosper c. Collatorem (opusc. XXXVI); ep. Bonifatii II. ad Caesarium arelat., qua conc. arausicanum confirmat etc.

34. **Thesis CLXXVI.** ***Statuimus 2. nomine gratiae ad omnes actus salutares necessariae intelligendam esse gratiam actualem, internam et supernaturalem.***

Demonstratio. Nomine gratiae ad actus salutares necessariae

1. intelligendam esse gratiam actualem, probatur ex appositis, quibus ea describitur: dicitur enim **a.** dari ad singulos actus; distinguitur **b.** prout actum salutarem praecedit vel comitatur in operantem et cooperantem, excitantem et adjuvantem etc.; de ejus ratione sunt **c.** illustrationes et inspirationes: quae omnia gratiae actuali conveniunt. Notari tamen debet non pro numero actuum salutarium repetendas esse illustrationes atque inspirationes, cum eadem gratia actualis determinare possit seriem actuum salutarium atque in singulos seriei actus influere.

2. Eam esse debere internam, probant quae adduximus th. 173.

3. Denique eam esse debere supernaturalem, evincunt **a.** omnia, quae adduximus thesi 172. Confirmatur insuper **b.** corollarii modo ex hucusque demonstratis. Nam secundum doctrinam catholicam natura plane est impotens vel ad minimum actum salutarem (n. 39). Cense-

bantur ergo actus salutares plane supra naturam, ejusque vires et possibilitatem positi, ac proinde gratiae auxilium ut naturam supra se elevans, ideoque supernaturale. Et revera **c.** illud auxilium exhibetur ut influxus Christi vitis in suos palmites. Atqui Christus vitis non spectat ad ordinem naturae, non est elementum ordinis naturalis, sed eminenter causa supernaturalis; ergo ejus influxus ad opera salutaria seu gratia est supernaturalis. Praeterea **d.** gratia proportione respondere debet fini, ad quem disponit et conducit. Atqui hic est supernaturalis. Ergo et gratia ad illum necessaria (n. 31[6]). **e.** Accedit subtilis s. Augustini de Gen. ad lit. IX, 17 disputatio, qua actus salutares operibus miraculosis confert, quorum rationes seminales rebus creatis inditae et concreatae non sunt, sicut effectuum naturalium, qui secundum usitatissimum cursum rerum sponte veluti sua causas creatas consequuntur: sed tribui debent Creatori super hunc cursum rerum naturalium pro sua omnipotentia operanti. Nam „habet Deus in seipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo opere providentiae, quo naturas substituit, ut sint: sed illo, quo eas administrat, ut voluerit, quas ut voluit, condidit. Ibi est et gratia, per quam salvi fiunt peccatores."

35. **Scholion.** *De supernaturalitate actuum salutarium.* — Ecclesia nondum definivit, gratiam necessariam ad actus salutares supernaturalem esse: hoc tamen eruitur ex ipsa notione christiana gratiae, adeo ut dici possit fidei proximum vel saltem doctrina catholica. Ecclesia definivit tantum, gratiam illam esse gratuitam seu indebitam. Ex eo autem, quod aliquid sit indebitum, nondum sequitur, illud esse intrinsecus supernaturale. Veritatem tamen hanc saltem indirecte definire cogitavit conc. vaticanum. Paratus siquidem erat can. (1) de gratia Redemptoris (V): „Si quis negaverit per Christum Redemptorem instauratum esse ordinem supernaturalis gratiae, A. S." Propositionis certitudinem nimis extenuat Ripalda, qui inter alia scribit disp. 10. n. 81: „Nos non de fide, sed probabilius dumtaxat ea auxilia asserimus vitalia intrinseceque supernaturalia esse. Aliqua auxilia et opera intrinsece supernaturalia longe jam probabiliori theologorum consensu in scholis admittuntur." Qua occasione

1. quaeritur, utrum actus salutares sint supernaturales secundum modum tantum, an secundum substantiam. Hoc posterius communiter jam tuentur theologi, adeo ut „oppositam opinionem, ut testatur Ripalda d. 44 n. 4, gravibus censuris carpant; Canus ait, non solum esse falsam et periculosam, sed erroneam, ne quid, addit, acerbius dicam; Sotus non esse tutam et a d. Thoma judicatam pelagianam; Zumel esse improbabilem ac sanae doctrinae dissonam; Medina vero, oppositum (scil. sententiam communem) esse de fide catholica. Mitius nostri doctores locuti sunt." Lugo de fide d. 9 s. 2 n. 29 eam dicit ‚veram et communem jam omnibus scholasticis,' eandemque ‚divinae theologiae magis consentaneam' censet Suarez. Et revera actus salutares esse secundum substantiam supernaturales **a.** colligitur ex impotentia absoluta naturae vel angelicae et ex oborta inde absoluta necessitate gratiae ad actus salutares; **b.** ex connexione actuum salutarium cum gratia

sanctificante et visione beatifica, quae utraque secundum substantiam est supernaturalis; **c.** ex eo quod assignari nequit modus ille, qui actum secundum substantiam naturalem reddat ita supernaturalem, ut ad eum eliciendum nulla sufficiat naturae virtus. Neque enim ille modus est major sive intensio sive facilitas: hoc enim asserere est pelagianum (n. 39); neque specialis dignitas, quae pendet potius a subjecto eliciente; neque ratio meriti, quae supponit jam actus valorem.

36. **2.** Quaeritur, *quomodo actus salutaris a naturali distinguatur.* Tenendum est **a.** hos actus non solum fine, ad quem uterque tendit, distingui, sed et principio eliciente: actus enim naturalis elicitur solis viribus naturae, actus vero salutaris tantae est perfectionis, ut non possit elici nisi ope gratiae. Non tamen **b.** necessario distinguuntur objecto materiali, cum uterque possit versari circa idem objectum materiale. Controversia **c.** est, num necessario exigant diversum objectum seu motivum formale. Hac de re non una est theologorum sententia; aliqui negant, imo Dom. Sotus statuit de nat. et gr. II, 16: „Quemcunque actum potest habere ille, qui est in gratia, potest etiam, quantum ad substantiam operis, elicere peccator ex puris naturalibus.“ Et sane supposita praesenti revelatione, quare non posset natura seclusa etiam gratia interna plures virtutum actus ponere ob illa motiva quae suggerit revelatio? Alii tamen censent, saltem aliquo modo quoad motivum formale hos actus distingui, adeo ut fieri non possit, actum naturalem et salutarem circa idem prorsus objectum formale versari vel ex eodem elici motivo: sufficientem alioquin rationem reddi non posse tantae necessitatis gratiae ad actum salutarem, et constantem Thomae doctrinam esse, actus, habitus, potentias distingui formali objecto, quod in nostro casu, in quo ex dictis discrimen est secundum substantiam inter actum naturalem et supernaturalem, non esset amplius verum. Cf. hac de re eregie subtiliterque disserentes Arrubal et Bastida in congr. de auxiliis apud Meyer in historia earundum V, 23. 36. 38; Ripalda d. 45; Palmieri th. 25. Tuemur et nos aliquod discrimen inter utriusque actus motivum: sed satis videtur, ut distinguatur modo apprehensionis, quo scil. apprehenditur vel lumine gratiae vel lumine rationis naturalis: ideoque necesse non est, ut pro actu supernaturali semper aliud in se sit motivum seu alterius ordinis quam pro actu ethice bono, quodque viribus naturae attingi nequeat: sufficit enim ut altiori lumine apprehendatur. Cf. Lingens in Zeitschr. für kath. Theol. 1894 p. 593 ss.; Scheeben § 165, qui consideratis actibus salutaribus, quatenus aspirant finem supernaturalem, illum jam inchoant et anticipant in nobis, congruunt ordini illi sublimi, quem inducit filiatio adoptiva: supernaturalitatem quandam motivi exigit. Quare distingue quaestionem abstractam a concreta: aliud scil. est quaerere, num actus supernaturalis et naturalis possit habere idem objectum non solum materiale, sed etiam formale; et aliud, num actus supernaturalis sit vere salutaris et spectans ad hunc salutis ordinem, si eliciatur, quamvis ex gratia, ex motivo tantum quod ordinem naturalem non transcendit.

37. **Thesis CLXXVII.** ***Statuimus 3. vel ipsos justos indigere gratia actuali ad actus salutares.***

Demonstratio. Specialis quaestio est inter theologos de justis, num et illi, cum jam habeant gratiam habitualem, indigeant insuper actuali. Plures id olim negarunt, quos recenset Ripalda d. 106 s. 3,

in primis Ruiz de div. provid. disp. 41 s. 6 ss. Sententia tamen affirmans est praeferenda. Notari vero debet, quamvis certum sit, justos indigere gratia actuali; controversiam aliquam esse posse, qualis gratia actualis pro ipsis requiratur, num scil. eadem omnino, quae peccatoribus est necessaria. Probatur thesis

1. plerisque testimoniis Scripturae et patrum, quibus evincitur gratiae necessitas ad omnes actus salutares; ea enim agunt de gratia actuali, ut Jo. 15, 5 etc. (n. 30[1]). Nam „quod tempus intervenit, scribit Zosimus in ep. qua pelagianorum dogma damnat (tractoria dicta), quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est.“ Atqui actus etiam justorum sunt salutares. Ergo et ipsi indigent gratia actuali.

2. Huic assertioni favent conciliorum decreta, ut moguntini (a. 1549) c. 8; tridentini sess. 6 cap. 16 necnon et arausicani II. can. 25, in quo statuitur: „Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:“ quibus verbis clare designatur praeter gratiam justificationis requiri ad bene operandum aliam gratiam, gratiam auxiliantem et cooperantem; quae praedicata gratiam actualem significant. Provocare etiam licet ad verba schematis cit. conc. vaticani c. 5: „Haec ipsa opera bona, quae gratia praeveniente, comitante et subsequente fiunt, vitae aeternae meritum non habent sine illo sanctitatis dono, quo justi cum Christo tamquam membra cum capite conjuncti et tamquam filii Dei per gratiam cum Filio Dei naturali consociati sunt.“

3. Ecclesia omnes, etiam justos, docet orare: „Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.“ Cui exhortationi obsequuntur diligentissime justi. Unde scribit Hieronymus dial. contra Pel. c. 1 n. 5: „Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula Dei a sanctis flagitetur auxilium et in singulis operibus suis illo adjutore et protectore uti desiderent. Lege tantum psalterium, omnes sanctorum voces nihil erit nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.“ Indigent ergo justi praeter gratiam habitualem, quam jam habent, etiam alia i. e. actuali.

4. Probatur ex eo doctrinae capite patrum, vel Adamo et angelis gratiam actualem fuisse necessariam.

Hinc generatim docet Augustinus de nat. et gr. c. 26: »Sicut oculus plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.« Pluribus patrum testimoniis idem jam probat Re-

migius lugd. de tenenda Scripturae veritate c. 3 (Mig. 121, 1087 ss.). Ita ex. gr. disputat Augustinus adversus Pelagium l. cit. c. 48: „Si de integra et sana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus: *spe enim salvi facti sumus* (Rom. 8, 24), nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset; nam et tunc esset adjutorium Dei, et tamquam lumen sanis oculis, quo adjuti videant, se praeberet volentibus," quae nonnisi de gratia actuali possunt intelligi. De corrept. et gratia c. 11 n. 31: „Nec ipsum (Adamum) Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium, si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit et est desertus etc." Cf. Ripalda d. 111 s. 6.

5. Confirmatur assertio ratione theologica, quam ita Ripalda d. 106 s. 3 proponit: „Omnis actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se cognitionem et affectionem supernaturalem circa objectum, in quod afficitur. At cogitatio et affectio supernaturalis praeveniens necessario actum salutarem est gratia auxilians actualis. Ergo omnis actus salutaris, etiam elicitus influxu habituum supernaturalium, supponit per se gratiam auxiliantem actualem." Sane omnis actus deliberatus praesupponit actus indeliberatos. Neve dicatur hos elici ope habituum occasione objecti alicujus propositi. Nam justus praeditus est facultatibus naturalibus et gratiae habitibus; quocirca operari potest vel solis viribus naturae (ut cum peccat), vel viribus elevatis per habitus; hinc indiget aliqua determinatione, ut potius salutariter quam mere naturaliter agat, et ut habitus infusi ad operandum connaturaliter moveantur: quae determinatio ejus ordinis sit necesse est, cujus et actus deliberatus i. e. ordinis supernaturalis [1]).

38. **Thesis CLXXVIII.** ***Denique 4. statuimus, necessitatem gratiae ad omnes actus salutares non esse tantum moralem ex concupiscentiae difficultate obortam, sed absolutam et physicam profectam ex impotentia naturae.***

Declaratio. Necessarium id dicitur, sine quo aliud vel nullo modo vel tantum cum magna difficultate propter plura vel pauciora impedimenta obtineri potest. In priori casu habetur necessitas absoluta, in altero moralis.

---

[1]) Potest forte id illustrari exemplo haud inepto. Sicut objecta sensibilia immediate intellectum possibilem ad concipiendam ideam determinare nequeunt, quin lumine intellectus agentis ad ordinem transferantur intellectualem (de qua quaestione philosophica cf. Kleutgen Beilagen zu den Werken über die Theologie und Philosophie der Vorzeit fasc. 3 sect. 1): ita objecta extrinsecus proposita paria non sunt ad determinandum influxum habitus infusi, nisi ope illustrationis internaeque inspirationis ad ordinem transferantur proportionatum habitibus supernaturalibus. Cf. Mazzella d. 2 a. 2. Perrone in annot. ad p. 1 c. 2 a. 4 prop. 2 censet thesim esse dogma fidei, non spectare ad quaestiones scholasticas; sed circa partem priorem ei assentiri non possumus.

Quaeritur ergo, utrum gratiae necessitas ad actus salutares sit absoluta ob physicam naturae humanae impotentiam ad ejusmodi actus, an tantum moralis ob difficultatem consequendae salutis. Quod alterum omnes ii tueri debent, qui gratiae necessitatem ex Adami lapsu atque ex concupiscentia inde contracta repetunt, ut nonnulli etiam recentiores Germaniae theologi. Tenendum autem est, gratiam necessariam esse non solum necessitate morali, sed et absoluta et quidem physica, cum ejus fons sit non sola concupiscentia, sed impotentia physica humanae naturae ad actus salutares: ideoque eam necessariam esse necessitate antecedenti Adami lapsum, non tantum necessitate, quae lapsum ipsum sit consecuta.

39. **Demonstratio.** Haec doctrina omnino catholica probatur

1. corollarii modo. Nam sine eo, quod est moraliter tantum necessarium, potest aliquid hinc inde fieri. Atqui absque gratia nihil salutare fieri potest. Ergo non est tantum moraliter necessaria. Seu aliis verbis: Si gratia est necessaria tantum propter concupiscentiae morbum, toties ea non indigebimus, quoties concupiscentia non pulsamur. Atqui non semper concupiscentiae aestu laboramus. Ergo non semper ad opera salutaria indigeremus gratia, quod adversatur catholico dogmati.

2. Accedunt Ecclesiae sanctiones patrumque effata, quibus rejiciunt sententiam pelagianorum de morali gratiae necessitate.

Ita conc. carthaginense a. 418 can. 5: »Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus sine illa implere divina mandata: anathema sit;« et s. Augustinus adversus pelagianos op. imperf. II, 198: »Christe, responde, vince atque convince, clama: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5); ut taceant, qui clamant: Etsi difficilius, tamen possumus et sine te facere; aut si tacere non possunt, seipsos in latrebras aliquas ducant, ut alios non seducant.«

3. Doctrina est patrum, vel ipsis angelis et protoparentibus, qui immunes erant a concupiscentia, necessariam fuisse gratiam ad opera salutaria (n. 37[4]). Concupiscentia ergo non est unicus et adaequatus fons necessitatis gratiae.

4. Patres gratiae necessitatem absolutam, physicam, ex rerum natura obortam similitudinibus etiam illustrant. Docent enim ita gratiam esse necessariam ad salutariter agendum, sicut lux ad videndum, anima ad corporis vitam (pag. 2 a.), pluvia frugibus terrae, sicut alae requiruntur ad volandum.

»Quemadmodum avis, ita Macarius senior hom. 32, si unicam habuerit alam, ea sola volare nequit: sic quoque humana natura, si nuda quoad se maneat et non recipiat commixtionem et communionem coelestis naturae, nihil laude dignum efficit.« — Irenaeus V, 10: »Quemadmodum oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis suo domino per suam silvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum exciditur et in ignem mittitur (cf. Joan.

15, 6): sic et homo non assumens per fidem Spiritus insertionem perseverat hoc esse, quod erat ante, caro et sanguis regnum Dei non possidens.« Consule et c. 6 ss.; II, 17. — Chrysostomus in 1. Cor. h. 7 n. 4: »Oculi pulchri et utiles sunt: sed si voluerint sine luce videre, nihil juvat illos pulchritudo vel propria virtus, imo etiam laedit. Sic itaque anima, si voluerit sine Spiritu videre, sibi ipsi impedimento est.«

5. Ratio denique theologica idem suadet. Actus enim salutares illi sunt, quibus salutem consequimur. Quare proportio quaedam esse debet inter hos actus et salutem. Atqui salus nostra est supernaturalis. Ergo actus nostri, ut proportione respondeant tanto fini, supernaturales esse debent. Atqui omnis natura sive infirma, sive sana, physice est impotens ad actus edendos supernaturales, ut patet ex ipsa notione actus supernaturalis (II. n. 317). Ergo non ex concupiscentiae morbo, sed ex physica naturae impotentia ad actus salutares oboritur gratiae necessitas. Quae ratio insinuatur in schemate cit. conc. vatic. cap. 5: „Neque haec gratia naturae tantum vires reparat, ut per eam adjuti ad honestatis normam mores et actus nostros plene componere possimus, sed ultra naturae terminos ad coelestis hominis i. e. Christi imaginem nos transformat in novamque vitam regenerat."

40. **Scholion.** *Exceptioni ex s. Augustino satisfit.* — Quod si subinde patres, Augustinus praesertim, Adami naturae adscribunt virtutem bene i. e. salutariter operandi, vel si loquuntur de ejus naturali possibilitate (potentia) ad actus salutares: notetur, eos Adami naturam vel operandi potentiam considerare historice, cum omnibus illis praerogativis, quibus aucta prodiit e manibus Dei: ergo cum omni gratiae apparatu, qua ab origine fuit instructa ad salutariter operandum (t. II. n. 326 ss.). — Concedimus quidem s. Augustinum gratiae necessitatem ex infirmitate nostra ad bonum per concupiscentiam inducta probare: sed non propterea, quod aliam hujus necessitatis causam, scil. impotentiam naturae physicam lapsui antecedentem, ignoraverit. Hanc enim ipse docet, quoties asserit vel angelis et protoparentibus gratiam fuisse necessariam; quoties inculcat gratiam non dari ad facilius operandum; quoties urget, nos sine gratia nil plane posse. Ad rem scribit de gestis pel. c. 1 n. 3: »Admonemur, adjutoriorum genera esse duo. Alia quippe sunt, sine quibus illud, ad quod adjuvant, effici non potest, sicut sine navi navigat nemo, nemo sine voce loquitur; nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce intuetur et multa hujusmodi; unde est etiam illud, quod nemo sine Dei gratia recte vivit. Alia vero sunt adjutoria, quibus sic adjuvamur, ut, etiamsi desunt, possit alio modo fieri, propter quod ea requirimus« etc. Utrumque necessitatis gratiae fontem ita expressit de nat. et gr. 59: »Cur noluit (Pelagius) aliquid dicere de eo, quod ipsa natura gratia Dei per J. Christum vel sanatur, quia vitiata est, vel quia sibi non sufficit, adjuvatur?« Cf. de pecc. mer. et remiss. II, 5. Propterea autem libenter gratiae necessitatem ex concupiscentiae repetit difficultate, quod haec probatio captu longe est facilior, experientia et Pauli exemplo (Rom. 7) suffulta, hinc omnibus pervia; tum apta ad retundendam pelagianorum arrogantiam, qui non verebantur affirmare, se non solum viribus naturae posse resistere concupiscentiae, sed eo usque pervenire, ut perfecta

fruerentur ἀπαθείᾳ, animi imperturbabilitate. Cf. Tricassinus de necess. ad salutem gratia p. 2 s. 2 § 4 et Ripalda d. 106, ubi subtiles de gratiae necessitate quaestiones proponit; Scheeben § 163.

41. Absoluta quaestione generali de gratiae necessitate ad actus salutares, sequitur jam duplex quaestio specialis.

Thesis CLXXIX. ***Justus in accepta justitia perseverare nequit sine speciali Dei auxilio.***

Declaratio. Thesis statuitur contra semipelagianos et est de fide, ut patet ex concilii tridentini sess. 6 can. 12: „Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, A. S.“ Ut ea autem rite intelligatur, scias **1.** perseverantiam distingui in activam et passivam. Illius nomine intelligitur series actuum, vi quorum justus omnibus tentationibus resistit satisfacitque omnibus praeceptis, atque ita acceptam justificationis gratiam conservat augetque. Haec vero continetur morte in statu gratiae. Utriusque conjunctio constituit perseverantiam completam seu finalem, magnum perseverantiae donum. **2.** Loqui nos de perseverantia activa non per breve, sed per longius temporis spatium. **3.** Nomine auxilii specialis non esse intelligendum aliquod privilegium vel auxilium extraordinarium distinctum a gratia actuali, quae cuilibet justorum parata est: sed auxilium distinctum a gratia habituali [1]); vel si vis auxilium, quod non solum complectitur gratiam actualem, quae habituali connaturalis est et qua praediti fuerunt etiam angeli et protoparentes; sed insuper gratiam medicinalem specialemque Dei protectionem. Definivit ergo concilium, gratiam habitualem ad perseverandum non sufficere. **4.** Quod vero perseverantiam passivam spectat, verissimam esse s. Augustini doctrinam de dono persev. c. 17: „Videte jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae, cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem; quem si det ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.“ Verissimum quoque est, specialem protectionem, qua Deus justos a tentationibus, periculis, seductione, peccati occasionibus praeservat et a qua ipsa perseverantia activa plurimum pendet, beneficium esse saepe plane singulare non omnibus justis commune. Merito **5.** perseverantiam finalem vocari magnum donum a concilio tridentino sessionis 6 can. 16: ea enim **a.** complectitur gratiarum cumulum, scil. praeter gratiam sanctificantem seriem gratiarum internarum externarumque (saltem in adultis) et beneficium mortis in statu gratiae; **b.** est omnium gratiarum praecipua: nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* Matth. 24, 13; eaque **c.** pendet a collatione gratiarum, quas Deus praevidet efficaces. Deus autem non tenetur justis semper dare gratias, quas praevidet efficaces, submotis iis, quae ex justorum negligentia forent inefficaces. Quamvis **6.** justi nequeant, ut n. 238 [4] videbimus, magnum hoc perseverantiae donum merere de condigno, posse tamen omnes illud petere, impetrare, suppliciter merere: si-

---

[1]) Haec animadversio magni est momenti, quam inculcat Perrone de gratia p. 1 c. 2 a. 4 prop. 2 a. ult. „Ex eo, inquit, quod haec de perseverantia controversia non satis fuit explanata, molestissima orta est in scientia theologica perturbatio.“ Cf. Thomas 1. 2 q. 114 a. 9; Palmieri th. 36.

quidem petere ea omnia possunt et debent, quae ad salutem sunt necessaria; et perseverantiae finalis petitio praecipue continetur oratione dominica ab omnibus recitanda cum exauditionis spe sane non inani, ut egregie ostendit Augustinus l. c. n. 3 ss. Ita ex gr. n. 3 scribit: »Ipsa oratione, quae dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligitur.« Quare **7.** etiamsi perseverantia finalis magnum sit Dei donum et nemo sibi illud absoluta certitudine polliceri possit (cf. conc. trid. sess. 6 cap. 13), id tamen omnibus dici posse paratum, illud consequi in omnium justorum potestate esse positum, si faciunt quod est in se, nullumque censeri debere ab eo exclusum ante praevisum cooperationis defectum. Unde concilium docet, »in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debere. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere (Phil. 1, 6).«

42. **Demonstratio. 1.** Probatur haec veritas ex eo, quod ad perseverandum necessarium est servare omnia praecepta, vincere omnes tentationes. Atqui ostendimus vel justos indigere gratia actuali ad actus salutares (n. 37), ad quos pertinet observatio legum saltem supernaturalium. Infra vero th. 181 ostendemus, nos vincere non posse absque auxilio gratiae omnes tentationes. Indigent ergo justi speciali Dei auxilio ad perseverandum. Quapropter in divinis literis

2. saepe monemur, orare Deum pro obtinendo ejusmodi auxilio Matth. 26, 41: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* Jo. 17, 11; 2. Thess. 2, 16 etc. et Ecclesia passim illud a Deo implorat. Ita feria 3. post dominicam passionis orat Deum, ut „det nobis perseverantem in sua voluntate famulatum;“ et conc. arausicanum II. can. 10 statuit: „Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.“ „Cur autem, inquit Augustinus l. c. n. 3, perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur, non ipsum dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?“

3. Idem docent patres et concilia, secundum quos vel angeli et protoparentes indigebant gratia ad perseverandum.

Ita conc. arausicanum II. can. 19: »Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?« Quae sunt Augustini ep. 186 c. 11 n. 37, qui eam doctrinam saepe inculcat. »Dederat, ita iterum ille de correp. et gr. c. 11 n. 32, (Adamo) adjutorium, sine quo in ea (bona voluntate) non posset permanere, si vellet . . . Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet: non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine

quo manere non possent.« Cf. Ench. n. 106; de nat. et gr. c. 48 n. 56 etc.; auctor de voc. omnium genium. II, 28.

4. Si de nullo bono in ordine salutis gloriari nobis licet, quasi illud non acceperimus (1. Cor. 4, 7): quanto minus licebit nobis de perseverantia gloriari, quae certe magnum est bonum. Quare concludimus verbis Coelestini definientis ep. 21 ad episc. Gall. c. 6: „Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit."

43. **Thesis CLXXX.** ***Pariter nequit justus absque speciali privilegio in tota vita sua peccata omnia venialia vitare.***

Declaratio. Statuitur thesis contra pelagianos, qui eo temeritatis pervenerunt, ut contenderent, posse hominem absque gratia omnia peccata venialia vitare, imo consequi perfectam imperturbabilitatem. Ea est de fide, ut patet ex conc. carthaginensis can. 6. 7. 8 (n. 44) et tridentini sess. 6 can. 23: »Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de b. Maria V. tenet Ecclesia, A. S.« Cf. etiam prop. 57 et 52 Mich. de Molinos damnatae. Loquimur autem **1.** de justis praesentis status, non de justis in statu naturae integrae, de quibus consule s. Thomam 1. 2 q. 109 a. 8; **2.** de vita non brevi, sed plus minusve diuturna; non vero **3.** de singulis peccatis venialibus, sed de tota eorundem serie. Nomine autem **4.** peccatorum venialium intelligimus non tam ea, quae plena deliberatione committuntur, quam defectus et imperfectiones ex humana fragilitate ortas: »quae, ut belle Augustinus serm. 181 c. 6, orationis penicillo terguntur.« Ad haec vitanda **5.** non sufficiunt gratiae,quae ordinarie justis concedi solent, sed requiritur privilegium et quidem tale, quod est contra generalem legem seu quod est exceptio ab universalibus locutionibus Scripturae: et sane illud videtur exigere immunitatem a concupiscentia ideoque etiam a peccato originali: unde connexum illud videmus cum dignitate matris Dei. Quocirca vix erit theologus, qui illud alii sanctorum (si forte s. Joannem B. excipias) vindicet. Et revera etsi conc. tridentinum non de facto, sed tantum de potestate vitandi omnia peccata venialia loquitur, conc. carthaginense disserens de facto omnes videtur complecti justos (excepta b. V.). Impotentia haec vitandi omnia peccata venialia **6.** non est physica, sed moralis: orta non ex defectu virium physicarum, sed ex summa difficultate, quam nunquam homines de facto superabunt: et quamvis hoc attenta hominis fragilitate a priori videatur certum; infallibiliter certum redditur ex revelatione Dei factum ipsum praevidentis. Quamobrem Augustinus de pecc. mer. et remiss. l. 2 n. 3: »Non vident (pelagiani), quod ad nonnulla, vel quae male cupiuntur, vel quae male metuuntur, magnis aliquando et totis viribus opus esse voluntatis: quas non perfecte in omnibus adhibituras praevidit, qui per prophetam veridice dici voluit: *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Ps. 142, 2).« Cf. l. 1 n. 69.

44. **Demonstratio. 1.** Ad probationem thesis sufficit provocare ad concilii milevitani II. et carthaginensis plenarii (a. 418) canones tres, in quibus plura Scripturae proponuntur effata atque a perversa

pelagianorum interpretatione vindicantur. Can. 6: „Item placuit, quod ait s. Joannes apostolus (1. ep. 1, 8): *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est:* quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim apostolus et adjungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim apostolus dicere, si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et humilitas in nobis non est. Sed cum ait, nos ipsos decipimus, et *veritas* in nobis non est: satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. Can. 7: Item placuit, ut quicunque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: Dimitte mihi debita mea, sed dimitte *nobis* debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim et justus erat apostolus Jacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus omnes* (3, 2). Nam quare additum est *omnes,* nisi ut ista sententia conveniret et Psalmo (142, 2), ubi legitur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo, qui non peccet* (Eccles. 7, 21). Et in libro Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam* (37, 7). Unde etiam Daniel sanctus et justus, cum in oratione pluraliter diceret: *peccavimus, iniquitatem fecimus,* et cetera, quae ibi (9, 5) veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, haec non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cum orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei Domino Deo nostro,* noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, et sua, quia futuros istos, qui tam male intelligerent, tamquam propheta praevidit. Can. 8: Item placuit, ut quicunque verba ipsa dominicae orationis, ubi dicimus: *dimitte nobis debita nostra,* ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem et non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur, se debita non habere?“

2. Patres integris operibus hunc pelagianorum errorem refellunt. Ita in primis Augustinus, qui alioquin initio controversiae de facto, num aliqui justi ope gratiae omne vitaverint peccatum, minus peremptorie sententiam suam expresserat (cf. ep. ad Innocentium I. n. 15. 16 opusc. XVIII,

73; de perfectione justitiae; de peccat. meritis et remiss. II, 6 ss.; de natura et gratia c. 60 ss.): post editos canones supra citatos, diserte negat aliquos unquam exstitisse sanctos (excepta b. V.), qui omni prorsus caruerint peccato (actuali). Gelasius prolixo tract. adv. pelag. (Migne 59, 110 ss.); Hieronymus l. 2 dial. adv. pelag. n. 4 ss. et ep. 133; auctor de voc. omnium gent. I, 6 etc. Sed jam patres anteriores hanc praesumptionem praedamnarunt, ut Cyprianus de mortal. n. 3. 4 (opusc. t. IV) et de op. et eleemos. n. 3, ubi citatis Prov. 20, 9: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato*, et 1. Joan. 1, 8, ita prosequitur: „Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit, aut superbus aut stultus est: quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quae, cum sciat non deesse sanatis quaedam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria."

3. Accedit experientia. Quis enim attenta hominis fragilitate sibi persuadebit, se diu absque ullo vel minimo defectu vivere posse?

45. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Ad difficultates, quae thesi opponi possunt, solvendas notetur **1.** probabiliorem sensum 1. Joan. 3, 9: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, et non potest peccare*, esse, justum reduplicative spectatum, quatenus est renatus ex Deo et gratia sanctificante praeditus, non posse peccare; neque enim gratia ad peccatum concurrit, sed ab eo potius deterret adeo, ut cum gravi saltem peccato consistere simul non possit: si vero justus tamen peccat, peccat quatenus natus est ex Adamo concupiscentiae obnoxius, nondum perfecte renovatus et regenitus. Quod ita expressit s. Augustinus de gr. Chr. c. 24: »Charitas, secundum quam natus est ex Deo (justus), non agit perperam, non cogitat malum. Cum ergo peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo.« Et s. Thomas c. G. IV, 70: »Sic dictum est: Non potest peccare qui ex Deo natus est, sicut si diceretur, quod calidum non potest infrigidare (id tamen quod est calidum potest fieri frigidum et sic infrigidabit); vel sicut si diceretur, Justus injusta non agit, scil. in quantum est justus.« Cf. Bellarminus de justif. l. 3 c. 15, qui quinque h. l. explicationes adducit; Scheeben l. 3 n. 907.

2. Etsi justi peccatum plene cavere nequeunt, non sequitur, eorum justitiam non esse veram, sed tantum eam nondum esse omnibus absolutam numeris; sicut aliquis potest esse homo verus, et nondum perfectus.

3. Ex eo, quod justi singula seorsim spectata vitare possunt peccata venialia, non sequitur, eos posse eadem facilitate omnia: quo plura enim successive sunt vitanda, eo major fit ea vitandi difficultas: donec ea redditur moraliter, non absolute, insuperabilis, ut exemplis ostendi potest.

4. Haec doctrina censeri non debet dura: dura tunc censenda forte esset, si **a.** non possemus cavere peccata venialia plene deliberata; si **b.** non possemus facile illorum impetrare veniam; si **c.** quidquid damni ex hac fragilitate in nos redundat, non abunde compensaretur bonis, ad quae ejus conscientia et memoria nos inducit. Fovet enim humilitatem, excitat ad opera poenitentiae

et mortificationis. »Nec in eo ipso, inquit Augustinus de pecc mer. et remiss. l. 2 c. 19 n. 33, vult (Deus) nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam; ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse, quod ejus est; qui error multum est religioni pietatique contrarius.« Cf. c. Jul. IV, 3 n. 28; Ripalda d. 117 s. 2.

46. **Scholion II.** *Num peccatores possint vitare omnia peccata gravia.* — Quid tenendum est de peccatoribus circa peccatorum vitationem, si ne justi quidem omnia peccata venialia absque privilegio vitare possunt? Respondet s. Thomas 1. 2 q. 109 a. 8: »Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare, et secundum aliquod tempus, quia non est necesse, quod continuo peccet in actu. Sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest.« Quod breve responsum fuse, sed magistraliter elucidat Suarez I, 27 n. 13 ss. tribus statutis thesibus: »Dico ergo primo: si res haec ex natura rei et internis principiis consideretur, nec gratia habitualis, nec fides, nec motio supernaturalis in substantia est necessaria ad hunc effectum, sed sufficit gratia motionis divinae, quae licet sit ordinis naturalis, supernaturaliter confertur. Dico secundo: quamvis non repugnat hanc gratiam sufficientem ad vitanda diu omnia peccata contra legem naturae dari infidelibus, nihilominus valde probabile est ex lege Dei non dari nisi solis credentibus, seu fidelibus;« et (secundum nos) probabiliter etiam infidelibus negativis facientibus quod est in se. »Dico tertio: probabilius etiam est, ex lege Dei non dari auxilium hoc proxime sufficiens ad vitanda omnia peccata longo tempore nisi hominibus justificatis: atque hoc modo gratiam habitualem esse necessariam ad vitanda diu peccata contra legem naturalem, non ut proximum auxilium ad id necessarium, sed ut principale fundamentum et ratio obtinendi tale auxilium.« Quod tuentur theologi wirceburgenses de gratia n. 318; Bellarminus de gr. et lib. arb. V, 5; Gotti etc., refragante Cerciá de gratia s. 1 lect. 15. Cf. Suarez IX, 8; Mazzella disp. 2 a. 5.

B. De necessitate alicujus divini adjutorii ad actus ethice bonos.

47. Consideravimus necessitatem gratiae ad actus salutares. Quaeritur jam, num aliquod Dei adjutorium necessarium sit ad actus ethice bonos. Cui quaestioni respondebit

Thesis CLXXXI. ***Ad observationem totius legis naturalis ethice bonam victoriamque gravium tentationum ethice honestam indiget homo lapsus Dei adjutorio.***

Declaratio. 1. Loquimur in thesi non de observatione legis naturalis et tentationum victoria salutari, ad quam, ut patet ex dictis, certissime necessaria est gratia supernaturalis: sed tantum de observatione [1]) et victoria

---

[1]) Affinis est alia theologorum distinctio, qua distinguunt inter praecepti observationem quoad substantiam operis, et quoad modum. Ut praeceptum aliquod impleatur quoad substantiam operis, sufficit, ut actus suam habeat bonitatem moralem; impleri autem dicitur praeceptum etiam quoad modum, si actu salutari et meritorio servatur. Quod discrimen asseritur damnatione prop. 61 Baji: »Illa doc-

ethice honesta. Neque agimus **2.** de observatione unius alteriusve praecepti, neque de victoria unius alteriusve tentationis, sed de observatione totius legis deque victoria omnium tentationum. Necessitas vero **3.** auxilii non oritur ex impotentia physica naturae lapsae, sed tantum ex difficultate propter concupiscentiam. Cum dicimus **4.** hominem indigere auxilio, non affirmamus, illud per se supernaturale esse debere. Ad opus enim ethice bonum sufficit per se auxilium Dei ordinis naturalis. In praesenti tamen elevationis ordine illud, si non semper, saepe tamen est supernaturale, ut observatio legis naturalis et tentationum victoria salutaris esse possit. Quid tenendum sit de statu naturae purae cf. supra t. II th. 133. Quod **5.** thesis certitudinem attinet, assentimus Suarez scribenti I, 26 n. 12: »Mihi videtur non esse simpliciter de fide, quia non invenio expressam et specificam Ecclesiae definitionem hujus dogmatis sub his terminis propositi . . . Ideoque satis est dicere doctrinam hanc esse conclusionem theologicam adeo certam, ut contraria non solum jam temeraria sit, sed etiam errori proxima.« Quare non probamus Ripaldae sententiam disp. 114 s. 19 n. 179, doctrinam contrariam nulla theologica censura dignam esse.

48. **Demonstratio.** Quamvis non omnia testimonia, quae pro thesi afferri solent, ad rem sint, cum intelligi possint de observatione legis naturalis tentationumque victoria salutari: illa tamen probant in quibus auxilii necessitas ad servanda praecepta repetitur ex infirmitate hominis propter concupiscentiam. Huc pertinent

1. verba Pauli Rom. 7, 18 ss.: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago . . . Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per J. Christum D. N.* Ex quibus liquet **a.** summam hominis esse infirmitatem ad bonum honestum, qua late patet; eamque **b.** Apostolum non tam repetere ex supernaturalitate actus, quam ex concupiscentiae repugnantia, tantamque **c.** affirmare, ut sine Dei gratia peccati captivitas sit inevitabilis, saltem moraliter loquendo. Cum ergo ex parte concupiscentiae eadem sit difficultas ad actum sive ethice bonum sive salutarem, eadem quoque erit propter concupiscentiam necessitas alicujus auxilii divini ad actum etiam ethice bonum. Hinc **d.** Apostolus legem dicit esse *literam occidentem, operari iram*, mortem etc. Rom. 7, 7 ss.; 4, 15 etc., quod non esset verum, si homo sibi sufficeret ad illam quamvis non salutariter, tamen ita servandam, ut caveret omne peccatum. Neque enim ideo operatur mortem, quod per se praescribit actus supernaturales, sed

---

torum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quendam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (h. e. ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.«

quod prohibet ea, ad quae concupiscentia incitat tanto saepe impetu, ut ei homo prae infirmitate, experientia teste, haud raro succumbat. Cf. Wieser Pauli ap. doctrina de justific. § 13.

2. Accedunt repetita patrum, nominatim Augustini effata, quibus affirmant, ad non peccandum voluntatem sibi non sufficere. Atqui sibi sufficeret, si ex se posset constanter ethice bene operari tentationesque vincere omnes. Ergo vel ad observationem totius legis vel ethice honestam requiritur Dei adjutorium.

„Sunt quidam, ita Augustinus de pecc. mer. et remiss. l. 2 n. 2, tantum praesumentes de libero humanae voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturae nostrae concesso liberae voluntatis arbitrio.“ Et l. de perfectione justitiae ita absolvit: „Sed plane quisquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiae Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum et ore omnium anathemandum esse non dubito.“ De natura et gratia c. 58 n. 68: „Hoc interest inter nos et istos (pelagianos), quod nos, etiam cum diabolo resistitur, poscendum Dei adjutorium non solum non negamus, verum etiam praedicamus: isti autem tantam tribuunt potestatem voluntati, ut pietati auferant orationem.“ De perfect. justitiae c. 2: „Naturae praesertim vitiatae . . . parum esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adjuta sanetur gratia.“ — Innocentius I. ad patres concilii carthaginensis ep. 29 n. 6: „Quotidiana praestat ille (Deus) remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.“ — Quinque episcopi ad eundem (inter ep. Innocentii 28 opusc. XVIII, 60) n. 4: „Satis apparet, quod ad non peccandum i. e. ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvetur infirmitas.“

3. Idem probatur experientia propria ipsoque facto tot seculorum. Si enim inter christianos rari sunt, qui totam legem naturalem servent omnesque vincant tentationes, quamvis tot gratiae praesidiis juventur: quid foret, si omnibus hisce praesidiis homines destituerentur? Neque difficultas haec oritur ex actus supernaturalitate, quam nemo experitur, nemo percipit: sed ex concupiscentiae repugnantia, quae aequalis est in observatione legis tam ethice bona quam salutari. Quare in utroque casu ex aequo requiritur gratia aliqua medicinalis.

§ 2. Refelluntur gratiae necessitatem exaggerantes.

49. **Thesis CLXXXII.** ***Haeresis est contendere, gratiam sanctificantem necessariam esse ad omne opus bonum, adeoque opera nondum justificatorum omnia esse peccata.***

Demonstratio. Sententiam, quam refellimus, esse falsam, imo haereticam, constat ex damnatione artic. 16 hussitarum, errorum Lu-

theri et Calvini in conc. tridentino sess. 6 can. 7: „Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius eum peccare, A. S.;“ prop. 35 inter bajanas: „Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est;“ prop. 1. 45. 48 et 59 Quesnelli; prop. 7 ex damnatis ab Alexandro VIII; prop. 23 synodi pistoriensis: „Doctrina synodi (pistoriensis) de duplici amore (dominantis cupiditatis et caritatis dominantis) enuncians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere: quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actionibus peccator serviat dominanti cupiditati: falsa, perniciosa, inducens in errorem a tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Bajo damnatum art. 40.“

50. Probatur thesis hoc uno argumento. Ea opera profecto nequeunt censeri mala, ad quae Deus in Scripturis et per Ecclesiam peccatores hortatur. Atqui Deus et nomine Dei Ecclesia peccatores gratia sanctificante adhuc destitutos ad plura hortatur opera, ad fidem, poenitentiam, eleemosynas etc., ut justificationis gratiam consequantur. Ergo vel antequam quis habet gratiam justificationis, poterit ipse bene, imo et salutariter operari, ideoque gratia justificationis non est necessaria ad omne opus salutare, multoque minus ad omne opus bonum.

51. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Multa sunt, quae opponunt adversarii, in primis Quesnellus, pro quorum solutione haec notentur:

1. Peccatorem considerari posse formaliter, reduplicative, in quantum est peccator: et materialiter, secundum omnia ea, quae habet, inter quae sunt bona naturae et possunt esse bona etiam aliqua gratiae. Si consideratur formaliter, verum est, omnia, quae agit qua peccator, esse peccata; non vero secundum alteram considerationem. Qua distinctione posita, facile solvitur argumentum, quod toties inculcant ex Luc. 7, 43 et Matth. 7, 18: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Nam **a.** ut prius indirecte respondeamus, argumentum retorqueri potest, cum Christus etiam dixerit: *Non potest arbor bona malos fructus facere:* et tamen justus, qui est arbor bona, potest peccare. Deinde **b.** saltem apud Matthaeum arbor bona et mala non videntur designare hominem bonum et malum, sed doctrinam veram et falsam vel hominem quatenus docet sanam doctrinam vel falsam: vult enim Christus eo loco nos instruere, ut caveamus a falsis prophetis, monetque nos, ut ex fructibus eorum doctrinae de ipsa doctrina et doctoribus judicemus. Quod si **c.** verba Christi universaliter accipiuntur, nomine malae arboris intelligitur actualis seu do-

minans mala voluntas, ex qua, quamdiu ea manet, certe nihil boni prodire potest. Nam homo, inquit ad rem Augustinus contra Jul. IV, n. 40, »non in quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malae voluntatis est, quisque arbor mala est et bonos fructus facere non potest;« et s. Thomas de pot. q. 3 a. 6 ad 15: »Dominus per arborem bonam intelligit causam boni non quidem primam, sed proximam ad aliquem singularem effectum, et simile est de arbore mala.« Praeterea **d.** verba Christi continent modum loquendi proverbialem, qui enunciat, quod plerumque et communiter, non quod semper contingit. Denique **c.** nomine fructuum bonorum possumus intelligere opera meritoria vitae aeternae: quo sensu verissimum est, peccatorem, quamdiu est in statu peccati, etsi ethice bene vel etiam ope gratiae salutariter agere potest, non posse edere opus meritorium vitae aeternae. Cf. Bellarminus de grat. et lib. arb. V, 10; Faure in annot. ad Enchirid. s. Augustini c. 15; Murray tr. de gratia disp. 6 n. 78 ss.

2. Vocabulum *caritatis*, quod nunc tertiam virtutem theologicam, quae cum gratia sanctificante est connexa, significare solet, apud Augustinum multiplicis esse significationis. Significat enim praeterea vel gratiam actualem, eamque adultam, robustam, vel motionem quamlibet voluntatis piam ex gratia obortam, vel ordinis honestatisque amorem. Quare inferre non licet, Augustinum exigere gratiam sanctificantem ad quodlibet opus bonum, quia subinde dicit: Quidquid ex caritate non fit, male fit. Cf. Petavius de lege et gratia I, 7; II, 2; de Rubeis de caritate theolog. c. 51 ss.; Mazzella de virt. infusis disp. 6 a. 1.

3. Distingui debet inter dominium habituale et actuale sive caritatis sive cupiditatis et peccati; inter esse peccatorem habitu et esse peccatorem actu. Ex eo, quod quis habitu est peccator, non sequitur eum semper actu peccare; sicut ex eo, quod quis habitu est justus, non sequitur eum semper juste agere et eum nunquam ne leviter quidem peccare. Hinc solvitur difficultas ex Matth. 6, 24: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit et alterum diliget: aut unum sustinebit et alterum contemnet.* Haec quidem vera sunt de servitute habituali et totali; nihil tamen impedit, ut qui est habitu servus unius, actu transeunte alteri obsequium exhibeat: ut cum justus venialiter peccat, et peccator servat Dei praeceptum. Quare inscite opponitur illud Augustini Ench. n. 117: »Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas:« in quae verba cf. Faure.

4. Locutio *sine caritate* accipi potest negative vel contrarie. Si accipitur negative, negatur tantum actualis influxus caritatis: qui defectus non impedit, quominus bonus sit actus; poterit enim ex alio motivo honesto elici. Si vero accipitur contrarie, significatur influxus motivi caritati plane oppositi. Quo sensu certissimum est, quidquid sine caritate, i. e. contra caritatem fit, male fieri; atque ita hanc locutionem apud Augustinum explicare licet.

5. Sedulo distingui debent varii bonitatis gradus actus humani. Is enim esse potest **a.** ethice bonus; **b.** salutaris, sed nondum de condigno meritorius; **c.** meritorius de condigno vitae aeternae (n. 26). Quare contra logicam peccant, qui ex eo, quod patres dicunt, sine caritate nihil boni fieri, statim inferunt: ergo quidquid sine caritate fit, peccatum est. Patres enim nomine actus boni fere semper intellegunt actum de condigno meritorium vel generatim salutarem. Atqui certum est, quidquid sine caritate habituali fit,

non fieri bene bonitate, quae sit de condigno meritoria vitae aeternae. Quae si prae oculis habentur, apparebit ambiguitas et falsitas prop. 44. 49. 50. 54. 55. 56. 57. 58 et 60 Quesnelli. Cf. Fontana Bulla Unigenitus theologice propugnata in has prop.

52. **Thesis CLXXXIII.** ***Neque fides necessaria est ad opus ethice bonum, ideoque non omnia opera infidelium sunt ex sese peccata.***

Declaratio. Thesis statuitur contra Lutherum, Calvinum, Bajum, cujus prop. 15 est: „Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes vitia;“ contra Jansenium; contra prop. ab Alexandro VIII. damnatam n. 8: „Necesse est infidelem in omni opere peccare;“ contra Quesnellum, cujus prop. 42 et 48 eodem inficiuntur errore. Cf. de horum erroribus accurate disserentem Ernst die Werke und Tugenden der Ungläubigen § 2 ss. Loquimur autem **1.** de fide proprie dicta, supernaturali, in sensu adversariorum, qui imo plerumque eam exigunt, quae per caritatem operatur. Praescindimus modo **2.** a quaestione, num aliqua saltem gratia necessaria sit ad opera ethice bona; nomine **3.** peccati intelligimus peccatum formale, proprie dictum, quod operanti imputetur ad culpam. Denique **4.** non loquimur de facto, num infideles de facto semper peccent: hoc enim decernere Dei est; sed de jure, num opus eo ipso, quod non est ex fide, propter solum fidei defectum, sit peccatum. Thesis non est de fide, ad doctrinam tamen catholicam spectat.

53. **Demonstratio. 1.** Assertio nostra probatur ex divinis literis Matth. 5, 46: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt! et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt?* Rom. 1, 20 reprehendit Paulus gentiles, *qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* Supponit ergo eos aliquid boni peragere potuisse, alioquin eos non reprehenderet, quod illud neglexerint. Rom. 2, 15: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex* [1]). Quo loco nomine *gentium* si non exclusive, inclusive saltem designantur gentes fide adhuc destitutae: de his vero diserte dicitur, eas aliqua saltem legis praecepta servare posse. Provocant nonnulli theologi ad Ex. 1, 20, ubi de obstetricibus probabi-

---

[1]) Cf. de hoc testimonio Suarez de gr. I, 8, ubi quinque interpretationes expendit. Sunt enim, qui cum Augustino gentium nomine gentes ad fidem Christi conversas intelligant: alii intelligunt gentes non idololatras, sed quae ex fide vivebant, sive fuerint christianae, sive non fuerint, ut Job, ita Toletus in summam s. Thomae q. 1 a. 1; alii eas tantum, quae fuerunt quidem fideles, sed non christianae, ita Salmeron; alii gentes fide destitutas, ita plurimi patres et theologi, quam interpretationem Ecclesia a pelagianismi suspicione liberat damnatione prop. 22 Baji, ideoque aequivalenter sanam declarat, et ipse s. Augustinus approbat de spir. et lit. c. 27. 28; l. 2 de serm. Dom. in monte n. 32, cf. Ernst l. c. § 7; Bellarminus de gr. et lib. arb. V, 1; alii de gentibus haec interpretantur ad oppositionem judaeorum, hinc de gentibus, sive jam essent christianae sive essent adhuc infideles; ita Suarez.

liter ethnicis, quae misericordia motae servabant puerulos recens natos contra regis praeceptum, legimus: *Benefecit Deus obstetricibus et aedificavit eis domos;* et ad Ezech. 29, 17 ss., ubi Deus inter alia dicit: *Dedi ei* (Nabuchodonosor) *terram Aegypti, pro eo, quod laboraverit mihi*, in obsidenda scil. et expugnanda urbe Tyri. „Ex eo, quod Nabuchodonosor accepit mercedem boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio praeteriri." Ita Hieronymus in h. l.

2. Probatur ex patribus, e quibus Augustinus hoc verissimum principium enunciat [1]): „Sicut non impediunt a vita aeterna justum quaedam venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur." — „Natura omnibus inest Dei notitia, inquit Hieronymus in ep. ad Gal. 1, nec quisquam sine Christo nascitur, et non habet semina in se sapientiae et justitiae reliquarumque virtutum, unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant". — Cui praeiverat jam s. Basilius Hex. l. 9 n. 4: „Insident autem et nobis virtutes secundum naturam, cum quibus inest animae affinitas quaedam non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura. Quaemadmodum enim nulla disciplina nos edocet morbum odisse, sed ex nobismetipsis ea, quae molestiam creant, aversamur: ita et anima a malo declinat citra doctrinam. Omne autem vitium aegritudo est animae, virtus rationem obtinet sanitatis . . . Quare anima citra doctrinam id, quod sibi proprium est quodque sibi natura convenit, appetit. Hinc temperantia ab omnibus laudatur, approbatur justitia, fortitudo est admirationi, prudentia valde exoptatur.

3. Probatur ratione. Qui secundum conscientiae dictamen, dummodo non sit culpabiliter erroneum, agit, non peccat. Atqui etiam infideles juxta conscientiae dictamen agere possunt, alioquin nec peccarent; neque eorum conscientiae dictamen semper est culpabiliter erroneum: conspirat enim in quam plurimis cum dictamine conscientiae christianae. Ergo non omnium infidelium opera necessario sunt peccata.

4. Opposita opinio est absurda; secundum eam enim infidelis moneri non posset de orando Deo, facienda eleemosyna, inquirenda veritate, si haec eo ipso, quod sit infidelis, forent peccata.

54. **Thesis CLXXXIV.** ***Errori rejecto nullatenus suffragatur apostolus Paulus Rom. 14, 23; ad Tit. 1, 15; Hebr. 11, 6; neque Augustinus passim affirmando opera infidelium esse peccata.***

---

[1]) De spir. et lit. c. 28 n. 48. Quod principium tradunt etiam Prosper epigr. 46; auctor vitae s. Syncleticae (inter opera spuria s. Athanasii, Mig. 28, 1554) n. 108 et s. Hieronymus in ep. ad Titum 1, 12 ss.

Demonstratio p. I. Ex divinis literis haec in primis opponi solent:

1. Rom. 14, 23: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ad quae respondemus: Paulum nomine fidei hic intelligere non tam fidem theoreticam, quam practicam, quae se dictamine conscientiae prodit, quo sensu theologi passim loquuntur de bona vel mala fide, qua quis operatur vel rem possidet. Nam, ut bene notat P. Lombardus in h. l., „fides nostra vult, ut homo agat hoc, quod bene intelligit esse agendum, et peccatum est, quod aliter fit, quam probatum est.“ Atqui certum est, quidquid fit contra persuasionem practicam conscientiae peccatum esse. Revera autem loqui Paulum de fide practica, quae conscientiae dictamine se prodit, satis patet ex subjecta materia et casu practico, quem ibi dirimit, ex v. 2 et ex loco parallelo 1. Cor. 8, 11, ubi eundem expendens casum ter rationem peccati inde repetit, quod quis contra conscientiae dictamen manducet idolothyta. Ita v. 7: *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur.*

2. Tit. 1, 15: *Omnia munda mundis, inquinatis autem infidelibus nihil est mundum.* His simili modo respondemus. Quod si ea urgeas, facile retorqueri possunt. Sequeretur enim, justos peccare non posse, cum ipsis, utpote mundis, omnia sint munda. Ceterum non loquitur Paulus de infidelibus generatim, sed de quadam specie, seu melius de infirmis in fide et judaizantibus, qui certos cibos reputabant immundos per se vel quod lex mosaica adhuc obligaret. Jam verbo his, quamdiu reguntur in usu ciborum hoc principio vel lege mosaica, propter errorem et superstitionem omnia redduntur immunda.

3. Hebr. 11, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Sed hic distingui debet inter personam et ejus opus. Displicet scil. Deo persona propter habituale peccatum et infidelitatem ejus: opus tamen placere potest, non quidem in ordine ad praemium aeternum, sed ad impetranda alia beneficia. Fieri deinde potest, ut opus non placeat Deo in ordine ad salutem, quin tamen exinde sequatur, illud etiam alio in ordine, ethico scilicet, esse malum, seu absolute esse peccatum, quod operanti imputetur.

55. **Declaratio p. II.** Non diffitemur gravem esse difficultatem, quae petitur ex pluribus testimoniis s. Augustini. Ita scribit de gestis Pelagii n. 35: »Quantumlibet opera infidelium praedicentur, ejusdem apostoli sententiam veram novimus et invictam: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est* Rom. 14, 23.« Imo contra Julianum IV, 3 s. doctor data opera tueri videtur opera infidelium esse peccata. Eum in ejusmodi assertionibus plures ex ipsius discipulis sequuntur. Ita ex. gr. Prosper sent. 106: »Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono: ubi enim deest agnitio aeternae et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.« Cf. de ingratis v. 407 ss.; contra Collat. c. 13 n. 39: »Manifestissime patet,

in impiorum animis nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda esse et polluta.« — Auctor de vocat. omnium gentium I, 7: »Sine cultu veri Dei etiam quod virtus videtur esse, peccatum est; nec placere ullus Deo sine Deo potest.« Aliorum patrum effata cf. apud Norisium in vindiciis augustin. c. 3 § 4. Aliter atque aliter nituntur theologi difficultatem hanc enodare. Varias explicationes plus minusve probabiles diligenter recenset Ernst l. c. § 8 ss.

1. Grogorius ariminensis prop. omnia opera infidelium sunt peccata, approbat, sed nomine infidelis intelligit eum, qui caret cognitione veri Dei, ad quam habendam exigit ipse gratiae auxilium.

2. Sententia posteriorum augustiniensium ab ea non multum distat, opera infidelium non quidem ratione sui necessario esse mala, sed esse peccata extrinsecus ob defectum relationis in Deum finem ultimum, quae est fructus amoris Dei super omnia, qui sine gratia haberi nequit.

3. Plures tuentur, s. Augustinum loqui de facto; de facto infidelium opera plerumque (non tamen sine exceptione) ex defectu saltem bonae intentionis esse peccata. Ita Bellarminus, Stapleton, Vasquez, Alticotius, Perrone, Kleutgen etc. Provocant ad verba s. doctoris de spir. et lit. c. 27, ubi postquam concessit, quaedam esse gentilium facta, »quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus,« subjicit: »Quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniantur, quae justitiae debitam laudem defensionemque mereantur.« Ita et Chrysostomus, cum dixisset in Jo. h. 28: »Quod gentes bene vivant, nondum mihi constat,« idque quibusdam displicuisset, reponit: »Verum ne cuipiam contentiosi videamur, concedamus apud gentiles esse, qui recte vivant, neque hoc orationi nostrae adversatur. Sermo enim erat de eo, quod ut plurimum, non de eo, quod raro contingit.«

4. S. Thomas censet 2. 2q. 23 a. 7 ad 1, Augustini verba esse accipienda sensu reduplicativo et formali, quo sane certum est, omnia quae infidelis qua infidelis ex spiritu infidelitatis et contra fidem facit, esse culpa infecta. Sed infidelis non semper ita agit: potest enim etiam agere, quatenus homo est, secundum rationem, quae peccato non est penitus exstincta.

5. Sunt qui censeant, effato illo significari tantum opera infidelium, quamdiu non sint ex fide, relinquere infidelem in statu peccati.

6. Ripalda innixus sua theoria opinatur disp. 20, in praesenti rerum ordine et de facto nulla esse opera ethice bona, quod Deus gratia sua semper adsit, ut quoties homo ethice bene operetur, actus reddatur salutaris: hinc verba illa significant, omne quod non fit ex fide saltem latiori sensu accepta, ex superna gratiae illustratione, de facto esse peccatum.

7. Aliis videtur s. doctor in disputationis aestu plus dixisse, quam voluerit intelligi, seu operum infidelium imperfectionem exaggerasse.

56. **Demonstratio p. II.** Quamvis harum interpretationum aliquae sufficiant forte ad unum alterumque patrum testimonium, ad quod adversarii provocant, rite exponendum; alia adhuc suppetit explicatio expediendae difficultati magis idonea, quaeque melius illustrat sentiendi disserendique rationem s. Augustini. Ea ad haec revocari potest principia:

a. Deus elevavit humanum genus in protoparentibus ad finem ordinemque supernaturalem illudque donavit in ipsis filiatione adoptiva: voluit enim nos omnes esse deos et filios suos, non tantum homines et filios hominis. Verum **b.** Adamus cecidit universumque genus humanum secum in ruinam traxit: atque ita homo, ut Augustinus loquitur l. 83 qq. q. 67 n. 4 „jam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura;" mansit tantum homo, destitutus illis monilibus, quae de thesauris sponsi i. e. s. Spiritus acceperat, filiatione scil. adoptiva. „Objecit (Deus) hominibus, inquit idem s. 166 c. 2 n. 2, quia homines erant. Quid illos fieri volebat, quibus crimen erat, quia homines erant? Exprobrans et objurgans ait: Nonne homines estis? Quid ergo eos fieri volebat, nisi quod in Psalmo dicitur: *Ego dixi, dii estis et filii Altissimi* (81, 6)? Hoc dixit Deus: ad hoc enim vocat." Hinc **c.** sicut ipse homo, qui nascitur, utpote difformis suo exemplari est Deo invisus et filius irae: ita omnis vita, omne opus difforme huic statui, vocationi, destinationi, ordini, etsi in alio rerum ordine potuisset Deo placere et gratum esse, jam ei est invisum, peccatum est. Jam vero **d.** haec ruina nonnisi fide incipit reparari, per quam iterum dirigimur in finem supernaturalem atque in illum tendimus. Fidei autem nomine in hac quaestione intelligere licet non solum fidem formaliter christianam, verum omnem salutarem mentis illustrationem seminis instar atque conceptionis illam praevertentem, quae practica agnitione Dei legisque ejusdem aeternae per conscientiam se promulgantis continetur [1]), quo sensu Paulus locutus videtur Rom. 14, 23 (n. 54[1]); et s. Fulgentius de inc. et gr. c. 23 n. 45: „Contra naturam quippe hominis (prouti scil. in Adamo fuit instituta) est, quod in Deum non credit: quia incredulitatem non habet ex creatione Dei, sed voluntaria praevaricatione mandati." Ergo **e.** quidquid non est ex fide, peccatum est. Sane **f.** omnis actio dissona a norma obligante, seu omnis operatio carens debito ordine peccatum dici potest, unde distinguitur peccatum naturae, artis, moris [2]). Atqui opera ex fide non profecta, etsi

---

[1]) „Ad hoc credo pertinere, quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus viso Caesaris nummo ait: *Reddite Caesari quod Caesaris est, et Deo quod Dei est* (Matth. 22, 21). Tamquam si diceret: Quemadmodum Caesar a vobis exigit impressionem imaginis suae, sic et Deus: ut quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima lumine vultus ejus illustrata atque signata." S. Augustinus in Ps. 4 n. 8. Cf. Scheeben § 297.

[2]) „Quidquid est, inquit Clemens alex. paedag. l. 1 c. 13, praeter rectam rationem, peccatum est;" et Theodorus Abucara apud Suicerum in thesauro 1, 203: „Pecccatum est aberratio a scopo." Ideo et s. Augustinus permittit Enchir. n. 20, ut error dicatur peccatum. Ita habet s. Thomas compendii c. 119: „Malum actionis ad aliquem finem ordinatae, ad quem non debito modo se habet, peccatum dicitur tam in voluntariis quam in naturalibus. Peccat enim medicus in actione sua, dum non operatur convenienter ad sanitatem; et natura etiam peccat in

ethice bona, deficiunt a supernaturali norma fide comprehensa, qua praesens regitur ordo et secundum quam opera dirigi debent in finem supernaturalem [1]). Quare opera omnia infidelium dici poterunt peccata. Ideo Augustinus c. Julianum l. 4 c. 3 n. 20 statuit: „Quidquid boni fit ab homine et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.“ Et iterum n. 25: „Ad hoc eos in die judicii cogitationes suae defendent, ut tolerabilius puniantur, qui naturaliter quae legis sunt, utcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt.“ Eoque magis g. haec opera poterant a s. doctore dici peccatum, quod malum ex quocunque defectu est, ipse vero ea tantum opera censebat vere bona, quae conducerent ad salutem, speciatim ad vitam aeternam. „Si ergo, ita ille n. 19, ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immorta-

---

sua operatione, dum ad debitam dispositionem et formam rem generatam non perducit sicut cum accidunt monstra in natura;“ in quaest. disp. de malo q. 2 a. 2 statuit: „Quilibet actus inordinatus potest dici peccatum vel naturae, vel artis, vel moris. Sed rationem culpae non habet peccatum nisi ex eo, quod est voluntarium: nulli enim imputatur ad culpam aliquis inordinatus actus, nisi ex eo quod est in ejus potestate.“ Cf. de verit. q. 24 a. 7. Scil. eo fere loquendi genere opera etiam ethice bona dici possunt mala et peccata, quo bona hujus mundi dicuntur falsa, fallacia, inania, comparate scil. ad bona spiritualia, aeterna, supernaturalia. Hinc Augustinus subinde solam a norma supernaturali dissonantiam urget, propter quam haec opera non quidem culpa sint infecta, sed sint inania. sterilia, praeter viam. Ita in Ps. 31 n. 4: „Ea enim ipsa opera, quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit“ etc. Cf. tract. 45 in Joan. n. 2; tr. 10 in ep. Joan. n. 1; contra duas ep. pelag. l. 3 c. 5 n. 14. Ita et alii patres loquuntur, ut Ambrosius in Ps. 1 n. 41: „Virtutes sine fide folia sunt: videntur vivere, sed prodesse non possunt. Agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent.“ Cf. Lactantius div. instit. l. 6 c. 9; Hilarius in Ps. 14 n. 8; s. Leo serm. 7 de Quadrag. c. 2; auctor hom. de fide et leg. (inter opera Chrys. t. 6 hom. 17).

[1]) S. Augustinus c. Faustum l. 22 c. 27: „Peccatum est factum vel dictum vel concupitum contra aeternam legem. Lex vero aeterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Quisnam igitur sit in homine naturalis ordo quaerendum est . . . Secundum aeternam legem, qua naturalis ordo servatur, juste vivimus, si vivamus ex fide non ficta, quae per dilectionem operatur: habentes in conscientia bona spem repositam in coelis immortalitatis et incorruptionis et ipsius perficiendae justitiae usque ad quandam ineffabiliter suavissimam saturitatem, quam in ista peregrinatione oportet esuriri ac sitiri, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem.“ Evidens autem est Augustinum nomine ordinis naturalis intelligere ordinem historicum in Adamo institutum et per Christum iterum reparatum. De civit. Dei l. 14 c. 4 n. 1: „Non ita vivere, quemadmodum factus est (homo) ut viveret, hoc est mendacium:“ hinc et peccatum.

lem fides, quae in Christo est, vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo verae possunt esse virtutes."

57. Verum quaeritur, num s. doctor infidelium opera omnia ita censeat esse peccata, ut habeant rationem culpae iisque in poenam possint imputari. Cui quaestioni respondemus **a.** ea opera ex dictis secundum Augustinum habere rationem peccati materialis; **b.** de facto plerumque esse peccata etiam formalia (cf. ejus verba n. 55[3]), eoque **c.** magis, si infideles ex spiritu infidelitatis agant seu cum repulsa gratiae, quae alioquin omnibus adultis confertur vel est parata. Quam repulsam gratiae possumus saltem supponere in infidelibus degentibus inter christianos vel in iis, quos jactabant pelagiani et Augustino opponebant. Eo ipso enim, quod negabant pelagiani necessitatem gratiae ideoque et fidei ex gratia profectae ad salutem, sibi nimis facile fingebant gentiles, qui neglecta gratia solis viribus naturae fidentes possent bene vivere. Ceterum **d.** et alia ratione potuit s. Augustinus operibus infidelium tribuere rationem peccati. Defectus enim ille ordinationis in finem supernaturalem, qui omnia opera infidelium inficit, consequitur praevaricationem Adami. Sicut ergo s. doctor vel motus concupiscentiae propter deordinationem et quia ex peccato sunt, vocat peccata, non ita tamen ac si sint in se peccata, quamdiu non consentimus, sed participantia reatum peccati originalis: ita opera infidelium participant quasi reatum peccati originalis. Nullatenus vero **e.** concedimus s. Augustinum opera infidelium propter solum fidei defectum censuisse peccata semper formalia et personalia, nam non solum in infidelibus opera admittit laude etiam digna, ut de gratia Chr. c. 24; ep. 144 al. 130; de patientia c. 26; de spiritu et lit. c. 27 et 28 n. 48 (cf. supra n. 53[2]); de bono conjugali c. 6, verum etiam persaepe in operibus infidelium id tantum carpit, quod sint in ordine ad vitam aeternam inania, sterilia, inutilia (cf. n. 56 a). Atqui si ex ejus mente propter solum fidei defectum haberent revera rationem peccati formalis et culpae imputabilis, essent non solum sterilia etc., sed omnino noxia. Non ergo censuit s. doctor ea opera esse ex sese peccata. Cf Ernst in op. cit., quo multum in hac quaestione sumus usi, et Zeitschr. für k. Theol. 1895 p. 177 ss.

58. **Thesis CLXXXV.** ***Potest homo lapsus etiam sine gratiae adjutorio opus aliquod ethice bonum perficere et aliqua legis naturalis praecepta servare.***

Declaratio. Statuitur thesis contra lutheranos et calvinianos, contra Bajum in tr. de virtutibus impiorum, cujus damnatae sunt prop. 27: „Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet;" 28. 30. 34. 36: „Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola philosophia per elationem praesumptionis humanae cum injuria crucis defenditur a nonnullis doctoribus;" 37: „Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis h. e. quod ex naturae solis viribus ortum ducit agnoscit;" 65; contra Jansenium de statu nat. lapsae l. 4 c. 1—17, et Quesnellum, cujus damnatae sunt prop. 38: „Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris." 39: „Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se praecipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali; est incapax ad omne bonum." 40: „Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem;" 41. 42. Quare assertio nostra, quamvis non sit de fide, spectat tamen ad catholicam doctrinam. Quadamtenus ea est etiam contra theologos scholae augustinensis, ut Norisium, Berti

etc., secundum quos saltem probabile est, naturam humanam tam infirmam factam esse peccato, ut quamvis homo lapsus possit sine gratiae auxilio opus facere ex objecto et fine proximo bonum, nequeat tamen facere opus bonum ex fine ultimo. Ad hoc enim requiritur ut opus referatur in Deum: referri autem opus nequit secundum ipsos in Deum absque amore Dei super omnia, quem homo solum gratiae auxilio elicere valet. Nituntur tamen probare distinctionibus sat duris et coactis, doctrinam suam differre a doctrina damnata Baji et Quesnelli. Vasquez quoque asseruit auxilium aliquod gratiae (sane naturalis) saltem cogitationis bonae necessarium esse ad actus ethice honestos. Agimus autem in primis de jure: num scilicet homo tantum virium post lapsum habeat, ut possit opera aliqua ethice bona peragere.

59. **Demonstratio.** Probamus thesim hoc argumento: In statu naturae purae posset homo plura opera ethice bona absque speciali Dei auxilio peragere. Atqui natura humana peccato Adami non fuit penitus corrupta, imo ex admodum probabili theologorum sententia, excepto peccato originali, non differt a natura pura, nisi ut homo spoliatus a nudo (Cf. t. II n. 394). „Neque vero, inquit Athanasius de incarn. Verbi n. 4, quales creati sunt, permanserunt, sed praecepti transgressio illos ad propriae naturae conditionem revocavit.“ Ergo natura lapsa si non differt a natura pura, vel saltem non multum, poterit aliqua opera ethice bona et ipsa peragere. Ad rem Bellarminus de gr. et lib. arb. V, 9: „Si potest homo suis viribus operari malum, sed arduum et naturae contrarium: cur non poterit operari bonum facile congruumque naturae? si potest e. g. suis viribus sine auxilio gratiae projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, a quo natura abhorret: cur non poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem a praecipitio revocare ex misericordia, ad quam prope ipsa natura compellit? Et si potest interroganti falsum de industria respondere, cur non poterit respondere verum, si nihil inde lucretur aut perdat?“ Et quis unquam dicet hominem vi lapsus Adami redactum esse ad conditionem hominis damnati, qui non amplius potest bonum velle. Cf. patrum doctrinam n. 53[2]. Ideo concilium coloniense a. 1860 part. I c. 17 statuit: „Potest homo lapsus etiam solius naturae viribus quaedam opera moraliter bona seu honesta facere.“ Cf. Kleutgen l. c. § 3; Suarez I, 1 ss.; Ripalda disp. 114; Liv. Meyer hist. controv. IV, 14; Scheeben Natur und Gnade c. 2 § 2.

60. **Scholion.** Quod factum attinet, quaeritur, *utrum* revera *opera ethice bona subinde saltem fiant*, an adaequata sit distinctio operum moralium in salutaria seu supernaturaliter bona et mala. Videtur respondendum, esse de facto opera ethice tantum bona. Hoc consequitur damnationem prop. 24 synodi pistor. (n. 27) et prop. 34. 36. 37 Baji (n. 58), quae de facto loquuntur; **b.** definitiones conciliorum et patrum effata, quae saepe gratiam exigunt non simpliciter ad actus bonos, sed ad actus bonos cum appositis, ‚ut oportet, ut expedit,‘ quod ‚ad pietatem veramque justitiam‘ pertinet etc., quae parti-

culae limitantes supponunt praeter actus salutares esse actus alios bonos scil. ethice bonos, qui ad salutem nequeant conducere, alioquin essent superfluae. Hinc **c.** patres et theologi ejusmodi opera revera in gentilibus agnoscunt (n. 53. 55[3]), quae tamen dicunt sterilia, praeter viam etc. Atqui non essent praeter viam, si supponerent illa ope gratiae facta; imo subinde tuentur, illis retributum fuisse a Deo praemium saltem temporale. Ergo ea agnoscunt ut moraliter bona, non ut peccata.

61. **Thesis CLXXXVI.** ***Frustra autem objiciuntur sive 1. Scripturae oracula. Genes. 6, 5 coll. 8, 21; Joan. 8, 34; Rom. 7, 14; sive 2. conciliorum canones, nominatim can. 22 conc. arausicani II., quibus generatim affirmatur nihil boni nos posse absque gratia; sive 3. patrum effata, quibus dicunt, liberum arbitrium ad non peccandum sine gratia non valere.***

Demonstratio p. I. 1. Verba Gen. 6, 5: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore,* accipienda sunt **a.** universalitate morali. *Noë enim invenit gratiam coram Domino* v. 8. Ea **b.** enunciant factum, pronitatem scil. hominum ad malum: pronitas vero ad malum nondum est impotentia ad bonum. **c.** Homines illi gratia non fuerunt destituti, imo gratia fruebantur, cum diu Noë ad poenitentiam eos excitaret. Ergo ad rem non sunt.

2. Joan 8, 34 s.: *Respondit eis Jesus: Amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati . . . Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Dicitur quidem peccator servus peccati; sed exinde non sequitur, eum quovis in actu servire peccato seu peccare: sicut ex eo, quod justus est servus justitiae Rom. 6, 18, non sequitur, eum nunquam peccare. Cf. n. 51[3]. Servus dicitur peccati, quod **a.** se liberare nequit viribus propriis a peccati macula; quod **b.** peccando excidit statu adoptionis atque incidit in statum damnationis, quem per se evadere non potest, obnoxiusque redditur daemoni; quod **c.** eo facilius concupiscentiae succumbit et in quandam peccandi necessitatem incidit, quo saepius peccat; quod **d.** quamdiu in hoc statu manet, peccata omnia mortalia vitare non potest (n. 46).

3. Eadem fere dici debent de Rom. 7, 14: *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Quod si haec verba intelligi debent de ipso apostolo loquente in persona sua seu in persona hominis sub gratia constituti, quae sententia est admodum probabilis [1]), ad rem non sunt.

62. **Demonstratio p. II.** Ultro concedimus concilia et patres docere, nos sine gratia nihil boni posse. Verum respondet s. Bonaventura in 2. dist. 28 a. 2 q. 3: „Propterea dicere sanctos, quod nec cogitare, nec velle possit homo bonum absque juvamine divinae gratiae, quia loquuntur de bono, secundum quod est ordinatum ad assequendam beatitudinem,“ scil. de bono salutari et meritorio. Cf. Suarez I, 20.

Majorem difficultatem praebet can. 22 conc. arausicani II: „Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis

---

[1]) Cf. Augustinus contra duas ep. pelag. l. 1 c. 8 n. 13 ss.; contra Julianum l. 6 c. 23 n. 70; de praedest. sanctorum c. 4 n. 8; Thomas in h. l.; Stapleton, universa justificationis doctrina l. 2 c. 1 et 11.

aut justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo etc.« Multiplex est theologorum de canonis sensu sententia. Sunt enim

1. qui eum explicent ut illud effatum, opera infidelium esse peccata n. 55.

2. Sunt qui dicant, canonem esse verissimum, cum etiam opera ethice bona plus minus Deo adscribi debeant, solum peccatum sit nostrum: eatenus enim peccamus, quatenus sumus defectibiles: ideo vero sumus defectibiles, quia ex nihilo, quod nobis est proprium, ut τὸ esse Deo.

3. Sunt qui notent, patres contra pelagianos disserentes duplex tantum actuum genus prae oculis habere: eos scilicet, qui vel ad salutem conducant, vel ab ea avertant, omissa interim consideratione actuum ethice bonorum, qui utpote praeter viam relate ad finem supernaturalem velut indifferentes sunt. Qua partitione supposita nihil verius canone. Cf. Fontana, bulla Unigenitus theolog. propugnata in prop. 40 c. 2.

4. Sunt qui cum Ripalda d. 20 contendant, in praesenti ordine, utpote supernaturali, revera omnes actus esse vel salutares vel malos, cum Deus toties, quoties homo bene operari velit, gratia sua adsit. Hinc actus bonos semper esse adscribendos gratiae, malos ipsi homini: hancque theoriam ipso hoc canone probari opinantur.

5. Denique pro solutione difficultatis scias, illud ‚de suo' sumi in hoc canone et passim ab Augustino, ex quo sumptus est canon (tr. 5 in Joan. n. 1), sensu contrario, ut significetur, hominem sane deficere, si se subtrahat ductui divino suaque voluntate a divina emancipata regi velit. Quae interpretatio egregie confirmatur ex verbis s. doctoris de civ. Dei XIV, 4 n. 1, quae commentarii instar sunt: »Cum vivit homo secundum veritatem, non vivit secundum seipsum, sed secundum Deum; Deus est enim qui dixit: *Ego sum veritas.* Cum vero vivit secundum seipsum h. e. secundum hominem, non secundum Deum, profecto secundum mendacium vivit . . . quia homo ita factus est rectus, ut non secundum seipsum, sed secundum eum, a quo factus est, viveret, i. e. illius potius quam suam faceret voluntatem; non autem ita vivere, quemadmodum factus est ut viveret, hoc est mendacium.« Cf. Scheeben, qui § 298 sagaciter hanc interpretationem tuetur; Ernst l. c. (n. 57), qui can. explicat secundum dicta n. 56 s.; Faure ad Enchir. s. Augustini c. 105 ss.

63. **Demonstratio p. III.** Legimus apud Augustinum propositiones, quae vix differre videantur a prop. 27 Baji: »Liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.« Ita enim ex. gr. scribit ep. 168 n. 47: »Sine qua (gratia) nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere;« de spiritu et lit. c. 3 n. 5: »Nam neque liberum arbitrium quidquid, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via;« contra duas ep. pelag. l. 3 c. 8 n. 24: »Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccatum valet; ad justitiam vero nisi divinitus liberatum adjutumque non valet;« ep. 157 n. 5: »Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur: desertum vero divino adjutorio qualibet scientia legis polleat, nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae et exitiosum tumorem.«

Verum haec et gemina testimonia interpretanda sunt **a.** sicut can. 22 aurasicanus n. 62; vel **b.** accipienda eo sensu, ut non tam jus, quam potius factum, non quidem universalitate absoluta, sed morali enuncient; vel **c.** verba ‚sine gratia' accipi debent sensu non tantum negante, sed contrario,

ut significetur voluntas, quae gratiam negligit spernitque. Et sane Augustinus prae oculis habet pelagianos, qui nimium de naturae viribus fidentes gratiaeque necessitatem negantes, eo ipso gratiam non curabant, non requirebant. Atqui liberum arbitrium gratiam sibi oblatam non curans, non requirens, ideoque contemnens in poenam sui tumoris ad non peccandum non valebit. Ceterum **d.** s. doctor denegat voluntati absque gratia virtutem habitualiter non peccandi i. e. vim cavendi omne peccatum: exinde vero non sequitur, voluntatem absque gratia nunquam posse vel unum vitare peccatum.

64. Quod si Augustinus subinde peccandi necessitatem admittere videtur, loquitur non de necessitate proprie dicta, sed vel de necessitate morali, qua, seclusa gratia, infallibiliter ratione habita humanae fragilitatis sequetur aliquando peccatum; seu quod fere idem est de necessitate quadam indeterminata et vaga, quae non aufert libertatem cavendi singula peccata; vel peccati nomen accipit sensu laxiori, adeo ut competat etiam motibus indeliberatis concupiscentiae, qui utpote dissoni a lege mentis seu justitiae perfectae quandam peccati materialis rationem prae se ferunt. Distinguit scil. **a.** s. doctor duplex praeceptum: praeceptum non consentiendi motibus concupiscentiae et praeceptum illos ne sentiendi quidem; seu praeceptum faciendae justitiae expressum verbis: *Post concupiscentias tuas non eas* Eccli. 18, 30, et: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus* Rom. 6, 12; et praeceptum perficiendae justitiae expressum verbis: *Non concupisces* Rom. 7, 7. Hinc de nat. et gr. scribit: „Facere est ergo justitiam, in vero Dei cultu cum interno concupiscentiae malo interna conflictatione pugnare: perficere autem, omnino adversarium non habere.“ Atqui hoc alterum praeceptum **b.** ipso teste nonnisi in altera vita perfecte adimplebimus, cum Deum vere ex toto corde, ex omnibus viribus diligemus. Quare illius observatio est perfectio cursus seu viae, hujus adimpletio erit perfectio stadii termini, praemii, pacis. Nihilominus vero **c.** praeceptum perficiendae justitiae jam modo nobis datum censet, ut sciamus, quo tendere debeamus, quid nobis adhuc desit, et ut saltem ad tantam perfectionem aspiremus, nec unquam deficiamus. Quod si **d.** illud nondum perfecte adimplere possumus, utpote obnoxii necessitati sentiendi concupiscentiae motus atque ita transgrediendi praeceptum perficiendae justitiae: non habet ejusmodi non observatio rationem peccati imputabilis culpaeque, sed tantum sensu quodam laxiori dici poterit peccatum. Quare de perfect. just. c. 21 n. 44 scribit: „Non offendit, nisi cui mala concupiscentia contra justitiae rationem appetendo seu vitando faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens sive praevalens persuadet:“ et serm. 151 n. 7: „Quomodo ago bonum et non perficio bonum? Ago bonum, cum malae concupiscentiae non consentio; sed non perficio bonum, ut omnino non concupiscam.“ Praemiserat vero n. 3: „Resistis et non consentiendo vincis; sed melius est, hostem non habere quam vincere.“ Et passim alibi docet nonnisi consensu concupiscentiae motum reddi peccatum proprie dictum. Cf. in primis tr. 41 in Jo. n. 12, et s. Bernardus serm. 50 in Cant. n. 2. Hinc intelligitur **c.** quo sensu dixerit quaedam praecepta nobis esse impossibilia et quo sensu omnem ignorantiam, quae ad officium pertinet, appellaverit peccatum. Sane ejusmodi ignorantia est contra perfectionem justitiae, peccati originalis sequela et occasio per se peccati saltem materialis (cf. t. II. n. 391[2]). Ceterum hic repetere licet verba, quibus in simili difficultate utitur s. Bonaventura Brevil. III

§ 5: „Hoc credendum est sensisse b. Augustinum, licet verba ipsius exterius propter detestationem erroris pelagianorum, aliud sentire videantur. Ut enim eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum“: „plus dicens et minus volens intelligi“, ut addit in 2. dist. 33 a. 3 q. 1 ad 1. Ita s. Thomas de malo q. 5 a. 2 ad 1; cf. aliorum theologorum testimonia similia apud Dechamps l. 3 disp. 1 de haer. jans. c. 3 s.; et generatim de hac quaestione ib. disp. 4; Suarez I, 8 s.; Stapleton II, 10 ss.

65. **Scholion I.** *Alii exceptioni satisfit.* — Alia difficultas sat speciosa hunc in modum proponi potest. Opus in finem ultimum non directum est malum; atqui finis ultimus in praesenti rerum ordine est supernaturalis. Ergo opus in finem supernaturalem non relatum est malum. Sed absque fide et gratia nequit homo opus referre in finem supernaturalem, unde ait Augustinus in Ps. 31 enarr. 2 n. 4: „Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit.“ Ergo homo absque fide et gratia nequit aliquid boni facere. Cui difficultati ut occurramus, notamus, Deum esse finem ultimum omnis creaturae rationalis; eumque duplici modo posse attingi, naturaliter et supernaturaliter. Jam vero Deus statuit, ut homines, quo eum consequantur et fruantur, in ipsum tendant supernaturaliter scil. fide, spe et caritate. Unde si homo, ignorans hanc positivam Dei institutionem, in eum tendit eo modo, quo potest, fide et ex hypothesi gratia destitutus solis viribus naturae, sequitur tantum, quod etiam Augustinus saepius inculcat, eum praeter viam currere, inutiliter operari, steriliter laborare; sed nullatenus sequitur, eum vere peccare peccato formali et imputabili ad culpam et poenam, quod esset demonstrandum [1]). Quare ut in forma respondeamus: Dist. primam Maj.: Opus in finem ultimum i. e. in Deum nullo modo directum est malum, conc.; opus in finem ultimum i. e. Deum non eo modo directum, quo Deus constituit i. e. per fidem et gratiam, est malum: subdist., si scienter desit haec directio, conc.; si inculpabiliter [2]), rursus dist., est malum i. e. non est salutare atque idcirco

---

[1]) Ad rem s. Thomas in 4. d. 17 q. 1 a. 2 qcla. 2 ad 4: „Dicendum quod recta intentio ad finem ultimum determinate perducens non potest esse sine fide: sed tamen finis ultimus scil. Deus potest esse in intentione etiam ejus, qui fidem non habet, per generalem vel naturalem cognitionem, quam de Deo habet; unde etiam ille qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam praeparare et ad gratiam, si secundum suam cognitionem peccatum sibi displicet et in Deum affectus ejus feratur.“

[2]) Non displicent nobis ea, quibus Scheeben priorem de gratia p. absolvit (§ 298 n. 594): Die Vermittlung der entgegengesetzten Lehrformen (patrum et theologorum scholae) lässt sich wohl am leichtesten dadurch erzielen, dass man mit Bonaventura (2. dist. 28 a. 2 q. 3) die natürliche Sittlichkeit, besonders in den vier Cardinaltugenden, unter dem Gesichtspunkte eines bonum ordinabile, in finem scil. supernaturalem fasst, während die übernatürliche Sittlichkeit ein bonum ordinatum in finem resp. disponens ad talem bonum sei. Alsdann kann man nämlich sagen: als ein solches bonum ordinabile sei die natürliche Sittlichkeit auch gegenwärtig durch die Kraft der Natur nicht blos möglich, sondern auch wirklich, und in diesem Sinne verwerfe die Bulle Auctorem fidei den jansenistischen Irrthum, welcher aus der Natur als solcher blos die prava cupiditas, also ein malum non ordinabile hervorgehen lässt; inwiefern jedoch die Akte oder Affekte, welche das bonum ordinabile enthalten, als überlegte Akte unter Leitung des Gewissens, also mit Rücksicht auf die lex aeterna und die Stimme Gottes vollzogen und dadurch auf Gott

est sterile, conc.; est malum i. e. veram continet rationem peccati, nego, supposito scil. quod non sit aliunde, ex objecto vel adjunctis malum. Concedo primam prop. min. Dist. primam conclus.: Opus in finem supernaturalem seu finem ultimum supernaturaliter attingendum scienter non relatum est malum, conc.; ex inculpabili ignorantia non relatum est malum, subd., i. e. non est salutare ideoque sterile in ordine ad vitam aeternam, conc.; est peccatum formale, rursus dist., si sit nullo modo in Deum relatum, sed in finem a Deo distinctum conc.; si saltem pro viribus et debito operantis sit in Deum relatum et ex objecto et adjunctis bonum, nego.

66. **Scholion II.** Quaeritur, *num homo solis viribus naturae possit elicere amorem Dei* sive concupiscentiae sive benevolentiae super omnia. Negat tamquam probabilius Suarez cum Bellarmino; affirmat Molina, cujus sententia fuit communis multorum theologorum scholae, ut ostensum est in congregationibus de auxiliis. Cf. Mayer IV, 11; V, 10. Et revera si homo post lapsum Deum non amplius diligere posset dilectione super omnia, nulla supposita gravi tentatione: jam natura in se fuisset vulnerata, quod tamen plurimi theologi negant; imo in se corrupta, quod nemo thologorum concedit. Huc forte referri possunt verba s. Bernardi de dilig. Deo c. 2 n. 6: „Inexcusabilis est omnis, etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata et non ignorata rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat.“ Et sane non est spernendum sive argumentum Scoti in 3. d. 27 q. unica: „Recta ratio dictat, solum summum bonum infinitum esse summe diligendum, et per consequens voluntas hoc potest ex puris naturalibus: nihil enim potest intellectus recte dictare, in quod dictatum non possit voluntas naturalis naturaliter tendere;“ sive ratio s. Antonini q. 4 tit. 6 c. 3 § 2: „Si naturaliter amat filius patrem, a quo habet partem corporis: quanto magis amare debet Deum, qui et corpus ei et animam ex nihilo fecit.“ Quod si viribus naturae homo potest Deum diligere, poterit etiam ex dilectionis motivo dolere de peccato dolore scil. naturali, pro qua assertione citat Molina ss. Thomam et Bonaventuram, Scotum, Canum, Gabrielem, Cajetanum, Petrum de Alliaco, Paludanum, Richardum, Victoriam, Vegam etc. „Denique, inquit, neminem hactenus me legisse memini ex doctoribus Soto et Cano antiquioribus, qui huic communi opinioni adversetur, modo Majorem excipias.“ Cf. Meyer IV, 13 et V, 9, ubi Greg. de Valentia ostendit, Augustinum huic assertioni non esse contrarium; c. 34, ubi Bastida erudite ostendit, s. Thomam, Cajetanum, Sotum in pluribus cum Molina sentire circa ea, quae homo viribus naturae in ordine ethico possit; injuria igitur Molinae inuri notam sive pelagianismi sive semipelagianismi; Ripalda c. Bajum l. 1 d. 8 s. 14—24. Cf. s. Thomas quodl. 1 a. 8; et de hoc art. Palmieri de gratia c. 2.

---

hingeornet werden — anders würden sie ja auch keine vollkommen sittliche Akte sein, nicht einmal als sittlich erlaubte Akte zu Stande kommen — würden sie stets unter Leitung des übernatürlich erleuchteten Gewissens und eines übernatürlichen Antriebes Gottes vollzogen und erhielten dadurch eine wirkliche, wenn auch oft sehr unvollkommene, ordinatio in finem supernaturalem, also eine übernatürliche Form und Weihe.

Articulus II.

De gratuitate gratiae.

67. **Thesis CLXXXVII.** ***Altera gratiae proprietas est ejusdem gratuitas: neque enim ullis rependitur meritis sive condignis sive congruis naturae viribus partis, neque fructus est impetrationis naturalis, neque terminus dispositionis positivae a sola natura profectae.***

Declaratio. 1. Meritum generatim definiri potest opus, cui praemium, merces, compensatio debetur. Duo autem requiruntur ad meriti rationem, proportio operis ad praemium seu mercedem, et debitum retributionis ortum vel ex contractu vel ex promissione etc. Si adest proportio, habetur meritum in actu primo: si vero etiam adsit retributionis debitum, habetur meritum in actu secundo.

2. Si operis valor juridice aestimatus proportione respondet praemio, meritum dicitur condignum; congruum, si habetur quidem meriti inchoatio, deest vero proportio, adeo ut ea sit aequitate benevola supplenda. Quare meritum congruum cum deficiat a perfecta meriti ratione, non est species meriti, sed meritum analogice tantum.

3. Ab utroque merito differt impetratio, quamvis saepe conjuncta sit cum ratione meriti congrui; unde plures theologi impetrationem a merito congruo non satis distinguunt. Eam tamen distingui patet **a.** quia angeli impetrant, non vero merent: nos vero saepe orando meremus, et non impetramus. **b.** Meritum cuilibet competit bono operi; impetratio proprie tantum de oratione affirmatur. **c.** Inter meritum et praemium aliqua saltem intercedere debet proportio, non vero inter impetrationem et id quod impetrando obtinere nitimur. Potest autem impetratio describi: vis moralis oborta ex demissa confessione propriae indigentiae necnon ex professione pietatis, misericordiae et divitiarum illius, quem rogamus, movens ad beneficia conferenda.

Bene cl. Jungmann Instit. theol. dogmaticae, de Gratia n. 387: „Oratio ex eo peculiari capite, quod est petitio, habet propriam et peculiarem aptitudinem ad impetrandum. Nam petitio natura sua ad hoc ordinatur, ut animam alterius inducat ad dandum id, quod petitur, non quia emitur, non quia solvitur, nec quia aliquis illud meretur, sed solum quia petitur. Eatenus videlicet aptitudo ad impetrandum propria est orationis inter omnia virtutum opera, quatenus consentaneum est bonitati vel liberalitati ejus, qui rogatur, moveri ad dandum solum quia rogatur.“ Triplici significatione accipi potest impetratio: sensu maxime proprio et stricto, et ita tribuitur orationi; sensu minus proprio et presso, et ita convenit merito congruo, cujus etiam est movere dantis liberalitatem et misericordiam, ut suppleat quod deest justitiae. Sensu latissimo subinde affirmatur de quocunque opere bono, inde

etiam de merito condigno quod, quatenus orationi adjunctum est, mirum in modum hujus auget vim impetratoriam. Cf. Ripalda disp. 15. 18. 19.

4. Differt a merito etiam dispositio. Meritum enim qua obsequium refertur **a.** ad alium; aspirat **b.** ad praemium; prodesse **c.** potest et alteri; et **d.** si est condignum, ad praemium jus tribuit: quae de dispositione dici nequeunt. Concedimus tamen Suaresio, qui differentiam inter meritum congruum et dispositionem moralem in ordine ad supernaturalia negare videtur, dispositioni morali ex gratia profectae semper inesse rationem meriti congrui ad aliam gratiam. Dispositio distinguitur in negativam, qua removentur obices formae susceptionem impedientes; et in positivam, quae est realis habitudo subjecti, qua subjectum per se indifferens ita constituitur plus minus proxime idoneum ad formam suscipiendam, ut haec sit ipsius naturale vel connaturale complementum. Dispositio positiva iterum distinguitur in proximam et remotam seu immediatam et mediatam.

5. Gratuitas gratiae non opponitur **a.** necessitati hypotheticae: nam in hypothesi elevationis ad finem supernaturalem gratia est nobis necessaria et debita, et tamen est gratuita, quia elevatio illa est supra omne debitum et plane gratuita; sed opponitur juri, quod quis ex se habeat. Neque **b.** gratia gratuita opponitur cuilibet debito; non enim opponitur debito, quod oritur ex promissione gratiose facta, sed debito ex meritis profecto; neque **c.** cuilibet debito ex meritis profecto adversatur: nam certe gratia nobis gratis datur etsi propter merita Christi. Quare gratia excludit debitum profectum ex meritis illius, cui ea datur. Verum **d.** et hoc accuratius est determinandum: gratuitas enim gratiae non excludit quodlibet debitum ex merito illius, cui ipsa datur, profectum, si scil. meritum hoc gratia aliqua praecedente nititur. Quamvis enim tunc gratia immediate debita esse possit, mediate tamen et in radice gratuita est. Adversatur ergo gratiae gratuitas merito ex solis viribus naturae profecto.

6. Thesis, quatenus generatim affirmat gratiae gratuitatem, est de fide. Pelagius enim compulsus est in synodo diospolitana confiteri, „gratiam Dei non dari secundum merita nostra;“ eademque veritas passim inculcata fuit a romanis pontificibus et conciliis adversus pelagianos et semipelagianos, praesertim in concilio arausicano II., cujus can. 18 sancit: „Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.“ Dicimus thesim esse de fide, quatenus generatim affirmat gratiae gratuitatem. Quare certo pugnat gratiae gratuitas cum merito condigno operum naturalium; cum merito naturali congruo quadamtenus saltem adhuc consistere posset; minus vero adhuc pugnare videtur cum dispositione vel impetratione naturali; dummodo non sit sermo de ea oratione, quae ratione sui pretii dignitatisque jus

petenti tribuat, ut exaudiatur alterumque moraliter obliget ad eam exaudiendam. Hinc censet Ripalda disp. 19 sect. 3, in alio providentiae ordine esse possibile, ut precibus naturalibus gratiae impetrentur dona. Quocirca secernantur quaestiones duae: altera historica: num in praesenti rerum ordine meritis congruis precibusve naturalibus impetrare possimus gratiam ad salutem necessariam. Atqui contra semipelagianos definitum est, adeo esse modo gratiam gratuitam et salutis radicem, ut id fieri nequeat (cf. ex. gr. conc. arausicani can. 6 n. 69[2]); quaestio altera logica: sitne id de gratiae essentia in omni ordine: hoc vero definitum non videtur. Nullo vero pacto gratiae gratuitati adversatur, si statuatur, ejus largitionem vel distributionem alligari saepe conditionibus vel occasionibus naturalibus a libero arbitrio pendentibus. Ita potest quis volitione mere naturali, curiositatis gratia, imo peccaminosa, adire concionem, qua deinde gratia adjutus convertitur ad fidem. Quoad primam partem assertio nostra est contra pelagianos; altera et tertia pars est contra semipelagianos; quarta contra quosdam theologos scholae. Cf. Bastida apud Liv. Meyer V, 28; Scheeben § 171.

68. **Demonstratio p. I. 1.** Gratuitatem gratiae conciliari non posse cum meritis naturae de condigno, probatur damnatione pelagianorum, qui affirmabant, gratiam secundum merita reddi. Et revera, inquit Augustinus de gestis pelag. n. 4, „ipsum gratiae nomen et ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit;“ et ep. 217 ad Vitalem n. 25: „Manifestum est, ex illis duodecim sententiis, quas ad catholicam fidem pertinere negare non sineris (quas ib. recensuerat), non solum omnibus, verum etiam singulis id confici, ut confiteamur, gratia Dei praeveniri voluntates et per hanc eas potius praeparari, quam propter earum meritum dari.“

2. Probatur ex dogmate, quo supra n. 30 demonstravimus, hominem absque gratia nihil posse, quod ad salutem conducat. Atqui multum posset, si viribus naturae gratiam condigne mereret.

3. Secundum patres ita gratia praevenit voluntatem, ut ante eam nulla sint bona opera et cum ea incipiant omnia merita. Atqui neutrum verum esset, si viribus naturae gratiam condigne merere possemus.

Ita Coelestinus ep. 21 ad Galliae episc. n. 14: „Non dubitemus, inquit, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere.“ — Augustinus de gr. et lib. arb. n. 38: „Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis Dei gratia praevenerit;“ et serm. 159 c. 2: „Gratia praecessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti. *Pro nihilo*, inquit (Ps. 55, 8), *salvos facies eos.* Quid est *pro nihilo salvos facies eos?* Nihil in eis invenis, unde salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita praecedis, ut dona tua consequantur

merita mea. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis, unde salves, et multum invenis, unde damnes.« Cf. Prosper carm. de ingratis v. 410 ss. et ea patrum effata, quibus dicunt infidelium opera esse peccata, sterilia, praeter viam; quidquid non est ex fide peccatum esse etc. n. 51 ss.

4. Merito provocant patres ad Rom. 11, 6: *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia;* et 4, 4: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Hinc patet, gratiam neque esse fructum operum naturalium, neque debitam. Atqui esset fructus operum naturalium essetque debita, si eam viribus naturalibus merere possemus: nam praemium est fructus isque debitus meritis. Ceterum universa ep. Pauli ad Rom. gratuitatem gratiae probat. Ideo enim eam scripsit Paulus, ut ostenderet nemini debitam esse salutem, homines gratis justificari, Deum pro lubitu sua dona dispensare.

5. Denique inter merita et praemium debet esse quaedam proportio et connexio. Atqui inter merita naturalia et bonum supernaturale, cujusmodi est gratia, quae est etiam pretium sanguinis Christi, nulla est proportio et connexio. Quare pulchre auctor de voc. gent. I, 17: „Vilesceret, inquit. redemptio sanguinis Christi, nec misericordiae Dei humanorum operum praerogativa succumberet, si justificatio, quae fit per gratiam, meritis praecedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.“ Cf. Ripalda disp. 15 ss.

69. **Demonstratio p. II. et seqq. 1.** Argumentum secundum et tertium, quibus praecedentem demonstravimus partem, probant quoque, nos viribus naturae ne de congruo quidem gratiam merere posse. „Nam, ut inquit Augustinus de pecc. orig. c. 23, non erit Dei gratia ullo modo gratia, nisi gratuita fuerit omni modo.“ Gratiam vero excludere

2. impetrationem naturalem statuit concilium arausicanum II. can. 3: „Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut ipse invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae (65, 1), vel Apostolo idem dicenti (Rom. 10, 20): *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.*“ Deinde si homo impetrare posset oratione naturali gratiam, jam ipse in ordine salutis praeveniret gratiam, initiumque salutis esset ab ipso. Atqui constans est doctrina patrum contra semipelagianos propugnata, nos in ordine salutis gratia praeveniri, ipsique omne initium in ordine salutis esse asserendum. Quare idem concilium can. 6 docet: „Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem s. Spiritus in nobis fieri confitetur et aut humilitati, aut

obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium, nec, ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti (1. Cor. 4, 7): *Quid habes, quod non accepisti?* et: *Gratia Dei sum id quod sum* (ib. 15, 10)."

3. Quamvis autem homo aliquo modo possit negative se ad gratiam disponere, removendo obstacula, i. e. cavendo aliqua saltem peccata, non potest tamen viribus naturae positive se ad illam disponere. Nam **a.** omnis dispositio positiva quandam habet proportionem et connexionem cum forma, ad quam disponit, eamque exigit, saltem in aliquibus, ne sit frustra. Nulla vero est proportio et exigentia actuum mere naturalium ad gratiam supernaturalem. Quod paulo secus **b.** ita expressit s. Thomas c. gentes III, 149: „Quaelibet res ad id, quod supra ipsam est, materialiter se habet. Materia autem non movet se ipsam ad suam perfectionem, sed oportet, quod ab alio moveatur. Homo igitur non movet se ipsum ad hoc quod adipiscatur divinum auxilium, quod supra ipsum est, sed potius ad hoc adipiscendum a Deo movetur." **c.** Patribus solemne est inculcare, naturae ante gratiam nihil inesse, quod muneribus compensetur, sed plurimum quod puniatur; et Scripturae conferunt statum animae humanae ante gratiam cum statu mortis, tenebrarum etc. Negant ergo proportionem, quae propter suam perfectionem gratiam exigat. Ad haec **d.** dispositioni positivae actibus moralibus inductae dignitas quaedam praemii seu ratio meriti saltem congrui videtur competere, quae ex dictis naturae tribui nequit. Quare censet s. Thomas quodlib. 1 a 7, „ad errorem pelagianum pertinere, dicere, quod homo possit se ad gratiam praeparare absque auxilio divinae gratiae: et est contra Apostolum qui (Phil. 1, 6) dicit: *Qui coepit in vobis opus bonum, ipse perficiet.*"

70. **Scholion I.** *Patres graeci vindicantur.* — Non desunt vel inter theologos catholicos, qui patres graecos, nominatim s. Jo. Chrysostomum, accusent, quod primas partes in ordine salutari detulerint naturae, secundas gratiae, quam propterea congruis naturae meritis rependi affirmaverint. Ad illos ab erroris calumnia vindicandos, notentur: **1.** pelaginos haud semel in Oriente fuisse damnatos, ut in conc. diospolitano (a. 415); in synodo orientali, forte anno 417, sub Theodoto patriarcha antiocheno habita; ab Attico patriarcha CP. a. 417; iterum in conc. ephesino (a. 431), quae damnatio non facile conciliatur cum assertione, patres graecos plerosque eorum erroribus plus minusve favisse.

2. Patres accusare pelagianos et semipelagianos novitatis, et contra eos ad patres etiam graecos provocare; utrumque autem vix explicari potest, si patres graeci eodem fuissent infecti errore. Et unde factum est, ut patres occidentales tam cito hunc errorem detestati sint in pelagianis et semipelagianis, nunquam vero in patribus graecis? Ad haec

3. apud illos eosdem patres testimonia inveniri plane egregia pro dogmate catholico, quae diligenter collegit Isaac Habertus in sua theol. pp.

graecorum vindicata. Ita ex. gr. Chrysostomus de prophetiarum obscuritate hom. 1 n. 5: „Neque ad recte facta sufficit anima, nisi illo potiamur auxilio. Atque ut intelligatis, animam nobis ad recte facta non sufficere, et quid dico ad recte facta? ne ad hoc quidem, ut ea, quae dicuntur, percipere possimus: *Animalis*, inquit, *homo non percipit ea, quae sunt Spiritus* (1. Cor. 2, 14) . . . animalem appellat eum, qui ratiocinationibus humanis cuncta permittit, neque Spiritus afflatum recipit.« Hom. 29 in Matth.: „In gratia Dei totum possumus, sine gratia autem nihil, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philipp. 4, 13);« hom. 4 in Ephes. 2; in Ps. 126 n. 1: „Quod si illi (judaei), ut urbem et murum excitarent, tanto opus habebant auxilio superno (cf. 2. Esd. 4, 15 ss.): multo magis nos, qui viam, quae ducit in coelum, ingredimur.«

4. Easdem phrases, propter quas patres graeci accusantur, reperiri etiam apud patres latinos, de quorum orthodoxia nemo dubitat, ut apud Hieronymum, Hilarium, Ambrosium etc., imo vel in divinis literis. Zach. 1, 3: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* Sap. 6, 17: *Quoniam dignos se ipsa* (Sapientia) *circuit quaerens;* Jac. 4, 8; 1. Paral. 28, 9.

5. Patres graecos saepe disserere contra eos, qui admisso fato quodam libertatem negabant. Sicut ergo Augustinus contra gratiae inimicos gratiam extollit, ita illi hac supposita liberum inculcant arbitrium. Accedit

6. censuisse patres, eo quod Deus velit omnes homines salvos fieri, quod Christus venerit quaerere quod perierat omnesque redemerit: omnibus praesto esse gratiae auxilia, quamvis id non semper diserte expresserint. Nihil ergo mirum, si gratia supposita fideles, praesertim otio ac socordiae deditos, alloquentes necessitatem conatus proprii et cooperationis urgeant.

7. Quare patres, quorum objiciuntur effata, neque de toto loquuntur ordine salutari, neque de primo salutis initio, neque gratiae nomine quodcunque Dei auxilium intelligunt: sed loquuntur de parte totius ordinis salutaris, quae vel proxime praecedit justificationem, vel respicit specialia opera; alloquuntur enim fideles, gratia sane praeventos. Nomine vero gratiae intelligunt vel gratiam justificationis, vel gratiam uberiorem, quo sensu vel ipse Augustinus gratiae nomen saepe adhibet. Cf. Faure in annot. ad Augustini Enchiridion n. 81 et opusc. XVI, 112; Petavius de Deo IX, 4 ss., qui plurimum luminis affundit patrum graecorum doctrinae; Habert I, 24; Raynaudus in apologia pro s. Valeriano c. 6 ss., quam reperies in Migne patrol. 52, 792 ss.; Palmieri th. 33.

8. Ad rem ergo Ripalda disp. 27 s. 11 distinguit duplicis generis auxilia supernaturalia: alia, quae conseruntur et junguntur cum objectis mere naturalibus, cum homo nunc sit in ordine elevationis et vel ordo naturalis eum juvare debeat ad consequendum finem supernaturalem (cf. n. 20): alia, quae sunt conserta et conjuncta cum oeconomia externa supernaturalis institutionis, ut sunt lex et Evangelium, vel quae a Deo immediate dispensantur sine concursu objecti externi. Quare cum patres dicunt, patriarchas bene usos esse beneficio naturae, non propterea excludunt gratiae auxilia interna cum hoc beneficio naturae externo conserta: sed beneficium naturae vel naturam opponunt gratiae externae legis mosaicae vel Evangelii. Hinc illa distinctio triplicis status humani generis scil. status naturae, status legis et status gratiae:

qui non distinguuntur gratia interna, quae in omnibus tribus fuit, quamvis non aequali mensura: sed secundum oeconomiam et gratiam externam. Inde vero explicatur illa patrum quorundam alioquin mira assertio, id fuisse gentibus naturam, quod judaeis fuerit lex.

71. **Scholion II.** Juverit aliquid dixisse de celebri et bonitati divinae adeo conformi axiomate scholae: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam,* de quo ita pronunciant protestantes in artic. Smalcaldicis p. 318: »Scholasticorum dogmata: hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum et omittendi malum, item si faciat homo quantum in se est, Deum largiri ei certo suam gratiam; talia et similia portenta orta sunt ex inscitia peccati et Christi, suntque mere ethnica dogmata, quae tolerare non possumus; si enim approbantur, Christus frustra mortuus est.« Notetur igitur

1. illud praeformatum reperiri jam apud patres et aequivalenter et fere diserte. Aequivalenter quoties docent, Deum nulli prorsus deesse, qui sibi non sit inimicus. Fere diserte illud proponit Isidorus pelusiota ep. V, 459: »Qui virtuti dat operam, aequum est, eum divinam opem invocare. At qui nullam operam dat, etsi eam imploret, propitium numen non habet. Qui enim omnia, quae in se sita sunt, adimplet, Deus ipsi benigne annuit.« Cf. Hilarius pict. in psalm. 118 lit. N.; Chrysostomus hom. 35 in Gen. n. 1; hom. 53 n. 2; in psalm. 120 n. 1; 129 n. 3; hom. 45 in Matth. n. 1: »Ei, qui desiderio et studio plenus est, dabuntur a Deo omnia; ei vero, qui his vacuus est, nec ea, quae penes se sunt, facit, neque ea, quae a Deo sunt, dabuntur illi;« hom. 14 in ep. ad Rom. n. 11; hom. 26 n. 3; h. 12 in ep. ad Hebr. n. 3; Basilius in regulis brevior. interrog. 224; Pseudo-Basilius constit. monast. c. 1 n. 4; Damascenus or. 3 de imag. n. 33. Imo praeformatum dici potest vel in divinis literis Zach. 1, 3 (70 [4]); Matth. 7, 7: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis, pulsate et pulsanti aperietur* etc.

2. Multiplicem esse axiomatis apud theologos explicationem. Cf. variae sententiae apud Ripalda disp. 20 sect. 1; Mazzella d. 4 a. 5 § 2 et Palmieri th. 34. Praeferenda videtur illa, secundum quam axioma intelligitur de faciente quod est in se viribus quas habet: ideoque vel viribus gratiae elevantis, saltem si sermo est de fideli respectu gratiae uberioris (sive habitualis sive actualis), seu de eo qui primum ad fidem vocatur, vel viribus naturae in facilioribus et viribus gratiae medicinalis saltem quoad modum supernaturalis in difficilioribus, si sermo est de infideli. Quo in casu tamen nullum inest meritum, nulla dispositio positiva actibus, quibus infidelis facit quod est in se, sed tantum dispositio negativa removens obicem, qui gratiae infusionem impedire posset, et ratio conditionis, qua posita Deus intuitu meritorum Christi, quando ei placuerit, conferet gratiam supernaturalem vocationis ad fidem. Hoc in sensu illud intellexerunt theologi plurimi scholae vetustiores et recentiores; hoc sensu maxime convenit bonitati Dei, *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1. Tim. 2, 4): hoc sensu vitat incommoda illius sententiae, quae tuetur jam ante vocationem ad fidem dari infidelibus gratiam secundum substantiam supernaturalem ideoque et actus salutares, si ea utuntur, cum tamen fides sit radix, initium et fundamentum salutis et omnis justificationis. Cf. Suarez IV, 15.

3. Non sequi ex hoc axiomate, Deum ad dandam suam gratiam semper exspectare ut homo faciat quod est in se. Saepissime enim Deus peccatores,

qui non solum non faciunt quod est in se, sed peccata peccatis cumulant, uberrime praevenit gratia sua.

72. **Corollarium.** *Dei in gratiae distributione dominium.* — Cum ergo gratia gratis conferatur, nec ulli creaturae sit debita: liquet, Deum esse omnino in gratiarum distributione liberrimum, ideoque absque ulla injustitia vel acceptionis personarum vitio posse illam inaequali ratione pro suo beneplacito distribuere, alios vel ab utero matris gratiae ubertate et benedictionibus dulcedinis praeveniendo, aliis gratiam concedendo longe minus uberem. In hoc Dei dominio extollendo totus praeeunte Paulo, praesertim Rom. 9, est s. Augustinus in suis adversus gratiae inimicos operibus.

Articulus III.

De gratiae distributione.

73. *Magnum gratiae mysterium.* — Unum ex praecipuis totius tractatus mysteriis aggredimur, quod gratiae distributione continetur. Si enim quaeritur, quare Deus parcius suas distribuerit gratias ante Christi adventum, et quare etiam nunc parce distribuat illam tot gentibus adhuc in tenebris et in umbra mortis sedentibus; quare unum sic vocet, ut veniat, non vero alterum, cum tamen possit; quare e duobus eorundem scelerum reis unius misereatur, alterum in sua relinquat induratione etc.: responsum aliud dare non possumus quam illud Pauli Rom. 11, 33: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus.* Hoc mysterium patres passim admirantur, in primis auctor op. de vocatione omnium gentium [1]). Opportunum autem erit, in eo contemplando prae oculis habere patrum doctrinam, quam Augustinus ita expressit ep. 194 n. 21: „Satis sit interim christiano ex fide adhuc viventi et nondum cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti, nosse vel credere, quod neminem Deus liberet nisi gratuita misericordia per D. N. J. Christum, et neminem damnet, nisi aequissima veritate (justitia) per eundem D. N. J. Christum.“ Ep. 95 n. 6: „Cur autem ille sic, ille autem sic adjuvetur vel non adjuvetur, nescio; id tamen Deum summa sibique nota aequitate facere scio.“ Cf. Fulgentius l. 1 de veritate praedest.; s. Prosper, carm. de ingratis c. 18 (opusc. XXIV); ex theologis Palmieri th. 62. Quid vero de gratiarum distributione tenendum sit, ordine progredientes et certa a minus certis secernentes distinctis thesibus exponemus.

---

[1]) Cf. ex. gr. l. 1 cc. 13. 15. 16. 21; l. 2 cc. 1. 3. 9. 37 etc. Ita vero l. 2 c. 5 scribit: „Quae (gratia) etsi parcior ante atque occultior fuit, nullis tamen seculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformi.“ Cf. s. Franc. Salesius Traité de l'Amour de Dieu l. 2 c. 7.

74. **Thesis CLXXXVIII.** ***Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto datur a Deo gratia vere ac relative, proxime vel remote sufficiens ad servanda omnia praecepta, et consequenter ad perseverandum.***

Declaratio p. I. Thesis est de fide, ut patet ex damnatione prop. 1 Jansenii: „Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant," quae declarata est temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, haeretica." Contendimus autem in ea, justis omnibus dari gratiam vere, non nomine tenus sufficientem; relative, i. e. spectatis omnibus adjunctis; proxime, i. e. immediate absque alia sufficientem, vel saltem remote, i. e. talem, a cujus bono usu collatio gratiae proxime sufficientis pendeat. Gratia remote sufficiens solet dici gratia orationis, quia ea adjuti saltem orare possumus et orando impetrare gratiam uberiorem; proxime vero sufficiens dicitur gratia operationis: quae gratiae distinctio significatur verbis conc. tridentini n. seq. citandis.

75. **Demonstratio p. I. 1.** Probatur thesis verbis conc. arausicani II. can. 25: „Hoc etiam secundum catholicam fidem credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere;" verbis conc. tridentini sess. 6 cap. 11: „Nemo (debet) temeraria illa et a patribus anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis;" et can. 18 statuit: „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, A. S."

2. Probatur ratione, quam idem conc. ib. patribus praeeuntibus urget: „Deus gratia sua semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur;" iterumque inculcat conc. vaticanum sess. 3 cap. 3.

Ita vero illud principium exponit Augustinus enarr. in Ps. 39 n. 27: »Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet et hic necessaria subministrat et noxia resecat... Dominus curam habet tui, securus esto! Ille portat, qui te fecit: ab artificis tui manu noli cadere: si ecideris a manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit . . . Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse: tu tibi noli deesse.« Et serm. 22 in append. (al. 88 de temp., probabiliter s. Caesarii): »Volumus charitati vestrae suggerere, qualiter obdurationem illam debeatis accipere. Primo hoc firmiter et fideliter credat dilectio vestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cum enim semel et secundo et tertio unusquisque gravia peccata commiserit, exspectat tamen

Deus [1])« etc. Dictum autem hoc intelligendum esse non solum de gratia habituali, sed in primis de actuali, patet **a.** ex verbis concilii c. 13, ubi justos ita instituit: »In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere;« **b.** ex patrum verbis, quae gratiam etiam actualem complectuntur; **c.** ex scopo decreti, qui est erigere justos, ut confidant se Deo adjuvante posse perseverare. Quamvis autem verum sit, Deum neminem deserere, nisi prius deseratur: non tamen exinde sequitur, eum toties hominem deserere, quoties deseritur; hoc enim adversatur experientiae et Scripturae: neque, si hoc fieret, peccator unquam de statu peccati posset resurgere.

3. Probatur ex divinis literis, quae hanc veritatem multipliciter tradunt, sive cum **a.** docent, Deum omnes justos diligere dilectione fecunda gratiae, non quia vel quatenus praedestinati sunt, sed quia et quatenus justi sunt. Prov. 8, 17: *Ego diligentes me diligo;* Prov. 10, 6; Joan. 14, 21; Matth. 12, 50: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est;* Rom. 5, 8. 10: *Commendat autem caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Sive cum **b.** justos exhibent ut membra corporis Christi. Atqui secundum Paulum Eph. 5, 23 ss. *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut Christus Ecclesiam.* Sive cum **c.** justos omnes certos reddunt, Deum quantum est ex se ipsis omnibus dare vitam aeternam. Jo. 6, 30: *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die;* cf. v. 52; 3, 16; ad. Tit. 3, 4 etc. Sive cum **d.** Christus testatur Matth. 11, 30: *Jugum enim meum suave est et onus meum leve;* et s. Joannes 1. ep. 5, 3: *Mandata ejus gravia non sunt.* Sive cum **e.** inculcant, Deum nunquam deserere justos, neque permittere, ut tententur supra id, quod possint: Eccli. 2, 12: *Quis enim permansit in mandatis ejus et derelictus est? . . . Protector est omnibus exquirentibus se in veritate;* cf. ib. 27, 9; 34, 19; Prov. 3, 21 ss.; Ps. 36, 24 ss. et aliis omissis 1. Cor. 10, 13: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentare supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum:* quae inepte dicerentur esse intelligenda de solis praedestinatis. Nam α. Paulus alloquitur omnes corinthios, et in ipsis universos fideles; hinc β. conc. tridentinum hisce verbis absque limitatione universaliter sess. 24 can. 9 utitur. Et revera γ. haec scripsit

---

[1]) Cf. in Ps. 149 n. 9; de nat. et gr. n. 29; tr. 2 et 34 in Jo. n. 6; Dechamps l. 3 disp. 8 c. 3 ss.; l. 2 disp. 8 c. 3; Pallavicini H. C. tr. VIII, 14 n. 6. Cf. Mazzella d. 4. a 3; Ripalda d. 111.

Paulus ad solandos tentatos: atqui non solum praedestinati sunt tentati, nec ullum esset solatium tentatis scire haec tantum de praedestinatis valere.

4. Ipse status justi exigit hujusmodi gratiam: justus enim est filius Dei, heres coeli, in ordine supernaturali constitutus, qui tenetur opera statui suo et fini convenientia operari, quod sine gratia actuali nequit. Ergo tenetur Deus sapiens ordinis provisor illam subministrare, quamdiu homo ex illo ordine peccato gravi non excidit. Quare cum Prospero sent. super c. 12 gall. concludimus: „Qui dicit, quod quibusdam vocatis et pie justeque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant, male opinatur de Dei bonitate atque justitia."

76. **Scholion I.** Quod si aliqui patres videntur affirmare, Petro defuisse gratiam, scias **a.** ejusmodi testimonia non favere jansenianis, cum Petrus non fuerit volens et conans, de quo in primis agit prop. damnata; deinde **b.** secundum hos patres Petro defuit forte gratia proxime sufficiens, non vero gratia orationis, cum id nimis aperte adversetur verbis Christi hortantis: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 41). Quod si **c.** opinati essent, Petro omnem defuisse gratiam, nondum obessent doctrinae catholicae, cum censeant, Deum deseruisse Petrum, nonnisi postquam Petrus coepit deserere Deum, negligendo Christi monita, nimis de se praesumendo seque sponte exponendo periculo, rejecta gratia oblata.

77. **Scholion II.** Quod attinet peccatores fideles, pariter certum est, Deum omnibus dare gratiam proxime vel remote sufficientem ad salutem. Hoc probant argumenta thesis seq. et Ecclesia clare docet in conc. lateranensi cap. ‚Firmiter': „Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari;" et in conc. tridentino sess. 6 cap. 14 et sess. 14 cap. 1: „Quoniam Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent." Sane pro his in primis instituit Christus poenitentiae sacramentum.

78. **Demonstratio p. II.** Justos omnes accipere gratiam ad perseverandum remote vel proxime vere sufficientem, ut peremptorie docet conc. arausicanum can 25 (n. 75 [1]), colligitur **1.** corollarii modo. Nam perseverantia activa, quae ex parte justi requiritur, continetur fideli observatione praeceptorum divinorum. Atqui ex dictis gratia sufficiens omnibus datur justis ad haec observanda.

2. Docet s. Petrus 2. ep. 1, 10: *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis:* quae exhortatio non dirigitur ad solos praedestinatos, sed ad omnes fratres, hinc ad omnes saltem justos. Atqui ea irrisoria foret, si vel uni justorum subtraheretur gratia ad perseverandum; tunc enim non posset illi obsequi certamque facere suam electionem.

3. Si quis justus careret auxilio ad perseverandum, perseverantiae defectus teste vel Augustino de corr. et gr. c. 11 ei non posset impu-

tari. Atqui imputatur: nam si non perseverat, damnabitur. Habuit ergo gratiam ad perseverandum. Etsi vero ad perseverantiam complete spectatam specialia Dei beneficia requiruntur (n. 41), haec tamen nulli justorum ita denegari, ut nequeant impetrari, ibidem quoque ostendimus.

79. **Thesis CLXXXIX.** ***Omnibus hominibus adultis, etiam infidelibus, datur gratia proxime vel remote ad salutem sufficiens.***

Declaratio. Statuitur thesis contra calvinianos et jansenianos eaque est inter theologos certa, cui favet Ecclesia, cum Alexander VIII. damnaverit prop. (5): »Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.« Loquimur autem de infidelibus negativis, quibus nondum annunciatum est evangelium; nam infideles positivi, qui evangelio praedicato nolunt credere, gratiam oblatam repellunt, ideoque gratia non carent, sed ea non utuntur. Si vero quaeritur **1.** quando vel quoties infidelibus negativis offertur gratia, respondemus, id definiri non posse, cum nostrum non sit, Deo regulas praescribere in distribuenda gratia servandas et ipse modo copiosius, modo parcius suas pro lubitu distribuat gratias: dici tamen forte potest, Deum gratiam suam dispensare pro tempore et opportunitate; hinc saltem **a.** cum urget praeceptum difficile vel gravis tentatio; **b.** quoties homini proponuntur media divinitus in hominis salutem instituta (cf. 20; 70[8]); quare **c.** etiam cum peccator conscientiae remorsibus ad poenitentiam urgetur; **d.** cum rationis usus in homine evigilat; si **e.** homo facit, quod est in se (n. 71); **f.** in mortis periculo. Si **2.** quaeritur, quaenam gratia infidelibus conferatur, respondet cum nonnullis Ripalda disp. 20 magno eruditionis apparatu, Deum dare semper gratiam supernaturalem, ut quilibet actus bonus sit salutaris; vivimus enim in ordine supernaturali, et destinati sumus ad finem supernaturalem; plerique vero (cf. Mazzella d. 4 a. 5) contendunt, Deum dare prius gratiam medicinalem, quae tantum quoad modum sit supernaturalis; gratiam proprie supernaturalem dare nonnisi cum prima vocatione ad fidem. Quae sententia videtur praeferenda, dummodo haec vocatio ad fidem laxe accipiatur: habet enim fides suam auroram, quae eam per multos quandoque annos mire praecedit, ut patet ex biographiis eorum, qui suam ad fidem catholicam conversionem nobis enarrarunt. Censemus igitur gratiam supernaturalem conferri, quoties infidelis excitatur ad cogitandum de sua salute, ad orandum Deum, ut ipsum doceat viam veritatis et salutis, etiamsi nihil adhuc audierit de Evangelio: illis enim cogitationibus, orationibus, desideriis, salutis fideique initium aliquod saltem remotum contineri videtur.

80. **Demonstratio.** Nostrae sententiae haud spernenda sunt fundamenta. Ea enim **1.** consectarium est doctrinae, qua tenemus, ordinem reparationis tam late patere, quam late patet status ruinae; nam quod cecidit in Adamo primo, erectum fuit in secundo. Sicut naturae bona communia omnibus sunt, ita omnibus communia censet Gregorius naz. or. 33 n. 9, „legem, prophetas, ipsos Christi cruciatus, per quos omnes citra ullam exceptionem restaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus et a serpente in fraudem inducti et per peccatum morte affecti et

per coelestem Adam saluti restituti et ad lignum vitae, unde excideramus, per lignum ignominiae revocati sumus." Atqui ordo reparatus gratiam supponit exigitque, quae illum penetret totum ac pervadat; cuilibet ergo, qui ad illum pertinet, gratia praesto erit.

2. Est consectarium veritatis, quam apostolorum principes nos docent; Paulus scribens ad Timotheum 1. ep. 2, 4: *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri* (II n. 100); Petrus vero contestans 2. ep. 3, 6 nolle Deum *aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* „Deus vult omnes homines salvos fieri, et ideo, infert Thomas lect. 3 in Hebr. 12, gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat."

3. Ea consequitur ex theoremate certissimo, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse sanguinemque suum fudisse (II. th. 102 et 171): omnes ergo, quantum est ex se, Patri reconciliavit, omnibusque gratiam promeruit ac sanguine emit suo, ut omnes laetissimis hujus reconciliationis fructibus possint potiri. Cf. Thomas c. gentes III, 159.

4. Praeterea certum est, Deum impossibilia non praecipere, quae doctrina solemnis est in universa Ecclesia. Hinc Pius VI. damnavit prop. 19 synodi pistoriensis, „qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare: quasi impossibile aliquid potuerit imperare, qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est," ut falsam, scandalosam, impiam, in Bajo damnatam. Baji autem propositio 54 ita sonat: „Definitiva haec sententia: Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit." Imo adeo evidens est hoc axioma, ut Augustinus scribat de duabus animabus c. 11: „Neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ita cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacratis locis, et in orbe terrarum genus humanum [1])?" Atqui omnes omnino homines tenentur quaedam servare praecepta, quae absque gratia adimpleri nequeunt, uti sunt praecepta de procuranda salute aeterna, de diligendo Deo ut oportet, de agenda poenitentia, quae ad remissionem peccatorum obtinendam disponat.

„Homo ergo, merito cum Augustino de grat. et lib. arb. n. 9 inferimus, gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur." „Nam sine suo fructu, inquit idem s. doctor de gr. et lib. arb. c. 18 n. 37, prorsus admone-

---

[1]) Patrum testimonia pro hoc axiomate diligenter collegerunt Dechamps l. 2 disp. 6; l. 3 disp. 6; Bellarminus de justific. IV, 11 ss. Augustini testimonia cf. apud D'Argentré de praedest. c. 3 p. 44.

retur praecepto liberum arbitrium, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod jubebatur impleret.« — Quare »qui legem omnibus dedit, nullum excepit a salute.« Ita Ambrosiaster in 1. Tim. 2, 4. — Hinc s. Thomas in 4. dist. 20 q. 1 a. 1 docet: »Quamdiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, potest ad gratiam se praeparare de peccatis dolendo,« quod certo non potest, si caret gratia actuali.

5. Accedit celebre axioma: ‚Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam;' quod, originem si spectas, inventum scholae non est, sed a patribus traditum (n. 67), imo in Scripturis adumbratum censeri debet; si certitudinem quaeris, indubium est: fuit enim, teste Stephano Brulifer in 2. d. 28 q. 3, regula theologicalis; si extensionem, plane universale est, adeo ut de omni homine viatore sit verum. Repugnare enim videtur, hominem esse in statu viae et carere medio absolute necessario sique fecerit quod est in se, id esse cassum. Et sane si non potest operari suam salutem, non est in statu viae: si vero potest, ergo habet gratiam.

»Non enim hoc habet, inquit ad rem Thomas compendii c. 145, ordo divinae justitiae, quod quamdiu aliquis est in via, sibi detur, quod pertinet ad terminum viae: immobiliter autem se habere vel in bono vel in malo pertinet ad terminum viae.« Etsi vero de effati sensu non una est theologorum sententia, nihilominus, quomodocunque explicetur, sequitur ex eo, omnibus immediate vel saltem mediate gratiam praesto esse. Quare idem s. doctor confidenter de verit. q. 14 a. 11 ad 1 statuit: »Ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus (scil. in silvis vel inter bruta animalia) ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.« Et iterum in 2. dist. 28 q. 1 a. 4 ad 4: »Si aliquis inter barbaros nutritus quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando vel doctorem mittendo.« Cf. a. 3 ad 5; in 3. d. 25 q. 2 a. 1 qcla 1 ad 1. 2; lect. 3 in Rom. 10.

6. Neque deest conciliorum patrumque suffragium. Ita conc. senonense a. 1528 can. 15: „Neque tamen tanta gratiae necessitas libero praejudicat arbitrio, cum illa semper in promptu sit, et neque momentum quidem praetereat, in quo Deus non stet ad ostium et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum et coenabit cum illo."

Similia habent conc. coloniense a. 1536 p. 7 c. 32; Pius IX. Cf. t. I. n. 219 a. Et Orosius, Augustini discipulus, apol. de lib. arb. § 19: »Mea semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare, non ut tu (Pelagium alloquitur) asseris cum discipulo tuo Coelestio . . . in solo naturali bono et libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam: sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per

ἄτομα et cunctis et singulis ministrare.« Porro eandem veritatem patres aequivalenter docent, quoties **a.** inculcant homines perire non ex gratiae, sed ex cooperationis defectu: quod ita expressit s. Thomas in Jo. 6 lect. 5: »Cor humanum ex sese ad inferiora tendens sursum elevari nisi tractum non potest. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, sed est propter impedimentum ejus, qui non trahitur . . . Deus enim omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum est in se: et quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos ad se attrahit . . . Ex quo ergo Deus paratus est omnibus dare gratiam et ad se attrahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei, qui non accipit.« Cf. c. gentes IV, 55. — Docent **b.** quoties tradunt singulis hominibus angelos in custodiam deputari (t. II. n. 420). Docent **c.** cum exhibent homines singulos medios veluti inter Deum invitantem et daemonem seducentem. Ita Augustinus in Ps. 91 n. 3: »Si satanas loqueretur et taceret Deus, haberes unde te excusares; modo aures tuae positae sunt inter monentem Deum (utique voce salutari) et suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat satanas suadere malum, sed nec Deus cessat admonere bonum; satanas non cogit invitum: in tua potestate est consentire aut non consentire.« — Quare omnino ad rem Orosius l. c. n. 20: »Itaque cum videas hominibus ignaris tantam diaboli incubuisse nequitiam in disperdendum, nullam hinc credis Dei in custodiendo gratiam praefuisse?« et n. 21: »Evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse Dei adjutorium, praesertim cum et seductor insistat et insit infirmitas.« Ad haec **d.** prae oculis habe auream Augustini doctrinam l. 2 de serm. Dom. in monte c. 9 n. 32: »Nullam esse animam quamvis perversam, quae tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus,« voce profecto salutari. Unde statuit in Ps. 18 enarr. 1 n. 7: »Cum autem Verbum etiam caro factum est et habitavit in nobis, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, et ipsam enim penetravit Verbi calor.« Lege de Augustino Bastida apud L. Meyer hist. contr. de aux. V, 29. 31. Cf. auctor de vocat. omnium gentium l. 2 c. 4. 5. 13. 25. 31 opusc. t. III. cum annot. pag. 100, ubi aliorum patrum habes effata de modo, quo Deus succurrat gentibus fide adhuc destitutis; ex theologis cf. Josephus Tricassinus de necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data; Ruiz de praedest. disp. 39 ss.; theologorum scholae suffragium apud d'Argentré comment. de praedest. c. 11.

Thesis CXC. ***Ex eorum numero, quibus Deus gratiam ad salutem sufficientem confert, peccatores excoecati et indurati eximi non debent.***

Declaratio. Excoecatio et induratio considerari possunt passive et active. Excoecatio spectata passive opponitur gratiae illustrationis, et est affectio mentis, ejus scilicet coecitas in ordine salutis orta ex voluntaria repulsa gratiae illustrantis et veritatis. Unde non solum consistit in quadam inhabilitate et hebetudine percipiendi ea, quae ad salutem spectant, sed et in positiva judicii perversione, quam Is. 5, 25 describit: *Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce et dulce in amarum.* Obduratio vero passive spectata opponitur gratiae inspirationis et pertinet ad cor, est-

que hujus durities orta ex pertinacia voluntatis peccato firmiter inhaerentis, gratiae emollienti resistentis, quam ita describit Bernardus de consid. I, 2: „Ipsum cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, iuhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens.“ Si vero excoecatio et induratio active consideratur, negari nequit, utramque Deo in divinis literis passim adscribi. Quod ut rite intelligas, haec tene:

1. Per excessum errare Calvinum, qui excoecationem adscribit positivae Dei voluntati et operationi, adeo ut Deus sit illius causa vera et directa: quam sententiam nunquam non exhorruit antiquitas (t. II n. 85. 106).

2. Non exhauriri excoecationis notionem, si Deus dicitur excoecare permittendo tantum excoecationem, vel si cum auctore l. de praed. et gratia c. 11 et Attone vercell. in Rom. 1, 24 statuitur: „Non operatur in homine Deus ipsam duritiam cordis, sed indurare eum dicitur, quem mollire noluerit: sic etiam excoecare, quem illuminare noluerit, et repellere eum, quem noluerit vocare.“

3. Indurationem ex parte Dei includere **a.** ejus permissionem, ideoque **b.** quandam subtractionem, privationem non quidem omnis gratiae, uberioris tamen auxilii. Quocirca ejusmodi indurati dicuntur passim in divinis literis *despecti,* derelicti, repulsi, rejecti. Hinc Augustinus explicans verba Pauli Rom. 1, 28 scribit in Ps. 6 n. 8: „*Dedit illos in reprobum sensum,* nam ea est coecitas mentis: in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim extra Deum esse quid est, nisi in summa coecitate esse?“ **c.** Cum hac desertione conjunctam esse subtractionem protectionis divinae, qua sublata peccator exponitur insidiis fraudibusque daemonis. Unde ejusmodi peccatores *traditi* dicuntur *in reprobum sensum* Rom. 1, 28. „Cum deserimur a Domino, inquit Chrysostomus hom. 68 in Jo. n. 2, diabolo traditi innumeris malis affligimur. „Cf. 2. Paralip. 18, 18; 3. Reg. 12, 19; 2. Cor. 4, 3; 2. Thes. 2, 10, et quae hoc de argumento praeclare disserit Lessius de div. perfect. XIII, 12 ss. Quandoque **d.** dici Deum indurare homines, quatenus est causa positiva eorum, quorum non quidem influxu, sed occasione, homines sponte sua se indurant. Cum enim Deus hunc effectum praevideat, permittat et ad optimum finem disponat: si ejusmodi occasionem ponit, indurationis causa dici potest occasionalis, permissiva, ordinans. Huc pertinent verba Paula Rom. 2, 4: *An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei;* Job 24, 13: *Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam;* Eccli. 8, 11: *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* „Si patientia Dei, ita Hieronymus ep. 120 q. 10, induravit Pharaonem et multo tempore poenas distulit Israelis, ut justius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat: non Dei accusanda est patientia et

infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate Dei in perniciem suam abusi sunt. Alioquin unus est solis calor et secundum essentias subjacentes alia constringit, alia liquefacit, alia indurat: liquatur enim cera et induratur lutum, et tamen caloris non est diversa natura. Sic et bonitas et clementia vasa irae, quae apta sunt ad interitum, indurat: vasa misericordiae . . . non salvat irrationabiliter et absque judicii veritate, sed causis praecedentibus: quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt . . . Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.« Sed prae primis cf. Chrysostomus hom. 16 in ep. ad Rom. (cf. II, 122[3]); s. Thomas c. gentes III, 162; in ep. ad Rom. 9 lect. 3.

4. Causam propriam et positivam indurationis esse ipsum hominem et quidem dupliciter: meritorie et remote, quatenus propter antecedentia peccata meret, ut Deus ipsum deserat, gratiae auxilia subtrahat, insidiisque daemonis exponat; deinde efficienter et proxime, quatenus gratiae monitisque divinis saepius resistendo indurationis habitum seu duritiam quandam contrahit: quod saepe docent Scripturae, praesertim Exod. cap. 7 ss.; Ps. 94, 8; Matth. 13, 13; 23, 27; Act. 7, 51 etc. Idem inculcant patres, praesertim occasione indurationis Pharaonis et judaeorum. Ita e. g. Augustinus tr. 53 in Joan. n. 6: »Non poterant credere (judaei), quia hoc Isaias propheta praedixit; hoc autem propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo: quia nolebant;« et ad Simplic. q. 2 n. 10: »Noluit Esau et non cucurrit, sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.« — Chrysostomus hom. 68 in Jo. 12, 39: »Neque enim quia id dixit Isaias, ideo non crediderunt: sed quia crediturі non erant, ideo haec dixit. Illud autem *non potuerunt* i. e. noluerunt.« Franzelin de Deo uno th. 65.

5. Quare si indurationem per causas describimus, dicendum est **a.** ipsius causam velut ultimam et supremam esse Deum, non quidem directe, positive, efficienter, sed permissive, negative, occasionaliter et quatenus illam ordinat ad sapientissimum finem; **b.** causam moralem inducentem, non tamen necessitatem inferentem, esse daemonem; **c.** causam proximam et vere efficientem esse perversam hominis libertatem per repetitos actus pravos; **d.** causam formalem coecitatem mentis et positivam judicii perversionem obstinationemque in malo repetitis actibus inductam et contractam; **e.** causam meritoriam esse crimina hominis praecedentia; tandem **f.** causam finalem seu rationem cur Deus eam permittat, esse manifestationem suae justitiae secundum Rom. 9, 22.

82. **Demonstratio.** „Inter catholicos, scribit Ruiz l. c. sect. 1, non defuere doctores, quibus visum fuerit, aliquos peccatores propter aliquem cumulum et gravitatem criminum auxiliis ad poenitendum sufficientibus destitui. Verum ii auctores sunt valde pauci, eosdemque aliis in locis oppositum sentire probabimus vel explicationem admittere.“ Theologi plerique docent, nec induratis deesse gratiam ad salutem sufficientem.

1. Id probatur corollarii modo ex th. 189. Argumenta enim quae illam evincunt, plane universalia sunt, ideoque et pro induratis valent.

2. Docent Scripturae, Deum, quamdiu homines vivunt et in statu sunt viae, nolle aliquos perire, sed velle omnes ad poenitentiam reverti.

2. Petr. 3, 9: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire; sed omnes ad poenitentiam reverti;* Ez. 33, 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat;* Rom. 2, 4 etc.

3. Idem docent patres, praesertim occasione indurationis Pharaonis; ita auctor de voc. omn. gent. disserens de beneficiis posteris Caini a Deo datis, animadvertit II, 3: „Quae beneficia licet obduratis nihil remedii et emendationis attulerint, probant tamen aversionem eorum non divinae fuisse constitutionis, sed propriae voluntatis."

4. Accedit auctoritas s. Thomae, qui de hac quaestione ita statuit de verit. q. 24 a. 11: »Obstinatio importat quandam firmitatem in peccato, per quam aliquis a peccato reverti non possit. Quod autem aliquis non possit a peccato reverti, potest intelligi dupliciter. Uno modo ita, quod vires suae non sufficiant ad hoc, quod a peccato totaliter liberetur, et sic quilibet peccato mortali cadens dicitur non posse ad justitiam redire. Sed ex ista firmitate in peccato non dicitur aliquis proprie obstinatus. Alio modo habet aliquis firmitatem in peccato, ita quod nec cooperari potest ad hoc quod a peccato resurgat. Sed dupliciter est hoc. Uno modo ita quod nullo modo possit cooperari: et haec est perfecta obstinatio, qua daemones sunt obstinati . . . Alio modo ita quod non de facili possit cooperari ad hoc quod exeat de peccato. Et haec est obstinatio imperfecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viae, dum scil. habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt, ex eis datur via, ut praeparetur ad gratiam.« Cf. Dechamps de haer. jans. III disp. 8 c. 13 ss.

83. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Non diffitemur, plura posse opponi iis, quae praecedentibus duabus thesibus statuimus, praesertim ex Augustino. Pro quorum solutione haec prae oculis habeantur:

1. Distingui debet inter gratiam actualem et habitualem. Ex eo, quod haec non omnibus detur, non sequitur, neque actualem dari. Illius enim collatio in adultis ab hujus bono pendet usu. Jam vero de gratia habituali intelligi possunt aliqua patrum effata, quae objiciuntur, ut cum Augustinus dicit serm. 11 n. 4: »Communis est omnibus natura, non gratia,« qua scilicet, ut subdit, »facti sumus populus ejus et oves pascuae ejus.« Cf. supra n. 7, 8. Subinde loquuntur ita etiam de gratia vocationis ad fidem proxima, quae, teste experientia, non omnibus est communis: ut efficacius reprobarent pelagianorum errorem, qui nomine gratiae ad salutem necessariae intelligebant ipsa bona naturalia omnibus communia.

2. Distingui debet inter gratiam operis, gratiam adultam, et gratiam orationis, initialem: illam Augustinus nomine gratiae, adjutorii, non hanc, saepissime intelligit, ut cum gratiae defectum ex neglectu orationis repetit. Haec annotatio summi momenti probatur innumeris s. doctoris testimoniis. Ita de Spiritu et lit. c. 19 n. 34: »Lex data est, ut gratia quaereretur,« scil. major, robustior; alioquin si haec propositio de prima intelligeretur gratia, semipelagiana omnino esset. De natura et gratia c. 15: »Praecepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.« De corrept. et grat. n. 2: »Qui legitime lege utitur, discit

in ea malum et bonum, et non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, qua praestante declinet a malo et faciat bonum;« ad Simplicianum l. 1 q. 2 n. 2: »Bene operari non posse, nisi per fidem gratiam perceperit. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere.« Quare si s. doctor hinc inde dicit, gratiam quibusdam deesse, non licet statim inferre, omnem illis deesse gratiam. Cf. Faure ad Enchir. s. Augustini n. 81 ss. opusc. XVI, 165 an.

3. Distingui debet inter gratiam, quae defectu cooperationis fructu caret et sufficiens dici solet; et eam, quae cooperante libero arbitrio fructum parit salutis, atque efficax dicitur. De hac non sine ratione plerumque patres loquuntur; hanc pluribus deesse, sed ipsorum culpa, concedimus.

4. Distingui debet inter dare gratiam et habere vel accipere gratiam: illud solius est Dei, hoc etiam hominis. »Accipere quippe, inquit Augustinus de spir. et lit. n. 60, et habere anima non potest haec dona, de quibus hoc audit (*quid habes quod non accepisti* 1. Cor. 4, 7), nisi consentiendo; ac per hoc quid habeat et quid accipiat, Dei est. Accipere autem et habere utique accipientis et habentis est.« Serm. 165 n. 1. 2: »Quia ut Deus velit dare, debes et tu ad accipiendum voluntatem accommodare. Quomodo vis accipere gratiam divinae bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis?« Enar. 2 in Ps. 2; serm., cujus fragmentum exstat t. 5 ed. paris. pag. 1151: »Quidquid nobis jubetur, orandum est, ut impleatur; sed non sic, ut dimittamus nos et quomodo aegri jaceamus supini et dicamus: Pluat Deus escas super facies nostras, ut prorsus nos nihil agere velimus: et cum esca compluta fuerit super os nostrum, dicamus etiam: Deus glutiat de nobis. Aliquid et nos agere debemus, studere debemus, conari debemus, et in eo gratias agere, in quo potuerimus: in quo non potuerimus, orare.« Quo sensu etiam scribit Anselmus de casu diab. c. 4: »Deus ideo non dedit (perseverantiam malo angelo), quia ille non accepit; et ideo non accepit, quia accipere noluit.« Ergo ex eo, quod non omnes accipiunt vel non habent gratiam, non sequitur, eam ipsis non offerri. Similiter distingui debet inter non adjuvari gratia et gratiam deesse; nemo enim proprie adjuvatur, nisi ipse cooperetur; si vero non cooperatur, ac proinde non adjuvatur, non sequitur deesse ipsi gratiam.

5. Cum desertio ex parte Dei in subtractione consistat gratiae, haec multiplex sit gradusque admittat, desertio etiam Dei admittet gradus. Praecipites ergo sunt, qui ex eo, quod legimus, Deum aliquos deserere, inferunt, eos omni destitui gratia. Legant potius Augustini verba n. 81[3].

6. Verum est fidem esse salutis initium, sed praepostere exinde infertur, ante fidem nullam omnino conferri gratiam. Nisi enim gratia fidem praeveniat, actus fidei elici non potest; ideoque damnatae sunt prop. Quesnelli 26: »Nullae dantur gratiae nisi per fidem;« 27: »Fides est prima gratia et fons aliarum;« 29: »Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia;« prop. 22 syn. pistoriensis. Fides enim suum habet initium, sua germina, suam conceptionem et auroram, quae prima salutari mentis illustratione, qua Deus ad cor hominis loquitur, continetur. Cf. Ripalda d. 63 s. 2; d. 20 s. 17 n. 78. Ideo autem omnis illustratio intellectus ad gratiam fidei, sicut omnis inspiratio voluntatis ad caritatis gratiam potest revocari, quia omnis illustratio demum tendit ad inducendam, gignendam fovendamque fidem: sicut omnis voluntatis inspiratio ad excitandum caritatis ignem illumque fovendum augendumque aspirat.

84. **Scholion II.** *De vocationis gratia.* — Cum non desint, qui videantur affirmare, illi, qui vocationis gratiam neglexerit, jam sutrahi divinitus omne salutis subsidium: ea paucis complectemur, quae hac de re atque generatim de vocationis gratia tenenda censemus.

1. Omnino tenendum est, esse aliquam gratiam vocationis, qua scil. quis non solum ad fidem et salutem, ad perfectionem in genere divinitus vocetur: sed et ad certum vitae statum; quae gratia initium et fundamentum sit seriei auxiliorum specialium pro determinato illo vivendi genere ad satisfaciendum illius muneribus et officiis, et ad facilius consequendam salutem et perfectionem quam in alio statu. Hoc colligitur **a.** ex verbis Christi Jo. 15, 16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* etc.; Matth. 19, 11: *Non omnes capiunt verbum istud* (de continentia), *sed quibus datum est;* **b.** ex consensu ascetarum, qui regulas tradunt dignoscendae vocationis; **c.** ex sensu fidelium de salute sua sollicitorum, qui sedulo impenseque de vocatione sua cogitant; **d.** ex tot monitis et consiliis fundatorum ordinum et episcoporum ad probandam et dijudicandam novitiorium et clericorum vocationem; **e.** ex conscientia plurimorum, qui se ita ad certum vitae genus divinitus impulsos tractosque sentiunt, ut se reos contemptus vel saltem negligentiae gratiae magnae judicarent, imo immorigeros Deo futuros, si illi impulsui seu vocationi non obsequerentur, secundum illa Pauli 1. Cor. 9, 16: *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero.*

2. Per se patet **a.** negligere certam vocationis gratiam, utpote congruam hominis ingenio et conditioni matricemque seriei gratiarum ad finem vitae usque, rem esse periculi plenam. Et sane **b.** si temerarium est, imo noxium, viri prudentis consilium in negotio magni momenti spernere, quanto magis negligere consilium Dei gratia vocationis oblatum in negotio salutis. Deinde **c.** qui gratiae vocationis cor pulsanti saepius resistit, indurationis contrahit habitum, quo nihil periculosius et quo contracto gratiae illae minores, quas loco gratiae vocationis rejectae consequetur, magis adhuc inefficaces remanebunt: quae est ratio, quare ascetae tam graviter judicent de salutis difficultate hominis repellentis gratiam vocationis.

3. Nunquam tamen licet affirmare, homini, qui eam neglexerit, subtrahi gratias ad salutem sufficientes (quamdiu vixerit), alioquin illi status religiosus, sacerdotalis etc. non esset de consilio, sed de praecepto (nam id adulto necessarium est saltem de praecepto, sine quo salus obtineri nequit), quod tamen nemo affirmabit; falsumque esset axioma: Si non es vocatus, fac, ut voceris; falsaque th. 189. Continget illi scil. quod Esau, qui spretis primogenitis (Gen. 25, 31 ss.), sibi tantum detraxit de hereditate, ut de ipso prae Jacob Deus dixerit *Esau odio habui* Rom. 9, 13.

4. Tenendum videtur gratiam vocationis gratiam esse specialem, non omnibus communem: nam **a.** gratia vocationis dicitur non respectu cujuscunque status, status communis, sed respectu status altioris perfectionis; quis autem dicet, omnes homines vocatos esse ad statum altiorem? tunc enim hic ipse status esset status communis. Quod si quis censeat, etiam in statu communi dari vocationem ad determinatum vitae genus, ea non videtur distincta a dictamine sanae rationis et prudentiae illustratae fide (cujus est hominum vitam dirigere, nam *justus ex fide vivit* Rom. 1, 17), vel saltem ejusmodi vocatio non omnibus datur. Cui assertioni **b.** videtur favere experientia, cum plures

bonae voluntatis et sincero desiderio faciendi Dei voluntatem praediti omni adhibita diligentia indifferentes se sentiant ad varios vitae status, ac pro arbitrio sine ullo conscientiae scrupulo hunc potius eligant quam alium.

85. **Corollaria. 1.** Cum ergo Deus omnibus justis, imo omnibus hominibus det gratiam, ut salutem consequi possint, neque tamen omnes justi, multo minus omnes homines salventur: liquet admittendam esse gratiam sufficientem, gratiam scilicet, quae ex intentione operis a Deo confertur, sed ex defectu cooperationis humanae, non vero ex proprio defectu, fructu caret. Quaelibet enim gratia, etiam ea, quae caret effectu, efficax est efficacia duplici: efficacia virtutis et subjectiva, cum suppeditet vires pares ad salutariter operandum; et efficacia morali seu objectiva, qua hominem ad bonum allicit, a malo deterret, quamvis non semper obtineat consensum (cf. n. 99).

Ad haec illustranda juverit notasse, gratiam sufficientem posse spectari tripliciter: **a.** prout potentiam confert (salutariter operandi), praecisione facta ab eventu, utrum reipsa etiam conjungatur cum operatione necne; et sic dicitur praecisive sufficiens, atque opponitur gratiae insufficienti; **b.** prout potentiam confert et simul est conjuncta cum operatione seu actu; et sic dicitur positive sufficiens atque eadem est cum gratia efficaci; **c.** prout potentiam confert, sed caret effectu ob voluntatis resistentiam vel neglectum; et sic dicitur negative aut pure sufficiens atque opponitur gratiae efficaci. Cf. theol. wirceburg. t. 4 n. 325. Gratia vero dicitur dupliciter efficax, vel efficax efficacia virtutis, ut explicatur in textu; et ita quaelibet gratia est dicique potest efficax: nam et ea medicina dicitur efficax, quae sanitatem efficere valet, sive sanitas eam sequatur, sive non sequatur quod adhibita non fuerit: et sacramenta dicuntur efficacia et quidem ex opere operato, etsi actu non semper conferunt gratiam propter obicem ex parte suscipientis: vel dicitur efficax efficacia operis, si scil. conjungitur cum opere, ad quod datur. Cf. etiam n. 23[6].

86. **2.** Liquet falsam esse Jansenii sententiam, qui distinguens quadruplicem generis humani statum, ante legem, sub lege, sub gratia, in pace, contendit praesertim de altero statu, illum, „tempus fuisse legis tollentis quidem ignorantiam, nullam tamen bene operandi gratiam, multoque minus libertatem arbitrio a dominantis cupiditatis tyrannide largientis;“ hancque esse Augustini sententiam. Nam **a.** argumenta allata n. 80, si quid probant, evincunt etiam judaeis, et generatim hominibus ante Christum viventibus collatam fuisse gratiam, quamvis non vi V. Testamenti, sed intuitu Christi et per quandam velut redundantiam ex N. T. Etsi **b.** Augustinus distinctionem illam admittit, non tamen propterea negat defuisse judaeis vel hominibus ante Christum gratiam. „Quis enim catholicus, inquit c. duas ep. pel. l. 3 c. 4, dicat, quod nos dicere jactant (pelagiani), Spiritum s. adjutorem in V. T. non fuisse?“ Et ipse est qui inculcat: „Magnum aliquid se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat?“ Atqui Deus

multa praecepit in V. T. Dedit ergo secundum Augustinum (n. 80[4]) gratiam. Cf. Faure in Enchir. n. 118; Palmieri th. 61.

Caput III.

De habitu inter auxilium gratiae et liberum arbitrium.

87. *Libertatis notio.* — Non inutile erit huic quaestioni quasdam de libero arbitrio praemittere notiones, ut facilius gratiae cum ipso concordia intelligatur. Libertas est generatim immunitas, non quidem a perfectione, sed ab imperfectione. Si ea speciatim de voluntate affirmatur, significat negative immunitatem tam a coactione [1]) quam a necessitate; quod Ecclesia adversus haereticos declaravit, atque patres saepe propugnarunt: hinc damnatae prop. Baji 66: „Sola violentia repugnat libertati hominis naturali;“ 67: „Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.“ Positive libertatis nomine intelligitur praerogativa voluntatis, vi cujus haec praeeunte lumine intellectus rationisque consultatione positis omnibus ad agendum requisitis pro lubitu agere vel non agere potest, seu vi cujus eligere inter duo plurave potest, quapropter etiam libertas indifferentiae dicitur. Porro triplex distinguitur indifferentia: objectiva, passiva, activa. Prima, quae etiam indifferentia judicii (melius objecti) dicitur, consistit in actu intellectus, quo exhibetur bonum ut non necessarium ad beatitudinem, quod ergo voluntatem necessario determinare nequit. Altera est potentia receptiva non determinata ad unum potius actum, quam ad alium. Tertia est potentia non determinata ad unum, quae vi pollet se ipsam determinandi ad agendum vel non agendum, ad hoc potius quam illud agendum, ideoque consistit in dominio actus.

88. Ut libertatis notio illustretur sedulo distingui debet

1. inter ejus essentiam et sufficientiam seu potestatem, inter dominium hujusque dominii amplitudinem: nam voluntate quidem volumus, sed non ideo possumus quod volumus. „Cum duo quaedam sint, inquit Augustinus de spir. et lit. n. 53, velle et posse, unde nec qui vult, continuo potest, nec qui potest continuo vult; quia sicut volumus aliquando, quod non possumus, sic etiam possumus aliquando, quod nolumus: satis evolutis ipsis etiam vocabulis resonat, quod ab eo, quod est velle, voluntas; ab eo autem, quod est posse, potestas nomen accepit.“ In hoc maxime errabant pelagiani, quod haec non satis distinguerent

---

[1]) Libertatis nomine subinde intelligitur sola immunitas a coactione, seu quod dicitur libentia vel lubentia, quae consistere potest cum necessitate. Hinc notant theologi, nomen liberi arbitrii minus aequivocum esse nomine libertatis. Cf. Dechamps l. 3 disp. 2; l. 2 disp. 2 et 4; Petavius V, 1 ss.; de opificio sex dierum III, 6; 12; Habert theologiae pp. graec. l. 2 c. 1 § 8 etc.

et potestatem eligendi, quae est naturalis, confunderent cum potestate efficiendi, quae potest esse et in praesenti ordine saepe est supernaturalis; in ordine etiam naturali aliud est velle, aliud posse: hoc enim pendet a requisitis, quae non semper sunt in nostra potestate.

2. Essentia libertatis consistit in jure et facultate seipsum determinandi, deque suis viribus disponendi, in qua convenit omnis libertas, divina scil., angelica et beata, humana, diabolica. „Libertas arbitrii, inquit Bernardus de gr. et lib. arb. c. 5 n. 15, cunctis pariter ratione utentibus convenit, non minor quantum in se est in malis, quam in bonis, tam plena in hoc seculo, quam et in futuro;“ et c. 4 n. 9: „Libertas a necessitate aeque ac indifferenter Deo universaeque tam malae quam bonae rationali convenit creaturae. Nec peccato, nec miseria amittitur vel minuitur: nec major in justo est, quam in peccatore: nec plenior in angelo, quam in homine . . . Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam in bonis, sed in bonis ordinatior: tam integra quoque in creatura pro suo modo quam in Creatore, sed in illo potentior.“ Et passim ib. Quae tamen intra certos terminos intelligi debent, cum usus saltem libertatis non sit apud omnes aequalis, ut ex n. 89 liquebit.

3. Duplex distinguitur necessitas, physica et moralis ideoque duplex libertas, physica et moralis. Necessitas physica perimit, moralis circumscribit libertatem, ejus usum non reddit impossibilem, sed illicitum eumque impedit, obligando ligat et circumscribit.

4. Libertas peccandi non est voluntatis liberae perfectio, sed potius rubigo. Quod patet tam a priori, quam a posteriori. Nam quo magis quis accedit ad Deum, normam omnis recti, eo magis recedit a peccato, imo et a peccandi possibilitate 1. Joan. 3, 9 (n. 45[1]). Ad haec, peccamus eligendo malum; electio vero mali est mala, supponit enim judicium intellectus erroneum et voluntatis gustum corruptum.

5. Eo efficacius excluditur libertatis (creatae) abusus, quo magis ea pendet a norma omnis recti eique inhaeret: inde enim ea redditur pura, sincera, perfecta. Omnis autem recti norma est Deus. Ergo tantum abest, ut dependentia a Deo libertati sit detrimento, ut eam potius in immensum perficiat. Justus ita a Deo pendens non indiget legibus externis, quibus regatur in libertatis usu. Quo sensu scribit Paulus 1. ad Tim. 1, 9: *Lex justo non est posita, sed injustis.* Ideo autem non est ei lex posita, quia legem praevenit, non exspectat legis impulsum; quia sponte sua bonum operatur, non legis timore; quia plus praestat, quam lex exigat. Huc etiam spectant illa 2. Cor. 3, 17: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Contra vero quo magis aliqua voluntas aversa est a norma recti, eo imperfectior erit ejus libertas in ordine morali.

Hinc Augustinus ep. 157 ad Hilar. c. 2 n. 8: »Haec enim voluntas tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divinae misericordiae subjectior . . . Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas?«— Leo XIII. in lit. encycl. de libertate humana 20. Jun. 1888: »Longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis nostrae auctore manat, a quo rec omnes convenienter naturae suae moventur! Imo gratia divina, ut monet angelicus doctor, ob hanc causam, quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas conservandosque mores, vim, efficientiam singularum.« Cf. Weiss Apol. des Christenth. V, 177 ed. 1.

89. *Varia libertatis perfectio.* — Ex hucusque dictis haec sequuntur:

1. Libertatem omnium deterrimam et imperfectissimam esse damnatorum libertatem, qui ob suam irrevocabilem a Deo, fonte omnis boni, aversionem ita confirmati et obstinati sunt in malo, ut malum tantum eis placeat et tantum inter mala eligere possint.

2. Imperfectam esse libertatem hominis lapsi, qui persaepe difficultatibus a concupiscentia injectis a bono honesto avertitur et ad sensibilia legi divinae contraria trahitur. Hac tamen imperfectione non obstante potest eligere inter bona et mala et inter bona naturae suae congrua.

3. Jam perfectior libertas est gratiae, libertas liberata, libertas justorum: gratia enim illustrationis corriguntur judicia falsa et praejudicia, ut prudens sit deliberatio; gratia inspirationis sanatur palatum voluntatis, ut sana sit electio; ampliatur dominium, augetur sufficientia remotis compedibus concupiscentiae et ignorantiae et subministratione novae virtutis. Ad rem Coelestinus ep. 21 ad episc. Galliae c. 6: »Hoc utique auxilio et munere non aufertur liberum arbitrium sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.« Cf. n. 93²; Scheeben l. 3 § 170 n. 911 coll. l. 2 n. 535. Quia tamen homo gratia non perfecte sanatur a vulneribus peccati originalis: ideo pro insita cuivis naturae, utpote ex nihilo factae, mutabilitate et reliqua concupiscentiae fragilitate, facile adhuc in eligendo deficere et malum bono praeferre potest.

4. Felicior fuit libertas paradisiaca, originalis, quae ab omni sive ignorantiae sive concupiscentiae compede libera, gratia insuper aucta bonum eligere et perficere absque ulla concupiscentiae repugnantia et difficultate potuit. Quia vero solius Dei est non posse peccare, creaturae posse deficere: potuit et illa deficere, idque factum esse historia docet.

5. Quare felicissima erit libertas gloriae, beata, in qua tanta erit visio obortusque inde amor summi boni, ut quod proprium est soli Deo natura, gratia et participatione redundet in beatos, ut nonnisi bonum velle amplectique possint et jam amplius peccare nequeant.

6. Denique perfectissima est libertas divina, ut per se liquet.

90. Ex quibus omnibus patet, liberum arbitrium, etsi secundum suum elementum formale, quatenus est eligendi facultas, inamissibile, secundum suum elementum materiale, scil. secundum amplitudinem dominii sufficientiaeque virtutem augeri et imminui, intendi, perfici et secundum quid etiam amitti posse.

91. His praestitutis ad habitum gratiam inter et liberum arbitrium illustrandum accedamus. De quo haec statuimus principia:

I. *Gratiae est praevenire voluntatem et praeveniendo eam sanare et praeparare ad edenda opera salutaria.* Quod colligitur ex controversia catholicorum cum pelagianis, nominatim vero cum semipelagianis, contra quos strenue propugnatum fuit, indignum esse, in ordine salutis secundas tantum partes Deo, primas vero tribuere voluntati, cum ante gratiam homini nihil insit boni in ordine ad salutem, omnisque boni et meriti radix sit gratia.

Ita Augustinus c. duas ep. pelag. IV n. 13: „Verumtamen in omnibus, inquit, quae quisque agit secundum Deum, misericordia ejus praevenit eum (Ps. 58, 11). Quod isti nolunt, quia non esse catholici, sed pelagiani volunt.“ Et de nat. et gratia c. 31: „Praevenit, ut sanemur, quia et subsequetur, ut etiam sanati vegetemur; praevenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur; praevenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.“ — Idem egregie tuentur episcopi africani in Sardinia insula exsules in ep. ad Joannem et Venerium (inter ep. s. Fulgentii 17) c. 11 scribentes: „Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia salvari hominem, illi (semipelagiani) autem dicunt, nisi quis propria voluntate cucurrerit et elaboraverit, salvus esse non poterit: digne utrumque tenetur, si rectus ordo servetur divinae misericordiae et voluntatis humanae, ut illa praeveniat, haec sequatur; sola Dei misericordia praeveniens voluntatis humanae dirigat cursum, et humana voluntas obediens eadem misericordia subsequente secundum intentionem currat ad bravium. Ac per hoc humana voluntas in eo, quod currit utiliter et laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursus ac laboris agnoscat, ne sit ingrata misericordiae, per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat ad plenum sempiternae salutis effectum: quia tunc erit bona, si Dei praeveniatur dono, et tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio.“ — Et aliis praetermissis Gregorius M. Moral. XVII, 9: „Lumen Dei est gratia praeveniens, quae si in corde nostro nequaquam gratuita consurgeret, profecto mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret.“ — Quapropter conc. arausicanum II. can. 14 statuit: „Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur, sicut dicit Psalmista: *Cito anticipet nos misericordia tua, Domine* (18, 8), et illud: *Deus, misericordia ejus praeveniet me* (58, 13).“ Idem docet conc. tridentinum sess. 6 can. 3.

92. Praeveniendo autem gratiam sanare et praeparare voluntatem ad edendos actus salutares, sicut docent allata patrum testimonia, ita colligitur etiam ex gratiae scopo. Duplici enim ex capite indiget homo gratiae auxilio: tum quia physice est impotens ad actus eliciendos supernaturales; tum quia propter concupiscentiae morbum ad malum admodum est pronus, adeo ut plerumque opus bonum, etiam ordinis naturalis, ei difficile reddatur. Ut ergo sit par et expeditus ad actus salutares, impotentia tam physica quam moralis seu infirmitas est auferenda et sananda. Ad utrumque praestandum confertur gratia praeveniens (n. 16 [2]).

93. **II.** *Sanat et praeparat gratia voluntatem indeliberatis mentis illustrationibus voluntatisque inspirationibus* [1]*), quas in nobis excitat et operatur, atque subministratione virtutis.* Prima pars colligitur

1. ex gratiae nos praeparantis descriptionibus, quae in conciliis patrumque operibus leguntur, in quibus illustrationis, inspirationis voluntatis et subministrationis virtutis mentio diserta occurrit, et gratiae praeparatio et sanatio ob oculos nobis velut ponitur.

Et sane quod illustrationes et inspirationes attinet, insignia sunt, quae habet Augustinus l. 1 ad Simplicianum q. 2 n. 2: „Nullo modo ista (eleemosynas, orationes, etc.) operaretur (Cornelius, Act. 10, 2), nisi ante credidisset; nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestis per sensus corporis admonitionibus vocaretur.“ Et infra n. 21: „Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et praebetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur.“ Et contra duas ep. pelag. l. 2 n. 2 scribit: „Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere coeperit . . . Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet et cupiamus, hoc est amemus, quod praecipit nobis: in qua si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.“ — Et episcopi afri ad Zosimum n. 9: „*Praeparatur voluntas a Domino* (Prov. 8, 35 sec. LXX), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.“

2. Sane ad salutariter eligendum et agendum necesse est, ut mentis tenebrae dissipentur, tot erronea judicia corrigantur de objectorum bonitate vel malitia illorum speciei fallaci innixa: ut pellantur nebulae a concupiscentia excitatae ad impediendum rectum rationis judicium: necesse est, corrigatur corruptum voluntatis palatum, cui sapiunt fallacia mundi bona, imo et vitia, desipiunt vera et aeterna bona, virtutes atque praecepta divina. „Quia nec esurire, inquit ad rem Fulgentius l. 1 ad Monimum c. 1, panem illum, qui de coelo descendit (Joan. 6, 33) possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries datur, qui se ad satiandos esurientes donare dignatur.“ Hoc vero efficitur immissis illustrationibus inspirationibusque supernis, quas Deus in nobis operatur, quaeque viam sternunt

---

[1]) Cum exsistit series actuum salutarium, quorum posterior a priore determinatur, qui praecedit rationem habet gratiae praevenientis et praeparantis pro consequente. Hic autem praeparationem prae oculis habemus ad primum actum salutarem deliberatum, quem forte consequitur major minorve aliorum actuum salutarium series, quae immediate quidem pendet ab illo primo actu, mediate tamen a praeparatione, quam hic describimus.

ad actum deliberatum, qui plurimum e praevia mentis voluntatisque dispositione pendet.

Praeclare hanc gratiae operationem describit s. Coelestinus I. supra n. 89[3] et s. Prosper in resp. ad cap. 6 gall.: »Liberum arbitrium nihil esse vel non esse perperam dicitur, sed ante illuminationem fidei in tenebris illud et in umbra mortis agere, non recte negatur. Quoniam priusquam a dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo jacet, in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, et pro sanitate habet, quod aegrotare se nescit: donec prima haec medela conferatur aegroto, ut incipiat nosse, quod langueat, et possit opem medici desiderare, qua surgat.« Et contra Collat. c. 18 n. 53: »Liberum arbitrium naturaliter homini inditum manet in natura, sed qualitate et conditione mutata per mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, qui ipsam voluntatem ab eo, quod perverse volebat, avertit et in id, quod ei bonum esset velle, convertit: ut delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, caritate accensa liberalem susciperet servitutem et servilem abjiceret libertatem.« Cf. et infra n. 124. — Neque minus praeclare Fulgentius ep. 17 n. 41: »Qua gratia humanum non aufertur sed sanatur; non adimitur sed corrigitur; non removetur sed illuminatur; non evacuatur sed adjuvatur atque servatur arbitrium, ut . . . in quo coecus fuit homo, in eo accipiat lumen.« Quo nil praestantius. Quibus omnibus egregie gratiae influxus in liberum arbitrium declaratur: qui etiam similitudine aliqua (utique inadaequata) illustrari potest. Sicut enim qui nocte lucernam accendit, ut discernere possimus prudenterque eligere inter lapides pretiosos atque alios, qui nullius sunt pretii, vel nos instruit de pretio objectorum, libertatem nobis non adimit, non impedit, sed potius juvat; neque medicus sanans aegroti palatum, cui ex morbi vitio cibi sani desipiebant, ut illi jam sapiant: ita nec gratia intellectum illustrans et voluntatem corrigens, hominis interimit libertatem, sed potius perficit. Cf. de voc. omnium gentium II, 26.

94. **Scholion.** *Berti opinio refellitur.* — Voluntatis inspirationem consistere in inspiratione solius caritatis, praepostere tuentur janseniani, imo et nonnulli theologi catholici, qui ut Berti de theol. disc. IV, 11 gratiam ita definiunt, ut sit »inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.« Hoc enim adversatur **1.** divinis literis, quae et alios actus virtutum commendant, ut timoris, spei, poenitentiae, qui non necessario nituntur charitate, nedum sunt jam formaliter charitas, sed ad eam disponunt, et ad quos certe requiritur gratia voluntatis. Adversatur **2.** concilio tridentino, quod sess. 6 cap. 6 gratiae aliorum quoque affectuum et actuum inspirationem adscribit. Adversatur **3.** patrum manifestae doctrinae, secundum quam omnis salutaris motio voluntatis gratiae est tribuenda. Omnem autem bonam salutaremque voluntatis motionem secundum ipsos formaliter esse charitatem, is tantum affirmaverit, qui eos non legerit. Adversatur **4.** omni ascesi christianae, totius scholae sensui, quae tam sollicite recenset virtutes a caritate distinctas; ipsi genesi caritatis, quae manifesto praesupponit fidem; fides autem bonam voluntatis motionem scil. credulitatis affectum. Quod si Augustinus voluntatis gratiam ad caritatis inspirationem videtur revocare, eam ita apellat vel **a.** dispositive et finaliter (n. 83[6]), vel **b.** denominatione desumpta a specie nobilissima; vel **c.** quia quivis voluntatis actus oritur ex aliquo amore amoremque latissima significatione acceptum imbibitum habet: Augustinus vero

charitatis vocabulum laxa saepe significatione accipit (n. 51 [2]). Merito ergo damnatae sunt Quesnelli prop. 54: „Sola charitas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit; 55: Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit;" 56. 57. 60. 62.

95. Altera prop. pars *inspirationes has,* quibus voluntas ad actum salutarem edendum praeparatur, *contineri actibus indeliberatis* nimis evidens est, quam ut probetur. Dicuntur enim illae inspirationes **a.** excitari in nobis sine nobis: atqui actus deliberatus nunquam dicitur esse in nobis sine nobis, cum sit de ejus essentia elici a voluntate libere operante vel cooperante, a nobis quatenus sumus domini nostrorum actuum. Quod si **b.** inspiratio gratiae contineretur actu deliberato voluntatis, jam nulla esset gratia inspirationis praeveniens, sed tantum cooperans, cum actus deliberatus salutaris sit fructus gratiae cooperantis et consentientis voluntatis; et omnis inspiratio voluntatis esset efficax, quod utrumque est absurdum: saepius enim homines resistunt Spiritui s., cui tribuitur voluntatis inspiratio (Act. 7, 51), et gratiam Dei in vacuum recipiunt (2. Cor. 6, 1). Actui autem deliberato voluntatem resistere inepte dicitur. Saepe deinde **c.** exhibetur homo medius inter satanam seducentem et Deum blandientem, allicientem, trahentem, sane voluntatis inspirationibus, sed ita ut in hominis potestate sit assentire vel dissentire (n. 80 [6] c.). Voluntatis ergo inspiratio non consistit in actu jam deliberato.

96. Tertiam p., qua affirmamus gratiam *subministrare virtutem,* docent Scripturae, ut cum Christus affirmat Joan. 15, 5, nos sine ipso, sine suo influxu, nil posse in ordine salutis. Quare conc. trid. sess. 6 cap. 16: „Ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quae virtus eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur:" qui influxus aliquam profecto suppeditat potentiam. Docent et patres, quoties inculcant, nos absque gratia nil plane posse, gratia nos in omnibus juvari, gratia nos multa posse etc.: haec enim doctrina supponit gratiam conferre quandam potentiam; sive cum passim gratiam diserte dicunt virtutem seu virium subministrationem, ut possimus bonum peragere.

Ita Augustinus serm. 42 c. 3: „Quomodo gratia te a te liberat? dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires ad pugnandum adversus concupiscentias tuas, inspirando virtutem, dando coelestem delectationem, qua omnis delectatio superatur;" et serm. 32 n. 9: „Vocat te Deus et jubet, ut facias; sed ipse dat vires, ut quod jubet, impleri possit." Et aliis omissis c. duas ep. pel. l. 1 n. 5: „Quid est, quod iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere potestatem, cum haec potestas non detur nisi gratia Dei per Jesum Christum D. N.?" — Augustino consentit Fulgentius de fide ad Petrum c. 32: „Firmissime tene . . . divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua praevenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque virtute mandata Dei facere et velit et possit." — P. Damianus serm. 21: „Ille (Spiritus s.) lumen mentibus ingerit, desiderium excitat, vires infundit. Illustrat siquidem ut videamus; provocat ut velimus; roborat ut bona, quae volumus, implere valeamus." — Ad rem s. Bernardus de gr. et lib. arb. c. 1: „Non est ejusdem

facilitatis scire, quid faciendum sit, et facere; quoniam et diversa sunt, coeco ducatum ac fesso praebere vehiculum. Non quicunque ostendit viam, praebet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet, qui facit, ne deviet; et aliud qui praestat, ne deficiat in via. Ita nec quivis doctor statim et dator erit boni, quodcunque docuerit. Porro duo mihi sunt necessaria, doceri ac juvari.«

Idem clarissime docet schola. Ita Thomas c. gentes III, 53[4]: »Nihil enim potest ad altiorem operationem elevari, nisi per hoc, quod ejus virtus fortificetur;« c. 157 (30[6]). — Aliis praetermissis Richardus a s. Victore de erud. inter. hominis I, 30: »Scimus quis dicat: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5). Tantum ergo possumus, quantum posse accepimus. *Quid enim habes, quod non accepisti* (1. Cor. 4, 7)? Nihil enim aliud est habere hujusmodi potestatem et fortitudinem, quam habere gratiam cooperantem. Potestas tua, cooperatrix gratia. Quantum habes gratiae, tantum habes et potentiae. Et quantum gratia accepta crescit, tantum et potentia tua proficit; et quantum gratia minuitur, tantum et potentiae tuae subtrahitur. Et si quando subtrahitur gratia, simul perit et potentia. Patet itaque ex his, quia aliud est arbitrii potestas, atque aliud est arbitrii libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse . . . Si sanus et robustus es, et multa et magna facere potes; veruntamen si liber es, ad nihil cogi potes vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis priorem potestatem, non tamen et libertatem . . . Quam multi in definitione liberi arbitrii errant, quia inter potestatem et libertatem distinguere ignorant vel dissimulant.« Cf. Schäzler Natur und Uebernatur c. 1 et 4 p. 156 ss.

97. **Scholion.** *De virtute, quam subministrat gratia.* — Quaeritur, quomodo concipienda sit haec virtus, quam subministrari voluntati a gratia dicimus, seu aliis verbis, quodnam sit illud comprincipium, cujus synthesi facultas hominis redditur principium supernaturale par ad eliciendos actus salutares supernaturales. Si sermo est de homine justo habitibus infusis instructo, responsio minus videtur difficilis; major est difficultas, si sermo est de peccatore. Triplex praesertim hac de re est sententia. Prima sententia est thomistarum, qui tuentur elevationem intrinsecam potentiarum etiam in peccatore, sed transeuntem infusione qualitatis vel quasi qualitatis fluidae seu transeuntis non vitalis. Sicut enim in justo potentiae elevantur per qualitatem inhaerentem permanentem i. e. per habitum infusum: ita analogice in peccatore, cum gratia actuali praevenitur, infunditur qualitas inhaerens, sed transiens, qua elevetur hic et nunc potentia ad salutariter operandum. Contra hanc sententiam multa opponuntur quae fusius evolvit Limbourg in kath. Zeitschrift 1891 p. 480 ss. Alii cum Suarez de gratia III, 4. 18. 19 tuentur evelationem extrinsecam: et quamvis forte nonnihil inter se dissentiant in ea accuratius determinanda, in eo conveniunt, ut doceant, in actu salutari peccatoris Spiritum s. speciali et supernaturali modo assistere facultatibus naturalibus ac supplere defectum alterius principii intrinseci in genere causae physicae efficientis, adeo ut facultates intrinsecus non immutentur, non eleventur; et licet intrinsecus non immutentur, principium tamen eliciens actum salutarem esse supernaturale, quod facultates naturales illum eliciant, quatenus complentur illa asistentia Spiritus s., quae non est ordinis naturalis, sed prorsus indebita et supernaturalis; ad hoc autem ut aliqua causa sit supernaturaturalis, non requiritur, ut singula illius elementa sint supernaturalia, sed sufficit, ut aliquod comprincipium physice et ex hypothesi requisitum sit super-

naturale. Non desunt, quibus arrideat media quaedam sententia, quae rejicit elevationem intrinsecam per qualitates inhaerentes (et realiter a substantia animae distinctas), quas tuetur sententia prima; et cui non sufficit elevatio extrinseca sententiae secundae, quatenus haec non mutat facultates. Statuit autem eas modificari Deo assistente modificatione interna, sed indistincta ab animae entitate.« Cf. Mazzella d. 1 a. 5; Scheeben § 166.

98. **III.** Porro haec virtus, *hae vires, quas gratia suppeditat, nostrae fiunt* et inter vires voluntatis proprias sunt recensendae. Hinc Augustinus passim eas vocat nostras, vires voluntatis nostrae.

Ita narrans quomodo Deus Abrahamum probaverit (Gen. 22), scribit de civ. Dei XVI, 32: »Plerumque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires *suas* sibi non verbo, sed experimento, tentatione quodammodo interrogante, respondeat. Ubi si Dei munus agnoverit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiae;« et ep. 186 n. 5: »Bonum igitur est homini, ut cum totis viribus liberi arbitrii sui dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam (Ps. 58, 10);« viribus utique gratia donatis, non natura insitis, alioquin propositio esset pelagiana. Iterum in Ps. 102 serm. 1 n. 7: »Cujus viribus (luctatus est)? Tuis, sed ab illo ministratis.« — Illas confert Richardus a s. Victore militibus, qui ad imperatoris sunt nutum, l. c. c. 16: »Incipit ergo posse (liberum arbitrium) ex divino adjutorio, quod non potest de seipso, et quod jam non potest per naturam, accipit bonum posse per gratiam. Quotidie crescit ad bonum, quotidie roboratur contra malum. Crescit ad bonum, ita ut jam in potestate consistens et habens sub se milites possit dicere huic, vade et vadit (Luc. 7, 8) etc. Et quantum hoc esse putamus, posse omnes rebelles animae motus reprimere et ab actu cohibere, quamvis necdum possit omnes perfecte delere et regnum suum ad plenam pacem reformare?« Hinc secundum ipsum vi gratiae est »liber ille arbitrii consensus tot cogitationum, tot affectionum, appetituum, sensuum, imperator et dominus.«

99. **IV.** *Quare gratia voluntatem praevenit et praeveniendo praeparat non solum objective et moraliter, sed et subjective et physice* (seu dynamice et energetice). Hisce continetur praecipuum discrimen inter gratiam catholicorum et gratiam pelagianorum (et etiam semipelagianorum), qui, si aliquam admittebant gratiam, eam tantum concedebant, quae extrinsecus vocaret, invitaret, alliceret, suaderet, qua ratione etiam homo hominem juvare, docere etc. potest: abhorrebant vero ab ea gratia, quae intrinsecus mentem voluntatemque indeliberatis illustrationibus atque inspirationibus a Deo in nobis sine nobis productis afficeret et refingeret elevaretque subministrata virtute ad altiorem operandi statum, adeo ut subjective et physice praeparata par esset ad supernaturaliter operandum. Quae assertio sicut corollarii instar ex dictis fluit, ita testimoniis hactenus allatis confirmatur.

Utramque hanc praeparationem satis clare innuit Augustinus de bono viduit. n. 21: »Nostrum enim est velle, sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat.« — Fulgentius ad Monimum l. 1 c. 8: »Dei est, ut bonum facere velimus

et ut facere valeamus.« — Cyrillus alex. de ador. in spir. l. 1: „Quia hominis natura non est adeo firma, neque satis virium habet, ut emergere e vitiis possit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoscitur: cum enim monitis suadet, tum adjuvandi rationes invenit easque praesenti malo vim nobis afferente valentiores efficit.« — Cf. s. Bernardi verba n. 96 et quae scribit s. Thomas in Ephes., 3 lect. 2: „Facultatem (ad salutares actus) dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas homo efficitur potens et aptus ad operandum. Sed ipsam operationem confert, in quantum in nobis interius operatur movendo et instigando ad bonum . . . in quantum virtus ejus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.«

100. **Corollarium.** Quare si nomine praemotionis physicae nihil aliud intelligitur, quam haec praeparatio voluntatis, quae non solum morali et objectivo, sed et subjectivo et physico seu dynamico et energetico influxu continetur; illam non solum non rejicimus, sed ultro admittimus. Si vero ad eam requiritur etiam praedeterminatio physica ab intrinseco efficax, qua posita infallibiliter vi praemotionis actus sequatur, eam admittere non possumus propter rationes infra afferendas. Illam priorem unam novit quoad libertatem s. Thomas, ut egregie ostendit Bastida apud Meyer hist. congr. de aux. VI, 18.

101. **Thesis CXCI.** ***Voluntatis autem praedicto modo praeparatae est, gratiae praevenienti consentire eaque uti, adeo ut actus salutares deliberati nec soli gratiae, nec soli vicissim libero arbitrio adscribi possint, sed proficiscantur ab una causa adaequata, quae est voluntas aucta gratia.***

Demonstratio p. I. Voluntatis praedicto modo praeparatae esse, gratiae consentire eique cooperari, docet conc. tridentinum sess. 6 cap. 5 statuens, homines „per ejus (Dei) excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponi: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.“ Quod confirmant exhortationes, quibus Deus peccatores per Scripturam et Ecclesiam admonet, *ne in vacuum Dei gratiam recipiant* 2. Cor. 6, 1, sed strenue eidem cooperentur; quapropter solemne est Augustini axioma serm. 169 n. 13: „Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te.“

Huc pertinent quae idem s. doctor inculcat de pecc. mer. et remiss. l. 2 c. 5: „Nec ideo solis de hac re (de acquirenda justitia) votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostrae efficacia voluntatis. *Adjutor* enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.« — Et in eundem sensum s. Leo serm. 43: „Quia rationabiles lapides sumus et viva materies, sic nos auctoris nostri exstruit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiae igitur Dei obedientia se

humana non subtrahat.« — Et s. Hieronymus in ep. ad Gal. 5, 8: »Aliud Dei opus est, aliud hominum: Dei opus est vocare, hominum vel credere vel non . . . Sive ergo in bonam sive in malam partem, nec Deus nec diabolus in causa est, quia persuasio nostra non est ex eo, qui vocavit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti.« — »Debemus gratiae, inquit Ennodius ticinensis l. 2 ep. 19, quod vocamur; debemus gratiae, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur; nostrae tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur.« — Et aliis innumeris patrum effatis omissis Bonaventura de resurr. a pecc.: »Cum sint in opere salutis ista quatuor, scil. invitari, acquiscere, adjuvari et permanere: primum est inspirationis, secundum libertatis arbitrii, tertium muneris divini, quartum sollicitudinis nostrae et pariter adjutorii divini.«

102. **Demonstratio p. II.** Voluntatis sic praeventae et praeparatae est etiam gratia uti, quod sponte sua consequitur ex iis, quae demonstravimus n. 98. Si enim gratiae est, voluntati conferre novas vires, quae ipsius redduntur propriae: profecto poterit iis uti, sicut utitur viribus ab ipsa natura insertis. Hunc enim in finem voluntati conferuntur ejusmodi vires, ut suppleta ejus naturali insufficientia subministratione novae virtutis ipsa voluntas possit, quae antea non valuit, praestare. Quare doctor seraphicus in 2. d. 26 q. 6 a. 1: „Sicut voluntas, inquit, movet se ipsam ad opera naturalia, sic adjuta per gratiam movet se ipsam ad opera meritoria.“ Idem colligimus ex tot exhortationibus, quibus excitamur, ut bene utamur gratia.

»Hortatur primo (Apostolus), inquit s. Thomas lect. 1 in 2. Cor. 6, 1, in generali, quod gratia Dei non utantur in vanum.« Nam, ut notat in Ps. 38, 3: »Deus non dat gratiam homini, nisi utatur illa, et ideo quando quis per negligentiam gratia sibi data non utitur, Deus aufert ei, ut patet de talento Luc. 19;« et 3. p. q. 69 a. 8 ad 2: »Quia etiamsi aequalem gratiam (duo) percipiant, non aequaliter ea utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest;« in 1. p. q. 62 a. 3 ad 2: »Dicendum quod omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturae ejus: modus autem naturalis intellectualis naturae est, ut libere feratur in ea quae vult, et ideo inclinatio gratiae non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti et peccare.« Atqui secundum eundem doctorem angelicum 1. 2 q. 16 a. 2: »Uti est applicare aliquod principium actionis ad actionem: sicut consentire est applicare motum appetitivum ad aliquid appetendum. Applicare autem aliquid ad alterum non est nisi ejus, quod habet super illud arbitrium.« Ergo gratia secundum s. Thomam non praedeterminat liberam voluntatem. Cum autem dicimus, voluntatem gratia uti, non dicimus voluntatem viribus naturalibus gratia uti, quod esset plane erroneum, sed voluntatem gratia jam praeparatam uti gratia. Sicut si quis ab alio edoctus de pretio rei eligendae, ipsius consilium sequitur in eligenda re pretiosa, lumine accepti consilii illustratus et edoctus utitur eo consilio. Cf. Bastida apud. Liv. Meyer V, 51; Lessius de grat. effic. c. 10 n. 12 ss.; Ripalda disp 30 coll. 110 s. 10.

103. **Demonstratio p. III.** Actus salutares et gratiae et libero arbitrio esse tribuendos, adeo clare tradunt ss. litterae, ut plane superfluum sit id data opera confirmare. Non posse autem hos actus alterutri exclusive et seorsim adscribi, manifestum est per se. Nam

1. quotiescunque ad aliquem effectum producendum duo principia concurrunt et necessario requiruntur, neutri seorsim et exclusive tribuere illum licet. Atqui ad actum salutarem et gratia requiritur et voluntas gratia praeventa huic eidem cooperans gratiae; ergo nec gratiae seorsim, nec soli voluntati licet vindicare actus salutares. Quod egregie

2. docemur 1. Cor. 15, 10: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Horum verborum occasione scribit Augustinus de gr. et lib. arb. n. 12: »Nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo;« quod saepe repetit, ut serm. 13 c. 3: »Si ergo Deus est, qui operatur in nobis (Philipp. 2, 13), quare dictum est, *vestram ipsorum salutem operamini* (ib. v. 12)? Quia sic in nobis operatur, ut et nos operemur. Adjutor meus esto: designat et se operatorem, qui invocat adjutorem;« Rectract. I, 23 n. 2 et 3: »Utrumque (credere et operari) et ipsius est, quia ipse praeparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis;« de dono persev. c. 3; ad Simplicianum I q. 2 n. 10: »Ut velimus, suum esse voluit et nostrum. Suum vocando, nostrum sequendo.« — Praeclare vero Apostoli verba interpretatur Gregorius M. Mor. XVI, 25: »Quia divina nos bonitas, ut innocentes faciat, praevenit, Paulus ait: *Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Et quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit, *sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum,* si cum praeveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non ego.* Ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum.*«

3. Idem docent patres graeci; ita Origenes, qui id Philoc. c. 24 similitudine illustrat: »Quemadmodum fructus agriculturae est mixtum aliquod proveniens et ex electione agricolae, ex arte laborantis et ex providentiae beneficio ob aëris temperiem et pluviam sufficientem extra ipsius facultatem positam: ita et opus bonum hominis ratione praediti est compositum quoddam ex ipsius electione et Dei virtute, qui quod melius est inspirat eligenti.« Quae quidem similitudo non est omnino adaequata, nam pluvia et aëris temperies non novam virtutem atque fecunditatem terrae tribuunt, sed eam, quae naturaliter inest, excitant, fovent, promovent; quare pluvia et aëris temperies gratiam potius externam repraesentant: ad scopum tamen sufficit, ut scil. ostendatur, hominem ad salutem suam operandam sibi non sufficere, sed indigere Dei gratia: cujus indolis vero sit haec gratia, alibi accuratius describitur a patribus. Eadem similitudine utitur Irenaeus II, 17 scribens: »Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, nec unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quae de coelo

est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic nos lignum aridum exsistentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia.« Assertum nostrum confirmat et Theodoretus in Philip. 1, 29: »Dona Dei Paulus vocavit et credidisse et splendide decertasse, non liberum tollens animi arbitrium, sed docens, quod ipsa per se mens aut voluntas gratia destituta nihil boni potest recte facere. Utroque enim opus est, nempe et nostra animi promptitudine et divino auxilio. Neque enim iis, qui animi alacritatem non habent, sufficit gratia Spiritus; nec animi prompta voluntas, si sit gratia destituta, potest virtutis divitias colligere.«

4. Prae ceteris accurate hanc doctrinam tradunt s. Anselmus et s. Bernardus, quorum ille ita disputat de conc. gr. et lib. arb. c. 5: »Si bene considerentur quae dicta sunt, aperte cognoscitur, quia cum aliquid dicit s. Scriptura pro gratia, non amovet omnino liberum arbitrium: neque cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quasi sola gratia aut liberum arbitrium solum sufficiat ad salvandum hominem . . . Ita quippe intelligenda sunt dicta divina, ut hoc excepto, quod dixi de infantibus, nec sola gratia nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5), non ait: Nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium, sed nihil potest (*al.* prodest) sine mea gratia. Et cum legitur: *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. 9, 16), non negatur in volente et currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur, non esse imputandum libero arbitrio, quod vult et quod currit, sed gratiae . . . Sicut ergo quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre nec nisi per matrem, non tamen removet ullus intellectus aut patrem aut matrem a generatione prolis: ita gratia et liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad justificandum et salvandum hominem.« — Plane vero aurea sunt Bernardi verba de grat. et lib. arb. c. 14 n. 47, quibus omnia, quae hucusque demonstravimus, confirmantur: »Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur; ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia coeptum est, pariter ab utroque perficitur; ut mixtim, non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.«

5. Denique idem evincit accurata actus salutaris analysis. Ejus enim characteres essentiales sunt, ut sit vitalis, alioquin non est noster; ut sit liber, secus enim meritorius non est ideoque nec laude dignus; ut sit supernaturalis, quo conducere possit ad salutem. Atqui supernaturalis non est, si voluntas sibi relicta ipsum elicit; liber vitalisque non est, si causa adaequata est gratia secluso voluntatis consensu. Ergo actus salutaris nec gratiae seorsim, nec seorsim libero arbitrio est adscribendus.

104. **Demonstratio p. IV.** Quare cum actus salutares neutri exclusive tribui possint, sequitur illos adscribi debere gratiae et libero arbitrio,

quatenus unam adaequatam constituunt causam, voluntati scil. gratia praeventae, praeparatae, auctae. Quocirca Augustinus disserens de bono pudicitiae ait c. Jul. l. 5 c. 16, hoc esse discrimen catholicos inter et pelagianos: „vos ipsius animi viribus hoc tribuitis, ego adjutae per Dei gratiam voluntati.“ Et sane hoc negari nequit, quin tota gratiae oeconomia funditus pervertatur. Ad quid enim Deus gratiam nobis concedit, nisi ad sublevandam roborandamque hominis impotentiam et insufficientiam ad actus salutares? Nonne potest homo post adeptam gratiam cum Paulo dicere: *Omnia possum* (sane ego) *in eo, qui me confortat* (Philip. 4, 13)? Ergo homo seu voluntas gratia aucta et roborata causa est adaequata actus salutaris. Unde corollarii modo sequitur, in quaestione, utrum gratia et voluntas agant simul actum deliberatum, an sit inter eas ordo prioritatis, negandum esse suppositum: haec enim quaestio locum habere tantum potest, cum duae reapse sunt causae distinctae quae agant.

105. **Scholion.** Disputant theologi subtiliter de indole influxus et activitatis, quam natura exercet in actus supernaturales, utrum scil. voluntas gratia praeparata ac roborata virtute propria et sibi nativa, distincta ab illa, quam ex gratia habet, immediate etiam concurrat ad actum, an tota activitas proxime sit a gratia, sicut ex. gr. in ferro ignito, cui combustio tribuitur, tota virtus comburendi est ab igne, ferro immediate et active ad eam non concurrente. Hoc posterius tuentur thomistae: alterum ceteri theologi, in quorum sententia potentia (intellectus et voluntas) non efficit actum salutarem solum gratia, qua elevatur, sed etiam sua innata virtute, non quidem seorsim a gratia, sed quatenus hac utpote insufficiens et incompleta, completur, ita ut ex potentia et gratia exsurgat unum principium proximum adaequatum, respectu cujus tam potentia quam gratia potest dici partiale principium, partialitate causae, non partialitate effectus, ac si gratia partem et voluntas alteram actus partem operaretur: sicut gladius, quo quis alium vulnerat, sua acie aliquid confert ad incisionem. Et merito, cum id sequatur ex illis testimoniis sive Scripturae sive patrum, in quibus de cooperatione nostra est sermo n. 101; 103 etc. et quibus monemur, ut etiam de nostro, proprio labore aliquid conferamus ad opus salutis, cujus rationem reddunt, quod nos non lapidum instar simus in salutis negotio. Atqui si tota activitas esset a gratia, non posset dici, nos cooperari, nos de nostro aliquid conferre: neque enim ferrum, si est ignitum, cooperatur igni neque lapis projectus motui, quo in altum movetur. Ad haec actus salutaris debet esse vitalis et liber; atqui vitalitatem et libertatem non habet a gratia, sed ex ipsa voluntate. Ergo haec immediate insita sua virtute in actum salutarem influit.

106. Unde *corollarii* instar sequitur **1.** gratiam non esse unicam mensuram perfectionis actuum salutarium deliberatorum, sed hanc pendere etiam a majori minorique conatu cooperationis voluntatis, quod constanter Scripturae et patres inculcant et concilium trid. sess. 6 cap. 7 clare docet. Sequitur **2.** voluntatem non esse causam mere instrumentalem in actibus salutaribus: de qua q. cf. Ruiz d. 33. Imo **3.** voluntatem dici posse quodam sensu causam principalem, quamvis obnoxiam et subordinatam, actus salutaris. Sicut enim causae instrumentalis proprium est ad agendum moveri et determinari:

ita causae principalis est se ipsam movere atque determinare. »Quod ab altero tantum agitur, inquit s. Thomas c. gentes III, 112, rationem instrumenti habet; quod vero per se agit, habet rationem principalis agentis.« Atqui liberum arbitrium ita praeveniente gratia agitur, ut ipsum tamen causa sit actualis suae electionis ac determinationis; est enim dominus suorum actuum. Ergo causae principalis praerogativam participat. Cf. egregie disputantem Bastida in congreg. de auxiliis apud Meyer V, 25; Ripalda d. 29; Mazzella d. 1 a. 7.

107. Verum nunc oritur quaestio palmaris catholicos inter et haereticos, utrum ita gratia voluntatem praeveniat praeparetque, ut illam ad actum salutarem determinet et determinando necessitet: an maneat voluntas sub gratiae influxu libera suique actus domina, adeo ut possit etiam gratiae resistere. Affirmat Ecclesia catholica impenseque tuetur voluntatis etiam sub gratiae influxu libertatem.

108. **Thesis CXCII.** ***Voluntas autem non ita gratiae praevenienti consentit, ut non possit etiam dissentire; quare sub gratiae influxu manet libera, neque ad unum determinatur.***

Declaratio. Secundum lutheranos, calvinianos et jansenianos gratia necessitatem infert voluntati, ideoque cum homo gratiae resistere non possit, non solum infallibiliter, sed et irresistibiliter ac necessario bonum operatur. Contra quos tamquam dogma fidei tenendum est gratiam non inferre necessitatem, sed sub gratiae influxu hominem manere liberum, adeo ut et dissentire possit, ut statuit conc. tridentinum sess. 6 can. 4: »Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, A. S.« Cf. n. 101. Quocirca damnata fuit ut haeretica prop. 3 Jansenii: »Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.« Damnatae fuere similes quoque prop. Quesnelli 10. 12. 13. 14. 16.

109. **Demonstratio. 1.** Probatur dogma catholicum verbis Eccli. 31, 8 ss.: *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.* Atqui hic sermo est de eo, qui sub gratia est constitutus, ut patet fere ex singulis incisis, cum homo gratia destitutus neque *beatus* praedicari, neque *sine macula* esse, neque eleemosynas salutares facere, neque legem integram servare possit; et simul sermo est de eo, qui non obstante gratia non est ad unum determinatus, sed in sua potestate habet agere quod vult; ideoque laudatur, quod cum potuerit malum agere, egerit bonum. Ergo homo sub gratia constitutus manet liber, nec gratia ad unum determinat.

2. Gratia ad unum determinans excludit electionem, defectum cooperationis, nullum relinquit locum exhortationi. Atqui in divinis literis hominibus gratia praeventis facultas adscribitur eligendi. Eccli. 15, 16 ss.: *Si volueris mandata servare: conservabunt te . . . Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi;* Deut. 30, 19: *Testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum;* cf. Jos. 24, 15. 22; Matth. 19, 17. 21; 1. Cor. 7, 37; Is. 50, 16. 20 etc.; monentur homines, ut gratiae strenue cooperentur; Philip. 2, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* [1]); 2. Petr. 1, 10: *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* cf. etiam Hebr. 12, 12; Apoc. 3, 18. 20; 22, 17 etc.; ideo autem monentur, quod ex defectu cooperationis fieri possit, ut gratia maneat vacua; 2. Cor. 6, 1: *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* Matth. 23, 37; Act. 7, 51 etc.; et haec cooperatio exhibetur subinde ita difficilis, ut Christus testetur Matth. 7, 14 arctam esse viam, quae ducit ad vitam, adeo ut pauci illam arripiant, quod in hypothesi gratiae necessitantis immerito diceretur. Ergo gratia ad unum non determinat, neque perimit libertatem.

3. Probatur ex controversia cum pelagianis; neque enim **a.** controversia cum his erat de libero arbitrio, sed de hujus sufficientia in ordine salutis, utrum scilicet ex se, an ex gratia sufficiens esset ad opera salutaria; non de gratia necessitante, sed de gratiae necessitate. Quare **b.** Augustinus ut calumniam rejicit pelagianorum exceptionem, catholicos negare liberum arbitrium. Nomine vero **c.** liberi arbitrii omnes intelligebant facultatem immunem a necessitate suique juris, neque enim ulla de hac ejus dote erat controversia. „Liberum in hominibus esse arbitrium, inquit de nupt. et concup. l. 2 c. 8, . . . utrique dicimus. Non hinc estis coelestiani et pelagiani. Liberum autem esse quemquam ad

---

[1]) Praetermittere non possumus praeclarum h. l. commentarium Segneri Manna dell'anima ad d. 2. Maji, quo ostendit omnes fere hac in materia errores Pauli verbis damnari. Contra eos scil. qui opinantur homines sola fide salvari, urget Ap. *Vestram salutem operamini;* iis qui sibi certitudinem suae justitiae et electionis vindicant, in memoriam revocat *metum* et *tremorem,* quo salutem suam operari debeant. Pelagianos salutem viribus naturae tribuentes docet: *Deus est qui operatur in nobis;* semipelagianis vero, qui initium saltem asserebant viribus naturae, opponit: Deus operatur in nobis non solum *perficere* sed et ipsum *velle.* Sed ne quis perseverantiam saltem adscribat virtuti naturali, *perficere* etiam gratiae esse affirmat. Ad excludenda merita naturalia praedicat: *Operatur* (Deus) *in vobis velle et perficere pro bona voluntate.* Ita paucis verbis complectitur doctor gentium universam fere de gratia actuali doctrinam.

agendum bonum sine adjutorio Dei . . . hoc vos dicitis, hinc estis coelestiani et pelagiani.“ Et ep. 47: „Fides sana catholica neque liberum arbitrium negat sive in vitam malam, sive in vitam bonam: neque tantum ei tribuit, ut sine Dei gratia valeat aliquid:“ et saepe alibi. Ergo cum nulla esset controversia de libertate, sed de gratiae necessitate, doctrina erat catholica, non obstante gratia hominem manere liberum.

4. Doctrina est patrum Scripturis nixa, gratiae esse sicut generatim hominem refingere et revocare ad pristinum statum, e quo lapsus est Adam, ita speciatim restaurare et reformare liberum arbitrium peccato originis infirmatum et inclinatum. Hinc Augustinus op. imperf. VI, 11 relatis verbis Innocentii I. ad patres concilii milevit. ep. 30 n. 4: „Ergo Dei gratiam conantur auferre (pelagiani), quam necesse est etiam restituta nobis status pristini libertate quaeramus.“ „Audis, prosequitur, restitui libertatem, et non periisse contendis, atque humana voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas nostra etiam in statum pristinum restituta sibi esse intelligit necessariam?“ Atqui profecto Adamus sub gratia fuit liber fatentibus ipsis adversariis. Ergo et homo lapsus est liber sub gratia. Cf. Fontana Bulla ‚Unigenitus‘ ad prop. 25 et 39—42.

5. Omissis disertis patrum contra hanc haeresim effatis ex revelationis doctrina est manifestum, gratiam virtutem suam non adversus liberum arbitrium exserere, illud opprimendo et evertendo, sed pro libero arbitrio ipsum juvando, firmando, perficiendo. „Opitulationes divinae gratiae, inquit bene Prosper c. Collat. c. 18 n. 3, stabilimenta sunt voluntatis humanae.“ Atqui secundum Thomam 1. p. q. 83 a. 3, „proprium liberi arbitrii est electio: ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere.“ Ergo et voluntas sub influxu gratiae retinet eligendi facultatem. „Neque enim, inquit ad rem Augustinus ep. 157 c. 2, voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur.“ Et sane tantum abest, ut gratia necessitatem inferat, ut potius compedes removeat, obstacula tollat, libertatem liberet secundum verba Christi Joan. 8, 26.

Huc pertinent patrum testimonia allata n. 89. 93[2] et Petri diaconi verba de incarn. et gr. c. 6: „Ut ergo falsa libertas fieret christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, qua posset per ejus gratiam ab occupationibus humanis aversa ea cogitare et considerare, quae pertinent ad vitam aeternam. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare et desiderare humana, non autem potest cogitare et velle aut desiderare divina.“ Quo in doctrinae capite consentit ecclesia graeca schismatica cum Ecclesia catholica. Nam in orthodoxae fidei confessione ecclesiae orientalis a Parthenio patriarcha CP. comprobata ad q. 27 ita statuitur: „Quamvis et ipsa hominis voluntas peccato originis misere labefactata fuerit, nihilominus etiam praesenti hoc tempore in cujusque arbitrio positum esse, ut bonus Deique filius sit aut e contrario improbus

filiusque diaboli. Hoc omne, inquam, in manu atque potestate hominis situm est: ita tamen, ut in bonum divina gratia hominis adjutrix sit, eumque item a malo retrahat, at non ut arbitrium hominis necessitate illata compellat.« Nae, ille ne tenuissimam quidem gratiae ideam habet, qui eam necessitantem fingit!

110. Nominatim contra Jansenium urgemus can. 4 sess. 6 conc. tridentini (n. 108), cujus vim frustra evadere conatur inepto plane commentario, definiri nimirum illo canone, hominem dissentire posse, „si velit", non tamen posse hominem sub gratia constitutum velle dissentire. Nam **a.** haec sophistica exceptio adversatur usui loquendi, secundum quem phrasis „posse aliquem aliquid facere, si velit", duo significat: dependentiam actionis a voluntate et potentiam expeditam volendi pro lubitu. Et sane **b.** concilium si voluisset definire hominis sub gratia libertatem, eam clarius docere non potuisset. Ad haec **c.** admissa janseniana explicatione inutilis esset canon contra Lutherum et Calvinum statutus. Hi enim non negabant cooperationem necessitate extortam, sed liberam a nutu voluntatis pendentem. Praeterea **d.** secundum illam explicationem liceret pariter dicere, Deum posse peccare, si velit ideoque esse liberum ad peccandum: quae loquendi ratio omnino abhorret ab auribus christianis [1]). Quare **e.** in cap. 5 (n. 101) parallelo omittuntur verba ‚si velit'. Ita enim legimus: „neque homo ipse nihil omnino agit inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest." Ergo absolute verum est, hominem sub gratia constitutum posse dissentire, quod secundum Jansenii explicationem falsum est. Ergo secundum conc. tridentinum gratia necessitatem non infert. Cf. Bastida apud Meyer VI, 9.

111. **Thesis CXCIII.** ***Nexus inter gratiam boni operis liberamque eorum, qui bene operantur, voluntatem, non est ex sese infallibilis, sed ejusmodi, qui cum de facto adsit, abesse quoque potuerit.***

Declaratio. Jam alia controversia oritur longe subtilior, quae incolumi manente dogmate catholico aliter atque aliter a theologis catholicis solvitur: utrum scil. voluntas gratia praeventa et ad actum salutarem praeparata ita ad agendum moveatur, applicetur, inducatur, ut ex interna gratiae virtute opus bonum infallibiliter sequatur, fierique nequeat, ut manente eadem gratia et ad bonum impulsu, illud non sequatur; an potius

---

[1]) Belle jam Th. Waldensis doctrin. t. 1 l. 1 c. 15 simile sophisma wicleffitarum irridet: „Sub hac glossa communi „potest si vult« sedent omnes wicleffitae securi, non tamen sicut Elias sub juniperi umbra, sed sicut Jonas sub hedera. Accedat igitur vermis ille, qui est prima veritas, mentiar, si radices hujus glossae non comedat, unde herba marcescat. Cur negas Deum posse majorare mundum, quod tamen potest si vult? An tunc non potest, si cum vult potest? Non, inquis. Cur hoc? Quia non vult et nihil potest nisi volens. Jam ecce supposui tibi quod velit? Non, inquit, potest velle, sed si vult potest."

contingere possit, ut cum eadem plane gratia unus bene operetur, alter vero opus omittat: adeo ut nexus inter gratiam boni operis et ipsum opus non sit ex se infallibilis, non pendeat ex ipsa interna gratiae virtute, sed a consensu liberae voluntatis; seu aliis verbis, utrum gratia ex sese internaque sua virtute sit efficax ipsius boni operis: an sit quidem ex sese efficax efficacia virtutis, non vero efficax ex se efficacia boni operis, quod hujus cum illa nexus pendeat a libera voluntate, quae possit manente eadem gratia eidem non cooperari bonumque opus omittere. Gratiam ex sese esse efficacem affirmant innumeri gravissimique theologi, sed etiam quam plurimi non minoris auctoritatis negant.

112. Qui gratiam ex se efficacem tuentur, pro varietate systematis, cui inhaerent, aliter atque aliter hanc efficaciam explicant. Bañesianorum (qui sibi immerito sinceri et genuini thomismi privilegium vindicant) sententia ad haec revocari potest principia: **1.** Deus est omnium prima causa, primus omnium motor, ad quem omnes revocantur motus, ideoque etiam omnes volitiones actionesque humanae: nam voluntas ex se ad agendum est indifferens. Neque solum idcirco **2.** ad eum revocari debent omnes actiones, quod creatura rationalis ab ipso habet potentiam volendi agendique, sed quia habet ipsum quoque actum. Sicut instrumento ad agendum non sufficit aptitudo, sed requiritur ejus applicatio: ita voluntati, quae ex sese est indifferens, non sufficit τὸ posse (quod ad actum supernaturalem confertur a grati sufficienti), sed ad opus moveri et applicari a Deo debet. Haec vero **3.** applicatio dicitur praemotio physica, estque actio divina, qua potentia rebus creatis naturaliter vel supernaturaliter indita modo naturae agentis consentaneo ad agendum applicatur, seu ut eam definit Gonet, est »actio Dei, quae voluntatem humanam, priusquam se ipsa determinet, ita ad actum movet insuperabili virtute, ut voluntas nequeat omissionem sui actus cum illa praemotione conjungere.« Dicitur autem motio, quia fundatur in praerogativa Dei, qua est primus motor; dicitur praemotio, quia praecedit actum voluntatis, non quidem tempore, sed prioritate naturae seu causalitatis et dependentiae. Dicitur praemotio physica, »non quod forma naturalis sit, inquit Gonet Clypei theol. disp. 9 a. 5 § 1, seu per modum naturae ad unum determinans (absit), sed quia ex propria essentia et ab intrinseco est efficax, independenter a quocunque creato consensu: quod est esse physicum theologice, non philosophice;« seu ut condistinguatur contra illam, quae est moralis. Qua **4.** praemotione posita certo et infallibiliter vi ipsius sequitur actus, sed absque ulla libertatis laesione in natura rationali: imo ea potius libertatem perficit. Deus enim **5.** praemovendo et praedeterminando causas secundas illis se accommodat pro earum indole et natura, adeo ut necessariae necessario, liberae libere agant. Consensus tamen liber semper est effectus efficaciae et nunquam causa, adeo ut »semper sit verum dicere arguendo a priori, ideo hominem consentire, quia gratia est efficax; nunquam vero ideo gratiam esse efficacem, quia homo consentit: alioquin Deus non esset causa prima et immediata hujus consensus, consequenter nec salutis, et creatura sibi hanc praerogativam arrogaret. Igitur ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo ejus dominio super voluntates nostras haec gratia habet suam vim et infallibilem efficaciam.« Ita Billuart de gr. 5 a. 2 § 2. Hinc **6.** explicantur corollarii modo omnia discri-

mina, quae intercedunt inter bañesianos et molinistas. Sequitur enim ex illorum opinione **a.** si duo iisdem auxiliis praeveniuntur, utrumque vel consentire vel dissentire; **b.** gratiam efficacem et sufficientem objective, entitative, intrinsecus differre; **c.** gratiae efficaciam unice pendere a gratiae indole et natura, eamque **d.** physicam omnino esse, non consistere in causalitate morali; **e.** praedestinationis certitudinem pendere ab ipsa gratia: quae omnia molinistae negant. Cf. Bastida VI, 6. Lege disquisitionem accuratissimam Selbstzeichnung der thomistischen Gnadenlehre auctore M. Limbourg S. J. in fasc. lit. Zeitschrift für kath. Theologie Oeniponti 1877 pag. 161 ss.; Morgott KL.[2] I, 1948 ss.; Frins s. Thomae Aq. doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata. Parisiis 1893 § 2 a. 1.

113. Secundum augustinianos aliosque gratiae efficacia in praesenti rerum ordine consistit in delectatione relative victrice seu in caritate, quae sua graduum intensione superet contrariam cupiditatis delectationem. Hi distinguuntur a bañesianis, qui praemotionem tuentur physicam, cum ipsi admittant moralem tantum; a jansenianis vero, quod negant hanc delectationem inferre necessitatem, licet ea posita actus vi ipsius infallibiliter sequatur sive ob contemperationem et congruentiam gratiae cum hominis indole sive ob delectationis excessum: neque enim ejusmodi in casibus nexum certum et infallibilem adversari censent libertati. Sicut enim homo prudens deliberatione praemissa nunquam nudus incedit per plateas, etsi ad hoc liber: ita voluntas aucta gratia, quae est, ut cum Augustino loquamur, »occultissima, interna, mirabilis ac ineffabilis potestas, inspiratio flagrantissimae ac luminosissimae caritatis, voluntas efficacissima ac omnipotentissima, quae ex nolentibus volentes facit humanasque agit voluntates insuperabiliter et indeclinabiliter [1]),« tanto dono illustrata et a compedibus, quibus erat obnoxia, liberata, eliget omne id, ad quod talis gratia inducit. Cf. Berti de theolog. discipl. l. 14 c. 8 prop. 4; Noris diss. janseniani erroris calumnia sublata op. III, 1057 ss.; Mazzella d. 3 a. 5. 6.

114. Alia systemata ad alterutrum ex his plus minusve accedunt. Ita Thomassinus tr. 3 de consensu scholae de gr. c. 18 quod augustinianenses uni adscribunt gratiae, auxiliorum tribuit cumulo, quibus Deus gradatim hominis expugnat voluntatem, »quorum quidem singula seorsim frustrari possunt, at universa obstinatissimos quosque fatigant tandem et multitudine, conspiratione, indefessa oppugnatione sua ad assensum pertrahunt.« — Alii cum Alph. Moyne, Ysambert, Tournely, s. Alph. Liguori, Knoll etc., quo facilius omnes expediant difficultates atque dissidia de gratiae efficacia componant, duplicem admittunt gratiam, aliam ex voluntatis consensu, aliam ex sese atque intrinsecus efficacem; illam potissimum dari censent ad opera faciliora, praesertim ad orationem: qua si homo bene utitur, impetrabit gratiam ex sese efficacem ad opera difficiliora, ad perfectam hominis conversionem. Cf. Habert l. 2 c. 15; du Plessis d'Argentré in diss. de multi-

---

[1]) Cf. testimonia apud Berti mox cit. c. 9. Sed quis non videt, has Augustini descriptiones gratiae non posse applicari omni gratiae boni operis. Utinam ne fierent a theologis ejusmodi saltus, quibus contra omnem logicam, quod de singularissima aliqua gratia est dictum, affirmatur de quacunque gratia boni operis, v. gr. de gratia ad qualemcunque oratiunculam. Cf. infra n. 130[5].

plici genere div. gratiae ejusque partitionibus apud antiquos theologos; Zeitschr. für k. Theol. Oeniponti 1879 III, 585.

115. Verum praeferenda videtur ea sententia, quae statuit, gratiam boni operis (saltem in genere) ex sese non esse ita efficacem, ut ea posita infallibiliter (praecisione facta a divina praescientia), insuperabiliter, indeclinabiliter sequatur actus salutaris: fieri enim posse, ut si duo eadem plane gratia praeveniantur, ea in uno sit efficax, in altero propter cooperationis defectum careat effectu: ideoque ex gratia inferre non licere consensum, sed eam denominari efficacem ex consensu, qui manente eadem gratia abesse etiam possit.

116. **Demonstratio.** Sententiam nostram probant omnia fere ea, quibus th. praecedentem vindicavimus. Sed et aliis utemur argumentis.

Primum argumentum ex divinis literis, et quidem **a.** ex Matth. 11, 20: *Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Hic testatur Christus, illam eandem gratiam, quae in incolis Tyri et Sidonis futura fuisset efficax, fuisse inefficacem in Bethsaidae incolis. Dicimus, eandem gratiam: quam primum enim supponitur Christum non loqui de eadem plane gratia, vel tyrios in hypothesi praedicationis Christi habituros fuisse praemotionem physicam vel delectationem victricem, qua carebant, ut eventus ostendit, incolae Bethsaidae, Christi reprehensio non fuisset aequa. Nexus ergo inter gratiam et bonum opus non est ex virtute gratiae infallibilis, individuus.

b. in 2. Cor. 6, 1 hortatur Paulus corinthios, *ne in vacuum gratiam Dei recipiant.* Ex quibus verbis ita instituit Bastida argumentum (VI, 8): „Gratia, de qua Paulus loquitur, talis est entitatis, cui non repugnet in vacuum recipi seu effectu carere, postquam in voluntate posita est. Sed gratia, de qua Paulus in hoc testimonio loquitur, est gratia efficax. Ergo gratia efficax talis est entitatis, cui non repugnet in vacuum recipi et effectu carere postquam in voluntate posita est.“ Singula dein nervose probat. Et revera s. Paulus l. c. clare docet eandem gratiam esse posse vacuam et frugiferam, idque a nostra cooperatione pendere; ideo enim ad hanc exhortatur. Ergo gratia non est ex se efficax.

c. Docent Scripturae et patres, Deum voluntates gratia praeventas exspectare, ut fructus edant salutis. Atqui haec loquendi ratio manifesto ostendit, nexum inter gratiam et bona opera non esse ex se infallibilem, individuum, sed talem, qui pendeat a voluntatis cooperatione. Cf. Isai. 5, 1 ss., ubi inter alia Deus haec ad populum Israel dicit: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei? an quod exspectavi, ut faceret uvas et fecit labruscas?* ex quibus verbis ita arguit Bastida: „Deus non dedit judaeis . . . auxilium physice praedeterminans ad bona opera facienda (alioquin secundum thomistas haec non potuissent deesse). Sed nihilominus affirmat Deus, se fecisse his judaeis omnia quae debuit et se exspectasse ab eis bona opera, et conque-

ritur de illis, eosque punit, quia mala opera fecerunt. Ergo nec ad facienda bona opera, quae non fecerunt, necessarium erat eis auxilium physice praedeterminans, nec ad facienda mala, quae fecerunt, praedeterminavit illos Deus.« Singula iterum solide probat. Ad hoc argumentum videtur responderi non posse, quin torqueantur verba textus et contra omnem naturalem et obvium sensum explicentur. Peto responsum quod intelligatur! Apoc. 3, 20: *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo et ipse mecum;* Matth. 23, 37: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti;* Prov. 1, 24; Rom. 2, 4 ss. Ita Augustinus in Ps. 144 n. 11: »Vocat te nunc, exhortatur te nunc, exspectat, donec resipiscas, et tu tardas?« Cf. eundem Bastida ex verbis Eccl. 15, 14 invicte disputantem.

117. *Secundum argumentum* ex verbis conc. tridentini sess. 6 cap. 5 (n. 101) et can. 4 (n. 108), ubi certe sermo est de gratia boni operis, qua peccatores praeventi et adjuti ad justificationem se disponunt. Atqui hac gratia etiam posita et in voluntatem recepta asseritur non solum dissentiendi potestas qualiscunque, sed expedita et praesente gratia reducibilis in actum: haec enim ex constanti usu loquendi vis est formulae ‚potest si velit' (n. 110). Ergo ex conc. tridentini sententia non ita efficax est gratia boni operis, ut ea posita ex sese infallibiliter, indeclinabiliter, insuperabiliter sequatur bonum opus: hoc enim ea praesente deesse quoque potest.

Scimus equidem thomistas definitionis tridentinae (et similium testimoniorum s. Scripturae patrumque) vim effugere celebri distinctione sensus compositi et divisi: qua adhibita contendant, omnia ejusmodi testimonia esse vera in sensu diviso, absente scil. gratia posse revera adesse actum contrarium ei, ad quem gratia determinet, non autem simul cum gratia boni operis in compositione cum ea, in sensu composito: impossibile enim esse ut simul sit assensus et dissensus. Propterea conc. tridentinum tantum definisse, hominem a gratia motum et excitatum posse dissentire si velit, scil. una cum gratia manere potentiam dissentiendi (non autem posse esse dissensum seu dissentiendi actum), quae potentia actuabitur vel actuari poterit aliis in adjunctis, absente gratia. Verum **a.** haec explicandi ratio est contra omnem sensum obvium, naturalem, humanum. Quotiescunque enim ad significandam alicujus libertatem ad contraria dicitur: qui sedet potest ambulare, qui bene agit potest male agere, non solum significatur cum sessione manere potentiam ambulandi, sed praeterea eam ita esse expeditam, ut sedens quam primum velit, possit cessare a sessione, ut utatur pro libitu potestate ambulandi. Alioquin possem etiam dicere: vinctus potest ambulare, liber ergo est ad ambulandum; beati possunt peccare, ergo sunt liberi ad pecandum; infans potest resistere giganti trahenti (nam certe potest resistere et resistit, si gigas non trahat), lapis projectus potest non moveri, quae tamen loquendi ratio non obtinet. Hinc ipse s. Thomas de Verit. q. 17 a. 3 fatetur: »Ille qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco, ubi ligatus est, et aufertur ei potestas ad alia divertendi.« Deinde **b.** ad rem ita disputat Bastida (V, 41): »Duo ibi concilium definit: posse nimirum arbitrium recipere et posse abjicere in-

spirationem: at primum illud de vocationis receptione debet necessario intelligi in sensu composito: non enim recipitur inspiratio, quae non est: ergo in eodem sensu accipiendum est secundum de potestate abjiciendi inspirationem. Praeterea **c.** »verba illa abjicere et dissentire sensum compositum involvunt et divisum excludunt. Quis abjicit (vel abjicere potest) gratiam, quam non habet? Quis dissentit inspirationi, quam non sentit? Quis resistit vocationi, qua non pulsatur? De eo qui non habet vocationem ad religionem, dici potest, noluisse ingredi religionem, non tamen dici potest restitisse religiosae vocationi, quandoquidem eam non habuit« etc. Quod si ea distinctio **d.** semel admittitur, jam nihil est quod concilium adversus lutheranos et calvinianos definiit; nam synodus non erat sollicita, ut definiret hominem absente gratia posse ponere dissensum, de quo nulla erat controversia; sed docere voluit praesente gratia, una cum gratia posse esse dissensum, hinc in sensu composito, quod negabant haeretici: si vero docuisset praesente gratia impossibilem esse dissensum, quod virtute gratiae voluntas ita potenter ad agendum determinaretur, ut dissensus conciliari cum ea non posset, nulla opus fuisset definitione, cum id ultro concederent adversarii. Cf. Bastida l. c.; VI, 9; Limbourg l. c. pag. 125 ss. et egregie De San de Deo I p. 3 c. 8 pag. 745 ss.

118. *Tertium argumentum* derivatur ex patribus, quorum doctrinam Bastida ad quinque capita revocat (VI, 12). Rejiciunt enim **a.** diserte vel verbis aequipollentibus omnem praedeterminationem tamquam nostrae libertati contrariam. Ex multis speciminis gratia sint Damasceni verba F. O. II, 30: „Illud scire interest, Deum omnia quidem praescire, sed non omnia praefinire. Praescit enim ea quae in nostra potestate sunt: at non item ea praefinit. Nec etiam malitiam patrari vult, nec rursus virtuti vim affert.“ Docent **b.** in nostra potestate esse sub gratia constitutos agere vel non agere, gratia uti vel non uti. Legantur n. 101 verba plane perspicua s. Hieronymi. Testantur **c.** fieri posse et fieri subinde, ut cum eadem gratia alius convertatur, alius non convertatur. Consulatur idem Hieronymus n. 81 [3]. Affirmant **d.** non ideo futuros esse actus liberos, quia Deus eos praesciat, sed ideo Deum eos praescire, quia futuri sint. Ita s. Cyrillus al. in Jo. 10 l. 9: „Non ergo ut adimpleatur Scriptura, nec ista de causa facta sunt (quae praedicta legimus in s. Scriptura) a quibusdam, quia Scriptura praedixit, sed contra; quoniam ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco praesciens Spiritus s. futura praedixit.“ Cf. II n. 73. Denique **e.** cum patres exponunt, qua ratione Deus voluntates moveat, non recurrunt ad praemotionem physicam, sed ad media, quibus voluntatem moraliter moveat, suadendo scil., hortando, monendo etc. ut patet evidenter ex eorum doctrina infra n. 123. 124 afferenda. Atqui cum his quinque doctrinae capitibus conciliari nequit gratia ita ex se efficax, ut ea posita indeclinabiliter, infallibiliter, insuperabiliter sequatur bonum opus. Non est ergo ejusmodi gratia ad mentem ss. patrum.

119. Quod speciatim s. Augustinum attinet, tuemur, ipsius quoque doctrinae gratiam ita ex se efficacem adversari, nam passim docet **a.** nostrum

esse sub gratia ei assentire vel ab ea dissentire, ut cum scribit de gestis cum Felice manich. II, 4: »Habet unusquisque in voluntate aut eligere quae bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quae mala sunt et esse arbor mala;« cf. supra 80[6]; **b.** Deum exspectare opera bona a nobis gratia praeventis n. 116[c]; **c.** agere ut agamus suadendo, alliciendo etc. n. 123; imo **d.** casum expendens de duobus eadem gratia praeventis, censet fieri posse, ut unus ea juvetur, alter ei desit. Huc spectat celeber locus de civ. Dei XII, 6, ubi ponit »duos aequaliter affectos animo et corpore videre unius corporis pulchritudinem: qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret.« Tum quaerit, quid causae sit, cur unus consentiat, non vero alter. Respondet: »Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis et animae affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo: ambobus pariter institit occulta tentatio.« Manifestum est ergo, nexum gratiam inter et liberum arbitrium non esse ex vi gratiae infallibilem: alioquin hoc in casu uterque vel neuter stabilis permansisset in voluntate pudica, vel non aequaliter fuissent affecti animo et corpore, cum unus caruisset praemotione physica, qua alter praeditus supponitur. Gratia igitur non est ex sese et interna virtute efficax efficacia operis. Cf. de hoc textu Dechamps l. 3 disp. 8 c. 2; de s. Augustini doctrina Bastidam l. c. VI, 11.

120. *Quintum argumentum* adversus opinionem de gratia ex se efficaci, praesertim adversus praemotiones physicas, colligitur ex ratione eaque multiplici theologica. Sane **a.** secundum dogma catholicum praeeuntibus Scriptura et patribus, homo sub influxu gratiae illius, quam Deus ad bene agendum confert, ita est dominus suorum actuum, ut in ipsius potestate sit agere vel non agere: manet enim sub gratia liber. Atqui si gratia boni operis praedeterminat voluntatem, ita ut posita hac praemotione vi ipsius infallibiliter et insuperabiliter, imo irresistibiliter sequatur bonus actus, non videtur amplius in expedita hominis potestate esse pro lubitu agere vel non agere, pro nutu se ipse determinare: neque enim voluntas a principio superiori et externo ab ipsa prorsus independente indeclinabiliter praemota ad actum bonum videtur amplius pro nutu se ipsa posse determinare, quod tamen de essentia est libertatis, cujus est, positis omnibus ad agendum requisitis, ideoque posita etiam gratia boni operis, agere vel non agere. „Dominium enim, inquit Thomas c. gentes I, 68, quod habet voluntas supra suos actus, per quod est in ejus potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum; et in 2. d. 28 q. 1 a. 1: „Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc aut illud.“ Quomodo vero non est determinata ad unum, si praemotione divina ab ipso non pendente indeclinabiliter applicatur ad opus bonum et quidem in gradu prorsus definito, adeo ut etiam ab hac praemotione indeclinabiliter et irresistibiliter pendeat ipse intensionis gradus?

Ad haec **b.** omnes qui carent praemotione physica (seu generatim gratia ex se efficaci) carent gratia quoque sufficienti. Atqui hoc adversatur fidei, alioquin nulla daretur gratia interior, cui resisteretur, quod tamen tamquam de fide tenendum est ex prop. 2. Jansenii: „Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur," quae declarata est haeretica; adversatur Scripturis, patribus, sensui totius christiani nominis (cf. n. 85). Ergo admitti nequit praemotio physica seu generatim gratia ex se efficax.

Probatur prop. major: Qui enim caret praemotione physica, in aeternum nequit ponere actum salutarem, quia deest elementum absolute ad agendum necessarium i. e. praemotio physica: nam nonnisi vocum abusu dicere licet, illum posse agere, cui deest elementum essentialiter requisitum ad agendum. Sic nemo dicet hominem in tenebris constitutum posse videre, ita ut nonnisi per ipsum stet, quod non videat; sacerdotem pane prorsus destitutum posse consecrare, adeo ut ipsi vitio vertendum sit, si non consecret; infantem posse ratiocinari, studere, loqui, propter solam potentiam, cui tamen desunt quae requiruntur ad actum. Ergo qui caret praemotione physica dici nequit, si humano saltem more loqui velimus, posse salutariter agere. Atqui hoc omnino tenendum est de eo, qui habet gratiam sufficientem: ei enim imputatur si non bene agit. Ergo. Neque dicatur, in hominis potestate esse, habere praemotionem physicam, si scil. gratiae sufficienti non resistat. Si enim adversarii hoc utantur effugio, sibi contradicunt et quin velint incidunt in sententiam, quam penitus aversantur. Nam α. secundum ipsos gratia sufficiens dat tantum posse, non ipsum agere. Atqui homo absone dicitur resistere illi, quod tantum dat posse habituale, non ipsum agere: sic inepte quis dicitur resistere alteri, qui potest quidem ipsum impugnare, sed actu non impugnat. Deinde β. haec non resistentia voluntatis, qua obtinetur gratia efficax, continetur vel aliquo actu, vel mera actus omissione. Atqui mera actus omissio esse nequit: resistere enim evidenter actum positivum significat et psychologice explicari nequit sola actus omissione. Si vero ista non resistentia continetur aliquo actu, is certe erit bonus et salutaris, quia eo obtinemus gratiam ex se efficacem. Ergo ad eum etiam necessaria erit gratia ex se efficax, praemotio physica, quae a nobis est independens. Si vero iterum refugiunt ad priorem gratiam sufficientem, cui non resistimus, eadem redibit quaestio. Sed hac responsione omissa, in aliam incidimus γ. difficultatem. Ista gratia sufficiens secum trahit gratiam efficacem si non resistimus: si vero resistimus non connectitur cum gratia efficaci, et en proh dolor! jam sumus molinistae. Habemus scil. gratiam, quae pro resistentia vel non resistentia voluntatis creatae est inefficax vel efficax, disjuncta scil. a gratia boni operis, quam Deus dando gratiam sufficientem conferre intendit, vel cum gratia boni operis conserta.

Insuper **c.** admissa praemotione physica, sequitur Deum hominem praedeterminare indeclinabiliter, irresistibiliter, insuperabiliter ad opera mala et ad peccata; illam enim bañesiani exigunt ad omnes creaturarum actiones, cum ejus necessitas pendeat a Dei praerogativa, qua est omnium primus motor. Atqui si Deus ad opera mala praedeterminat, praesertim ad actus, a quibus ratio peccati est inseparabilis, ut sunt odium, blasphe-

mia Dei etc., non videtur Deus excusari posse a peccato, vel si excusatur, eodem modo posset excusari voluntas humana. Desistimus ab evolvendo hoc argumento, ne invidiam conflare videamur praedeterminantium systemati. Cf. illud cum aliis egregie expositum a Bastida l. 6 c. 17; Limbourg Zeitschrift etc. 4, 34 ss.; Billiot de Deo p. 200.

Ceterum **d.** id unum notamus, discrimen inter eos, qui tuentur gratiam ex se efficacem, et eos, qui hanc gratiae efficaciam negant, potius esse theoreticum quam practicum, ac saepe consistere in verbis tantum. Omnes enim, qui catholice docere, sentire et loqui volunt, concedunt, gratiam non perimere liberum arbitrium, hinc hominem sub gratia manere liberum; eum gratiae posse resistere, ipsius esse gratiae cooperari; imo omnes in suis ad populum concionibus, in libris asceticis, in praxi, etiamsi acerrime propugnent in theoria praemotionem physicam, loquuntur juxta sententiam Molinae et Lessii, nostrum scil. esse gratia uti, a nobis pendere post gratiam profectum in virtute, Deum exspectare nostros conatus, nobis satagendum esse, ut per bona opera certam faciamus nostram electionem, nos a gloria nobis proposita socordia nostra posse excidere etc.: quae propositiones inscite vel ob cordis angustias a nonnullis semipelagianae censentur, nam rite intellectae plane catholicae sunt, cum in omnium versentur ore et in praxi quotidie inculcentur. Magnum, imo praecipuum veritatis argumentum! Praeferendum omnino videtur systema, quocum concordat praxis, modus loquendi quotidianus et unice aptus ad excitandos homines ad omne virtutis studium, illi theoriae, a qua plus minus dissentit praxis modusque practicus instituendi populum christianum, et secundum quam nulla concio haberi potest apta et efficax ad desides excitandos ad conversionem, poenitentiam, cooperationem cum gratia, quin se possint excusare defectu gratiae efficacis vel se socordiae dare, donec fruantur optata praemotione physica.

121. Neque favet efficaciae gratiae ex praemotione physica obortae s. Thomas, quidquid reclamant bañesiani. »Haec est enim gratia, inquit ad rem Bastida VI, 6, quam cum propriis humeris sui auctores ferre non possent, s. Thomae nomini portandam imponunt, ipso tamen angelico doctore manibus pedibusque renuente.« Sane **a.** etsi doctor angelicus saepissime dicit, Deum determinare causas secundas, movere voluntatem, nunquam tamen dicit, eum praedeterminare voluntatem ad actus liberos, salutares etc., qua locutione nihil frequentius apud hos auctores! imo **b.** hoc negat in 2. d. 25 q. 1 a. 1 ad 3: »Deus operatur in omnibus, ita tamen, quod in unoquoque secundum ejus conditionem; unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi et sicut determinans naturam ad talem actionem; in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret et ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui actus.« Et in 2. d. 39 q. 1 a. 1: »Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est

ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate;« a. 2. Ideo vero **c.** negat Deum voluntatem praedeterminare, quod homo alioquin non esset liber. »Non esset homo, inquit ib. d. 28 q. 1 a. 1, liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret;« et iterum ib. d. 25 q. 1 a. 1: »In solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus;« et ad 1. Nam secundum ipsum de verit. q. 22 a. 6, »necessarium dicitur, quod immutabiliter ad unum determinatum est.« Cf. insuper 1. 2 q. 10 a. 4 etc. Atqui secundum bañesianos posita praemotione physica sequitur immutabiliter actus et quidem ille unus ad quem determinatur voluntas. Ergo actus bonus et salutaris non est liber, judice s. Thoma, in hac hypothesi, quod catholice affirmari nequit.

Quod si **d.** Deus movet voluntatem, ita eam movet, ut ipsa huic motioni possit resistere, quod inauditum in theoria praemotionis physicae. »Deus movet omnia, ita ille quodl. 1 a. 7 ad 2, secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita; et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere (ergo in sensu composito): et sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam praeparet; sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine secundum illud Osee 13: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.*« Alia etiam ratione conciliat motionem Dei, quae ad agendum est necessaria, cum hominis libertate 1. 2 q. 9 a. 6 ad 3: »Dicendum quod Deus movet voluntatem (hominis) sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquod determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam.« Quare »Vocatio, qua trahitur praedestinatus, nihil est aliud quam quidam mentis instinctus, et haec vocatio in praedestinatis est efficax, quia hujusmodi vocationi assentiunt.« Ita s. Thomas in ep. ad Rom. c. 8, quod tamen bañesiani prorsus negant cf. n. 112^5.

Tenendum ergo est **e.** secundum s. doctorem, voluntatem non praedeterminari, sed se ipsam determinare: quod saepe inculcat, ut de verit. q. 22 a. 4: »Quanto aliqua natura est Deo vicinior, tanto minus ab eo inclinatur et magis nata est seipsam inclinare... Natura rationalis, quae est Deo vicinissima non solum habet inclinationem in aliquid, sicut habent inanimata, nec solum movens hanc inclinationem quasi aliunde eis determinatam, sicut natura sensibilis; sed ultra hoc habet in potestate ipsam inclinationem, ut non sit ei necessarium inclinari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari vel non inclinari, et sic ipsa inclinatio non determinatur ei ab alio sed a seipsa.« De malo q. 3 a. 3 ad 5: »Voluntas cum sit ad utrumlibet, per aliquod determinatur ad unum, scil. per consilium rationis, nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum;« in 4. d. 49 q. 1 a. 1: »Dicendum, quod potentia rationalis se habet ad opposita in his, quae ei subsunt, et haec sunt illa, quae per ipsam determinantur; non autem potest in opposita illorum, quae ei sunt ab alio determinata; et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur scil. in oppositum finis ultimi. Potest autem

in oppositum eorum, quae ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quae ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet;« cf. compend. theol. c. 76: »Liberum autem dicimus, quod sui causa est . . . Liberum est quod non est obligatum ad aliquid unum determinatum.« Unde voluntas in iis, in quibus est libera, se ipsa reducit in actum: »In quantum actu vult finem, inquit s. Thomas 1. 2 q. 9 a. 3 ad 1, reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad finem, ut scil. ea actu velit;« fuse de malo q. 6 a. unico, ubi inter alia statuit: »Quantum ad exercitium manifestum est, quod voluntas movetur a seipsa: sicut enim movet alias potentias, ita et seipsam movet.« Ideo etiam **f.** tuetur in 1. d. 38 q. 1 a. 5 (coll. 1. p. q. 14 a. 13), »contingentia ad utrumlibet in causis nullo modo cognosci posse«. Atqui infallibiliter cognoscerentur in suis causis, si hae ad agendum necessario indigerent praemotione physica, qua posita infallibiliter sequitur determinatus effectus. Cf. plura apud Schneemann, die Entstehung der thomistisch-molinistischen Controverse, praesertim p. 2 append. pag. 171 ss., Friburgi 1879. 1880; Frins sect. 3. 4; Lesserteur S. Thomas et le Thomisme, Paris 1883; Pocci Sentenza del s. Tommaso circa l'influsso di Dio sulle azioni delle creature ragionevoli e sulla scienza media, Romae 1886; in primis de San de Deo t. I p. 3 c. 8 pag. 590—745 annot.

122. **Thesis CXCIV.** ***Quamvis verissimum sit Deum virtute gratiae facere, ut faciamus Ezech. 11, 19 coll. 36, 26; operari in nobis velle et perficere Philipp. 2, 13, trahere nos ad Christum Jo. 6, 44; adeo ut ipsa opera nostra bona sint ipsius ejusque gratiae dona et totum in ordine salutis ipsi sit adscribendum, quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei Rom. 9, 16; tamen ad haec omnia rite intelligenda et explicanda necessarium nullatenus est recurrere vel ad gratiam necessitantem, vel ad gratiam ex sese efficacem, cum illis abunde satisfiat iis, quae diximus de duplici gratiae praeparatione, objectiva et subjectiva, morali et physica.***

Demonstratio. I. Maxime provocant tam ii, qui gratiam necessitantem tuentur (cf. Bastida l. c. VI, 15), quam patroni gratiae ex se efficacis **1.** ad haec vel similia testimonia Ez. 11, 19 s.: *Et dabo eis cor unum* (vel 36, 26: *novum*), *et spiritum novum tribuam in visceribus eorum* (ib. *ponam in medio vestri*), *et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et judicia mea custodiant faciantque ea;* vel ut habetur 36, 27: *Et faciam, ut in praeceptis meis ambulētis et judicia mea custodiatis et operemini.* Phil. 2, 13: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* etc. Atqui haec non sufficiunt ad gratiam sive necessitantem, sive ex sese efficacem statuendam [1]).

[1]) Ceterum satis inculcari nequit, Scripturae de gratia testimonia harmonice esse exponenda; quod ipse Augustinus passim notat, ut ep. 215 n. 5; de grat. et lib. arb. c. 15. Qua in re nonnulli nimis leviter se gerunt. Provocant ad aliquod Scripturae effatum, ut ad illud 1. Cor. 4, 6: *Quid habes quod non accepisti,* vel similia, neque illius sensum, argumentum, ambitum etc. accuratius determinant, sed quidquid volunt, inferunt, nulla ratione habita aliorum textuum. Hoc modo facile est

123. In primis enim notamus, verba prophetae dici de omnibus, qui ad novum spectant testamentum; verba vero Apostoli scribi ad omnes fideles, non ad praedestinatos tantum: et tamen neque omnes fideles observant praecepta Domini, neque omnes in iis ambulant, bonum volunt et perficiunt. Ergo evidenter significatur tantum, haec Deum operari gratia sua, quantum est ex se; nullo modo evincunt, gratiam ex sese esse efficacem, alioquin in omnibus fidelibus hunc haberet effectum. Quo solo omnis eliditur hujus Achillis adversariorum, cui tantopere fidunt, vis. Sed interrogemus Augustinum, quem maximi faciunt alterius sententiae patroni, quomodo Deus operetur in nobis velle et perficere, faciat ut faciamus. Saepe enim s. doctor adversus pelagianos, secundum quos Deus dat tantum posse (illudque naturale), multiplici modo ostendit, Deo tribuendum esse in ordine salutis non solum posse (sane supernaturale), verum ipsum etiam agere, ipsum actum salutarem, Deum operari in nobis velle et agere. Atqui s. Augustinus docet

1. Deum hoc operari gratia sua nos praeveniendo, alliciendo, invitando, movendo etc. Et revera causae morali, etiam homini motivis gravibus allicienti, inducenti, moventi alterum, hujus opera adscribi possunt, etiamsi motiva et rationes, quibus utitur, ex sese et infallibiliter non sint efficaces. Ita de homine consulente, mandante, impellente ad homicidium dici potest, eum effecisse ut alter homicidium patraret. Ita Demosthenes omnia egit, ut athenienses bellum adversus Philippum macedonum regem gererent. Quod si jam homo prudentia, mansuetudine, suasione vel durissimos cera molliores et ad omne quod vult propensos nullis adhibitis mediis ex se infallibilibus persaepe efficere potest: quanto magis Deus hominis vel obstinatissimi pertinaciam frangere et rebelles nostras voluntates ad omne beneplacitum suum inflectere poterit, cum ipse penitissime cognoscat omnes hominis propensiones et studia scrutans renes et corda hominum. Quare non est timendum, ne, si gratia non sit ex se efficax, homines possint eludere Dei consilia et impedire, quominus eos salvet, si eos salvare decreverit. Sane longe admirabilior est Dei providentia, magisque splendescit ejus in nostras voluntates dominium, si visorum suasionibus agit, ut credamus, quam si recurrere debet ad omnipotentiam suam, ad gratiam ex se efficacem et praedeterminantem, ut certo assequatur id, quod apud se statuerit. Sed jam audiamus ipsum s. doctorem.

„Visorum suasionibus, inquit de spir. et lit. c. 34 n. 60, agit Deus, ut velimus et ut credamus sive extrinsecus per evangelicas exhortationes ... sive

---

affirmare, sententiam de gratia ex se efficaci in sensu neothomistarum jam adeo esse certam, ut desit tantum Ecclesiae definitio, ut sit dogma fidei catholicae! Cf. Ripalda disp. 101 c. 5; d. 109.

intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat), profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos; consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, ut dixi, propriae voluntatis est.« Et in l. 83 qq. q. 68 n. 5: »Et quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia: efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim coenam, quam Dominus dicit in Evangelio (Luc. 14, 16 ss.) praeparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt: neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatis operatur. Propterea et si quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est etc.« Lege Confessionum V, 7 s., ubi graphice describit, quomodo Deus miris modis cum ipso egerit, ut in via salutis proficeret. Eoque magis dici potest Deus operari in nobis ipsum velle, cum non solum objective moveat, ut homo quilibet, sed ipsa prima voluntatis initia inserat et in nobis operetur, scil. actus indeliberatos amoris, desiderii, qui actum deliberatum praevertunt eique viam sternunt.

2. Facit Deus, ut faciamus, conferendo vires, subministrando virtutem. Qua subministratione virtutis perficitur prior modus, ideoque ingens exsistit discrimen inter Deum, qui facit ut faciamus, et hominem vel etiam angelum, qui suadendo, alliciendo etc. facit, ut alius quid faciat: Deus enim subjective subministrat vires, inserit nova ad agendum pondera, elevat facultates, agit in animam datque ipsum posse: homines vero objective tantum movere, et supposita agendi virtute concurrere tantum possunt ad τὸ facilius posse.

»Et ipsa bona opera nostra, inquit Augustinus de Gen. c. manichaeos l. 1 c. 22, illi tribuenda sunt, qui vocat, qui ut velimus invitat et vires implendi ea, quae imperat, subministrat.« Quibus verbis clare duplicem illam describit praeparationem, quam exposuimus n. 99. »Certum est, inquit iterum de gr. et lib. arb. c. 16 n. 32, nos facere, cum facimus: sed ille facit, ut faciamus praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit: *Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis* etc.« Huc referri possunt et illa ep. 55 n. 19: »Sicut cum bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cujus munere bene operamur; ita cum requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus.« In Ps. 52 n. 5: »Plerumque ita loquitur Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur: ut v. gr. cum misereris pauperis, quia dono Dei facis, Deus misereatur ... quod dono ipsius facis, ipse facere dicitur, quia sine illo tu non faceres. Ergo Deus facere dicitur, cum tu facis.« Quo sensu is etiam, qui alteri media suppeditat vel juvat ad studendum, dicitur fecisse, ut ille studeret, presbyter, doctor fieret etc. Neque cum s. doctor loquitur de viribus efficacissimis, cogitandum est de gratia ex se efficaci operis, sed de gratia efficaci efficacia virtutis (cf. infra n. 130).

3. Facit praeterea Deus, ut faciamus, adjuvando nos: scil. Deus non solum objective et subjective nos ad agendum disponit et movet, sed ad ipsum actum gratia adjuvante concurrit, jugiter in eum dynamice influit sicut vitis in palmitem, adeo ut hic actus vere sit ipsius opus (non seclusa nostra cooperatione).

Ita passim s. doctor illum loquendi modum explicat, ut de gr. Chr. c. 25: »Velle et operari operatur in nobis (Deus), non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus boni aliquid, nec agimus.« Ad Sixtum ep. 194 n. 16: »Quid est autem *interpellat* (scil. Spiritus s. Rom. 8, 26), nisi interpellare nos facit... nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum. Sicut illud in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (Matth. 10, 20). Neque enim hoc fit de nobis tamquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit.« Et sane qui alium potenti auxilio juvat, etsi non necessitat vel determinat dici potest fecisse ut alius vinceret etc.

4. Imo secundum Augustinum, ut Deus dici possit operari in cordibus nostris, sufficit, si quaedam extrinsecus permittat vel faciat, quae hominibus jam malis occasionem praebent ad graviores lapsus; tantum abest, ut ejusmodi formulae secundum ipsum necessario designent gratiam ex sese efficacem. Et sanè eo sensu explicari debent verba Is. 63, 17: *Quare nos errare fecisti Domine de viis tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te?*

Ita relatis Ezech. 14, 9 et Rom. 1, 24 ss. subdit de gr. et lib. arb. c. 21 n. 43: »His et talibus testimoniis ... satis manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum ... Si autem potens est ... operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit ... quid mirum est, si per Spiritum s. operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona?« Et n. 41: »Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit, non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, et a se factas bonas in actus bonos et in aeternam dirigit vitam, verum etiam illas, quae conservant (*forte* exornant) seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.«

124. **II.** Provocant ad Jo. 6, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* quibus non designatur gratia sive necessitans sive ex sese efficax. Nam loquitur Christus de tractu, qui congruit creaturae rationali, cui congruit tractus non necessitans, sed qui relinquat plenum actus dominium; unde continetur suasione, illecebris, etc. Quod colligitur ex verbis Christi, qui explicat, quo pacto Pater trahat: *et erunt omnes docibiles Dei* διδακτοὶ Θεοῦ, a Deo edocti; *omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Docendo ergo, suadendo, illuminando trahit Pater;

doctrina autem et suasione voluntas ad credendum non necessitatur, et ad discendum requiritur discipuli libera cooperatio.

Quod ipse s. Augustinus tract. 4 in 1. ep. Joan. n. 1 significat: »Cum multi audiant, non omnibus persuadetur quod dicitur, sed illis solis, quibus intus Deus loquitur. Illis autem intus loquitur, qui ei locum praebent; illi autem Deo locum praebent, qui diabolo locum non praebent.« Unde acute tract. 42 in Joan. n. 1: »Non capit (sermo meus) cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. Sic enim est sermo Dei et sic esse debet fidelibus, tamquam pisci hamus: tunc capit, quando capitur.« Quare damnata est prop. 17 Quesnelli: »Gratia est vox illa Patris, quae homines interius docet, ac eos venire facit ad J. Christum: quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.« Quae explicatio confirmatur communi suffragio patrum, quorum interpretationes diligenter collegit Ripalda disp. 104 s. 5: »Haec tractio exponitur a patribus non pure physica, sed moralis per actus vitales intellectus et voluntatis. Augustinus contra literas Petiliani c. 8 ait, hominem trahi legum coërcitionibus; tract. 26 in Joan. voluptate, delectatione, amore; de verbis ap. serm. 2 suavitate et desiderio; Prosper contra Collat. c. 6 illuminatione, delectatione suavitateque justitiae; c. 24 contemplatione elementorum, cognitione divinorum operum, timore, laetitia, desiderio, delectatione et affectibus animae; Petrus diaconus de incarn. et gratia c. 6 suavitate Spiritus sancti; Chrysostomus hom. 46 in Joan. doctrina; Cyrillus alexandrinus l. 4 in Joan. c. 9 monitionibus et consiliis; c. 6 monitione, doctrina, revelatione ineffabiliter facta; c. 7 disciplina et persuasione; d. Bernardus serm. 22 in cant. minis et flagellis, internis consolationibus et inspirationibus; Gregorius Cant. 1 internorum dulcedine, dilectione et amore; d. Thomas lect. 5 in Joan. 6 n. 3 q. 1 exponit, hominem trahi multipliciter, revelatione interna veritatis, persuasione, operatione miraculorum, blanditiis, admirabili delectatione et amore veritatis; d. Bonaventura in Joan. 6 divina revelatione, doctrinae sacrae eruditione, dilectionis divinae infusione, coelica consolatione, praemii promissione.«

In primis audiendus est Prosper hunc tractum egregie explicans c. Collat. c. 7: »Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum omniumque, quae in eis sunt, ordinatissima pulchritudo: *Invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom. 1, 20); trahunt rerum gestarum relatores, animum audientis inflammant *narrantes laudes Domini et virtutes et mirabilia ejus, quae fecit* (Ps. 77, 4); trahit timor, *principium* enim *sapientiae timor Domini* (Prov. 1, 7); trahit laetitia, quoniam *laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (Ps. 121, 1); trahit desiderium, quoniam *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (Ps. 83, 3); trahunt divinae lectiones, *quam dulcia* enim *faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo* (Ps. 118, 103). Et quis perspicere aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat, sequatur; quae oderat, diligat; quae fastidiebat, esuriat; ac subito commutatione mirabili, quae clausa ei fuerant, fiant aperta; quae onerosa, sint levia; quae amara, sint dulcia; quae obscura, sint lucida? *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* (1. Cor. 12, 11).« Quae omnia tractum moralem, objectivum, nullatenus necessitantem, neque praemotionem physicam significant. Et sane etiam oratores et concionatores dicuntur tra-

here, imo et rapere suos auditores ad id quod intendunt, quin tamen utantur praemotione physica vel mediis irresistibilibus sive ex sese efficacibus. Quamvis vero huic tractui resisti possit (docet enim concilium senonense decr. 15: „Nec tale esse hujusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit"): negari tamen nequit, verbum trahere admodum esse aptum, ut significetur tum gratia, quae praeveniat voluntatem, tum gratiae efficacia ac virtus, quae quandoque vel momento peccatores etiam obstinatos convertat. Cf. Ruiz de praed. disp. 28, praesertim s. 8. 9.

125. **III.** Verum est salutem nostram *non esse volentis et currentis*, sed *miserentis Dei* Rom. 9, 16: non tamen ita, ut excludatur hominis cursus liberaque cooperatio, ut patet ex dictis. Unde hortatur ipse Paulus: *Sic currite, ut comprehendatis* (palmam coelestem 1. Cor. 9, 24), speratque propter suum cursum et fidem coronam justitiae a justo judice 2. Tim. 4, 7 s. Quare hisce verbis significatur, salutem non esse opus naturae, sed gratiae fructum, seu excluditur conatus cursusque naturalis et duplex inculcatur gratiae proprietas, summa ejus necessitas et omnimoda gratuitas. Gratiae est enim praevenire hominis voluntatem: non hominis est incipere in ordine salutis. Quod praeclara similitudine illustrat Anselmus de conc. gr. et lib. arb. c. 5: „Cum ait, *neque volentis, neque currentis est*, subaudiendum est, quod vult et currit; velut cum aliquis nudo, cui nihil debet, et qui nullum a se potest indumentum habere, dat vestem: non tunc, quamvis ipse habeat potestatem utendi vel non utendi veste accepta, si ea utitur, imputandum est induto, quia indutus est, sed danti vestem. Quapropter ita dici potest: non est induti, quod est indutus, sed miserentis i. e. vestem dantis." Non tamen propterea licet invertere propositionem et dicere: Non est miserentis Dei, sed volentis et currentis hominis, quia Deus est causa princeps nostrae salutis, voluntas humana tantum secundaria; ideoque non licet ita subordinare gratiam voluntati; praesertim quia voluntas neque velle neque currere potest, nisi praeveniatur misericordia Dei: quod ergo velit et currat est ex misericordia Dei, non tamen necessitante et praedeterminante: illo autem loquendi modo excluderetur misericordia divina nos praeveniens a salutis negotio, quod est haereticum. Cf. Bastida l. c. V, 44.

126. **IV.** Nihil verius, omnia nostra opera bona Deo adscribenda, Dei esse dona: facit enim, ut faciamus; imo totum in ordine salutis Deo esse tribuendum. Idcirco tamen nec gratia necessitatem infert, nec ab intrinseco efficax censeri debet. Nam ut opus alteri possit adscribi, sufficit si illius est auctor consilio, auxilio, subministratione mediorum etc.: quanto ergo magis in ordine salutis Deo adscribi debent opera nostra bona, sine quo nihil incipere possumus, nisi gratia ejus praeveniat et praeparet voluntates nostras; sine quo nihil perficere possumus, nisi gratia nos adjuvet et quidem multiplici ratione, ut explicavimus n. 91 ss. 123. Unde Chrysostomus in 2. Cor. 3, 5: „Non ita dicebam, fiduciam habeamus, ut partim sit nostrum, partim sit Dei, sed totum illi tribuo acceptumque fero, quia sufficientia nostra ex Deo est." Quare hac loquendi ratione libera cooperatio nullatenus excluditur. Ad rem Augustinus serm. 169 n. 13: „Totum ex Deo, inquit, non tamen quasi dormientes, non quasi, ut non conemur, non quasi ut non velimus; sine voluntate tua non erit in te justitia Dei . . . esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest praeter voluntatem tuam." Hinc alibi opera bona nobis tribuuntur vel nostra esse dicuntur (n. 103).

127. Alia Scripturae effata consulto praetermittimus, ut Is. 55, 10: *Quomodo descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud;* Eph. 2, 10: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Is. 26, 12: *Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis,* quae s. Hieronymus in h. l. ita interpretatur: „Pro cunctis operibus, quae operati sunt super terram, dicunt se sustinuisse tormenta, et justum esse, ut post supplicia atque cruciatus misericordiam consequantur.“ Haec enim et gemina, quae coacervant, ad rem non sunt, vel quia non de gratia, sed de operibus unice a Deo pendentibus agunt; vel quia non gratiae operandi rationem describunt, sed ejus gratuitatem et necessitatem inculcant; vel quia ex dictis jam explicari possunt; vel quia exegesi tantum arbitraria in sensum adversariorum explicantur.

128. **Scholion I.** *Aliis exceptionibus satisfit.* — Plura supersunt, quae contra gratiae efficaciam a nobis defensam urgeri solent. In primis illud: si gratia ex sese non esset efficax, hominis esset seipsum ab aliis discernere. At Dei est discernere, teste Paulo 1. Cor. 4, 7: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quod idem et Augustinus passim inculcat. Ergo gratia ex se efficax admittenda est. Verum

1. distingui debet duplex discretio, formalis et efficiens, ideoque etim duplex discretionis principium. Principium discretionis formale sua inhaesione discernit unum ab alio, ut doctrina inhaerens formaliter discernit doctum ab indocto: principium discretionis efficiens sua operatione unum ab alio discernit, ut qui alium divitiis donat, hac donatione efficit, ut is a paupere discernatur.

2. Principium discretionis formale in ordine salutis sunt dona gratiae habitualia; efficiens non est solus Deus gratia, nec solum liberum arbitrium (n. 103), ut patet ex dictis, sed Deus gratia causa est princeps: causa subjugis est voluntas humana gratiae cooperans.

3. Gratia ergo supposita voluntati etiam humanae discretio adscribi potest, sicut ei tribuuntur bona opera, quibus homo gratia utens se disponit ad justificationis gratiam, et hac obtenta, in bono perseverans certam facit suam electionem 2. Petr. 2, 10, itaque ab impiis discernitur. Et revera hoc supponunt concionatores, etiamsi sint neothomistae acerrimi, quoties hortantur peccatores, ut se convertant ad Dominum. Quid enim est se convertere, quam deserere castra peccatorum, seque ab illis discernere et adjungere Christi vexillo? Unde ipse Augustinus serm. 234 n. 3: „Discernebamus nos, inquit, a paganis credendo Christum resurrexisse. Si aliquid possumus, a daemonibus nos discernamus.“ Et serm. 159:

„Discerne fidem tuam a daemonibus. Unde eam discernis? Adde fidei spem!“ cf. tr. in Jo. 83 n. 1, imo etiam in divinis literis 1. Esdr. 6, 21; Is. 52, 11; 2. Tim. 2, 21 discretio hominibus adscribitur, et ipse Christus rationem discretionis inter eos, qui in judicio universali stabunt ad dexteram, ab iis, qui erunt a sinistris, refundit in eorum opera: *Dedistis mihi bibere* etc. Matth. 25, 35 s.

4. Si urges: id, quod discernit, nequit esse commune; atqui gratia discernit inter bene et male operantes; nequit ergo ea esse communis etc.: distinguimus majorem: Quod discernit formaliter, conc.; quod discernit efficienter, subd.: si spectetur, quatenus praeveniens et adjuvans, conc.; si ut praeveniens tantum, rursus dist.: si spectetur in se, nego; si in praescientia divina, concedo. Hinc etiam s. Augustinus docet discretionem angelorum in praescientia esse factam. »Solus quippe ille, inquit de civ. Dei XI, 19, ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent praescire casuros et lumine privatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros.« Quae mox iterum repetit. Cf. Ruiz d. 30; Ripalda d. 30 s. 22. 28.

129. Hinc patet quo sensu nobis non liceat in ullo gloriari. Non licet gloriari, ut ipse Paulus testatur 1. Cor. 4, 7, *quasi non acceperis; quasi ex nobis* sit salus, ac *si sufficientia nostra* non esset *ex Deo* 2. Cor. 3, 5; non licet gloriari in viribus meritisque naturalibus (Rom. 4, 2) quasi his debeatur aliquid in ordine salutis; sed licet gloriari, si cum gratitudine omnia in acceptis referimus Deo, hoc est enim *gloriari in Domino*. Hanc gloriationem gratitudinis, amoris, gaudii de beneficiis acceptis permittit Paulus; sic enim ipse gloriatur 1. Cor. 15, 10: *Abundantius illis* (apostolis) *omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum;* 2. Tim. 4, 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquio reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex;* cf. 1. Cor. 1, 31; 2. Cor. 7, 4. 14; 11, 18 ss.; 12, 1 ss.; permittit passim s. Augustinus, ut ep. 186 n. 4; ep. 188 n. 7. 8 etc. Ad rem Bernardus de dilig. Deo n. 3: »Non ait simpliciter (Paulus), *quid gloriaris?* sed addit: *quasi non acceperis*, ut asserat reprehensibilem, non qui in habitis, sed qui in non acceptis gloriatur.« Cf. s. Thomas lect. 2 in 2. Cor. 12. Ruiz d. 35 s. 9 quatuor conditiones recenset, ut quis possit gloriari in Domino: **a.** ut glorietur de veris bonis; **b.** ut illa propriis viribus non adscribat; **c.** ut hanc ipsam gloriationem in Dei gloriam referat; ut **d.** gloriatio nitatur judicio non humano sed divino de vera et solida virtute, seu judicio in revelatione divina fundato (quod tamen in hac vita rarum), vel saltem in testimonio conscientiae divinitus inspirato.

130. **Scholion II.** *Augustini doctrina illustratur.* — Verum est Augustinum disserentem de gratiae virtute et efficacia saepe provocare ad omnipotentiam Dei. Non tamen idcirco **1.** gratia cum omnipotentia Dei confundi debet. Damnata enim est prop. 19 Quesnelli: »Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus nobis tradidit in omnibus suis Scripturis.« Neque idcirco **2.** sequitur, homines non posse divinae gratiae resistere: damnata enim est prop. Jansenii 2: »Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur:« quae declarata est haeretica. Cf. n. 109 ss. Scias **3.** Augustinum provocare etiam ad praescientiam, in qua Deus paravit auxilia, quibus salvandi certissime salventur:

nulla autem necessitas provocandi ad praescientiam, si nexus inter gratiam et bonum opus ex sola omnipotentia, ex virtute gratiae insita, et non etiam ex liberi arbitrii consensu est repetenda. Ideo **4.** Augustinus contra pelagianos disputans ad divinam provocat omnipotentiam, quod illi dominium Dei in distribuendis gratiis salvandisque hominibus limitibus circumscripserunt et dependens fecerunt a conditionibus, quas homines viribus naturae adimplere possint. Quare s. doctor non solum efficaciam gratiae, sed et absolutum Dei dominium in ordine gratiae nititur extollere. Ceterum **5.** praepostere judicatur de gratia boni operis universim ex nonnullis Scripturae patrumque, Augustini praesertim, effatis, quibus gratiae efficaciam subinde extollunt potentissimumque Dei in hominis voluntatem dominium describunt. Quid enim, si illa gratia, qua Paulus praeventus ex persecutore factus est subito apostolus, fuerit ex sese efficax: sequiturne, quotiescunque fidelis tenuissimam elicit attritionem, eum gratia praeveniri ex se efficaci? Vocat Augustinus gratiam »luminosissimam caritatem«, sequiturne propterea, quotiescunque homo qualicunque devotione recitat orationem matutinam, eum praeveniri semper luminosissima caritate? Caveantur ejusmodi illationes, in quibus conclusio latius patet praemissis. Non quaeritur, num inter innumera gratiae auxilia esse etiam possint vel etiam subinde dentur talia, quae sint ex sese efficacia; sed num homo, quotiescunque bene operetur, tali gratia praeveniatur, quae ex sese infallibiliter sit efficax, adeo ut fieri nequeat, ut non sequatur bonum opus manente eadem gratia. Hujus propositionis universalis demonstrationem postulamus, sed non reperimus: neque enim probari potest testimoniis, quae vel ex ipsis verbis vel ex adjunctis patet esse particularia.

6. Denique sedulo distinguas inter haec duo, gratiam esse ex sese invictam, indeclinabilem, insuperabilem, et gratiam reddere voluntatem hominis gratiae cooperantis invictam, indeclinabilem, insuperabilem: illud generatim de quacunque gratia boni operis affirmari nequit: hoc autem nihil verius, nam homo gratia adjutus (quacum ergo libere cooperatur) merito dicere potest cum Paulo Philipp. 4, 13: *Omnia possum in eo, qui me confortat;* vel: *Quis separabit nos a caritate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? . . . Certus sum, quia neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu D. N.* Rom. 8, 35 ss. „Adamante solidiores, inquit Chrysostomus in Gen. h. 4, Dei gratia nos efficit et si volumus omnino invictos.“ Et revera cederet in gratiae injuriam, si ea, cum sit auxilium Dei et quidem Dei omnipotentis, non posset adeo solidare, roborare et adjuvare voluntatem, ut ea, etsi gratia adjuta, par non foret ad edenda opera salutis et vincendas inimici insidias et tentationes. Ut vero hoc praestet, necesse non est, ut ex sese sit efficax, sed ut voluntati subministret virtutem, robur invictum, quo voluntas utens (voluntatis est enim gratia uti, cf. n. 102) invicta reddatur. Hoc sensu scribit Augustinus de corrept. et gr. c. 8 n. 17: „Quando rogavit ergo (Christus pro Petro), ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce

quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et ut perseveret, delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem.“ Et de gr. et lib. arb. c. 16: „Ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas.“ Hinc non obstantibus hisce viribus efficacissimis hortatur Paulus Phil. 2, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Talis autem metus et tremor conciliari nequit cum gratia, quae ex se sit adeo efficax, ut ea posita sit impossibile non sequi bonum opus; si ea determinat, imo praedeterminat voluntatis cooperationem atque intensionem. Paulus autem vult, ut praesente etiam gratia metuamus (scil. de nobis nostraque cooperatione), nam quamvis Deus sit, qui operatur in nobis velle et perficere v. 13, nostrum tamen est, vel gratiam recipere, et quidem ita, ut non maneat vacua 2. Cor. 6, 1, gratiae cooperari eaque uti, vel eam abjicere.

131. **Scholion III.** *Quo sensu admitti possit gratia ex se efficax.* — Inter auxilia gratiae, quae voluntatem adjuvant, numerari etiam possunt actus quidam voluntatis deliberati. Sane **a.** ejusmodi actus juvant ad alios actus, ut perfecta caritas ad praeceptorum observationem; caritas proximi ad actus misericordiae: quocirca **b.** ejusmodi actus vocari possunt auxilia; sed etiam **c.** gratia, utpote gratiae fructus: quo sensu dicit concilium tridentinum sess. 6 cap. 16, tantam esse Dei bonitatem, ut velit justorum esse merita, quae ipsius sunt dona. Ergo inter auxilia gratiae referri possunt. Et revera patres de gratiae auxiliis disserentes, saepe de ejusmodi actibus intelligendi sunt. Hinc infert Ripalda disp. 103 s. 5 n. 41:

1. dari aliqua auxilia gratiae intrinsecus efficacia. »Nam affectus absoluti et deliberati pietatis moventes voluntatem ad alios ejusdem pietatis actus referri debent inter auxilia gratiae ... At inter affectus absolutos et deliberatos pietatis sunt plures, qui efficacia intrinseca movent voluntatem ad agendum alios: nam actus piae affectionis movet efficaciter arbitrium ad assensum fidei; actus efficax caritatis ad impletionem praeceptorum; intentio efficax finis ad electionem mediorum; actus efficaciter imperans ad imperatum; actus internus ad actionem meritoriam externam. Ergo inter auxilia gratiae admitti debent aliqua intrinsece efficacia.«

2. »Infertur, prosequitur idem theologus, plura Augustini testimonia, quae victoriam tentationum, praeceptorum adimpletionem aliaque illustria facinora referre videntur in efficaciam intrinsecam divinae gratiae, qua voluntas praemunitur a Deo, manifestam interpretationem habere, si dicas, eam gratiam non esse primam excitantem et operantem, sed solum cooperantem arbitrio ad ea egregia facinora, videlicet pios voluntatis affectus absolutos et efficaces, qui voluntatem ad ea agenda praeveniunt ex prioribus auxiliis intrinsece indifferentibus, et (quos) Ecclesiae patres inter dona Dei et gratiae auxilia recensent.« Haec vero gratiae auxilia ex sese efficacia triplici modo distinguuntur a gratia thomistarum aliorumque ex se efficaci. Nam **a.** hi loquuntur de gratia praeveniente, quae in actibus consistit indeliberatis: nos de gratia adjuvante, cooperante; **b.** illi hanc efficaciam adscribunt gratiae antecedenter et independenter a voluntatis cooperatione: nos gratiae, cui et quam-

diu voluntas cooperatur; illi **c.** hanc virtutem victricem adscribunt gratiae relate ad voluntatem, quam indeclinabiliter ad agendum applicat: nos voluntati adjutae a gratia, quae ipsi virtutem suam communicat, ut ea sit invicta et victrix omnium tentationum, quas excitant caro, mundus, daemon.

Porro inter haec Augustini testimonia, quae non de gratia praeveniente, sed de gratia adjuvante deque actibus non indeliberatis sed de deliberatis intelligi debent, ea in primis refer, in quibus delectationis efficaciam urget. Eum enim loqui, plerumque saltem, de delectatione deliberata, suadent saepe adjuncta, ut cum **a.** delectationem laudat et homines ob eam commendat vel reprehendit; cum **b.** eam proponit ut normam vitae nostrae; cum **c.** ad eam excitat vel ab ea deterret; cum **d.** eam proponit ut gratiae effectum. Hisce enim in adjunctis sermo esse nequit de delectatione indeliberata. Neque de hac sermo est in celebri effato in ep. ad Gal. c. 6, quo janseniani tantopere ad haeresim suam stabiliendam abutuntur: „Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.“ Ex contextu enim liquet s. doctorem loqui de delectatione deliberata: unde corruit totum adversariorum argumentum.

132. **Scholion IV.** *Semipelagianismi nota excluditur.* — Sunt plures, qui opponant, non admissa gratia vel necessitante vel ex se efficaci, admittendas esse has vel similes formulas loquendi semipelagianis solemnes, „in promptu nobis esse salutem, dummodo illam accipere velimus; homines gratia invitari et vocari, sed proprio quemque arbitrio parere vocanti; gratiam nulli se subtrahere, sed volentes juvare; Deum voluntates nostras exspectare“ etc. Verum facile respondetur, formulas has non absolute et quovis sensu esse falsas, cum etiam apud patres probe orthodoxos reperiantur, et a concionatoribus plane catholicis, thomistis etiam, quotidie frequententur: haereticas esse tantum sensu semipelagiano, si scilicet excludatur gratia praeveniens et praeparans, eaque gratuita et supernaturalis, cujus necessitatem nos multis probavimus; non vero esse haereticas, si haec vel similia de voluntate gratia jam praeventa affirmentur.

Alii quasi perterriti excipiunt, gratiam, quae non sit *ex se* sed cooperatione nostra efficax, esse versatilem. Sed pace horum virorum notamus, tunc eodem jure dici posse et evangelium versatile, quia teste Paulo 2. Cor. 2, 16 prosus idem Evangelium aliis est *odor mortis in mortem, aliis autem odor vitae in vitam;* versatilis eucharistia, quia alii inde percipiunt vitam, alii sibi manducant judicium 1. Cor. 11, 29 etc., quod nemo dixerit. Versatilis enim tunc tantum posset dici gratia, si ex aequo ad bonum et ad malum juvaret; cum vero solum ad bonum alliciat et juvet, a malo deterreat, et contra malum subministret virtutem, vere inscite versatilis concipitur. Speramus autem, fore ut misella haec exceptio demum eliminetur e libris theologicis.

133. **Scholion V.** Reliquum est, ut pauca dicamus *de discrimine gratiae in primis actualis Adamo ante lapsum* et *hominibus post lapsum necessariae.* Tenendum est **1.** multiplex esse discrimen: **a.** illa fuit gratia Dei, nostra est gratia Christi (n. 8); **b.** illa fuit tantum elevans, cum Adamus careret concupiscentia; nostra est simul medicinalis (cf. n. 23), sanans, pugnax; **c.** illa (si de habituali est sermo) quasi connaturalis propagata fuisset ipsa generatione naturali: modo vero habitualis a singulis

est acquirenda vel actibus propriis vel sacramentis; **d.** gratia actualis in Adamo mansit inefficax, nostra in multis est efficax. Nullatenus vero **e.** discrimen cum calvinianis et jansenianis repeti debet ex modo agendi, quod scilicet gratia ante lapsum ad unum non determinaret, nunc vero determinet.

2. Quod nominatim attinet doctrinam Augustini, distinguentis inter adjutorium *sine quo non,* quod habuit Adamus; et adjutorium *quo,* quod nunc ii habent, qui actu perseverant: falsum est, quod inculcat Jansenius, hoc discrimen esse »clavem, filum in labyrintho, fundamentum et basim doctrinae« s. doctoris de gratia. Nam ipse illius post multos demum annos ab exordio controversiarum cum Pelagio, post pelagianos jam devictos ac semel tantum scil. de corr. et gr. c. 12 mentionem facit. Quis autem putaverit s. doctorem clavem, basim etc. totius doctrinae de gratia tamdiu ignorasse vel silentio involvisse, illius semel tantum meminisse, cum toties integris operibus dataque opera quaestionem de gratia agitet atque in omne verset latus?

3. Plures sunt hujus loci sat obscuri theologorum expositiones. Cf. diss. de hoc adjutorio in thes. theol. ed. Zaccaria V, 636 ss.; Ripalda disp. 111 sect. 7. Praeferenda videtur sententia eorum, secundum quos **a.** adjutorium *quo* in genere non est exclusive proprium status lapsi, neque adjutorium *sine quo non* proprium solius status angelorum et Adami ante lapsum. Hoc enim agnoscit Augustinus etiam pro statu lapso et illud pro statu angelorum. **b.** Nomine adjutorii *quo* non intelligitur l. c. una gratia, sed gratiarum tam internarum quam externarum series seu oeconomia. **c.** Inter adjutorium *quo* et illud *sine quo non* discrimina duo assignat Augustinus. Prius est, quod in priori oeconomia, in qua adjutorium *sine quo non* collatum est, ostensum fuit, quid posset liberum arbitrium: in altera vero oeconomia, in qua adjutorium *quo* confertur, ostendit Deus, quid possit gratia sua. Alterum discrimen est, quod adjutorium *sine quo non* relictum fuit in libero arbitrio Adami, ita ut Adamus stare potuerit libero arbitrio, sicut steterunt angeli; adjutorium vero *quo* operatur etiam, ut indeclinabiliter, insuperabiliter, invictissime sancti velint, ut loquitur s. doctor ib. n. 38.

4. Omnibus expensis ita videtur cum Palmieri de grat. div. act. th. 46 (Galopiae 1885) explicanda Augustini theoria: Deus instituens statum justitiae originalis et conferens gratiam, per quam posset perdurare, non habuit voluntatem absolutam antecedentem, ut ille status perseveraret: sed solum conditionatam, si nempe Adam cum gratia cooperaretur et in gratia accepta perseveraret. Hinc perseverantia illius status relicta erat in arbitrio Adami; hujus vero peccato ostensum est, quid liberum arbitrium possit; quod tamen ostensum quoque fuisset, si Adamus perseverasset. At lapsa natura Deus Filium suum humani generis constituit Redemptorem, voluitque voluntate absoluta et antecedenti effectum redemptionis in pluribus saltem reapse obtineri [1]); voluit cum Christo capite alios, qui ejus corpus constituerent; noluit

---

[1]) Dum hoc concedimus, nullatenus tuemur praedestinationem singulorum electorum ante praevisa merita. Aliud enim est voluntas, qua ex multis ordinibus gratiarum possibilibus Deus eum eligit, in quo videt plures strenua sua cooperatione fore salvos, propterea quod magis velit aliquos salvos, quam nullum; et aliud est

permittere, ut Christus potestate tantum, non actu esset caput solusque sine fratribus in aeternum. Voluit igitur Deus humano generi reparato eam gratiam seu gratiae oeconomiam subministrare, ut plures ex eo certissime salvarentur, et ita ostendere, quid gratia sua possit, h. e. quod potens sit, si velit, gratia sua salvare homines. Quae manifestatio eo est luculentior, quo natura lapsa fragilior, quam integra. Perseverantia ergo status reparationis per Christum non est relicta in arbitrio hominis, sed antecedenter ordinata et statuta a Deo: qui ea decrevit oeconomia uti, in qua id infallibiliter obtineretur, ideoque in qua plures homines infallibiliter perseverarent.

PARS II.

DE GRATIA HABITUALI SEU DE JUSTIFICATIONE.

134. *Disputationis partitio.* — Omnis gratia Christi gratum faciens est vel actualis vel habitualis (n. 11). De priori egimus: jam de altera disserendum est: quae cum in ipsa infundatur justificatione ejusque effectus plane eximii [1]) justificationis nomine designentur, ad plenam ejus notitiam assequendam de toto justificationis exordio, processu et consummatione disputabimus. Omnia autem, quae ad eam spectant, egregie exposuit synodus tridentina sess. 6. Ea ad tria capita revocari possunt, in quorum primo quaeremus, quomodo acquiratur, seu de dispositione ad eam requisita; in secundo inquiremus in ejus esse formale seu in ejus naturam et proprietates; in tertio spectabimus eam secundum ipsius virtutem et ἐνέργειαν seu quem valorem imprimat actibus justificatorum, unde agemus de merito.

Caput I.

De dispositionibus ad justificationem requisitis.

135. Paucis complectamur, quae concilium prioribus cap. sess. VI. docet. Breviter descripta c. 1 tristissima conditione humani generis, quae consecuta est Adami praevaricationem, statuit

---

voluntas, qua Deus in antecessum determinat numerum praedestinatorum singulosque in individuo et ipsum gradum gloriae a singulis consequendum: quo supposito decreto eligit de industria eas et non alias gratias, quibus adjuti hi et non alii consequantur gradum gloriae ipsis praedestinatum, alii vero, qui negative reprobati dicuntur, maneant exclusi a praedestinatorum sorte.

[1]) Hos paucis ita complectitur Ripalda de ente supernat. disp. ult. sect. 5 n. 77: „Comparatione Dei dicitur (gratia habitualis justificans) participatio naturae divinae, filiatio adoptiva et amicitia; comparatione virtutum infusarum natura quaedam supernaturalis, quae radix sit universalis formaque virtutum; comparatione actuum moralium dignitas et valor ipsorum; comparatione gloriae semen et jus hereditarium ad illam; denique comparatione naturae rationalis antonomastice gratia, justitia, vita, pulchritudo et mundities ab omni macula peccati lethalis.“ En quanta gratiae habitualis dignitas et pretium, quantum hujus disputationis momentum!

I. *Gentes solis viribus naturae non potuisse ex tot malis liberari.* Cujus propositionis veritas manifesta est ex dictis in priore tractatus parte de gratiae necessitate. Si enim gentes conatu naturali potuissent ex tot malis liberari, conatus ille fuisset omnino salutaris. Atqui vidimus hominem sine gratia nihil prorsus agere posse quod ad salutem spectet. Docet

II. *Ne judaeos quidem per ipsam etiam literam legis a lapsu surgere potuisse.* De qua propositione scias, consulto concilium illam loquendi rationem elegisse, teste Pallavicino hist. conc. tr. VIII, 13, ne dirimeret controversiam inter scholae theologos agitatam, num institutum mosaicum fuerit prorsus inefficax ad salutem. Quare id tantum docere intendit, legem mosaicam cum omnibus suis ritibus per se, seclusa gratia Christi, ad salutem non suffecisse. Hinc etiam can. 1 statutum fuit: „Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vel per legis doctrinam fiant, absque divina per J. Christum gratia posse justificari coram Deo, A. S.“

Quod probatur **1.** generatim ex epistolis Pauli ad romanos, galatas et hebraeos, in quibus data opera apostolus oeconomiae mosaicae insufficientiam ad veram coram Deo justitiam assequendam demonstrat: et quidem in ep. ad romanos negat hominem justificari lege morali seu decalogo; in ep. ad galatas virtutem justificandi removet a caeremoniis legalibus, et in ep. ad hebraeos a sacrificiis mosaicis. Idem **2.** probatur speciatim ex variis doctrinae capitibus ejusdem apostoli, sive cum **a.** docet Gal. 2, 21: *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est;* sive cum **b.** infert Gal. 3, 18: *Si ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahae autem per repromissionem donavit Deus;* sive cum **c.** negat, legem posse vivificare Gal. 3, 21; *lex enim iram operatur* ob hominis ex sese (sine gratia) fragilitatem Rom. 4, 15; *nihil ad perfectum adduxit* Hebr. 7, 19; imo **d.** impossibile erat legi, nos liberare a lege peccati et mortis, eo quod infirmabatur per carnem concupiscentiae obnoxiam: unde necessaria erat missio Filii, qui de peccato damnaret peccatum in carne i. e. oblatione carnis suae, quae similis erat carni peccatrici nostrae et ex nobis assumpta, in cruce facta deleret regnum peccati et mortis Rom. 8, 2 ss. Quare **e.** peremptorie pronunciat Rom. 3, 20: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo (Deo),* quae repetit Gal. 2, 16. Et sane **3.** totum institutum mosaicum ad gratiam revocari potest externam. Atqui gratia externa absque interna ad salutem non sufficit. Cf. th. 173.

136. Cum igitur homo lapsus neque ex sese, neque litera legis adjutus surgere posset, ideoque in misera pereundi necessitate jaceret: Deus Pater misericordia motus, Filium suum misit ad salvandum humanum genus; quare ex eodem conc. cap. 2. 3 tenendum est,

III. *Neminem salutem consequi posse, nisi per Christum Jesum.* Quod divinae literae docent et diserte Act. 4, 12: *Et non est in alio aliquo salus: neque enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* Joan. 14, 6: *Ego sum via et veritas et vita. Nemo*

venit ad Patrem, nisi per me; Rom. 3, 21 s.: *Nunc sine lege justitia Dei manifestata est* (i. e. manifestatum est, quomodo justitiam veram consequi possimus) *testificata a lege et a prophetis. Justitia autem Dei* (non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit) *per fidem J. Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum* etc.; et aequivalenter, quoties testantur Christum salvatorem esse omnium hominum, redemptorem et mediatorem, mortuum pro omnibus, esse propitiationem pro peccatis totius mundi (cf. th. 171) etc. Quam ob rem conc. arausicanum II. can. 16 statuit: „Inde (a Christo) habet, quicunque habet (aliquid ad salutem pertinens). Quisquis autem inde se habere negat, aut vere non habet, aut id, quod habet, auferetur ab eo." Cf. can. 21.

137. **IV.** Ut adultus justificationis gratiam consequatur, *necessaria est aliqua dispositio, ex gratia et libera hominis cooperatione profecta.* Justificatio a conc. tridentino cap. 4 definitur: „Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adami, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adamum Jesum Christum." Ad hanc requiri

1. aliquam dispositionem, patet ex innumeris Scripturae effatis, in quibus remissio peccatorum, justitia etc., quibus justificatio continetur, iis tantum promittuntur, qui aliqua prius praestiterint. Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* etc.; ex praxi constanti Ecclesiae, quae ad sacramenta baptismi et poenitentiae, quibus peccatores justificantur, eos solum admittebat ex adultis, qui rite essent dispositi; ex eventu, quia alioquin ratio reddi nequit, quare non omnes revera salventur, cum Deus tamen omnium velit salutem.

2. Dispositionem debere esse supernaturalem i. e. profectam ex gratia, docet concilium can. 3: „Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S.;" et colligitur ex prop. 57. ex 65 ab Innocentio XI. damnatis: „Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam" (ad sacramentum poenitentiae). Assertionis veritas patet tum ex dictis de gratiae necessitate ad actus salutares, cum profecto ejusmodi dispositio sit salutaris; tum ex eo quod dispositio ordinarie loquendo proportionata esse debet formae, ad quam disponit. Atqui gratia justificationis maxime est supernaturalis; ergo et dispositio talis sit oportet. Cf. Thomas 1. 2 q. 109 a. 6.

3. Requiri praeterea cooperationem hominis liberam, docet concilium cap. 5 s. et can. 4 et patet tum ex dictis n. 101 ss., tum ex eo, quod haec dispositio in divinis literis est objectum praecepti, laudis, meriti (congrui), exhortationis, quae libertatem supponunt; tum ex variis doctrinae capitibus patrum, secundum quos hoc est discrimen inter creaturas rationales et irrationales, quod hae sine libera cooperatione in suos promoventur fines a divina providentia; illae vero, si jam rationis fruuntur usu, dependenter a sua cooperatione. Unde inferunt rationem damnationis ex defectu cooperationis, quem in sensum utuntur Osee 13, 9: *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Ratio vero est, quod justificatione homo constituitur ex inimico Dei amicus: reconciliatio vero et amicitia inter eos, qui ratione utuntur, libero contrahitur consensu. Cf. s. Thomas 1. 2 q. 113 a. 3; Ripalda disp. ult. s. 31.

138. **Thesis CXCV.** ***Dispositio ad justificationem necessaria complecti in primis debet fidem, qua credimus vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, non vero eam, qua quisque firmissime et sine haesitatione credit, propter Christum sibi non imputari peccata sua, sed esse remissa.***

Declaratio. Thesis est de fide, ut patet ex concilii sess. 6 cap. 6 et quoad alteram p. ex can. 12: »Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, A. S.« Statuitur contra protestantes, quorum plures triplicem distinguunt fidem: fidem miraculorum, qua patrentur miracula Matth. 17, 19, fidem historicam, qua credantur dogmata et facta revelata, et fidem promissionum, quam iterum distinguunt in generalem et specialem, qua peccator credat seu confidat sibi non imputari peccata propter Christum. Hanc statuunt esse fidem justificantem, eique adscribunt triplicem actum, fiduciae scil., refugii et receptionis, quo receptionis actu homo Christi gratiam apprehendat, Christo adhaereat eique se uniat. Fidem autem generatim ad justificationem esse necessariam, est evidens ex divinis literis, quae docent, *accedentem ad Deum credere oportere* Hebr. 11, 6; non credentem condemnari Marc. 16, 16; Joan. 3, 18; imo *impossibile esse sine fide Deo placere* Hebr. 11, 6.

139. **Demonstratio.** Utramque partem affirmantem et negantem simul probabimus. Conferantur **1.** s. Scripturae effata: Marc. 16, 15 s.: *Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* Joan. 20, 31: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*; Act. 8, 37. *Dixit Philippus* (eunucho): *Si credis ex toto corde, licet* (baptizari). *Et respondens ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Cf. Jo. 3, 16; Rom. 1, 16; 3, 22. 26; 4, 18 ss.; 10, 9 ss.; Gal. 2, 16. 20; 3, 22; Phil. 3, 19 etc. Hisce in testimoniis sermo est de fide justificante. Atqui nullibi proponuntur promissiones speciales ut ejus objectum; sed vel Evangelium qua late patet, vel divina Christi missio, vel generatim invisibilia mysteria etc.

2. Speciatim consulatur Hebr. 11, 1 ss. Hic enim **a.** sermo est de fide *justificante,* de qua Paulus dixit 10, 38: *Justus autem meus ex fide vivit;* et 11, v. 6: *Sine fide impossibile est placere Deo* etc.; **b.** de fide, quae pertinet ad intellectum: dicitur enim ἔλεγχος rerum quae non videntur, cujus objectum est creatio v. 3 etc.; ejus **c.** fructus sunt metus v. 7, qui ex fiducia oriri non solet, totque egregia patriarcharum facinora v. 4 ss., quae fidem dogmaticam praesupponunt.

3. Accedit auctoritas symbolorum, quae profecto sunt expressio fidei ad salutem necessariae i. e. justificantis. Atqui nullum exstat symbolum, cujus objectum sint promissiones speciales, sed omnia complectuntur summam doctrinae christianae. Suffragatur

4. praxis Eccliae, quae a justificandis nunquam primario exegit fidem specialem promissionum, sed fidem symbolis contentam.

5. Suffragatur ipsum fidelium nomen sane a fide justificante derivatum. Nemo vero numerabatur inter fideles, nisi qui integram Christi profiteretur doctrinam. Qui enim vel unum doctrinae christianae dogma negaret, haereticis accensebatur. Praeterea

6. protestantes secundum sua principia affirmare nequeunt, fiduciam illam esse fidem ad justificationem necessariam, nisi id evidenter ex s. Scriptura probent; nullibi autem hoc in divinis literis docetur. Non tamen propterea excludimus a fidei justificantis objecto hanc veritatem generalem, a Deo justificari impium per ejus gratiam propter redemptionem Christi Jesu. Ratio est, quia in ea objecta in primis tendere debet fides justificans, quae maxime idonea sunt ad excitandum hominem, ut se ad justificationem serio disponat. Ejusmodi autem est haec veritas, quae excitat in peccatore fiduciam seu spem, Deum sibi, si fecerit quod est in se, fore propter Christum propitium. Quare et ipsum conc. tridentinum sess. 6 cap. 6 exigit ut justificandi erigantur in spem „fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore." Cf. Rom. 4, 5; Act. 13, 38 etc.

140. **Thesis CXCVI.** ***Quo vero accuratius definiantur, quae de fide ad justificationem necessaria tenenda sunt, dicimus 1. fidem esse necessariam non tantum necessitate praecepti, sed et medii; 2. non sufficere fidem latiori sensu acceptam, sed requiri proprie dictam, eamque 3. se extendere debere virtute quidem et implicite ad omnia revelata per Christum; actu autem et explicite certe saltem ad veritates Dei exsistentis et remuneratoris.***

Declaratio p. I. Necessitas praecepti oritur **a.** ex voluntate superioris obligantis, respicit **b.** entia rationalia spectatque ad ordinem moralem, et quia **c.** ligat voluntatem mediante ratione, qua praeceptum innotescit, ignorata excusat: neglecta vero **d.** fundat culpam. Necessitas medii **a.** oritur ex relatione (objectiva), qua unum ad alterum tamquam medium ad finem consequendum refertur, ideoque **b.** spectat ad ordinem ontologicum et objectivum, cui etiam obnoxia sunt entia irrationalia: et quia **c.** hic independens est a nostra cognitione, ignorata non excusat: neglecta vero **d.** non semper fundat culpam, sed aliquam impotentiam consequendi finem intentum. Multiplex est necessitas medii. Si enim unum sine altero obtineri quidem potest, sed cum magna difficultate, habetur necessitas medii latiori sensu accepta seu moralis, quae iterum suos habet gradus. Si unum sine altero absolute obtineri nequit, habetur necessitas medii proprie dicta, et haec est vel physica, si oritur ex physica rei natura, quae quidem necessitas nonnisi per miraculum dispensationi est obnoxia; vel est metaphysica et plane indispensabilis, quae oritur ex essentiis rerum: hujusmodi est ex. gr. necessitas causae ad effectum habendum. Est insuper necessitas medii propria ordinis supernaturalis, eaque duplex: altera privilegiata, cum scilicet vi alicujus privilegii medium alioquin absolute necessarium alio suppleri potest, ut est necessitas

baptismi, qui suppleri potest martyrio etc.; altera est plane absoluta, quia fundata in rerum natura: et licet ab ea Deus dispensare possit, nunquam tamen in ea dispensat. Ejusmodi est ut nobis videtur, ex. gr. necessitas fidei et gratiae ad salutem consequendam. Cf. Lugo de euch. d. 3 s. 1.

141. **Demonstratio p. I.** Fidem necessariam esse necessitate praecepti, evidens est ex divinis literis, quae illam saepe vel praecipiunt vel exigunt. Quare damnata est propos. 16 ab Innocentio XI: „Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.“ Eam autem necessariam esse necessitate medii, docet Paulus ad Galat. 2, 16; Hebr. 11, 6 absolute pronuncians, *sine fide impossibile esse placere Deo;* docet concilium trid. sess. 6 c. 7 statuens: „Sine fide nulli unquam contigit justificatio;“ et iterum c. 8, ubi provocans ad perpetuum Ecclesiae catholicae consensum, statuit fide ideo justificari homines, „quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.“ Quae denuo inculcat concilium vaticanum sess. 3 c. 2: „Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur.“ Atqui necessitas, a qua non datur exceptio, necessitas est medii.

Idem docent patres, in primis Augustinus, quoties affirmat, opera infidelium esse peccata (n. 55); et Fulgentius de fide ad Petrum n. 1: »Fides est bonorum omnium fundamentum; fides est humanae salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam; et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est.« Rationem autem tantae necessitatis egregiam reddit s. Thomas de verit. q. 14 a. 10: »Non enim contingit aliquid de imperfecto ad perfectum adduci nisi per actionem alicujus perfecti: nec perfecti actio ab imperfecto statim recipitur in principio perfecte, sed primo quidem imperfecte, postea perfecte et sic deinde quousque ad perfectionem perveniat. Et hoc quidem manifestum est in omnibus rebus naturalibus, quae per successionem temporis aliquam perfectionem consequuntur. Et similiter videmus in operibus humanis et praecipue in disciplinis. In principio enim homo imperfectus est in cognitione. Ad hoc autem quod perfectionem scientiae consequatur, indiget aliquo instruente, qui eum ad perfectionem scientiae ducat, quod facere non posset, nisi ipse perfecte scientiam haberet utpote comprehendens rationes eorum, quae sub scientiam cadunt. Non autem in principio suae doctrinae statim ei, qui instruitur tradit rationes subtilium, de quibus instruere intendit; quia tunc statim in principio scientiam haberet perfecte qui instruitur; sed tradit ei quaedam, quorum rationes tunc cum primo instruitur discipulus nescit, sciet autem postea perfectus in scientia. Et ideo dicitur quod oportet addiscentem credere et aliter ad perfectam scientiam pervenire non posset, nisi scil. supponeret ea, quae sibi in principio traduntur, quorum rationes tunc capere non potest. Ultima autem perfectio, ad quam homo ordinatur, consistit in perfecta Dei cognitione. Ad quam quidem pervenire non potest nisi operatione et instructione Dei, qui est sui perfectus

cognitor: perfectae autem cognitionis statim homo in sui principio capax non est. Unde oportet, quod accipiat per viam credendi aliqua, per quae manuducatur ad perveniendum in perfectam cognitionem.« Quod brevius iterum statuit 2. 2 q. 2 a. 3; c. gentes III, 152 (cf. t. I n. 495[3]). Suaderi forte potest etiam hac ratione: Sicut vita animalis non explicatur, nisi praeeunte cognitione sensitiva, et rationalis nisi praeeunte lumine rationis: ita non poterit vivere homo vitam supernaturalem sicut oportet, nisi praefulgente cognitione supernaturali, quae modo fide continetur [1]). Non autem sufficit fides in voto, ut votum baptismi: cujus duplicem affert de Lugo d. 12 de fide n. 33 rationem: alteram ex Ecclesiae traditione, quae diversimode necessitatem baptismi et fidei intellexit; alteram ex natura fidei, quae non requiritur ad justitiam solum ut conditio ex divina ordinatione, sed ut causa, sine qua non sufficienter proponitur voluntati objectum amandum.

141. **Demonstratio p. II.** Fides proprie dicta continetur assensu Deo sive interius sive exterius per legatos loquenti propter ejus auctoritatem exhibito: fides late accepta assensu exhibito revelationi virtuali, seu creaturarum testimonio, quae sua exsistentia et ordine testantur Dei exsistentiam et sapientiam. Hic vero assensus potest esse vel naturalis, vel etiam supernaturalis ope gratiae elicitus. Cf. Ripalda d. 63 col. ultima s. 42 n. 461. Si fides continetur assensu solum naturali, evidens est ex toto tractatu, eam non sufficere ad salutem; sed neque sufficere, et si assensus sit *supernaturalis*, patet ex declaratione conc. vaticani (t. I. n. 458); ex prop. 23 ab Innocentio XI. damnata: „Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.« Colligitur autem ex Scripturis et patribus, qui quoties fidei necessitatem urgent, nomine fidei fidem proprie dictam intelligunt. Si autem quaeras, quomodo ergo provisum sit infidelibus, ad quos nondum pervenit revelatio christiana: provocamus ad axioma: Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam: hinc enim inferunt theologi cum s. Thoma, Deum provisurum esse (sive per missionarium, sive interna illustratione etc.) illi, ut ante mortem de iis, quae ad salutem necessaria sunt, instruatur (n. 80[5]). Forte dici etiam potest, illa pauca, quae necessaria sunt ad salutem (n. 143), ex primitiva quadam revelatione satis transfusa esse ad omnes populos, ut illi innixus infidelis, qui est bonae voluntatis, ope gratiae actum fidei concipere possit. Cf. Viva in prop. 23. damn.

142. Fides explicita ea est, quae veritatem credendam in se attingit; implicita vero ea dicitur, quae veritatem creditam in se ipsa non concipit, neque cognoscit, sed in alia veritate explicite credita implexam atque latentem complectitur. Veritas autem, in qua aliquid implicite creditur, est vel **1.** objectum formale fidei, seu auctoritas Dei revelantis, qua fideliter admissa omnia virtute et animi dispositione tam-

---

[1]) Sed ne putes, omnem cogitationem seu illustrationem supernaturalem formaliter esse jam cognitionem fidei: primum enim actum fidei praecedere debent illustrationes et apprehensiones supernaturales, quae gradatim animum ad fidem disponant, et germinis instar atque aurorae sint fidei. Possunt tamen ejusmodi illustrationes supernaturales merito revocari ad gratiam fidei, quia ad fidem disponunt, tendunt, eamque aspirant atque gignunt, nisi gratiae resistitur.

quam vera admittuntur, ad quae ejus revelatio se extendit. Ita fideles actum fidei implicitae in alias veritates revelatas eliciunt, cum dicunt: credo quidquid Deus infinita veritas revelavit. Vel **2.** est regula seu organum proponens revelationem, ut cum dicitur: credo quidquid credendum docet Ecclesia; vel **3.** veritas aliqua spectans ad objectum materiale fidei explicite credita, in qua alterum includitur, aut ita, ut sine alia revelatione possit ex ea ratione deduci: sic qui credit propositionem universalem, credit implicite omnes propositiones particulares sub ea comprehensas; aut ita unum in altero continetur, ut id sine nova revelatione assequi non possit humana ratio. Sic qui credit unum verum Deum, implicite credit Patrem, Filium et Spiritum sanctum (cf. t. I. n. 151).

143. **Demonstratio p. III.** Necessario credendum esse virtute saltem et implicite quidquid revelatio christiana complectitur, probatur iis, quibus in thesi praecedenti necessitatem fidei demonstravimus ad justificationem consequendam. Omnia enim probant, fidem justificantem debere se extendere ad Evangelium, qua late patet; ad omnia, quaecunque mandavit Christus quaeque tamquam legatus Dei nos docuit. Quod ipsa etiam fidei ratio evincit. Ea enim innititur auctoritate Dei, quo motivo fidelis ad assentiendum movetur. Atqui non movetur vere auctoritate Dei, si non omnibus assentit, quae substant huic motivo: nam hoc motivum cum aequale sit pro omnibus veritatibus revelatis, ex aequo determinat intellectum. Ergo vel omnia credentur, vel nihil vere propter hoc motivum creditur, sed pro lubitu quae placent creduntur, ut ipso haeresis nomine ab αἱρέομαι eligere derivato significatur. Fieri autem nequit multiplici ex capite (cf. t. I n. 149[1]), ut fideles omnes explicite teneant fide singulas veritates revelatas, cum vix eruditi id possint. Sufficiet ergo, ut quae explicite non creduntur, implicite saltem teneantur. Neque de hoc dubium est inter theologos. Quaestio potissimum versatur circa ea, quae explicite sint tenenda.

144. Omissis iis, quae necessitate praecepti explicite sunt credenda, de iis tantum, quae certo sunt explicite necessitate medii credenda, agemus. Haec assignat Paulus Hebr. 11, 6. Postquam enim dixit, *sine fide impossibile esse placere Deo,* subdit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Quod confirmatur **1.** prop. 22 per Innocentium XI. damnata: „Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.“ Accedit **2.** unanimis theologorum consensus, qui etsi in aliis mysteriis assignandis, quae necessario sint credenda, inter se dissentiunt, in asserenda necessitate fidei utriusque hujus veritatis plane conspirant. Suadetur **3.** ratione. Fides enim cum ad salutem necessaria sit tamquam me-

dium natura sua ad illam disponens, tamquam initium et radix, illas in primis veritates respicere debet, quarum cognitio hominibus prae ceteris est necessaria, ut possint tendere ad salutem, et quae omnium aliarum veritatum sunt fundamentum. Ejusmodi vero sunt profecto veritates Dei exsistentis, qui est finis hominis, et Dei remuneratoris, cui displicent peccata, placent bona opera. Unde Thomas lect. 2 in Hebr. 11, 6: „Non solum, inquit, est necessarium credere, quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus: aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.“ Cf. 2. 2 q. 1 a. 7. Deus autem considerari potest ut remunerator praemiis vel naturalibus, vel supernaturalibus, vel praescindendo consideratione ab ordine sive naturali sive supernaturali. Jam vero necessarium non est credere Deum remuneratorem praemiis supernaturalibus explicite et reflexe, dummodo ne credatur remunerator tantum naturalis: haec enim fides foret falsa.

145. **Scholion.** *De veritatibus necessitate medii explicite credendis.* — Gravior est controversia, num praeter has duas veritates aliae necessitate medii explicite sint credendae: speciatim mysteria Trinitatis et incarnationis. Qua de re quadruplex est sententia. Graves enim theologi cum Suarez et de Lugo d. 12 s. 4 necessitatem medii negant, cujus sententiae hae videntur praecipuae rationes: **1.** haec necessitas medii non potest demonstrari ex rei natura; eruenda ergo est ex positiva Dei voluntate; de hac autem **2.** satis non constat, ut patet ex ipsa dissensione theologorum. Quae autem necessaria sunt necessitate medii, manifesta esse oportet, ut ex. gr. certa est baptismi necessitas. Quid, quod **3.** nihil certius hac baptismi necessitate, et tamen baptismus suppleri potest ejus voto eoque implicito? Poterit ergo sufficere etiam horum mysteriorum fides explicita re vel in voto. Ad haec **4.** plures ex patronis alterius sententiae concedunt, hanc fidem ante Christi adventum non fuisse adeo necessariam. Quis ergo putabit, difficultatem consequendae salutis pro infidelibus solo Christi adventu, nulla facta promulgatione, fuisse auctam? Hinc **5.** Paulus disserens Hebr. 11, 6 de fide quovis tempore necessaria ejusque objecto, horum mysteriorum nullam facit mentionem. — Quod attinet effata Scripturae et patrum, quae necessitatem fidei in Christum urgent, responderi potest vel **a.** ea saepe nimium probare; ex iis enim sequi aliorum quoque mysteriorum fidem esse absolute necessariam; **b.** ea urgere gravissimam necessitatem sed praecepti tantum; cui satisfieri possit in fidei explicitae impossibilitate fide implicita et in voto; vel **c.** ea esse affirmantia, quae inculcant fidei in Christum efficaciam; vel **d.** ea agere de fide per Christum, quam scil. habemus ex meritis Christi; vel denique **e.** patres loqui de facto, quod scilicet ii, qui carent fide in Christum, non soleant fere salutem consequi.

Secunda sententia plane opposita horum mysteriorum fidem semper fuisse absolute necessariam tuetur, quae tamen est obsoleta et paucorum. — Succedit duplex sententia media. Altera, quae est Melchioris Cani, Bañez etc., distinguit inter salutem et justificationem, et contendit, ad illam, non vero ad hanc, absolute necessariam esse horum mysteriorum fidem. Altera distinguit tempora, et contendit, horum mysteriorum fidem in vetere testamento non

fuisse, modo vero esse necessariam. Ita Valentia, Becanus, Antoine et Gotti cum plerisque thomistis, quorum praecipuum argumentum petitur ex effatis Scripturae et patrum, quae necessitatem fidei in Jesum Christum valde urgent. Cf. Mazzella de virt. inf. d. 3 a. 10.

146. In hac sententiarum varietate monemus, in praxi sequendam esse sententiam affirmantem ob responsum a congregatione s. Officii datum 28 Febr. 1703, quo decernitur „missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare fidei mysteria, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et incarnationis.“ Hoc autem responso quaestionem non esse peremptorie solutam, liquet **a.** ex eo quod non constat, num s. congregatio voluerit eam dirimere. Unde **b.** non obstante hoc decreto theologi ad nostros usque dies hac de re dissentiunt. Quod si **c.** urgetur decretum, sequitur ex ipsius verbis, alia quoque esse necessaria necessitate medii, quod non facile concedent theologi. Quare illud non videtur esse intelligendum de necessitate medii sensu presso, sed tantum de necessitate summa et si per adjuncta adhuc liceat moribundum instruere: quo sensu scil. ab Innocentio XI. damnata fuit prop. 64: „Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium ss. Trinitatis et incarnationis D. N. J. Christi.“ Quare statui poterit cum Suarez d. 12 de fide s. 4 conclusio: „Dicendum est, fidem explicitam Christi per se loquendo esse necessariam omnibus et singulis in statu legis evangelicae ad utramque salutem. Unde etiam dici potest medium necessarium, quamvis non semper in re, sed vel in re, vel in voto.“ Quae videtur etiam sententia s. Thomae 2. 2 q. 2 a. 7 ad 3: „Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset.“ Cf. de verit. q. 29 a. 7 ad 7.

147. Thesis CXCVII. *Sola fides non justificat.*

Declaratio. In thesi unum ex erroribus fundamentalibus novatorum sec. XVI. refellimus. Duplici sensu intelligi potest propositio, sola fides justificat: affirmative, ita ut affirmetur, inter plures dispositiones, quae ad justificationem disponunt, fidem sufficere, quamvis aliae non adsint; vel exclusive, ut significetur, nullam aliam dispositionem ad justificationem conducere excepta fide. Uterque sensus est falsus. Protestantes propositionem posteriori praesertim sensu tuentur. Contra hunc errorem statuit con. tridentinum sess. 6 c. 9: „Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, A. S.“ Cf. etiam c. 12. 14. Cum vero exclusio bonorum in justificationis negotio nimis abhorreret a sensu christiano, fatebantur subinde plures ex adversariis, quamvis sibi pro more contradicentes, se non penitus excludere bona opera, cum ea sponte sua consequantur veram fidem et requirantur non necessitate exigentiae seu dispositionis, sed necessitate veritatis seu ut signa verae fidei. Cf. Möhler Symb. § 18. 22; Winer vergleich. Darst. p. 99.

148. **Demonstratio. 1.** Probatur thesis hoc argumento: Plures ob defectum bonorum operum damnabuntur, quamvis habeant fidem, ut patet ex integro cap. 25 Matth. et 7, 21: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Ergo propter defectum bonorum operum carent gratia justificante, alioquin non damnarentur. Ergo sola fides non justificat. Ita etiam epuloni non exprobratur defectus fidei, sed misericordiae bonorumque operum Luc. 16, 19 ss. Quapropter hortatur Christus ib. v. 9: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula;* et Spiritus sanctus docet Eccli. 1, 28: *Qui sine timore est non poterit justificari.* Atqui fieri non posset, ut fidelis ob defectum operum damnetur, si sola fides justificat sive u justificationis forma, sive ut dispositio sufficiens. Ergo sola fides absque aliis actibus et operibus non justificat.

2. Minus sane requiritur ad conservandam justificationis gratiam, jam adeptam, quam ad eam primum consequendam. Atqui ad eam conservandam ex dictis non sufficit sola fides, nam *qui facit voluntatem Dei, manet in aeternum* 1. Jo. 2, 17. Ergo neque sola fides justificat.

3. Hinc Deus ad salutem plus exigit, quam solam fidem, scilicet conversionem ex toto corde, poenitentiam de omnibus iniquitatibus, cor novum Zach. 1, 3; Joel 2, 12; Ez. 18, 30 etc. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. 19, 17 et 6, 12: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris . . . Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester coelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ejusmodi vero exhortationibus non satisfit sola fide vel fiducia; neque sola fide satisfit sermoni montano Matth. 5. 6. 7, in quo Christus plura exigit ad salutem consequendam. Ergo sola fides non sufficit ad salutem.

4. Secundum Paulum 1. Cor. 13, 2 etiamsi quis habuerit *omnem* fidem adeo, ut montes transferat, si caritate destituitur, ea nihil prodest; fides, si opera non habet, *mortua est,* non potest salvare secundum Jacobum 2, 14 ss. Atqui haec de fide dici non possunt, si ea sola, omnibus destituta, justificat peccatores ideoque vivificat. Ad haec

5. doctrina protestantium, quomodocunque demum explicetur, ex se omnibus peccatis sternit viam. Si enim sola fides justificat, cum quilibet peccator credere possit, etiamsi actu peccet vel nolit emendare vitam, sequeretur etiam, ejusmodi hominem posse justificationis gratiam consequi. Ea insuper est praeter Scripturam, cum nullibi legatur, homines justificari sola fide, nisi textus corrumpatur. Nihil autem secundum protestantes admittendum est, praesertim tamquam dogma fundamentale,

quod non clare in Scripturis continetur. Sed est etiam contra Scripturam, cum passim salus aliis quoque adscribatur dispositionibus. Imo s. Jacobus eam diserte videtur praedamnasse scribens 2, 24: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum* [1]). Hinc illae irae!

149. **Scholion I.** *De aliis dispositionibus.* — Si autem quaeras, quinam alii actus praeter fidem ad justificationem disponant, respondet conc. tridentinum sess. 6 c. 6 ad justificationem disponere timorem, spem, dilectionem, poenitentiam, votum baptismi et propositum novae vitae. De singulis actibus pauca.

1. Timorem ad justificationem disponere, facile probatur. Nam actus ille merito inter dispositiones ad justificationem refertur, qui obstacula removet, cor hominis a peccati amore avellit compellitque ad Deum confugere; ejusmodi autem est timor, qui propterea dicitur Eccli. 1, 16; Psal. 110, 10 etc. *initium sapientiae,* et Eccli. 1, 27 *expellere peccatum;* imo mox subjicitur, *qui sine timore est, non poterit justificari.* Hinc passim Deus peccatores timore poenarum terret, ut terrore perculsi salutarem agant poenitentiam, convertantur atque salutem assequantur Ex. 20, 20; Jonae 3; Matth. 3, 7 s. etc. Unde Augustinus de cat. rud. c. 5: »Rarissime accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.«

2. Spem disponere negare non possunt protestantes, qui demum totam dispositionem ad fiduciam i. e. spem revocant. Eam exigit Christus Matth. 9, 2: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* exigit et rei natura. Nemo enim serio ad aliquid obtinendum se disponet, nisi illud se assequi posse speret. Hinc Ambrosius de poenit. I, 1: »Nemo potest agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.«

3. Optimam dispositionem esse dilectionem, patet ex Jo. 14, 21; Luc. 7, 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* et ex rei natura. Justificatione enim homines Deo reconciliantur ejusque constituuntur amici. Ad reconciliationem vero et amicitiam ineundam optima est dispositio, si quis amore perfecto in eum, quem offenderat, feratur. Imo adeo efficax ea est, ut justificet extra sacramentum, ut ex th. 245 patebit.

4. Idem dicatur de poenitentia (cf. infra n. 458 ss.). Cum vero

5. nec vera sit dilectio, nec vera poenitentia sine proposito novae vitae et observationis mandatorum, inter quae eminet ratione suae necessitatis prae-

---

[1]) Unde mirum esse non debet plerosque protestantes sive pudore sive veritatis evidentia coactos jam recessisse ab hoc dogmate alioquin fundamentali protestantismi. Ita ex. gr. scribit Hase Handbuch der protest. Polemik ed. 4 pag. 264: »Man darf es offen aussprechen, dass dem jetzt herrschenden protestantischen Bewusstsein die semipelagianische Richtung des katholischen Dogma näher liegt als das reformatorische in seiner düstern Majestät. Daher geschehen ist, dass protestantische Theologen unserer Tage, und solche die sich für Träger des reinen Lutherthums achteten, als den seligmachenden Glauben gerade den in der Liebe thätigen beschrieben, genau nach den scholastischen Begriff der fides formata und ihn einem vermeinten katholischen Dogma, der Rechtfertigung durch gute Werke entgegenstellten.«

ceptum de suscipiendo baptismo, patet, utrumque propositum ad justificationis dispositionem requiri. Cf. Bellarminus I, 13.

150. Non negamus, praeter actus a concilio enumeratos alios quoque hominem disponere ad justificationem, ut orationem, humilitatem, opera misericordiae etc. Ideo vero concilium illos in primis commemorat, quod **1.** hi actus prae aliis necessarii sint; **2.** fere semper in adultorum praeparatione adesse soleant; **3.** prae aliis magis directe disponant; in omnium **4.** sint potestate, et **5.** sponte sua ex fide, velut e radice, oriantur. Cf. Thomas 3. p. q. 85 a. 5; Suarez VIII, 18 s.; Ripalda d. ult. s. 33.

151. **Scholion II.** Actus, quos recensuimus n. 149, non sunt ejusdem necessitatis in ordine ad justificationem. Quod quo accuratius explicemus, has statuimus propositiones:

1. Duplici modo peccator justificationis gratiam consequi potest, scil. vel ex opere operato i. e. sacramentis baptismi aut poenitentiae, vel extra sacramentum re susceptum ex opere operantis: pro quo duplici justificationis modo duplex quoque distingui debet dispositio. Porro concilium loquitur de dispositione in genere ad justificationem (non ad baptismum), sive haec virtute sacramenti, sive extra illud obtineatur, ut patet tum ex cap. 4, tum ex verborum universalitate „disponuntur autem ad ipsam justitiam", tum ex scopo decreti, voluit enim plenam justificationis doctrinam tradere; tum quia inter dispositiones recenset votum etiam baptismi.

2. Dubitari nequit, minorem requiri dispositionem ad justificationem per sacramentum, quam extra illud consequendam. Quod patet **a.** ex consensu theologorum sensuque fidelium, qui bene sperant de iis, qui moriuntur baptismo vel poenitentiae sacramento suscepto: anxii vero sunt de iis, qui illo destituti vita decedunt; **b.** ex doctrina conc. sess. 14 c. 4; **c.** ex scopo institutionis sacramentorum. Instituta enim fuerunt, ut faciliorem redderent consecutionem salutis. Si vero ad justificationem sacramentis obtinendam eadem dispositio requireretur, quae absque illis sufficit, sacramenta non redderent faciliorem viam salutis, sed potius impeditiorem.

3. Etsi timor fere semper adest in dispositione adulti et admodum est utilis, necessarius tamen non est actu explicito, neque necessitate medii, neque praecepti. Qua de causa in can. 3, ubi iterum recensentur actus, qui ad justificationem disponunt, omittitur.

4. Ad justificationem, quocunque demum modo obtinetur, necessarius est in adulto aliquis actus poenitentiae, et non solum necessitate praecepti, sed et medii, ut patebit ex tract. de poenitentia.

5. Caritas et contritio perfecta necessario requiruntur ad justificationem extra sacramentum consequendam, non vero si virtute sacramenti obtinetur.

6. Spes et propositum sive suscipiendi baptismi sive servandi praecepta sunt necessaria necessitate connexionis: illa non tam propter se, quam propter alios actus; requiritur enim ut habeatur efficax conversio in finem, ut homo se serio ad justificationem consequendam disponat, et sponte sua oboritur ex fide Dei remuneratoris. Propositum vero illud duplex requiritur, ut vera sit et sufficiens poenitentia et contritio.

7. Plerumque peccatores paulatim disponi solent; potest tamen Deus subito peccatorem ad justificationis gratiam disponere, ut in Paulo factum esse credimus. Cf. Thomas 1. 2 q. 112 a. 2 ad 2; q. 113 a. 7.

8. Actuum series, quam concilium c. 6 describit, rerum naturis hominisque indoli plane est accommodata; non tamen ita constans est et necessaria, ut ex parte saltem non possit inverti: sed semper actus fidei utpote justificationis radix et fundamentum praeire debet.

9. Dispositionem eo momento, quo perficitur, excipit ipsa justificatio. Nam ut ait Deus Ezech. 33, 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit.* Dispositio, quatenus disponit et justificationis gratiam praecedit, dicitur informis; quatenus cum gratia, ad quam disponit, jam conjungitur et ab ea perficitur, dicitur formata.

152. **Scholion III.** Dispositio, quam descripsimus, non tantum est conditio sine qua non, sed veri nominis dispositio moralis, quae Deum ad justificationis gratiam elargiendam aliqualiter, praesertim si est perfecta, movet. Hoc statuimus contra lutheranos. Sane

1. concilium id docet, cum actibus illis passim vindicet vim disponendi, praeparandi, impetrandi, et quidem ita, ut gratia infundatur etiam secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Cf. sess. 6 cap. 5. 6. 7; can. 4 et 9; sess. 14 cap. 4.

2. Doctrinam hanc hausit ex Scripturis patrumque traditione: in quibus **a.** hi actus exhibentur connexi cum salute et ad eam recta ducere Zach. 1, 3: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* Ez. 18, 21: *Si impius egerit poenitentiam . . . vita vivet et non morietur;* Rom. 10, 13 etc.; **b.** exhibentur motivi instar moventis Deum ad conferendam justificationis gratiam; Luc. 7, 47; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* 18, 14: *Dico vobis: descendit hic* (publicanus) *justificatus in domum suam ab illo: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur;* Rom. 4, 17 ss. etc. **c.** Pro ratione horum actuum dicitur conferri gratia. Ita Cyrillus hier. cat. 1 n. 5: „Remissio peccatorum ex aequo datur omnibus; communicatio vero Spiritus sancti secundum proportionem fidei uniuscujusque." Ejusmodi vero characteres non conveniunt conditioni sine qua non, sed verae dispositioni causalitate morali praeditae. Imo

3. adeo causalitatem huic dispositioni tribuunt divinae literae, ut affirment, hominem hisce actibus seipsum sanctificare, justificare, emundare etc., 1. Jo. 3, 3: *Omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se;* Ez. 18, 30 s.; Eccli. 2, 20 etc. Atqui ejusmodi actus neque causalitate physica neque formali justificant: hoc enim est gratiae habitualis in justificatione infusae; ergo causalitate morali. Quam illi vindicant et patres, cum docent, homines fide impetrare, merere gratiam justificationis. Ita Augustinus ep. 186 n. 10: „Cum fides impetrat justificationem, . . . non

gratiam aliquid meriti praecedit humani: sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici."

4. Denique Suarez hac ratione VIII, 9 n. 16 id probat: „Quamvis ex conditionali locutione formaliter non inferatur causalitas, tamen in materia promissiva (ut sic dicam) optime infertur, quando conditio requisita est aliquod obsequium liberum exhibendum ab eo, cui talis promissio sub tali conditione fit, et intuitu cujus aliquid promittitur: quia tunc illud opus, quod exigitur, est moralis ratio obtinendi, quod promittitur, et hoc est esse causam moralem. Hoc autem modo offertur remissio peccatoribus, si poenitentiam agant: et conversio Dei ad ipsos per gratiam, si ipsi ad Deum per congruentem dispositionem convertantur."

153. **Thesis CXCVIII.** ***Solam fidem justificare neque evincunt 1. ea Scripturae effata, quae justificationem et salutem fidei adscribunt; neque 2. Pauli testimonia docentis, hominem vel sine operibus legis, vel generatim sine operibus, vel gratis justificari; neque 3. patrum quorundam dicta, quibus diserte soli fidei salutem adscribunt.***

Demonstratio p. I. Testimonia, quibus salus fidei adscribitur, praetermissis iis, quae tumultuario et inepte allegantur ut Matth. 9, 22; 15, 28; Luc. 8, 48 etc., non favere doctrinae protestantium, ostenditur **1.** retorquendo argumentum. Nam salus passim etiam aliis adscribitur dispositionibus, ut timori, poenitentiae etc. Posset ergo secundum argumentandi rationem protestantium inferri, solum etiam timorem absque fide ad justificationem sufficere: quod tamen nemo concedet. Ad haec **2.** testimonia objecta sunt affirmantia, non excludentia, ideoque ex aliis locis suppleri debet quod in iis tacetur. Ad rem Augustinus de fid. et oper. c. 9: „Scriptura tacuit atque intelligenda dimisit cetera, quae cum illo spadone baptizando Philippus egit (Act. 8, 38); atque in eo, quod ait, *baptizavit eum* Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quae licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda." Eoque minus **3.** alias dispositiones excludere licet, quod Scriptura loquitur de fide non mortua, sed viva, ex qua sponte sua reliquae dispositiones oriuntur. Quare Cyprianus de unitate Eccl. n. 2: „credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit?" Ceterum **4.** non desunt rationes, propter quas justificatio fidei in primis adscribitur, ut scilicet **a.** fidei necessitas inculcetur; quod **b.** ea sit primus gressus ad justificationem; quod **c.** reliquae dispositiones in ea radicem habeant et ex ea, nisi homo resistat, sponte sua oriantur; quod **d.** ipsa viam ad justificationem consequendam demonstret ideoque potestatem det filios Dei fieri Jo. 1, 12. Hinc concilium trid. vocat fidem initium justificationis, quia est primus veluti gressus ad reconciliationem et primum vinculum, quo conjungimur arctius Deo; fundamentum, quia tota justificati vita fide inniti debet; et radix, quia non est fundamentum mortuum sed actuosum, ex quo aliae dispositiones progerminant, quod hominem ad justificationem consequendam urget jugiterque in eum influit, nisi resistat. Cf. Franzelin de sacr. th. 8.

154. **Demonstratio p. II.** In primis provocant protestantes ad testimonia Pauli, quibus docet homines justificari sine operibus legis,

vel generatim sine operibus. Ita Rom. 3, 28: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*; Rom. 4, 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Cf. v. 4; 11, 6; Eph. 2, 8 s.; 2. Tim. 1, 9; Tit. 3, 5; Gal. 2, 16; 5, 4; Phil. 3, 9. Verum haec testimonia tunc tantum adversarentur doctrinae catholicae, si Paulus excluderet opera, quae fidem consequuntur, fide innituntur; atqui non de his disserit operibus, sed de iis, quae fidem praecedunt, fide non innituntur, viribus naturae eduntur. Quod

1. probatur ex harmonia Scripturae, quae contradictionem omnem excludit. Atqui vera foret contradictio, si Paulus ea a justificationis dispositione excluderet, quae ad illam tam diserte exigunt divinae literae (n. 148); imo ipse Apostolus 1. Cor. 13, 2: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*; Rom. 2, 13: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*; Gal. 5, 6: *In Christo J. neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium: sed fides, quae per charitatem operatur* etc. Hinc etiam in omnibus epistolis sollicite ad bona hortatur opera.

2. Probatur ex scopo s. Pauli; evidenter enim eos refellit, qui rejecta vel neglecta fide solis viribus naturae operibusque sive moralibus sive caeremonialibus se veram coram Deo assequi justitiam confidebant.

3. Probatur ex argumentatione s. Pauli ad Galat. 2, 21: *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est;* 3, 18; 5, 5; quae valida est, si loquitur de operibus fide non innixis seu naturalibus deque merito condigno inde oborto; invalida vero, si excluderet etiam opera fidei: nam ad haec edenda requiritur gratia, quam Christus sanguine suo nobis promeruit, quo etiam obtinuit, ut ejusmodi opera in dispositionem ad justificationem a Patre acceptarentur. Quare si ejusmodi opera requiruntur ad justificationem, Christus non est gratis mortuus. Revera Paulum opera naturalia tantum excludere, colligitur etiam ex Rom. 4, 2 ss., ubi explicat, quid nomine operum intelligat, ea scil., quae opponuntur fidei, quibus, quod redditur, merces est, non gratia.

4. Probatur ex constanti horum locorum interpretatione, quae obtinuit in Ecclesia usque ad seculum XVI. In hoc enim omnes conveniebant, Paulum non excludere opera gratiae, fructus fidei. Cf. Wieser Pauli ap. doctrina de justific. § 3. 4. 10. 15; Suarez VIII, 22.

155. **Corollarium.** *Jacobi doctrina.* — Quare difficile non est Paulum cum Jacobo, qui tam diserte opera ad justificationem exigit, conciliare. Nam Paulus excludit a justificationis negotio opera in fide non fundata, naturalia: Jacobus vero postulat opera salutaria, ex fide tamquam hujus fructus profecta. Loquitur enim **a.** de iis, quae ad justificationem conducunt 2, 24; sine quibus **b.** fides est mortua vers. 14. 17. 20 et 26; quae **c.** sunt fructus et consummatio fidei, ad quae fides cooperatur vers. 22; quorum **d.** exempla

habemus in Abraham et Rahab, qui propter fidem et opera inde profecta magnam laudem apud Deum et gratiam consecuti sunt v. 21 s.; 25 coll. Hebr. 11, 17. 31. Cf. Wieser § 20. Neque desunt exegetae, qui cum s. Augustino l. 83 qq. q. 76; enarr. 2. in Ps. 31 n. 3; de fide et op. c. 14 n. 21 censent, voluisse s. Jacobum corrigere falsam doctrinae s. Pauli explicationem. Cf. Tüb. Qtlschr. 1880 pag. 60 ss.

156. Provocant deinde protestantes ad Pauli testimonia, quibus docet hominem justificari *gratis*. Qua loquendi ratione excludit opera tantum naturalia, ex fide non profecta, meritoria de condigno: non vero omnem dispositionem ex gratia profectam, alioquin excluderet vel ipsam fidem. Sicut ergo fides non obest gratuitati justificationis, ita neque adversabuntur aliae dispositiones. Praesertim cum quidquid inest pretii in ejusmodi actibus, illis insit ex gratia praevenienti gratis prorsus collata et ex promissione divina gratuita. Quare justificatio mediate semper et in radice est gratuita: imo etiam quadamtenus immediate et proxime; quia ejusmodi dispositioni, etsi perfectae, ad summum inest ratio meriti congrui, quod conciliari potest cum gratuitate rei, quae conceditur (cf. n. 67[6]).

157. **Demonstratio p. III.** Verum est, nonnullos patres soli fidei adscribere salutem; sed hac loquendi ratione nullatenus excludere volunt alios actus tamquam necessarios, qui sponte sua fidem consequuntur, cum et ipsi illos alibi tantopere inculcent et postulent. Quare vel **1.** prementes vestigia Pauli excludunt opera legis naturalia, fidem praecedentia; vel **2.** loquuntur de fide viva, de fide practica, quae ceteras conditiones ad justificationis gratiam consequendam adimplet; vel **3.** loquuntur de casu necessitatis et excludunt tantum opera externa, ut ex. gr. s. Bernardus op. 10 de baptismo c. 2 n. 8; vel tandem **4.** nomine fidei intelligunt religionem christianam, aut fidem catholicam haeresi oppositam, et inculcare volunt, fidem justificantem non esse fidem haereticorum, sed fidem solius verae Ecclesiae, i. e. catholicae.

158. Si autem quaeritur, quo sensu opera requirantur ad justificationem, cum plures videantur justificari absque operibus, dicimus **1.** si nomine operum intelliguntur actus, ut spei, poenitentiae etc., manifestum est ex dictis, ea requiri ad complendam dispositionem per fidem. Si vero **2.** intelliguntur opera externa, ea requiruntur in proposito, servandi scil. praecepta Dei, et actu urgente praecepto ante actualem justificationem. Requiruntur **3.** actu ad augendam justificationem, ad eam servandam et fovendam urgente praecepto: et quamvis plura bona opera absolute non sint necessaria, moraliter tamen sunt necessaria ad gratiam perseverantiae impetrandam.

Caput II.

De natura et essentia justificationis.

159. Circa ipsam justificationem sedulo distinguere debemus, quae Ecclesia tamquam dogmata fidei contra protestantes definivit, ab iis, quae spectant potius ad uberiorem quandam dogmatum explicationem. Quare prius dogmata fidei catholicae adversus protestantes vindi-

cabimus, deinde subtilius in justificationis naturam inquiremus, considerantes ejus effectus formales et partes integrantes: quod ut melius fieri possit, nonnulla de habitibus et virtutibus inserenda erunt; quam disputationem excipient justificationis causae atque proprietates. Quare omnia ad quinque revocabimus articulos.

Articulus I.

De natura et essentia justificationis secundum fidem catholicam.

160. **Thesis CXCIX.** ***In justificatione peccatoris peccata a Deo vere remittuntur et delentur.***

Declaratio. Thesis est de fide, ut patet ex concilii tridentini sess. 5 c. 5: „Si quis per Jesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, A. S.“ Loquitur quidem concilium tantum de peccato originali, sed quod de hoc affirmatur, de aliis quoque peccatis est tenendum, ut liquet ex collatione sess. 6 cap. 7. Non tamen **1.** contendimus peccata deleri in ordine historico seu fieri infecta; sed dicimus **2.** vere remitti, ita ut in ratione culpae provocantis iram ea plane cessent, ac si peccator nunquam peccasset. Ideoque **3.** delentur in ordine morali, ut amplius non sint. Possunt quoque **4.** dici deleri in ordine physico ratione cujusdam maculae, quam anima peccato incurrit amittendo gratiam sanctificantem, cujus defectus animam Deo reddit invisam. Thesis est contra protestantes, secundum quos peccata in justificatione teguntur tantum, non imputantur nulla facta vera emundatione: quae eorum opinio quatenus affirmat peccatorum non imputationem, vera est: quatenus negat veram emundationem, prorsus est damnanda.

161. **Demonstratio. 1.** Probatur thesis ex divinis literis. Etsi in Scriptura subinde dicitur Deus tegere peccata et non imputare ut Ps. 31, 1; Ez. 33, 16; 2. Cor. 5, 19: saepissime tamen, cum de remissione peccatorum est sermo, ea dicuntur **a.** tolli, auferri Joan. 1, 29; transferri 2. Reg. 12, 13; longe fieri Ps. 102, 12; deleri Act. 3, 19; Isai. 44, 22; mundari Ephes. 5, 26 s.; Ez. 36, 25; ablui 1. Cor. 6, 11, ut sordes et maculae delentur Ps. 50, 9; 2. Cor. 7, 1; Hebr. 9, 13; purgari ib. 1, 3; etc., adeo ut **b.** justificatus sit lotus et dealbatus Isai. 1, 18; novus homo, iterum creatus, quasi quod antea fuerat, sit annihilatum Ps. 50, 12; 2. Cor. 5, 17; peccata **c.** exhibentur ut livores, plagae, languores, morbi, vulnera, quae dicuntur sanari; vel ut vincula, quae solvuntur Rom. 6, 22; vel ut mors, quae collatione novae vitae resuscitatione excluditur Eph. 2, 5: *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos* (Deus) *in Christo J.;* 1. Joan. 3, 14; Rom. 6, 4 ss.; status peccati **d.** exhibetur ut status tenebrarum, status justitiae ut status lucis Eph. 5, 8: *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii*

lucis ambulate; 1. Petr. 2, 9; quibus omnibus si non designatur vera remissio deletioque peccatorum, verba desunt, quibus ea significari possit.

2. Dedecet Deum Patrem, cujus adeo mundi sunt oculi, ut malum videre et ad iniquitatem respicere non possint (Hab. 1, 14), amicos et filios peccato adhuc maculatos habere. Dedecet Deum Filium, qui venit Adae ruinam reparare, si id non potuit praestare et si tantum exterius dealbavit humanum genus interius Adae peccato infectum, quemadmodum sepulcra dealbari solent, ut appareant speciosa (Matth. 23, 27). Dedecet Deum Spiritum s., qui non habitat in corpore subdito peccato (Sap. 1, 4), templa incolere peccato inquinata. Atqui haec sunt affirmanda, si, ut protestantes contendunt, peccata in justificatione teguntur tantum, non vero delentur, adeo ut maneant, quamvis non imputentur.

3. Relate ad Deum, in cujus conspectu non est ulla creatura invisibilis et cujus oculis omnia nuda et aperta sunt (Hebr. 4, 13), idem est aliquid esse tectum et deletum. Ergo etiamsi concedatur, in justificatione peccata tegi, ut vere sint tecta coram Deo, necesse est, ut sint deleta. Quare teguntur peccata a Deo non dissimili ratione, qua ratione medici tegunt vulnera, non solum ut non appareant, sed ut sanentur et plane evanescant.

4. S. Augustinus saepe doctrinam catholicam tradit et protestantium figmentum in antecessum jam damnavit: nam proposita pelagianorum calumnia c. duas ep. pel. I, 13 n. 26: „Dicunt (catholici) baptisma non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur," ita eam refellit: „Quis hoc adversus pelagianos nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere; nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata." — Eundem in sensum Gregorius M. ep. XI, 45: „Si qui vero sunt, qui dicunt peccata in baptismate superficietenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius? . . . Qui dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est, peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: *Qui lotus est, non indiget, ut lavet, sed est mundus totus* Joan. 13, 10. Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, *mundus est totus?* Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci Veritatis: *Qui lotus est, mundus est totus.* Nihil ergo ei de peccati sui contagio remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit." Cf. Murray tr. de gratia disp. 9 § 3.

5. Neque spernenda est ratio, quam ita enunciat s. Thomas comp. theol. c. 144: „Alioquin malitia hominis in peccando plus posset, dum removet gratiam divinam, quam divina bonitas ad removenda peccata per gratiae dona."

162. **Corollarium.** Remissis in justificatione peccatori peccatis, *remittitur ei quoque poena aeterna.* Neque enim plene remissa dici potest

culpa, neque peccator vere Deo reconciliatus, saltem ea reconciliationis plenitudine, quam toties commendat Scriptura [1]), si pro culpa integram adhuc luere deberet poenam. Quare Paulus Rom. 8, 1 statuit: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

163. **Thesis CC.** ***Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, sed renovationem etiam hominis interioris complectitur.***

Demonstratio. Thesis est in primis contra calvinianos, secundum quos justificatio consistit in sola peccatorum remissione i. e. non imputatione. Quem errorem damnavit conc. tridentinum sess. 6 c. 11: „Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum s. diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, A. S.“

1. Probatur ex eo, quod justificatio describitur in Scripturis ut quaedam regeneratio, renovatio, resurrectio in novam vitam, vivificatio etc. Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s., quem effudit in nos abunde.* Cf. 1. Petr. 1, 3; Joan. 1, 13; 3, 3 s.; 1. ep. 3, 9 etc. (n. 2. 168). Atqui hisce non significatur mera exclusio corruptionis et vetustatis, sed etiam vera quaedam interior restauratio et ad pristinam perfectionem revocatio.

2. Justificare nec grammatice nec logice idem significat ac remittere peccatum, cum possit aliquis justificari, cui nullum remitti debeat peccatum, ut justificati fuere angeli et protoparentes; et possit Deus remittere peccata, quin justificet, ut in statu naturae purae. Et sane justificatione reddimur justi, Dei amici, filii, consortes divinae naturae (th. 203), quod plus est quam consequi remissionem tantum peccati. Justificatio ergo non consistit in sola peccatorum remissione.

Quam ob rem patres de justificatione disserentes sedulo distinguunt inter peccatorum remissionem et interiorem animae renovationem, atque utramque ad justificationem exigunt. Ita jam Barnabas in ep. n. 6: „Ut igitur nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui et spiritu nos reformavit... Ecce igitur nos denuo formati sumus, quemadmodum rursus in alio propheta dicit: *Ecce,* inquit Dominus, *auferam ab eis* h. e. ab eis, quos Spiritus Domini praevidebat, *corda lapidea, et immittam illis corda carnea* (Ez. 11, 19).“

---

[1]) Censet Ripalda disp. 91 s. 5, Deum posse remittere culpam, non remissa omni poena aeterna, imo ne remissa quidem poena; quia dignitas odii et inimicitiae aliud est a dignitate poenae: quare una sine altera poterit remitti. Quam quaestionem ut evitemus, dicimus, saltem cum ea reconciliationis plenitudine, quam partam per Christum Scriptura commendat, conciliari non posse exactionem poenae aeternae.

164. **Thesis CCI.** ***Justificationis gratia non continetur justitia Christi nobis imputata, sed in animam ipsam recipitur eique inhaeret.***

Declaratio. Una e potioribus controversiis inter catholicos et novatores sec. XVI. est de causa formali justificationis seu de eo, quo constituimur justi coram Deo. Opiniones adversariorum praecipuae ex quatuordecim et ultra hac de re sunt quinque. Prima statuit, causam formalem esse ipsam fidem. Secunda celebrior docet, eam esse obedientiam et justitiam Christi nobis imputatam, vi cujus imputationis justificatus, etsi in se vere injustus, justus tamen habetur a Deo, justitia Christi velut tectus et indutus. Tertia opinatur, formalem justitiae causam esse justitiam Dei, qua ipse justus est. Quarta censet in sola remissione peccatorum eam consistere (n. 163). Quinta duplicem admittit causam formalem justitiae, scilicet justitiam nostram nobis inhaerentem, et justitiam Christi nobis imputatam (contra quam opinionem cf. Lainez op. II, 153—93 ed. Grisar Oeniponte 1886). Quos omnes errores damnat concilium trid. sess. 6 cap. 7, in quo justificationis causas recensens statuit: „Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus s. partitur singulis prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.“ In thesi secundam in primis opinionem refutabimus. Ut vero omnis tollatur aequivocatio, duplex distinguatur imputatio justitiae Christi: formalis altera, quam tuentur protestantes, et hanc rejicimus; altera efficiens seu meritoria. Dici enim vero potest, nobis imputari (seu melius applicari et communicari) merita Christi, ejus passionem, obedientiam etc., eo quod Deus merita Christi nobis applicat, in nos transfert et propter ipsa nobis largitur justitiam inhaerentem, qua vere justi reddimur. Quam distinctionem ipsum concilium innuit statuens can. 10: „Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, A. S.“ Cf. cap. 3. 7.

165. **Demonstratio. 1.** „Recipimus, inquit Augustinus de Gen. ad lit. VI, 24, justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo.“ Atqui peccato Adami non amisimus justitiam imputatatam, sed animae vere inhaerentem; talem ergo recipimus in justificatione. Unde explicans verba s. Pauli ad Rom. 3, 21: *Justitia Dei manifestata est,* scribit de spir. et lit. c. 9: „Non dixit justitia hominis vel justitia propriae voluntatis, sed justitia Dei: non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium.“ Et explicans v. seq.: *Justitia autem Dei per fidem Christi,* subjicit: „Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.“

2. Accedit doctrina ejusdem apostoli Rom. 5, 15 ss., secundum quem **a.** justificatio et regeneratio per Christum opponitur generationi ex Adamo, tamquam medicina morbo, reparatio damno; ita **b.** consti-

tuimur per Christum justi, sicuti per Adamum peccatores; imo c. abundantior fuit gratia et donatio seu reparatio per Christum quam Adami ruina v. 15. Atqui generatione ex Adamo inficitur natura peccato ipsi inhaerente, neque constituimur sola imputatione peccatores (praesertim secundum theorias protestantium). Ergo regeneratione seu justificatione communicatur gratia ipsam naturam sanans eique inhaerens et constituimur subjective justi, non solum per imputationem.

„Perabsurdum est, inquit ad rem Cyrillus alex. Glaphyr. l. 1 in Gen. (Migne 69, 30), ut Adam, terrenum hominem, vim maledictionis veluti quandam haereditatem naturalem ad totum humanum genus posse transmittere arbitremur: Emmanuelem vero, qui de coelo est Deusque suapte natura et nobis similis esse voluit secundusque Adam factus est, non tantum roboris habuisse existimemus, ut illos, qui ejus familiaritatem per fidem adepti sunt, suae vitae participes efficere possit.« — Similia habent Augustinus op. imperf. II, 101 et 203; Bernardus ep. 190 seu tr. de erroribus Abaelardi n. 16: „An peccatum in semine peccatoris, et non justitia in Christi sanguine? . . . Nec patitur ratio aequitatis, ut ex aequo contendant, sed vincat necesse est spiritus carnem, et sit efficacior causa, cujus potior est natura: quo plus videlicet prosit generatio secunda, quam prima nocuerit.« Cf. ad milites templi c. 11 n. 23 ss.; Suarez VII, 7.

3. Praeterea s. Scriptura testatur, Christum venisse hunc in mundum, ut nos redderet sanctos, immaculatos, justos Eph. 1, 4; 5, 25; Tit. 2, 5 etc. Atqui finem suum non esset assecutus et a scopo aberrasset, si impii non reapse justi, sed specie tantum et imputatione justi redderentur, illisque fere applicare liceret illud Matth. 7, 15: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

4. Haec opinio insuper philosophice est absurda. Res enim duplici praedita forma opposita, altera interna et inhaerente, altera externa, denominatur potius a forma interna, quam ab externa. Atqui peccatori, cui imputatur tantum justitia Christi, inest forma inhaerens injustitiae. Quare justificatus potius dicendus esset injustus quam justus, quod adversatur sensui totius christiani nominis. Ad haec

5. juxta hanc theoriam omnes justificati ex aequo sunt justi, eadem enim justitia Christi ipsis imputatur; neque infantes possunt justificari, cum fide nequeant Christi apprehendere justitiam sibi imputandam: quod utrumque adversatur sensui christiano.

6. Denique huc spectant omnia, quibus in th. 202 probabimus gratiam sanctificantem formam esse et qualitatem animae inhaerentem.

166. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Provocant protestantes pro suo errore de justitia imputata ad haec Scripturae effata: **1.** *Factus est nobis* (J. Christus) *sapientia a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio* 1. Cor. 1, 30. Resp. dist.: formaliter imputatione, nego; meritorie quatenus justitiam inhaerentem nobis promeruit, et efficienter, conc., quo sensu Deus saepe

dicitur fortitudo, salus nostra. — **2.** *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* 2. Cor. 5, 21. Sensus non est, Christum factum esse pro nobis peccatum imputatione, ut supponunt adversarii, sed eum factum esse victimam pro peccatis nostris, pro significatione sat vulgata nominis peccati: nos autem efficimur *justitia Dei* i. e. justi justitia inhaerente, propter quam alibi dicimur *lux in Domino* Eph. 5, 4. — **3.** *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* Eph. 4, 24: quibus verbis catholica potius doctrina confirmatur, nam nemo indutus est imputatione vestis alterius, sed hujus inhaesione; et induere alterius mores significat usu loquendi illos in se expressos referre sibique inhaerentes imitatione habere. Et revera eo perfecte induimur, quo informamur, quod nobis inhaeret. Ceterum symbolo vestis apte designatur justitia inhaerens, ut significetur eam non esse naturalem, sed ab extra animae infundi qualitatisque instar nobis inhaerere, eamque posse iterum amitti. Cf. Becanus p. II. tr. 4 c. 2.

Articulus II.

Uberior doctrinae catholicae de natura justificationis illustratio.

167. **Thesis CCII.** ***Gratia, qua peccatores justificantur, distincta est ab actibus et permanens seu habitualis, forma scil. quaedam et qualitas spiritualis animae inhaerens.***

Declaratio. In thesi contendimus, gratiam justificationis non esse **a.** actum, gratiam actualem, vel seriem gratiarum actualium, sed aliquid permanens; non aliquid **b.** extrinsecum ut favorem, gratiam principis, quae inest principi: sed aliquid subjectivum, animam intrinsecus afficiens eique inhaerens; non tamen **c.** tantum denominationem moralem, quo sensu quis ab actu praeterito furti dicitur fur, a collatione doctoratus doctor, sed **d.** aliquid physicum, accidens scil. quoddam, qualitatem, formam permanentem animae inhaerentem. Qua assertione complexa non enunciamus dogma proprie dictum catholicum, sed doctrinam catholicam, cujus contrarium saltem est temerarium. Non desunt theologi, qui eam dicant de fide vel fidei proximam. Ita ex. gr. Suarez VI, 3 n. 6: „Censeo veritatem hanc esse definitam de fide a conc. tridentino saltem in hoc sensu, quod gratia, qua sumus permanenter justi, est res aliqua creata, distincta ab actibus et cessantibus illis in homine permanens. Ita docuit Vega l. 7 in Trident. (scil. de justific.) c. 24 et consentit doctissimus Bellarminus.“ Aliorum theologorum sententias cf. apud Schäzler Neue Untersuch. über das Dogma von der Gnade pag. 303 ss., qui bene disputat contra theologos quosdam recentiores leviter nimis de gratiae justificantis notione disserentes. Utiliter conferetur etiam Perrone prael. theol. t. 7 p. 2 de gratia santific. in annot. ad praenotiones. In schemate vero constit. dogm. de doctrina cath. conc. vaticano proponendo cap. 5 statuitur: „Quare hoc quoque tenendum et ab omnibus Christi fidelibus profitendum est, sanctificantem gratiam, qua Deo conjungimur, non in externo tantum favore Dei consistere, neque in actibus tantum praetereuntibus reperiri, sed permanens esse donum supernaturale, quod divinitus infusum animae inhaeret, tam in adultis justificatis, quam in infantibus baptismo regeneratis.“

Parati erant et duo canones 2: „Si quis dixerit, justificationem non esse nisi remissionem peccatorum; aut gratiam sanctificantem non esse nisi favorem, quo Deus hominem tamquam gratum acceptat paratusque sit ad gratiae actualis auxilia concedenda, A.S.;“ 3: „Si quis negaverit, gratiam sanctificantem donum esse supernaturale permanens et in anima inhaerens, A. S.“ Quare si thesis hac forma enuncietur, proxima fidei censenda est. Num autem gratia sit qualitas realiter ab animae substantia distincta, non ita expresse in ecclesiasticis monumentis est declaratum, sicut reliqua, quae statuimus; quare quamvis id clare videatur sequi ex Ecclesiae doctrina et communiter a theologis defendatur, non censemus eam sententiam tanta certitudine frui, quanta reliqua, quae statuimus.

168. **Demonstratio p. I. 1.** Scripturae docent, peccatores justificatione recreari, renovari, regenerari (n. 163) etc. Atqui creatione et generatione communicatur esse non transiens sed permanens, non morale sed physicum, non quid extrinsecus denominans, sed intrinsecus afficiens. Ergo recreatione et regeneratione novum permanens et internum esse communicabitur, non quidem substantiale, accidentale tamen, quod Dionysius Ar. de eccl. hier. c. 2 § 1 εἶναι θείως esse divinum vocat. Quare sicut creatione vel generatione constituitur natura et cum ea ordo naturalis: ita regeneratione et justificatione, communicato novo esse altioris ordinis, ponitur in anima reale fundamentum ordinis supernaturalis, quod merito a theologis altior quaedam natura (Uebernatur) jam vocatur (n. 134 a.).

2. Cum in divinis literis, tum a patribus gratia justificationis frequenter exhibetur sub symbolis seminis, vitae, lucis, pignoris, inunctionis, splendidae vestis, stolae, quam in Adamo amisimus: 1. Joan. 3, 9: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet;* Eph. 5, 8: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino;* Joan. 6, 58: *Sicut misit me vivens Pater; et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me;* 10, 10: *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant.* Unde peccatores gratia hac destituti dicuntur mortui; justificatio exhibetur ut resuscitatio n. 161[1], quibus symbolis et comparationibus clare significatur, gratiam justificationis esse principium permanens, ab actibus distinctum et animae habitualiter inhaerens instar principii vivificantis. „Quemadmodum ars est in eo, ita Basilius de Spir. s. n. 61, qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo, qui recepit eam, semper quidem praesens est, at non perpetuo operans.“ Cf. Fulgentius n. 2 a.

3. Eadem est gratia, qua justificantur adulti et infantes. Quod jam Augustinus docuit de pecc. et mer. l. 1 c. 9 s; probabile fuit tempore Innocentii III., ut patet ex cap. ‚Majores‘ de bapt., probabilius tempore conc. viennensis, quod cum Clemente V. statuit in Clement. de

summa Trinit. et cath. fide: „Opinionem secundam, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consentaneam et concordem sacro approbante concilio duximus eligendam.“ Unde evidenter colligitur, gratiam justificationis secundum theologos illius aetatis et secundum concilium esse aliquid habituale, animam informans ab actibus distinctum: ut patet ex ipsa controversia. Quis enim prudens unquam probabile credidit infantibus infundi gratias actuales? Ergo gratia, quae sine controversia credebatur adultis infundi, non censebatur actualis: utpote eadem cum ea, quae etiam infantibus infunditur. Certa denique evasit haec sententia in conc. tridentino, quod nulla distinctione facta inter adultos et infantes universim docet sess. 5 can. 5 (n. 160), gratia in baptismo collata deleri peccatum originale.

4. Etsi concilium hanc doctrinam disertis verbis non definivit, ea nihilominus de gratia justificante affirmat, quae hanc clare ostendunt permanentem et ab actibus distinctam. Docet enim, eam infundi, inhaerere, conservari, augeri, amitti, justum posse ab ea excidere, eam esse stolae instar, quam Adam sibi et nobis perdidit, quam candidam et immaculatam conservare jubentur renati, ut eam perferant ante tribunal Jesu Christi, et habeant vitam aeternam. Cf. sess. 6 cap. 7. 10. 11 et 16; can. 23. 24. 32 etc. Cf. Pallavicini hist. VIII, 14 n. 3.

5. Accedunt rationes plane eximiae s. Thomae c. gentes III, 150: „Oportet autem hanc gratiam aliquid in homine gratificato esse quasi quandam formam et perfectionem ipsius. Quod enim in aliquem finem dirigitur, oportet quod habeat continuum ordinem in ipsum; nam movens continue mutat quousque mobile per motum finem sortiatur. Cum igitur auxilio divinae gratiae homo dirigatur in ultimum finem ... oportet quod continuo homo isto auxilio potiatur, quousque ad finem perveniat. Hoc autem non esset, si praedictum auxilium participaret homo secundum aliquem motum aut passionem, et non secundum aliquam formam manentem et quasi quiescentem in ipso; motus enim et passio talis non esset in homine, nisi quando actu converteretur in finem, quod non continue ab homine agitur, ut praecipue patet in dormientibus. Est ergo gratia gratum faciens aliqua forma et perfectio in homine manens, etiam quando non operatur ... Amplius: unumquodque ordinatur in finem sibi convenientem secundum rationem suae formae; diversarum enim specierum diversi sunt fines. Sed finis in quem homo dirigitur per auxilium divinae gratiae est supra naturam humanam. Ergo oportet quod homini superaddatur aliqua supernaturalis forma et perfectio, per quam convenienter ordinetur in finem praedictum (quam rationem praeclare fusius evolvit de verit. q. 27 a. 2). — Item: oportet quod homo ad ultimum finem per proprias operationes perveniat. Unumquodque autem operatur secundum propriam formam. Oportet igitur ad hoc, quod homo perducatur in ultimum finem per proprias operationes, quod superaddatur ei aliqua forma, ex qua ejus operationes aliquam efficaciam

accipiant promerendi ultimum finem.« — S. Bonaventura in 2. sent. d. 26 q. 2: »Si gratiae est recreare et reformare et vivificare, sic de aliis, cum omnis talis actus sit ab aliquo tamquam a principio formali: non enim est et recreatio, nec reformatio, nec vivificatio et sic de aliis sine forma, necesse est aliquod donum poni in anima, quod sit animae ipsius informativum: sed Deus nullius potest esse forma perficiens, quamvis se possit habere in ratione formae exemplaris. Ergo praeter donum increatum, quod Deus est, ad hoc quod anima gratificetur, necesse est ponere donum creatum.« Cf. aliorum PP. testimonia apud Scheeben § 163 n. 694 ss.

169. **Corollarium.** *Falsa justificationis notio.* — Ex quibus liquet, justificationis gratiam non esse confundendam cum statu cujusdam perfectionis, in quem exercitio virtutum gradatim gratia actuali adjuti transimus, neque ipsam justificationem consistere in quodam progressu, quo sensim ex vitiis proficimus propriis actibus in virtute. Nam **1.** concilium trid. c. 7 docet, translationem, in qua justificatio consistit, conferri una cum remissione peccatorum, quae certe non gradatim confertur. **2.** Actus quibus ad justificationem disponimur, secundum concilium eam non merent, saltem de condigno; multo minus ergo illam formaliter efficiunt: nam dispositio praeparat quidem subjectum ad formae infusionem, sed non est ipsa forma. **3.** Secundum concilium justificationis gratia confertur baptismo et quidem etiam infantibus; hinc in instanti, non gradatim. Non est ergo perfectio, quam sensim actuum repetitione acquirimus. Denique id colligitur **4.** ex prop. 52 Baji damnata: »Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia; non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum s. renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit.« Hoc tamen non impedit, quominus in adultis justificatio concipiatur, ut operatio Dei, quae gratia habituali (cum connexis virtutum habitibus) infusa hominis ad justitiam tendentiam et motum, qui in ipsis dispositionis actibus continetur, consolidet, habitualem stabilemque reddat: quo sensu dixit Dominicus Soto de nat. et grat. l. 2 c. 3: »Dispositio sufficiens, quam certo et infallibiliter sequitur gratia, est inchoatio quaedam justificationis.« Cf. Schäzler die Lehre von der Wirksamkeit der Sacr. § 23 p. 418 annot.

170. **Demonstratio p. II.** Gratiam esse formam aliquam et qualitatem animae inhaerentem colligitur **1.** ex verbis conc. viennensis (n. 168[3]), a quo dicitur informans i. e. formam dans, et catechismi tridentini de bapt. n. 50: „Est autem gratia, quemadmodum tridentina synodus ab omnibus credendum poena anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac velut splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit;“ ex verbis Cyrilli alex. hom. pasch. 10 (Migne 77, 618): „Spiritus nos similes Christo reddit per sanctificationis videlicet qualitatem διὰ ἐν ἁγιασμῷ ποιότητος: imago enim et facies veluti quaedam est Salvatoris nostri Christi, Spiritus divinam in nobis figuram per seipsum quodammodo exprimens.“

2. Idem magno consensu docent theologi scholae, praeeunte s. Thoma, cujus argumenta lucidissima supra dedimus quique iterum ita statuit 1. 2 q. 119 a. 2 ad 2: „Omnis substantia vel est ipsa natura rei, cujus est substantia, vel est pars naturae, secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia, aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animae. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem."

3. Probatur haec pars via exclusionis. Neque enim gratia justificationis est substantia, ut per se patet; neque mera relatio et denominatio, neque motio transiens vel activa, ut probant argumenta p. primae; neque modus animae quidem inhaerens, sed re ab ejus substantia indistinctus, plus enim videntur exigere verba conciliorum rationesque allatae n. 168, et gratia sanctificans singulares prorsusque supernaturales habet effectus, qui non possunt tribui entitati re indistinctae ab animae substantia, quin illorum supernaturalitas in discrimen vocetur. Reliquum ergo est, ut justificationis gratia sit accidens, qualitas, forma quaedam accidentalis. Cf. Scheeben l. 3 § 168. 170.

171. **Thesis CCIII.** ***Ut natura atque indoles gratiae justificantis melius intelligatur, dicimus illius effectus formales esse 1. delere justificandi peccata gravia, eumque 2. reddere Deo gratum et 3. justum; perfundere 4. ipsius animam splendore atque pulchritudine coelesti; neque mirum 5., cum illi indat specialem cum Dei Filio unigenito similitudinem, eumque constituat 6. membrum Christi vivum, filium Dei adoptivum heredemque gloriae; imo 7. divinae reddat consortem naturae; unde sponte sua sequitur 8. eam justorum actibus dignitatem novumque valorem conferre.***

Declaratio p. I. Formae alicujus excellentia ex ejus praesertim effectu formali colligi potest. Etsi autem simplicis formae unus tantum est effectus adaequatus, ob varios tamen ipsius respectus relationesque in plures poterit saepe discerni inadaequatos. Quocirca etiam plures partiales effectus formales, vel quasi formales gratiae in justificatione infusae distinguimus: primarios vel secundarios, physicos vel ethicos, privativos, removentes scil. maculas peccati, vel positivos, novam conferentes animae supernaturalemque perfectionem. Dicimus ergo gratiae effectum formalem esse primo *peccatorum remissionem.* Ut autem statum quaestionis melius intelligas, noveris, nos supponere ex praecedentibus, in justificatione peccata remitti: modo affirmamus hanc remissionem fieri gratia sanctificante tamquam causa formali. Jam oritur subtilis controversia inter theologos de oppositione, quae inter gratiam sanctificantem et peccata exsistat. Triplex de ea viget sententia. Sunt qui doceant, gratiam ex natura rei et physice opponi peccato, sicut lux opponitur tenebris, ita ut mutuo se excludant e subjecto. Ex patronis hujus sententiae alii admittunt cum Vasquez in 1. 2 disp. 204, Platelio synopsis curs. theol. II, 402, repugnantiam absolutam; alii cum Suarez l. 7 c. 20 tuentur repugnantiam physicam quidem sed non essentialem, ita ut potentia Dei absoluta gratia

habitualis simul consistere possit in anima cum peccato. — Secunda sententia docet, gratiam justificantem non expellere peccatum natura sua, sed tantum lege et constitutione Dei decernentis ad praesentiam qualitatis gratiae remittere peccatum, nulla facta vi qualitati gratiae, si peccatum non remitteret. Ita Scotus cum suis. — Tertia sententia media tuetur, gratiam justificationis non opponi peccato ex natura rei tanta oppositione, quanta opponitur calor frigori, albedo nigredini; sed oppositione solum morali, fundata in quadam indecentia, si gratiae excellentia conjungeretur cum deformitate peccati, qualis apparet in eo, si scurriles mores assumerentur ad dignitatem pontificiam. Ita Lessius de div. perfect. XII, 11 n. 75 ss.; XIII, 27 n. 195. Cf. Ripalda disp. ult. s. 14. 15. 16; Suarez l. 7 c. 12 ss.; Becanus p. 3 de sacr. c. 31 q. 3. 4; Mazzella d. 5 a. 6. — Qua occasione praeter alia quaerunt theologi, num causa formalis remissionis peccatorum et justificationis possit esse actus ex. gr. contritio perfecta. Probabile id censet Vasquez, cujus tamen opinio communiter a theologis rejicitur. quia **a.** contritio est dispositio ad remissionem peccatorum et justificationem, non ergo ipsa forma justificans; **b.** remissio peccatorum exhibetur ut beneficium consequens contritionem, non ergo ea formaliter efficitur. Nullus deinde **c.** peccator potest condigne satisfacere pro peccatis, ergo neque seipsum justificare. Quaerunt insuper theologi, possitne remitti peccatum sine gratiae infusione. Mirum, id fuisse ex rationibus sat levibus a pluribus negatum, quos cf. apud Ripalda d. ult. sect. 21 s.: nam evidens videtur, Deum in statu naturae purae posse condonare peccata, quin hominem ad statum supernaturalem elevet.

172. **Demonstratio p. I. 1.** Probatur ex concilii trid. sess. 5 can. 5: „Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, A. S.;“ et ex sess. 6 c. 7 (n. 164), ubi docet, causam formalem justificationis et quidem unicam esse justitiam Dei, qua nos justos facit, qua renovamur. Atqui secundum idem concilium justificatio continetur etiam remissione peccatorum. Ergo et hujus causa formalis erit gratia justificans. Praeterea cap. 4 definit justificationem „translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei.“ Eadem ergo forma, quae acquiritur illa mutatione, excluditur status peccati, scil. gratia justificationis: nam in mutationibus terminus a quo formaliter excluditur termino ad quem.

2. Probatur Scripturae patrumque effatis, quibus passim affirmant, gratiam opponi peccato ut lumen tenebris (n. 161[1]), sanitatem aegritudini, novitatem vetustati, resurrectionem morti. Eph. 5, 8: *Eratis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate;* 2. Cor. 9, 14: *Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras?* Deinde

3. illud videtur expellere formaliter peccatum constituens nos Dei inimicos, quo reddimur Deo grati, ejus filii et amici: hoc autem est, ut videbimus, gratia in justificatione infusa.

Neque opponatur gratiam in justificatione infusam esse aliquid physicum, peccatum vero esse ordinis moralis, ideoque gratiam non posse formaliter excludere peccatum. Nam et peccatum spectat quadamtenus ordinem physicum ratione maculae quam includit; et gratia essentialiter spectat quoque ad ordinem moralem: ad hunc enim ordinem spectat et amicitia et justitia, cujus ipsa est causa formalis; amor ille, cujus gratia est signum, effectus, argumentum et realis expressio: unde eo ipso quod gratia justificationis est expressio amoris constituentis nos amicos et adoptantis nos in filios, non videtur nobis novus favor a collatione gratiae justificantis distinctus ad peccatorum remissionem actualem necessarius: sed ipsa collatio est signum remissionis, imo ipsam realem peccatorum remissionem includit.

173. **Scholion I.** Quare *de facto nunquam simul cohaerent gratia et peccatum mortale* in eodem subjecto: quod colligitur ex 1. Joan. 3, 9 (n. 45[1]) et etiam ex damnatione prop. 70 et 43 Baji: „In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis et in catechumenis ante baptismum est vera justificatio separata tamen a remissione peccatorum.“ Imo *neque simul* in eadem anima *consistere possunt peccatum grave et justificationis gratia.* Opposita sententia videtur inniti inadaequata gratiae justificantis notione, qua consideratur mere ut qualitas aliqua physica. Cf. Scheeben die Herrlichk. der g. Gnade III, 2; II, 7.

174. **Scholion II.** *De peccati venialis remissione* haec inter alia statuit Suarez VII, 24: **1.** Peccatum veniale remitti tantum habenti gratiam justificantem; non tamen **2.** semper hac gratia; neque enim quoties haec confertur, illud remittitur. Ideoque **3.** gratiam habitualem non esse formam seipsa expellentem peccatum veniale. Quamvis vero **4.** Deus possit remittere peccatum veniale sine actu peccatoris, id ordinario non contingere (neque unquam contingere, si justus peccati venialis reus actu positivo illi inhaereret). Obtineri **5.** remissionem hujus peccati vel ex opere operantis, actibus scil. caritatis, poenitentiae aliarumque virtutum, quae peccatis commissis opponuntur; vel ex opere operato per sacramenta, ad quae tamen, ut hunc producant effectum, conveniens dispositio requiritur. Cf. Thomas 3. p. q. 87: Ripalda disp. 97 sect. 4; Collet de poenit. p. 2 c. 3 a. 1. n. 32; Linzer Qtlschr. 1881 pag. 500 ss.; de Augustinis de re sacr. tr. 5 p. 1 a. 9.

175. **Declaratio p. II.** Aliquem alteri gratum esse, significat, eum hujus frui gratia seu benevolentia, ei placere atque esse acceptum. Benevolentia vero varia esse potest pro diverso gradu perfectionis vel bonitatis, quae in objecto grato reperitur. Hinc cum omnes creaturae bonitate aliqua sint praeditae, omnes Deo gratae dici possunt (Gen. 1, 4. 10 etc.). Verum non hac ratione generica dicitur gratia sanctificans hominem reddere gratum, sed speciali, quatenus scilicet hominem ea ornatum sic Deo reddit acceptum, ut sibi in illo complaceat non tantum ut in servo fideli, sed etiam ut in amico et filio carissimo. Ut hic effectus melius intelligatur, quaedam ex Mazzella de virt. infusis d. 6 a. 5 de amicitia adnotabimus. Amicitia **1.** potest accipi vel inadaequate, et ita est amor benevolus unius erga alterum; vel adaequate et ita definitur ab Aristotele „mutua aliquorum benevolentia non latens.“ Pro ratione fundamenti **2.** mutuae benevolentiae potest ea distingui in amicitiam utilem, delectabilem, honestam, quae ultima solum meret nomen amicitiae. Conditiones autem **3.** ad amicitiam requisitae sunt: **a.** aequalitas

inter amicos, unde illud s. Hieronymi in Michaeae 7 »amicitia pares aut invenit aut facit.« Admitti tamen solet etiam amicitia excellentiae, quae vigere potest inter eos, qui sunt in diverso dignitatis gradu constituti: sed tunc requiritur, ut superior se inclinet et ad se attollat inferiorem eum elevando ad convenientem dignitatem: quamobrem rex Alexander volens Jonatham judaeorum ducem in amicum assumere, *misit ei purpuram et coronam auream* (1. Mach. 10, 20); et bene notat s. Thomas c. gentes IV, 54: »Quum amicitia in quadam aequalitate consistat, ea quae multum inaequalia sunt, in amicitia copulari non posse videntur. Ad hoc igitur quod familiarior amicitia esset inter hominem et Deum, expediens fuit homini, quod Deus fieret homo, quia etiam naturaliter homo homini amicus est ut sic, dum visibiliter Deum cognoscimus, in invisibilium amorem rapiamur.« **b.** Benevolentia, et quidem **c.** mutua, qua se non propter utilitatem vel delectationem, sed propter se diligunt, ita **d.** ut ea non lateat ipsos: quaeque **e.** nitatur aliqua bonorum communione. Ut ergo **4.** homo amore amicitiae divinae creaturae servae tam indebito reddatur dignus, necesse est, ut ipsi infundatur et donum, quo elevetur dignusque reddatur amore divino, quod donum dicimus esse gratiam sanctificantem; et virtus, qua possit Deum redamare amore, qui respondeat amori divino tam indebito; hinc legimus Gal. 4, 4: *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater*: qua de re alias. Cf. Toletus in 2. 2 q. 23 a. 1.

176. **Demonstratio p. II.** Veritas hujus partis probatur **1.** ex concilio trid., quod docet sess. 6 cap. 4. 7, hominem fieri in justificatione ex inimico amicum et quidem voluntaria susceptione gratiae et donorum. **2.** Ex ipso nomine gratiae, quod in primis tribuitur gratiae justificanti, quae inter omnes eminet gratias **a.** stabilitate sua; **b.** dignitate, cum reliquarum omnium sit centrum, finis, meta; **c.** praestantia, ratione suorum effectuum; **d.** necessitate, quia sine ipsa reliquae non prosunt ad vitam aeternam. Hinc cum gratiae sit, nos Deo reddere gratos, in primis huic gratiae effectus iste erit tribuendus. Quare s. Thomas in 3. dist. 26 q. 1 a. 2 ad 1: »Sicut albedo facit album parietem, sic gratia in animam agit mundificando ipsam et gratificando.« Deinde **3.** sicut peccatores sunt inimici, ita justi amici. Ergo sicut eo, quo constituuntur peccatores, sunt inimici: ita eo, quo justificantur redduntur amici.

177. **Scholion.** Occasione hujus effectus formalis theologi alias quaestiones subtiliores instituunt, ex gr. possitne Deus aliquem hominem sibi facere gratum et dilectum sine infusione alicujus gratiae habitualis; vel possitne homo gratia sanctificante praeditus Deo esse non gratus, de quibus et similibus cf. Suarez VII, 3. 4, qui inter alia statuit: **1.** »Impossibile esse formam gratiae inhaerere animae et non constituere illam participem divinae naturae et quantum ex se dignam beatitudine et dilectione divina, imo et amicitia etc.« **2.** »Gratiam posse inhaerere animae et non reddere hominem acceptum ad beatitudinem et ad perfectam amicitiam . . . Ratio generalis est, quia operatio est res distincta ab ipsa natura seu gratia, est posterior illa et pendens ab influxu libero Dei novo et distincto, quem Deus potest pro sua libertate et supremo dominio suspendere.« De hac tamen propositione dubitare licet, si gratia plene et ut decet consideretur. **3.** »Esse gratum et acceptum Deo vel ab eo dilectum, ut praecise significat objectum proportiona-

tum tali amori vel acceptationi, non posse homini convenire sine intrinseca gratia, quae conferat homini participationem divinae naturae, ratione cujus deificari dicatur et reddi aptus et proportionatus tali dilectioni Dei.« Concedit tamen **4.** hominem posse esse et dici Deo gratum imperfectiori quodam gradu absque gratia inhaerente. Concedit pariter **5.** hominem posse constitui Deo gratum actu sine dono habituali, sed addit: „Nihilominus tamen dicimus, illum modum gratificationis seclusa inhaerente ac permanente gratia imperfectum esse et ad connaturalem rerum ordinem et proportionem insufficientem.«

178. **Declaratio p. III.** Ut clariora reddantur, quae de tertio effectu formali ac generatim de justificatione disserimus, juverit accuratius notiones justitiae, justificare, justificationis explicare. De ratione justitiae generatim est duplex elementum: debitum et aequalitas: est enim illa virtus, qua satisfit juri alterius seu debito secundum determinatam normam. Pro varietate debiti vel normae, cui actiones sunt adaequandae, variae oriuntur justitiae partitiones. Justitia, vi cujus inducitur aequalitas seu conformitas inter cogitationes, consilia, affectus, verba, opera, seu totam vitam et legem, qua illa regi debet, dicitur justitia universalis vel generalis. Haec vero distinguitur **1.** ratione principii et originis in humanam et divinam, acquisitam et infusam, prouti scil. viribus naturalibus actuumque exercitio acquiritur vel a Deo immediate confertur, quae distinctio innuitur Phil. 3, 9; Rom. 4, 2; 10, 3 ss.; **2.** ratione legis, ad quam est expressa, in politicam seu civilem, naturalem seu moralem, legalem seu judaicam, et in justitiam fidei seu christianam; **3.** ratione modi, quo habetur, in actualem et habitualem. Justitia particularis, quae sub hac generali subsumitur, illa erit, qua inducitur conformitas seu aequalitas inter actus et legem in determinata materia: quo sensu quaelibet virtus dici poterit justitia particularis. Tamen nomine justitiae proprie intelligitur virtus particularis, quae respicit alium et definiri solet „perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuens.“ Et haec est illa justitia, quae inter virtutes cardinales (n. 205) recensetur.

Cum autem debitum erga alterum et hujus jus non semper ejusdem sint rationis ac gradus admittant, justitia, quae est virtus cardinalis, saltem duplex est. Vel enim reddit alteri debitum, ita tamen ut hoc nunquam extinguat vel exhauriat, ut religio Deo, pietas parentibus, gratitudo benefactoribus: et haec laxiori sensu justitia dicitur: vel jam magis respicit perfectam debiti et juris rationem, quod ita secundum quandam aequalitatem reddit, ut illud extinguat, et haec dicitur justitia specialis. Haec specialis iterum distingui solet in commutativam, quae tribuit unicuique quod suum est servata in commutatione aequalitate rei ad rem, et in hac perfecta justitiae ratio invenitur, ideo est justitia stricte sumpta; in distributivam, quae servat proportionem in distribuendis bonis et oneribus publicis (unde principaliter est in superiore); et in legalem, qua quis fertur ad praestanda ea omnia, quae sunt legibus constituta in ordine ad bonum commune societatis, cujus ipse est pars.

Materiale hujus virtutis est quilibet actus honestus referibilis ad bonum commune seu opera factiva et conservativa boni communis, ut ait Toletus in 2. 2 q. 58 a. 5; formale est relatio ad bonum communitatis. Haec secundum s. Thomam 2. 2 q. 58 a. 6 aliter est in principe et aliter in subdito. In illo principaliter et quasi architectonice, quia nempe modum conferendi ad bonum commune praescribit. In subditis est secundario et administrative. Haec porro virtus a propria et stricta justitiae ratione deficit, cum non omnino sit ad alterum: neque enim communitas a membris suis distinguitur, atque adeo haec justitia non ita respicit bonum commune, ut a bono operantis praescindat.

Unde liquet, eandem justitiae acceptionem generalem vel specialem esse, prout scilicet refertur vel ad species justitiae sibi subjectas, vel ad altius genus. „Quocirca, inquit Suarez XII, 30, ut nominis aequivocatio tollatur, quatuor modis dicitur generalis justitia: **1.** universalissime et quasi metaphorice pro omni virtute; **2.** generaliter ac proprie prout est genus ad omnes virtutes ad alterum; **3.** generice i. e. ut est species subalterna hujus generis et genus proximum ad tres proprias species justitiae; **4.** prout est quaedam species ultima justitiae, quae universalitatem habet in objecto et causalitate, et dicitur etiam justitia legalis. Unde e contrario justitia specialis dici potest vel respective quaelibet minus generalis respectu superioris, vel absolute de tribus ultimis speciebus numeratis, vel inter eas distributiva et commutativa solet specialis justitia vocari,“ vel particularis, quia versatur circa bonum particulare privatorum, in quo distinguitur a legali, quae dicitur generalis, quia spectat bonum generale communitatis.

179. Praeter has justitiae acceptiones, quae omnes significant habitum animae, aliae habentur translatae. Transfertur enim hoc nomen vel ad objectum, circa quod servatur Rom. 2, 26; vel ad jus, cui reddit debitum Isai. 5, 23; vel ad legem, secundum quam illud reddit Psal. 18, 9. In praesenti tractatu nomine justitiae illam intelligimus, quae in se omnes virtutes, ut partes integrae suae perfectionis complectitur. Ipsa enim est, quae integram homini rectitudinem tribuit tam in se ipso, quam in ordine ad Deum et proximum quod necessarium est, ut hominem justum simpliciter constituat. Cf. Thomas 2. 2 q. q. 58; Lugo de jure et just. d. 1.

180. Verbum justificare in divinis literis multiplicem habet significationem. Significat enim vel approbare seu agnoscere alicujus praerogativas Luc. 7, 35; vel jactare justitiam ibid. 10, 29; vel declarare justum declaratione judiciali et forensi sive divina Matth. 12, 37 (quae significatio protestantibus maxime placet in praesenti controversia), sive humana Prov. 17, 15; vel facere justum collatione justitiae inhaerentis aut hujus augmenti Apoc. 22, 11: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, et qui justus est, justificetur adhuc, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Haec significatio in praesenti quaestione vera et catholica est, ut patet **a.** ex art. praecedenti: **b.** quia in Deo dicere, declarare est facere, secus judicium Dei est falsum, si quem declaret justum, qui revera a parte rei justus non est. Ut ergo sit verum, justificationi forensi seu declarationi justitiae praeire debet justificatio, qua peccator vere fiat justus; quam justi-

ficationis rationem: **c.** universa quoque antiquitas christiana suo suffragio confirmat.

181. A verbo justificare derivatur justificationis nomen, cujus acceptio pariter multiplex est. Omissis iis significationibus, secundum quas designat declarationem justitiae aut translate legem divinam, nomen hoc vel active vel passive accipi potest. Active acceptum significat vel singularem operationem Dei, qua completa hominis dispositione eum ex statu injustitiae ad statum verae justitiae inhaerentis transfert, vel qua hominem justum facit justiorem, vel omnem operationem Dei a prima salutari illustratione usque ad infusionem ipsius justitiae. Justificatio vero passive accepta effectum denotat justificationis activae. Quapropter sicut hujus est triplex notio, ita et illius.

Cf. Bellarminus de justific. I, 1; Suarez VII, 6 et in primis Wieser Pauli Ap. doctrina de justific. § 17 ss., qui omnibus locis, ad quos protestantes pro sua significatione provocant, expensis ita § 18 n. 10 concludit: „Singulis satis consideratis, quaenam sit summa de locis sensum judicialem vocis δικαιοῦν indicantibus, dubium esse nequit, videlicet haec est: **a.** vocabula δικαιοῦν, δικαίωμα, δικαίωσις, nonnunquam aut certo aut probabiliter actum judicialem significare; sed **b.** hunc actum judicialem nunquam talem esse, ut sine re et veritate fiat; sed **c.** solummodo talem, ut justificationem formalem justitiaeque exsistentiam semper supponat.« Et § 19 n. 10 statuit thesim: „Locis singulis in sua natura suoque contextu diligenter definitis, haec de voce δικαιοῦν in epistolis Pauli indicata deprehendimus: **a.** multo plures esse locos, qui sensum justificationis formalis, quam qui sensum justificationis forensis prae se ferunt; **b.** nullum locum, qui de justificatione formali agit, supponere forensem: omnes autem locos, qui de justificatione forensi agunt, supponere justificationem formalem: **c.** phrases, justificari ex fide, justificari gratis et gratia, nunquam sensum forensem sed semper sensum formalem indicare: **d.** momentum justificationis formalis duplex exsistere, positivum renovationis mentis (Eph. 4, 24) et negativum remissionis peccatorum.«

Cum ergo dicimus, gratiae in justificatione infusae esse hominem reddere justum, significamus, illius esse reddere hominem non solum immunem a peccato gravi, sed etiam bene dispositum ad omne operandum, quod aequum debitumque est secundum fidei lumen. Verum secernatur duplex quaestio. Aliud est quaerere, num revera gratia habitualis reddat hominem justum; aliud, quomodo eum constituat bene dispositum ad juste agendum. De priori agimus hac in parte; de altera sermo erit, cum loquemur de virtutibus infusis, quae tamquam proprietates et facultates ab illa exiguntur et eam consequuntur.

182. **Demonstratio p. III.** Peccatorem in justificatione reddi justum, patet **1.** ex ipso verbo justificare, quod accipi debet sensu Deo digno (n. 180); **2.** ex concilii trid. doctrina, formalem causam justificationis esse justitiam Dei, quam ab ipso accipimus, et qua ipse nos justos

facit (n. 164); **3.** ex patrum testimoniis (cf. Bellarminus II, 8). „Multis quidem videtur, inquit Chrysostomus hom. ad neoph., coelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem honores computabimus decem. Hac de causa enim infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant" etc. Hunc vero effectum esse tribuendum gratiae in justificatione infusae ut causae formali, patet et concilii trid. sess. 6 cap. 7 et can. 11 et ex prop. 42 Baji damnata (n. 169 [4]), tum ex theologorum consensu, quibus synonyma sunt justitia inhaerens et gratia justificationis. Et sane gratia in justificatione infusa omnia complectitur, quae requiruntur ad constituendum hominem justum i. e. bene dispositum ad omne id, quod est debitum secundum lumen fidei: ratione enim virtutum infusarum, quae ipsam comitantur, recte ordinatur justificatus ad Deum, seipsum et proximum.

183. Ad difficultates solvendas juverit notasse, **1.** justitiam, quam justificationis gratia confert, esse quidem veram, non tamen summo gradu perfectam, possumus enim et debemus in justitia crescere; **2.** eam inesse nobis una cum concupiscentia, cujus motus non impedit, et qui potius impediunt, quominus semper juste agamus. Difficultas ergo bene agendi non probat, justitiam non inhaerere nobis, sed tantum cum ordine supernaturali restitutum non fuisse ordinem praeternaturalem. Quare **3.** non repugnare, nos, etsi justos, esse obnoxios defectibus et maculis, quibus justitia nostra maculetur. Quo sensu scribit Augustinus de civ. Dei XIX, 27: „Nostra justitia quamvis vera sit . . . tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum." **4.** Ut quis dici possit justus, non requiri, ut actu semper juste agat: potest enim quis ab habitu denominari. Unde distingui debet inter justitiam habitualem et actualem. Quae illustrantur analogia hominis, qui vi creationis rationalis dici potest et debet, etsi **a.** ratio nondum est explicata, neque **b.** semper in actu, etsi **c.** ejus usus saepe impeditur sensuum imaginationisque vivacitate et **d.** erroribus haud raro maculatur.

184. **Demonstratio p. IV.** Gratiam pulchritudine coelesti animam perfundere, consequitur **1.** ex ejusdem effectu secundo: tales enim nos efficit, in quibus Pater coelestis sibi complaceat, i. e. gratos et gratiosos; pulchritudinis autem maxime proprium est placere, amorem sibi conciliare et benevolentiam. **2.** Ex sensu ipsorum hominum, quorum judicio virtus pulchritudine non caret; gratia autem non unam, sed virtutum collectionem animo justificati inserit. Idem **3.** docet catechismus tridentinus de bapt. n. 50, cum vocat gratiam „splendorem quendam et lumen, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit." Quod **4.** saepe et diserte docent patres. Ita ex. gr. Chrysostomus hom. ad illuminandos n. 3: „Quemadmodum si quis auream statuam tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit: sic et naturam nostram Deus peccati rubigine foedatam, multoque affectam delictorum fumo illa pulchritudine destitutam, quam ipsi

ab initio indiderat, denuo conflavit et in aquas seu in conflatorium injiciens et pro igne gratiam Spiritus inmittens, hinc renovatos cum solaribus radiis splendore decertantes educit, contrito vetere homine, novo autem splendidiori, quam vetus erat, condito.« — Cyrillus alex. dial. 7 de Trin. p. 683: »Hoc igitur quod divinam nobis imaginem insculpit et sigilli instar praestantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus est?« — Ambrosius Hex. VI, 47: »Utrum secundum corpus an secundum animam justificatio tibi conferri videatur? quaeso, respondeas. Sed dubitare non potes, cum justitia, unde justificatio derivata est, mentis tuae utique, non corporis sit. Pictus es ergo, homo, et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem: noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia.« — Denique aliis omissis s. Bonaventura in 2. dist. 29 a. 1 q. 1: »Quod enim creatura consecretur in templum, adoptetur in filiam, assumatur in conjugium, hoc est supernaturale complementum omnis creaturae. Et ideo nec consecratio, nec adoptatio, nec unio animae ad Deum fit per aliquam proprietatem naturae, sed per aliquod donum gratiae superadditum, quod animam consecret, ut sit templum; assimilet, ut sit Dei filia; quod faciem decoret animae, ut apta sit esse Dei sponsa. Haec autem omnia facit gratia gratum faciens; cui est adeo juncta Dei conformitas, ut nullo modo possit Deo dissimilis fieri; adeo juncta spiritualis venustas, ut nullo modo possit deformari, et ideo reddit Deo animam acceptam,« quae sunt derivata ex Alexandro hal. p. II. q. 91 m. 1 a. 3 § 1. 2. S. Thomas in Ps. 25: »Gratia divina pulchrificat sicut lux.«

185. Comparatio, qua gratia confertur luci, admodum opportuna est ad gratiae praerogativas illustrandas, ut pluribus ostendit Scheeben, die Herrlichkeiten der göttl. Gnade l. 3 c. 1. Exhibetur scil. **1.** ut lux, quia Deus pater luminum est Jac. 1, 17; participationum autem ad extra sane nobilissima est per gratiam, ratione ergo originis; **2.** ratione virtutis: lux enim **a.** dissipat tenebras et illuminat, ita et gratia *illuminat et imtellectum dat parvulis* (Ps. 118, 130); non tantum **b.** afficit exterius, sed intus pervadit corpora pellucida: ita gratia omnes recessus animae pervadit, penetrat, omnia refingit; lux **c.** confert rebus colorem, pulchritudinem, adeo ut ea recedente omnia horreant, amittant splendorem; ea corpora facit sidera, cristallum soli persimile: ita gratia absente bona vel maxima carent pretio, ea praesente deificatur homo. Lux **d.** dilatat, ita gratia dilatat corda, ut mundus ipsis sit angustus nimis. Lux **e.** calefacit, ita gratia sancto accendit amore; lux **f.** attrahit, ut omnia respiciant solem: ita gratia corda attrahit ad Deum; lux **g.** fecunditate et vita donat: ita et gratia steriles ante animas ad opera salutis reddit intentas; mediante luce **h.** imagines admodum expressae obtinentur, ut in speculo vel ope photographiae: ita gratia nos reddit deiformes. Similis est **3.** gratia luci ratione proprietatum. Nil enim luce purius, candidius, serenius, hilarius, subtilius, actuosius, mitius etc. Jam vero proprietates analogas communicat gratia animae, ut patet ex vitis sanctorum. Cf. Vega de justific. doctrina universa l. 5 c. 8.

186. **Demonstratio p. V.** Ex gratia miram redundare in animam pulchritudinem, etiam ex eo liquet, quod hominem refingit ad similitudinem unigeniti Filii, qui est speciosus forma prae filiis hominum, cujus imprimit lineamenta. Haec est **1.** certa doctrina patrum, nomina-

tim Cyrilli alex., qui id saepissime inculcat. „Neque enim, ita ille in thes. ass. 32 (Migne 75, 526), adoptione et similitudine filii essemus, nisi ipso vero Filio praesupposito, ad quem efformamur, qui ad similitudinem ipsius arte quadam et gratia traducimur.“ Quod **2.** non obscure ss. Scripturae innuunt, cum Christum vocant primogenitum inter multos fratres: inter fratres autem vi ipsius generationis solet esse quaedam similitudo; atqui regeneratione filii Dei et fratres Christi constituimur. Clarius vero hoc significat s. Paulus ad Galat. 3, 27 scribens: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* et 4, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

In quae verba Cyrillus l. 4 in Isaiam or. 2 (Migne 70, 935): »Dicemus ut possumus; formatur enim homo simpliciter, nempe de terra, quemadmodum et primus parens Adam . . . Formatur item in filium Dei, intelligibiliter informatus divinarum legum scientia, ad speciem effigiemque excellentem, quae virtutum ornatu in animis hominum inhaeret et insidet. Haec autem pulchritudo intelligitur spiritualis. Formatur etiam veluti in Christo per Spiritus sancti participationem ad ipsius speciem . . . Formatur autem in nobis Christus sancto Spiritu nobis divinam quandam formam per sanctificationem et justitiam immittente. Sic enim, sic in animis nostris elucet character substantiae Dei et Patris, reformante, ut dixi, sancto Spiritu nos per sanctificationem in ipsum.« — In priorem vero locum scribit Chrysostomus: »Hoc est eandem formam, eundem typum habetis omnes, videlicet Christi. Qui prius erat ethnicus aut judaeus aut servus, nunc obambulat formam gestans non angeli, neque archangeli, sed universorum Dominum in sese Christum repraesentans.« — Gregorius naz. or. 40 in sancta lumina n. 27: »Ex quo die per baptismum immutaris, veteres omnes notae cessarunt, una forma omnibus impositus est Christus;« et or. 18 n. 13 de patre suo ait: »Ad eam regenerationem, quae per aquam et Spiritum efficitur, ipse accedit, per quam hominis, qui secundum Christum est, formationem et perfectionem terrenique ad spiritum imutationem et refictionem Deo confitemur.«

3. Sicut Adam parens est humani generis, ita Christus parens generis reparati. Atqui generatione ex Adamo omnes contrahimus lineamenta ipsius, portamus imaginem terreni hominis. Regeneratione ergo ex Christo illa delebuntur, et Christi induemus imaginem. Nam si ratione resurrectionis Paulus scribere potuit 1. Cor. 15, 49: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis:* poterit idem dici secundum animam ratione regenerationis.

187. **Demonstratio p. VI.** Constituimur justificationis gratia membra viva corporis Christi; etsi enim homines redduntur membra Christi eo ipso, quod membra sunt Ecclesiae: tamen gratia justificante, qua vita supernaturalis continetur, viva sunt membra. Belle in justificatione completur typus vel repetitur miraculum Elisei, qui incumbendo super Sunamitidis filium, se contrahendo et ponendo os suum super os ejus et oculos super oculos ejus et manus super manus ejus vitam amissam reddidit

4. Reg. 4, 32. Ita Christus Verbum incarnatione abbreviatum per omnia nobis similis factus est, excepto peccato, ut vitam supernaturalem amissam nobis restitueret atque veluti inspiraret. Et quia gratia justificante homo redditur membrum Christi vivum, dicere poterit cum Paulo Gal. 2, 20: *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.* Manifestum autem est, ex conjunctione fidelium cum Christo capite, quae consummatur gratia sanctificante, singularem redundare in justificatos nobilitatem et dignitatem, quam incarnatione non supposita ceteris paribus nunquam justi essent adepti. Cf. Scheeben Mysterien des Christenth. § 57 ss.; 87.

188. Constituimur insuper, quod est praecipuum, gratia justificante filii Dei adoptivi. Adoptio a theologis praeeunte Thoma 3. p. q. 23 a. 1 definitur: „Personae extraneae in filium et heredem gratuita assumptio;“ et in ep. conc. francofordiensis ad. episc. Hispaniae legimus: „Quid est adoptio, nisi caritatis copulatio, qua pater adoptione sibi copulat filium, quem per generationem non habet?“ Unde colligimus **1.** filiationem adoptivam differre a naturali; ita tamen **2.** differre, ut ad hanc proxime accedat, ejus in locum succedat eamque aemuletur, ut ipsius vicaria; **3.** voluntatem gratiamque adoptantis supplere, quod naturae deest; ideoque **4.** hanc dignitatem naturae non esse insitam, sed ad eam accedere et accessu suo eam elevare ad conditionem indebitam. Maximum autem discrimen est inter adoptionem divinam et humanam: haec enim **a.** oritur ex indigentia, illa ex bonitatis divinae abundantia, qua Deus Filii naturalis similitudinem creaturis rationalibus communicat. **b.** Adoptio humana supponit naturae similitudinem; divina illam communicat, quantum capax est natura creata; **c.** illa fit externa acceptatione, quin adoptatus intrinsecus mutetur, perficiatur: haec fit regeneratione, qua immutatur adoptatus novumque accipit esse supernaturale infusione gratiae inhaerentis, mirumque in modum perficitur, unde prius adaptat quam adoptet, ut non solum *filii Dei nominemur,* sed *et simus* (1. Jo. 3, 1). Alia discriminis capita indicat Mazzella d. 5 a. 8. De ejus praestantia cf. Scheeben § 57 ss.

189. Adoptionem effectum esse justificationis, patet **a.** ex hujus definitione tradita a concilio trid. sess. 6 c. 4; continetur enim justificatio translatione „ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei;“ **b.** ex Scripturis, secundum quas justi omnes sunt filii Dei; **c.** ex eo, quod justificamur regeneratione, generationis autem terminus est filiatio, non vero hoc in casu naturalis, ut evidens est: ergo adoptiva. Huc **d.** pertinet doctrina patrum, secundum quos hoc est discrimen inter Christum et justos, quod ille natura sit Filius, nos adoptione et gratia.

190. **Scholion I. 1.** Quaerunt theologi, *utrum gratia sanctificans sit forma adaequata* et propria seipsa *constituens homines filios Dei,* quod plerisque theologis placet, cum haec videatur clara doctrina conc. tridentini sess. 6 c. 7; an potius justi constituantur filii Dei participatione divinae naturae seu Spiritus sancti, quem sanctificans gratia attrahit in justos iisque unit. Quod tuentur theologi gravissimi, ut Lessius [1]), Petavius de Trin. VIII, 4 ss., Thomassinus de incarn. VIII, 9 ss., et nostra aetate Jovene [2]). Suaderi etiam potest hac ratione: Constituimur filii Dei regeneratione. De ratione

---

[1]) De div. perfect. XII, cum appendice subjecta et de summo bono l. 2 c. 1, qui priori loco suam sententiam ita explicat: „Sed quo medio, qua ratione adoptionem nobis contulit? Ratione prorsus admirabili; nam primo unum hominem in filium naturalem assumpsit tota divinitatis plenitudine in ipsum refusa et substantialiter unita; per hunc adoptat et filios Dei efficit omnes illos, qui illi homini per fidem et sacramenta tamquam rami trunco et palmites viti inseruntur. Statim enim, ut quis adhaerescit Christo, a Spiritu Christi, qui est ejus divinitas, veluti animatur et vivificatur, ac proinde efficitur filius Dei: *qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, ut inquit Apostolus Rom. 8, 14. Eodem enim Spiritu vivunt, quo Deus ipse, et quo Christus Filius Dei naturalis vivit, etsi hic spiritus diverso modo istis communicetur. Personis enim divinis communicatur per identitatem . . . humanitati vero Christi per hypostaticam unionem, nobis per quandam extensionem, qua mediante dono gratiae justificantis incipit esse noster spiritus, nostra vita nos inhabitans, movens, ornans, regens et omnes vitales functiones Domino placentes in nobis excitans et edens. Itaque hoc Spiritu divinae personae vivunt naturaliter, cum sit illarum esse et vita naturalis; humanitas Christi quasi naturaliter propter substantialem unionem: nos vero omnino supernaturaliter . . . Cogita Spiritum Christi esse veluti immensam quandam animam, quae angustiis istius humanitatis non coërcetur, sed in omnem partem quasi in infinitum exundat: itaque sufficiens est, ut non solum illum hominem seu hoc individuum, sed omnes etiam illos, qui illi adhaeserint, vivificet et consequenter filios Dei efficiat. Facit autem haec non immediate per se nos informando, sed per dona gratiae, quae nobis infundit. Sumus ergo filii Dei proprie et formaliter non tam per donum aliquod creatum secundum physicam suam entitatem consideratum, quam per inhabitationem et possessionem Spiritus divini vivificantis et regentis animas nostras, sive per gratiam habitualem, quatenus haec facit nos possidere Spiritum Dei". Haec sententia admodum displicet Ripaldae, qui disp. ult. sect. 8 et 10 n. 127 nimis rigidam censuram de ea pronunciat: „Quae sententia mihi videtur suspecta et tanto theologo indigna. Accedit proxime sententiae haereticorum asserentium nos justificari per formam extrinsecam." Quod cl. Scheeben, qui hujus sententiae patronis accensetur, propterea graviter impugnatus a Granderath in fasc. lit. Zeitschrift für kath. Theol. 1878 p. 581 ss.; 1881 p. 283 ss.; 1883 p. 492 ss.; 1884 p. 545 ss. attinet, notetur **1.** eum negare Spiritum s. esse causam formalem adoptionis, quatenus haec una est cum sanctificatione verusque justificationis effectus formalis, prout eam exhibet conc. tridentinum. Tueri **2.** justificationem plene constitutam praesupponi ei filiationis plenitudini, quam perficit et consummat inhabitatio Spiritus s.: **3.** filiationis plenitudinem adaequate constitui gratia justificante, quatenus haec est non solum forma inhaerens, sed simul etiam vinculum spiritus inhabitantis, idque **4.** illustrari ex conjuge, quae ob unitatem carnis, quam contrahit cum viro, pleniori ratione fit filia patris viri sui, quam mera adoptione. Ita et nos incorporatione in Christum pleniori ratione reddimur participes filiationis divinae, quam mera adoptione per gratiam. Cf. Handb. § 169, praesertim n. 844 ss.; 879-83; 863 ss. col. 838; Katholik 1884. II, 561 ss.; 1885. I, 18 ss.

[1]) In libro mscr. cui titulus „de vita deiformi", in quo magna ingenii sagacitate fuseque hanc sententiam illustrare nititur, atque non solum ad patrum graecorum

vero generationis est naturae communicatio: cum ergo aliunde constet, nos reddi naturae divinae consortes, participes non solum charismatum Spiritus s., sed ipsius Spiritus sancti, ut mox videbimus: omnia suadent, nos pleniori saltem sensu reddi filios Dei adoptivos, quatenus regeneratione in nos transit Spiritus adoptantis: adeo ut adoptatus, quamvis non naturaliter possideat naturam adoptantis (tunc enim esset filius naturalis), supernaturaliter illam participet. Unde nobilissima erit haec filiatio adoptiva, aemula filiationis naturalis.

2. Quaeritur, *num justi V. T. fuerint filii Dei.* Merito id affirmat Suarez in 3 q. 23 a. 3: verum simul notat **a.** eos fuisse filios Dei non vi V. T., sed quatenus fide, spe et caritate jam ad novum spectabant. „Deinde **b.** illi antiqui justi, licet vere essent filii, tamen non habebant statum filiorum, sed servorum, quia erant sub lege et spiritu timoris ducebantur, unde erant tamquam parvulus, qui quamdiu sub actoribus et tutoribus est, nihil differt a servo (Gal. 4, 2). Denique **c.** pro illo statu carebant perfectione gloriae, unde non poterant adire perfectam hereditatem, donec Christus veniret. Erat ergo illa adoptio vera, sed imperfecta.«

3. Quaeritur, possitne Deus aliquem adoptare in filium absque gratiae santificantis infusione. Suarez de gr. VII, 3 id utcunque fieri posse concedit; de facto tamen non fieri atque hunc adoptandi modum minus rerum congruentiis et analogiis convenire. Cf. Becanus c. 18 p. 2. 3.

191. **Scholion II.** *De filiorum pane.* — Si **1.** Deus est Pater noster, patris autem est filiis providere panem, profecto et filiis suis Pater coelestis panem condignum providebit, Eum sane praebet in eucharistia. Quod si **2.** tantus est panis, quantae excellentiae erit vita gratiae, quae illo conservatur, sustentatur, fovetur? Sic mutuo illustrat et gratiae praestantia excellentiam eucharistiae: et hujus dignitas illius pretium. Sicut **3.** praestantia illius panis est invisibilis, sensuum judicio non aestimanda, sed fide tantum cognita: ita et vita gratiae, quae infunditur in justificatione, non sensibus est aestimanda, oculis non usurpatur (saltem in se et immediate), fidei tantum est pervia. Et sicut **4.** mutatio panis in Christi corpus est interior manentibus tamen speciebus: ita *licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem* 2. Cor. 4, 16. Cf. Chrysologus s. 67. 72; Scheeben Herrl. der g. Gnade II, 6; Mysterien § 71.

192. Ex gratiae justificantis praerogativa, qua nos reddit filios Dei adoptivos, consequitur et altera; nam teste Paulo Gal. 4, 7: Rom. 8, 17: *Si filii* (sumus) *et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Controversia vero est inter theologos de jure, quo potiuntur justi vi gratiae sanctificantis et adoptionis ad ipsam hereditatem. Ripalda disp. ult. s. 10 triplex distinguit jus: „Alterum est jus morale strictae justitiae, ratione cujus fieret injuria stricta justo, si negaretur a Deo gloria: quod jus ad gloriam ut coronam convenire justis (ex meritis) statuimus disp. 83. Alterum jus physicum exigentiae naturalis, quale convenit cuicunque naturae in suas proprietates, ratione cujus vis inferretur gratiae, si privaretur hereditate gloriae, sicut vis infertur naturae, cum privatur sibi debita proprietate. Tertium est jus solius conna-

---

testimonia, sed ad ipsum s. Thomam in 3 dist. 10 q. 2 a. 1 qcl. 3 et Alexandrum hal. summae theol. 3. p. q. 61 m. 3 a. 2 et ad haud paucos theologos graves recentiores provocat. Cf. infra n. 200.

turalitatis et dignitatis physicae seu capacitatis naturalis: quae lata quadam significatione vocem juris obtinere potest.« Jam vero gratiae denegat jus morale et physicum, tribuitque »jus solius connaturalitatis seu dignitatis physicae et habilitatis naturalis, ut gratiose acceptemur in gloriam.«

193. **Demonstratio p. VII.** „Per gratiam vero habitualem fieri hominem participem naturae divinae, scribit Ripalda l. c. s. 7, ideoque gratiam esse participationem deitatis, adeo frequens et constans est theologorum assertum, ut absque temeritate negari non possit. Ita s. Thomas et reliqui theologi cum illo 1. 2 q. 110 a. 2; q. 112 a. 1; 3. p. q. 2 a. 10 ad 1.“ Revera **1.** id docent patres occasione verborum Psalm. 81, 6: *Ego dixi: dii estis et filii excelsi omnes;* 2. Petr. 1, 4: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Neque **2.** id affirmant tantum et comprobant, sed etiam illustrant similitudinibus; docent enim ita nos reddi divinitatis participes, ut ferrum ignitum ignis, aer illuminatus luminis, gutta aquae vino immissa vini etc. Ita s. Basilius de Spir. s. c. 9: „Quemadmodum, inquit, corpora illustria pellucidaque contacta radiis solis fiunt et ipsa supra modum splendida et alium fulgorem ex se profundunt: sic et animae Spiritu afflatae et illustratae fiunt et ipsae spirituales et in alios gratiam emittunt . . . Hinc cum Deo similitudo et, quo nil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias.“ Huc **3.** refer prop. Baji damnatas 42 (cf. n. 169) et 21: „Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.“ Accedunt **4.** Ecclesiae orationes; ita enim sacerdos in missa, dum aquam vino admiscet, orat: „Da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps.“ Cf. Petavius de Trin. VIII, 4 s.; Casini Quid est homo ed. Scheeben p. 243 ss.; Passaglia comment. theol. V de eccl. signific. τῆς οὐσίας § 11 ss.

194. Verum difficile est explicare modum hujus consortii: cavere enim **1.** debemus, ne hanc participationem defectu extenuemus, revocando eam ad meram assimilationem moralem scil. secundum sentiendi rationem, vel ad assimilationem virtualem scil. in solo modo operandi; tenendum enim est, hanc participationem esse physicam, scil. aliquid physicum et objectivum; esse formalem, esse participationem naturae, non tantum alicujus attributi. Sed altera ex parte cavendum est, ne excessu eam exaggeremus, adeo ut in sententias pantheismum olentes incidamus. Hinc damnatae prop. Eckhardi 10: »Nos transformamur totaliter in Deum et convertimur in eum; sicut in sacramento eucharistiae panis convertitur in corpus Christi: sic ego convertor in eum, quod ipse operatur me suum esse, unum, non simile;« 13. et 5. Mich. Molinos.

2. Plerique theologi reperiunt hoc consortium in speciali et supernaturali assimilatione hominis cum Deo, vi cujus justificatus redditur expressa

imago et similitudo Dei, non tantum moralis, sed et physica, supernaturalis formalis. Quod comparatione illustrat Dr. Jungmann, qui distinctione facta inter vestigium, repraesentationem et similitudinem, scribit de gratia p 2 c. 1 a. 1: »Ita vestigium, quod homo in terra relinquit, aliqua ratione remotissima eum nobis ex parte exhibet; repraesentatio quaedam ejus habetur, cum coloribus ipsius effigies in tela depingitur; sed multo major similitudo relucet ex speculo nitidissimo, quod perfectissime nobis hominem veluti viventem ob oculos ponit. Simili modo creaturae irrationales vestigia quaedam divinarum perfectionum prae se ferunt; majorem, etsi remotissimam, similitutidem cum Deo naturaliter habet anima rationalis; at gratia sanctificante ornata et deificata veluti speculum est, ex quo divinitas ipsa relucet. Et quemadmodum purissimi crystalli globus lucet atque resplendet veluti sol, dum solis radii atque lux in eo colliguntur; ita et anima ornata gratia divino fulgore resplendet et deificatur.«

3. Si quaeras, quaenam sit illa divina perfectio, quam gratia formaliter ac physice participat, variae sunt sententiae. Praetermissis sententiis quibusdam subtilioribus et fere antiquatis rem ita explicat Suarez VII c. 1 n. 30: »Divina essentia ratione objecti intelligibilis in se et per visionem intuitivam ad ipsam Dei essentiam immediate terminatam, adeo est elevata et excellens ratione purissimae actualitatis et immaterialitatis suae, ut a nulla substantia intellectuali possit connaturaliter videri nisi a se ipsa. Per gratiam vero et dona supernaturalia elevatur natura creata intellectualis ad participationem illius gradus intellectualitatis divinae, in quo possit objectum illud intelligibile divinae essentiae in se intueri.« Paulo secus Ripalda d. 20 s. 14. n. 72: »Participatio divinitatis, quae gratiae justificantis propria est, in eo est sita, quod conveniat formaliter cum natura divina quoad esse primam radicem totius honestatis moralis, removendo omne peccatum et praebendo facultatem ad omnia pietatis ac bonitatis moralis opera.« Quae duae sententiae mutuo se complent et perficiunt, cum ratio imaginis divinae in homine respiciat intellectum et voluntatem: quare et perfectior assimilatio naturam perficiet quatenus est radix utriusque facultatis. Quare optime etiam dicitur hanc assimilationem consistere in vita deiformi, cujus inchoatio et explicatio continetur actibus virtutum theologicarum, consummatio visione et fruitione Dei, qui actus habent Deum pro objecto materiali et formali, sicut actus vitae divinae: unde principia proxima proportionata (virtutes theologicas infusas) exigunt et horum radicem, quae est instar altioris naturae i. e. gratiam in justificatione infusam. Sicut ergo natura divina est radix et principium vitae divinae: ita gratia regeneratione animae communicata est principium vitae deiformis et eatenus habetur assimilatio illa specialis et expressa divinitatis.

4. Admissa speciali similitudine plenius divinae naturae participationem explicat Lessius, cujus verba supra n. 190 a. audivimus. Cui sententiae **a.** suffragari videntur patres praesertim graeci, qui passim docent, ideo nos esse consortes divinae naturae, quod ipse Spiritus s. κατ' οὐσίαν justos inhabitet. Ita ex. gr. Athanasius ep. 1 ad Serap. n. 24: »Omnes similiter per Spiritum participes Dei dicimur . . . Sed si Spiritus s. res creata esset, nulla sane Dei communicatio nobis in ipso esset: sed rei creatae conjungeremur et divinae naturae alieni essemus, utpote nulla in parte ejus facti participes ... Si porro Spiritus communicatione divinae naturae consortes efficimur, nemo certe nisi

insanus dixerit, Spiritum non Dei, sed creatae esse naturae.« — Saepe vero Cyrillus alex. ut in Joan. 1, 13: »Aut enim mentiri plane evangelistam fatebimur, aut si verax est, sicuti est profecto, Deus erit et ex Deo secundum naturam Spiritus, cujus participatione per fidem in Christum donati et naturae divinae participes efficimur et ex Deo nati esse dicimur, et eam ob rem dii nuncupamur, non gratia solum ad supernaturalem gloriam evecti, sed quod jam Deum in nobis habitantem atque diversantem habeamus juxta illud prophetae dictum: *Quia inhabitabo in ipsis et inambulabo inter eos* (2. Cor. 6, 16).« Cf. n. 198[4]. Suffragatur **b.** ipsa notio participationis, consortii naturae divinae: nam propter similitudinem analogam tantum non adeo facile quis dicitur consors alterius naturae. Eoque magis **c.** ita hoc consortium explicabimus, quod ex revelatione constat, ut th. 204 videbimus, Spiritum s. revera secundum substantiam se nobis communicare. Quare etiam em. card. Franzelin th. 48 de Deo trino scribit: »Duo igitur complectitur consortium naturae divinae: participationem divinae naturae formalem, sed analogicam h. e. supernaturalem assimilationem ad naturam divinam, et hac dispositione supposita ac per hoc veluti vinculum participationem σχετικὴν videlicet intimam unionem cum ipsa substantia divinae naturae. Deificatio, inquit de hier. eccl. c. 1 § 3 et c. 2 § 1 Dionysius, est ad Deum quanta fieri potest assimilatio et unio ἡ πρὸς θεὸν ἀφομοίωσίς τε καὶ ἕνωσις.« Cf. Scheeben § 169.

195. **Demonstratio p. VIII.** De hac parte ita Lessius n. 81: »Quo persona est excellentior vel carior, eo pluris est aestimandum ejus obsequium: quia per illud ipsa cum tota sua dignitate et amabili bonitate se illi subjicit et in ejus cultum et honorem impendit; vilitas autem personae multum detrahit operis aestimationi: similiter si parum sit grata ei, cui defert obsequium. Itaque cum esse filium Dei ejusque praeditum esse spiritu tribuat homini summam excellentiam faciatque Deo carissimum, fit, ut opera ejus et obsequia in Deum maximi aestimentur et condigna censeantur vitae aeternae remuneratione.« Verum de hoc iterum disseremus, cum agemus de merito. Interim ex hac praerogativa demonstratur gratiae excellentia. Sine ipsa enim opera vel maxima nil valent ad vitam aeternam; cum illa vel minima merent de condigno augmentum gloriae aeternae, idque non semel, sed toties, quoties quis bene operatur. Est ergo fons inexhaustus bonorum saliens in vitam aeternam.

196. **Scholion.** *Effectus secundarii.* — Quo gratiae excellentia magis innotescat, effectus quosdam secundarios ejusdem breviter expendamus. Omissa interim infusione virtutum, quae illam comitatur,

1. gratia sanctificans reddit justos speciali dignos providentia, qua de re egregie Isai. 49, 15: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non oblviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te; muri tui coram oculis meis semper;* 46, 3; Matth. 6, 25 s.; et tanta est haec providentia, ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum* Rom. 8, 28.

2. Adde specialem angelorum custodiam Hebr. 1, 14; Ps. 90, 11.

3. Adnexa est singularis virtus et potentia, quam fragili naturae confert propter habitus infusos et multiplex gratiae auxilium, quod secum fert. Cujus virtutis tot sunt argumenta, quot martyres, virgines, quot horum

victoriae de carne, mundo, inferno; hujus virtutis intuitu exclamare licet: *Vere digitus Dei est hic* Ex. 8, 19; *haec mutatio dexterae Excelsi* Ps. 76, 11; *mirabilis Deus in sanctis suis* Ps. 67, 36; *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram* Ps. 45, 9; Ad justos spectant Is. 40, 31: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Quare illis cum Paulo Phil. 4, 13 dicere licet: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Cf. Gregorius M. hom. 30 in Ev. opusc. VI, 240 ss. ser. II.

4. Haec gratia veram conciliat felicitatem et pacem, quam mundus dare non potest, adeo ut cum eodem Apostolo 2. Cor. 7, 4 justus dicere possit: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

5. Ipsa veram confert libertatem, verum progressum cultumque; formamur enim ad similitudinem Christi et Dei.

6. Alia gratiae sanctificantis praerogativa est ejus perennitas, nectitur enim cum gloria manetque in aeternum, ut patet **a.** ex Scripturis, in quibus regnum coelorum exhibetur in justis hujus vitae ratione justitiae inchoari eosque jam habere vitam aeternam in se. Deinde **b.** eatenus justi consequentur gloriam coelestem, quatenus sunt filii et heredes. Filii autem et heredes constituuntur gratia. Tamdiu ergo haec durare debet, quamdiu gloria. Hinc **c.** gratia exhibetur, ut fons saliens in vitam aeternam Jo. 4, 14. Ad haec **d.** gratia deificamur secundum patrum doctrinam (n. 193). Haec vero deificatio culmen suum attinget in gloria. Ergo et gratia in gloria manebit. Hinc **e.** passim vel de gratia angelorum est sermo. Cf. Kirschkamp Gnade u. Glorie pag. 74 ss.

Quare post haec omnia de gratia repeti possunt encomia, quae auctor inspiratus sapientiae tribuit Sap. 7, 8 ss.: *Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi illam: quoniam inexstinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa et innumerabilis honestas per manus illius . . . Infinitus enim thesaurus est hominibus.* Unde corollarii modo liquet, quantum malum sit peccatum grave, quo tantum Dei bonitatis opificium destruitur, tantus amittitur thesaurus. Cf. in primis Scheeben die Herrlichkeiten der göttl. Gnade II, 3 et 4 et Mysterien § 38 ss. praesertim pag. 234 ss. — Propter tantam gratiae praestantiam quaerunt theologi, possibilisne sit gratia habitualis perfectior gratia praesentis ordinis? Negant plures cum Suarez; affirmat Ripalda disp. ult. s. 39.

197. **Thesis CCIV.** ***Spiritus sanctus omnes, qui gratia sanctificante ornantur, non tantum suis donis, sed secundum substantiam speciali modo inhabitat.***

Demonstratio p. I. Spiritum s. inhabitare justos donis suis manifestum est, cum quaelibet gratia donum sit Spiritus sancti: eum vero inhabitare illis septem donis, quae speciali ratione ipsi adscribuntur, non adeo certo constat; probabiliter inde colligitur, quod teste Paulo Rom. 8, 9 s.; Galat. 4, 6, eodem Spiritu reddimur justi, quo obumbrante conceptus et incarnatus est Dei Filius, idemque Spiritus inhabitat membra, qui tota sua plenitudine requievit super Christum, caput nostrum. Atqui Spiritus s. requievit in Christo nominatim septem donis suis teste Isai. 11, 1 s. Ergo iisdem inhabitat membra Christi. Quod et magno consensu theologi praeeunte s. Thoma 1. 2 q. 68 docent.

198. **Demonstratio p. II.** Cum gratia justificationis nexam esse specialem inhabitationem Spiritus s. innumera Scripturae et patrum effata docent, secundum quae Spiritus s. non tantum donis suis, sed κατ' οὐσίαν secundum substantiam justos inhabitat. Docent

1. Scripturae Joan. 14, 16; 15, 26; Rom. 5, 5; 8, 9 s.; 1. Cor. 3, 16; 6, 19 etc., e quibus testimoniis liquet, Spiritum s., qui est Patris et Filii Spiritus, qui a Patre procedit, justis mitti, infundi, donari, non secus ac Filius nobis missus et datus fuit; justos eum accipere, habere, portare, adeo ut sint ejus templum. Atqui nomine Spiritus sancti, qui a Patre procedit, qui Patris et Filii est Spiritus, cujus nos sumus templum, intelligi nequit tantum aliquod charisma.

2. Spiritus sanctus singulari ratione vocatur donum, non solum, quia est donorum supernaturalium auctor, sed quia ipse donatur. „De Spiritu sancto, inquit s. Augustinus de fide et symb. c. 9, nondum tam copiose ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus . . . nisi quod eum donum Dei esse praedicant, ut Deum credamus non seipso inferius donum dare."

3. Praeterea patres distinguunt inter Spiritus sancti substantiam et operationem, et diserte tuentur, Spiritum s. non tantum secundum operationem, sed secundum substantiam inhabitare justos.

Ita antiquus auctor serm. 182 (in append. opp. s. Augustini) n. 1: »Adfuit ergo in hac die (Pentecostes) fidelibus suis non jam per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam praesentiam majestatis: atque in vasa non odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti.« — »Consideremus, inquit Cyrillus alex. l. 5 in Jo. 1, 39, in sanctis quibusdam prophetis velut uberem quandam illustrationem et illuminationem s. Spiritus exstitisse, quae ad futurorum perceptionem erudire posset occultorumque notitiam: et vero in iis, qui credunt in Christum, non simplicem illustrationem a s. Spiritu derivatam, sed ipsummet Spiritum habitare et domicilium collocare confitemur; unde merito et templa Dei vocamur, cum nullus sanctorum prophetarum templum Dei nominatus sit unquam.«

4. Ex hac praesentia inferunt, nos divinae consortes esse naturae, cum creaturae praesentia reddi non possimus illius participes.

Sic idem Cyrillus dial. 7 (p. 637): „Si ignis, inquit, nemo particeps esse potest sine igne, quinam divinitatis particeps esse potest quispiam nisi per Deum? Jam vero quod in nobis inest, tamquam Deus ac Dei locum et operationem implet, potestne Deus non esse?“ Et thes. ass. 34 (Migne 75, 610): „Si Spiritu s. signati ad Deum reformamur, quomodo erit creatum id per quod divinae essentiae imago et increatae naturae signa nobis imprimuntur? Neque enim Spiritus s. pictoris instar in nobis divinam essentiam depingit, aliud quidpiam ab illa exsistens: neque hoc modo nos ad similitudinem Dei ducit: sed cum ipse sit Deus et ex Deo procedat, in cordibus eorum, qui ipsum suscipiunt, velut cera invisibiliter instar sigilli imprimitur: et naturam nostram per communicationem similitudinemque sui ad archetypi pulchritudinem depingit Deique imaginem homini restituit. Quomodo igitur erit creatura is, per quem natura humana ad Dei imaginem reformatur utpote Dei particeps facta?“

5. Patres docent, hoc discrimen esse Deum inter et creaturam, quod haec operatione sola hominis possit animam ingredi, Deus vero secundum substantiam. Quocirco cum de Spiritu s. legimus, eum animas justorum replere eosque inhabitare, inferunt, eum esse Deum. Manifesto ergo supponunt, eum non solum κατ' ἐνέργειαν, sed κατ' οὐσίαν inhabitare justos. Ita Didymus alex. de Spir. s. n. 8: „Quidam Spiritu sancto pleni esse dicuntur; nemo autem sive in Scriptura sive in consuetudine plenus creatura esse dicitur; neque Scriptura hoc sibi vindicat aut sermo communis, ut dicas quempiam esse plenum angelo, throno, dominatione: soli quippe divinae naturae hic convenit sermo: dicimus autem virtutis aut disciplinae quosdam esse plenos.“

6. Denique docent, nos illapsu s. Spiritus deificari, eamque communicationem multiplici comparatione illustrant, ut ignis invadentis ferrum, auri sua infusione deaurantis, balsami pervadentis subjectum, in quod recipitur etc. Cf. Petavius VIII, 4; Thomassinus de incarn. VI, 8 ss.

199. **Scholion.** Quaeritur, *num in justis V. T. inhabitaverit* κατ' οὐσίαν *Spiritus s.* Aliqui patres videntur favere sententiae neganti; praeferenda tamen est sententia affirmans, quam tuentur praeter alios Franzelin th. 48 et Mazzella d. 5 a. 9 § 5. Ad explicanda autem ea patrum effata, quae objici possunt, haec memineris: **1.** inhabitationem Spiritus s. pertinere ad N. Testamentum eodem modo ac gratia ad illud pertinet. Sicut ergo justi V. T. gratiam justificationis non habebant vi legis, sed intuitu meritorum Christi et quatenus fide et caritate spectabant jam ad N. T., ita et illam; **2.** concedi posse, gratiae abundantiam et Spiritus s. inhabitationem non fuisse adeo plenam et intensam, ut in N. T. redemptionis pretio jam persoluto; **3.** in N. T. locum habere specialem s. Spiritus inhabitationem, qualis in V. T. non fuit, scil. per sacramenta consecratoria ordinis praesertim et confirmationis.

200. *De inhabitatione s. Spiritus.* — Sicut autem facile probatur factum inhabitationis sancti Spiritus, ita difficile est explicare modum hujus praesen-

tiae et unionis. Tenendum ergo est hanc inhabitationem distingui **1.** ab ea, quae habetur vi omnipraesentiae vel secundum specialem aliquam operationem vel quatenus Spiritus s. est objectum tantum cognitionis et amoris; eam **2.** non esse naturalem, substantialem, hypostaticam, nisi forte denominatio petatur ex terminis, qui uniuntur, non ex termino, qui ex hac unione prodit; sed **3.** esse realem, ontologicam, accidentalem tamen, relativam; ideoque **4.** maximum esse discrimen inter hanc unionem et unionem sive Verbi cum humana natura assumpta sive animae cum corpore; ad utramque tamen **5.** quadamtenus accedere. Sicut enim ratione unionis hypostaticae filius hominis est Filius Dei naturalis et verus Deus: ita ratione hujus unionis filius Adae redditur (saltem secundum plures) plene filius Dei adoptivus atque consors divinae naturae; et sicut ratione unionis animae cum corpore corpus vivit vitam animalem: ita ratione inhabitantis Spiritus s. justi vivunt vitam spiritualem. Hinc Augustinus in Ps. 70 serm. 2 n. 3: „Duae vitae sunt, una corporis, altera animae; sicut vita corporis est anima, sic vita animae Deus“: quae passim repetit. Quare **6.** Spiritus s. illapsu suo ac substantiae suae applicatione justi animae se insinuat, eam pervadit, nova vita novisque proprietatibus donat. Quae doctrina mirum in modum illustratur ex sanctorum biographia non obiter tamen inspecta.

201. De quaestione, utrum haec specialis inhabitatio Spiritui sancto sit propria, an tantum appropriata: scias, communiorem esse theologorum sententiam, eam tantum ipsi appropriari, cum graves obsint difficultates, si ea Spiritui s. propria statuatur. Non tamen desunt praestantes theologi, qui distinctione facta inter inhabitationem, quae communis est tribus personis, et unionem, hanc proprie convenire Spiritui sancto plus minusve diserte opinentur. Pro hac enim sententia, quam Jovene magna eruditione statuere nititur, citat Petavium, Thomassinum, Corn. a Lapide, Passaglia, Schrader, Scheeben (Myst. § 29 s.), Matignon et Borgianelli. Praeter alias rationes huic sententiae favent ea in primis Scripturae effata Jo. 14, 16 s. 25, 28; 15, 26, quibus Spiritus s. dicitur ita ad nos mitti, ut Filius dicitur missus in mundum, et patrum doctrina, nos per Spiritum s. conjungi Filio et Patri. Neque propter hanc unionem Spiritui sancto propriam sequitur oriri unionem hypostaticam: haec enim habetur inter personam divinam et naturam assumptam, locum autem non habet inter personas, quamvis arctissime uniantur: neque justus unitur ex horum theologorum mente Spiritui s. quatenus est persona, sed naturae in ipso subsistenti.

201ª. Si vero quaeritur, quid ea unio superaddat praesentiae per immensitatem, saltem in hoc conveniunt theologi, ut statuant **a.** justificationis gratiam esse novum titulum praesentiae sancti Spiritus, cui adeo placet anima ea gratia praedita, ut si non esset ibi ratione immensitatis, gratia allectus in tali saltem anima esse inciperet; eam **b.** superaddere novam praesentiae divinae manifestationem; propter novum vero manifestationis modum solemus dicere, Deum speciali ratione alicubi esse. Est ergo **c.** in sanctis ut in templo organo, throno; ut rector et motor, ut effundens suae gratiae divitias; ut se communicans speciali tutela et providentia supernaturali, gratia et amore tamquam amico, filio adoptivo, sponsae dilectae; est **d.** in justis ut objectum interiorum operationum, secundum quod cognitum est in cognoscente et amatum in amante (cf. s. Thomas l. q. 8 a. 3), quatenus scil. Deus se tradit justis per

modum amici seu objecti possessi et fruibilis per actus supernaturales vitae deiformis, consummate quidem in patria, inchoate actu et habitu in terra. Cf. Kleutgen Theol. der Vorz. t. II d. 7 c. 6; Franzelin de Deo trino th. 43; Oberdoerffer de inhabitatione Spiritus s., Tornaci 1890; De San de Deo I p. 111 c. 3 p. 342.

Articulus III.

De virtutibus infusis.

202. **Praenotiones.** *De habitibus.* — Habitus ab Aristotele Metaph. l. 5 definitur: „Dispositio, secundum quam bene vel male disponitur subjectum aut secundum se aut ad aliud," de qua definitione cf. s. Thomas 1. 2 q. 49 a. 1. Definiri etiam solet: „Qualitas permanens et difficulter mobilis (qua proprietate distinguitur secundum aliquos a mera dispositione), qua homo bene vel male se habet, spectata primario vel natura ipsius vel operatione." Supponit ergo habitus subjectum, quod ad plura est in potentia et circa ea nondum determinatum, inditque subjecto pondus, propensionem, pronitatem, qua potius ad hoc quam ad aliud ex illis pluribus inclinetur et inducatur. Sequitur hinc corollarii instar, potentiam jam naturaliter ad unum determinatam non esse habitus capacem.

Dividuntur autem **1.** habitus in eos, qui subjectum in se sine relatione ad operationem (saltem immediatam) afficiunt et entitativi dici possunt, ut sanitas, pulchritudo, gratia sanctificans etc.; et in illos, qui subjectum disponunt, perficiunt immediate in ordine ad actum, et operativi dicuntur; ex usu vero loquendi nomine habituum simpliciter intelligi solent operativi. Hinc s. Thomas de verit. q. 27 a. 2 ad 7: »Gratia (scil. sanctificans) est in prima specie qualitatis, quamvis non proprie possit dici habitus, quia non immediate ordinatur ad actum.« Definiri potest habitus operativus: qualitas de se permanens bene disponens potentiam in ordine ad operationem; quod aliis verbis ita expressit s. Thomas in 2. d. 24 q. 1 a. 1: »Habitus secundum proprietatem sui nominis significat qualitatem quandam, quae est principium actus, informantem et perficientem potentiam; unde oportet, si proprie accipiatur, quod sit superveniens potentiae sicut perfectio perfectibili.«

2. Dividuntur habitus in bonos et malos; ratione originis

3. in naturales seu ipsa natura insitos, acquisitos, qui actibus acquiruntur, et infusos quos Deus supernaturaliter agens animae communicat. Habituum infusorum alii dicuntur infusi per accidens, ii scil., qui repetitis actibus ab homine acquiri quidem possent, nihilominus tamen a Deo gratuito non exspectata actuum repetitione infunduntur, ut ex. gr. donum linguarum. Hi quidem quoad substantiam sunt naturales et nonnisi quoad modum quo conferuntur supernaturales. Alii vero dicuntur infusi per se, qui quoad modum et substantiam sunt supernaturales; ideoque unum Deum habent auctorem, et nulla actuum etiam supernaturalium repetitione acquiri possunt; iique non tam agendi facilitatem, quam potius agendi potentiam conferunt. De his Suarez de gr. II, 9 n. 3: »Nec sunt puri habitus, nec purae potentiae, sed utramque rationem eminenti modo participant. Sunt enim habitus, quatenus

supponunt potentiam, quae est proximum principium operationis, et illam informant et ad operandum adjuvant, nec possunt sine illius influxu operari: sunt vero potentiae aliquo modo, quatenus non dant solam facilitatem operandi sicut puri habitus, sed etiam dant vel complent potestatem. Non possunt autem dici simpliciter potentiae, quia non sunt totum principium proximum agendi; quia necesse est, ut ipsae potentiae animae immediate influant in actum, alioquin actio non esset vitalis. Vocantur autem simpliciter habitus, ut distinguantur a propriis potentiis, quibus superadduntur, et quia sine potentiis nihil agere possunt: potentiae autem absolute agere possunt sine tali habitu, si Deus per aliquod auxilium vicem ejus suppleat.« Et bene s. Bonaventura in 2. d. 28 dub. 1: »Est quidam habitus, qui ortum habet a potentia, sicut ille qui per assuefactionem acquiritur ab eo, in quo est; et de tali habitu verum est, quod non dat novam potentiam, sed priorem potentiam habilitat. Est et alius habitus, qui desursum descendit, et non solum dependet ab eo, in quo est, sed magis ab eo, a quo est; et talis habitus habet potentiam nobilitare et potest etiam illud, in quo est, movere et supra se elevare ratione illius, a quo procedit, et talis habitus est ipsa gratia.« Quare habitum per se infusum definit Ripalda d. 118 s. 1: »Qualitas per se infusa et permanens, adjuvans potentiam vitalem ad agendum actus supernaturales, et tenens se ex parte potentiae.« Cf. d. 119; s. Thomas 1. 2 q. 54.

203. Plures quaestiones hac occasione agitant theologi:

1. Num habitus infusi dent praeter posse etiam facilius posse. Affirmat Valentia, negant probabilius alii. Hinc non semper dant illam pronitatem, delectabilitatem ad bonum operandum, et consistere possunt experientia teste cum difficultate et repugnantia erga actus bonos, quae in habitibus acquisitis locum non habet (n. 183. 210).

2. Quaeritur, num repetitione actuum salutarium seu supernaturalium gignatur habitus supernaturalis. Negant communiter theologi, tum quia periret discrimen inter habitus acquisitos et infusos, qui uni Deo tribuuntur; tum quia habitus supernaturalis se habet per modum potentiae: potentiae autem actibus non acquiruntur, sed ad eos praesupponuntur.

3. Si quaeritur, unde ergo illa facilitas, quae repetitione actuum supernaturalium acquiritur ad illos iterandos, non una est theologorum responsio. Ea videtur repetenda non solum ex aucto habitu infuso, aucta gratia actuali et remotione obstaculorum, sed etiam ex eo, quod ipso actuum exercitio potentiae naturales semper melius disponuntur ad consursum suum exhibendum cum gratia (cf. n. 105). Quare habitus infusi actibus augentur dispositive et meritorie. Cf. Suarez VIII, 4; Ripalda disp. 51 ss.; Mazzella de virtutibus infusis d. 1 a. 5; Limbourg Zeitschr. für kath. Theol. 1885 p. 643—70; 1886 p. 107—41 et 277—313.

204. *De virtutibus.* — „Virtus, inquit Thomas de verit. q. 14 a. 6, ex sui nominis impositione significat complementum activae potentiae;“ hinc cum quaedam potentiae perfectio sit, generatim definiri potest habitus operativus bonus. Si autem quaeras, in quo haec perfectio consistat, respondet s. doctor de virt. in communi a. 1: „Habitus virtutum indigemus ad tria: Primo ut sit firmitas in sua operatione . . . Secundo ut operatio perfecta in promptu habeatur . . . Tertia ut delectabiliter

perfecta operatio compleatur.“ Duplici autem modo habitus operativus dici potest bonus, vel quia adjuvat ad opus physice bonum, seu ut ait ib. a. 7 s. doctor ad opus bonum quidem, non tamen sub ratione boni ut ex. gr. artes; vel quia adjuvat ad opus moraliter bonum, seu ad opus bonum sub ratione boni; unde perficit hominem in ordine morali; ille dicitur virtus secundum quid, hic virtus simpliciter, quae ab Aristotele Ethic. II, 6 definitur: „Virtus est, quae bonum facit habentem et opus ejus bonum reddit.“

205. Praeter hanc partitionem distinguuntur virtutes **1.** ratione potentiae, quam perficiunt, in intellectuales et morales.

De virtutibus intellectualibus haec notentur: **a.** eas perficere intellectum in cognitione veri. Atqui multiplici modo intellectus verum attingit et considerat; illud enim contemplatur vel speculative in se, idque aut immediate aut mediate: quod autem mediate considerat ope deductionis, est vel ultimum in aliquo genere cognitionis, vel ultimum respectu totius cognitionis: vel contemplatur verum modo practico, prout dirigit normamque imponit aut actibus humanis seu agibilibus, aut operibus mere externis seu factibilibus. Quapropter quinque virtutes intellectuales a theologis cum s. Thoma 1. 2 q. 57 numerantur: intellectus scil., qui perficit mentem ad contemplanda prima principia quae immediate sunt evidentia; scientia, quae eam perficit ad derivandas ex principiis conclusiones; sapientia, quae juvat ad indagandas ultimas omnium rerum rationes; prudentia, quae dirigit actus, et ars, quae praeest operibus externis. Quibus adnumerari debet fides theologica, quam philosophi ethnici non cognoverunt, et quae perficit intellectum ad cognoscendum verum supernaturale.

Virtutes vero, quae perficiunt voluntatem seu generatim vires appetitivas, dicuntur morales: de quibus haec teneantur: **a.** voluntatem esse liberam ejusque esse eligere; **b.** bonitatem actus voluntatis consistere in conformitate cum intellectu practico, qui voluntatis est regula; conformitatem autem **c.** excludere tam excessum, quam defectum, hinc consistere in quadam medietate; hinc **d.** virtutes morales disponere voluntatem viresque appetitivas, ut semper agant hoc modo conformiter ad normam; quare virtus ab Aristotele l. c. n. 15 definitur: »Habitus electivus exsistens in medietate determinata a ratione, prout sapiens determinabit:« de qua medietate pluribus disputat s. Thomas 1. 2 q. 64. Cum vero **e.** ratio mediante voluntate totam humanam vitam omnesque operationes ac passiones dirigat, liquet, pro diversitate operationum ac passionum plures distingui posse virtutes morales. Inter has vero **f.** eminent quatuor cardinales, i. e. prudentia, fortitudo, justitia et temperantia, »quarum, ut ait Augustinus de moribus Eccl. l. 1 c. 15, utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina earum in ore sunt omnium.« Et revera harum mentio frequenter occurrit apud veteres, imo et in Scripturis Sap. 8, 7: *Labores hujus* (justitiae i. e. generalis, qua late patet) *magnas habent virtutes: sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam et virtutem* (fortitudinem), *quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Dicuntur autem cardinales (forte primum a s. Ambrosio), vel quia opus quodlibet, ut sit bonum, bonitate harum virtutum propria praeditum esse debet, et illi veluti quadruplici

cardini inniti adeo, ut si vel una desit, opus dici nequeat bonum; vel quia reliquae virtutes omnes ad has tamquam ad principales revocari possunt. Perficiunt etiam virtutes cardinales quatuor illas facultates, quae virtutis subjectum sunt, prudentia scil. rationem, justitia voluntatem, temperantia appetitum concupiscibilem et irascibilem fortitudo: nam uterque hic appetitus in quantum participat rationem seu in quantum natus est rationi obedire seu a ratione moveri, subjectum est virtutis, ut inquit s. Thomas 1. 2 q. 56 a. 4, quem de virtutum moralium distinctione cf. ib. q. 60. 61.

2. Distinguuntur virtutes ratione originis in acquisitas et infusas; et infusae in eas, quae sunt per se, et eas, quae per accidens infusae sunt (n. 202 [3]). Virtus infusa solet definiri: „Qualitas bona mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur“: quae definitio a Magistro ex Augustini verbis concinnata omnes, ut ostendit s. Thomas 1. 2 q. 55 a. 4, virtutis causas comprehendit [1]).

Notari tamen debet, virtutes infusas non solum origine differre ab acquisitis, sed etiam forma seu motivo. „Licet enim utraque (ex. gr. temperantia acquisita et infusa), inquit doctor angelicus de virt. q. 1 a. 10 ad 8, quaerat medium, tamen alia ratione requirit medium temperantia infusa, quam temperantia acquisita: nam temperantia infusa exquirit medium secundum rationes legis divinae, quae accipiuntur ex ordine ad ultimum finem; temperantia autem acquisita accipit medium secundum inferiores rationes in ordine ad bonum praesentis vitae;“ vel ut alibi statuit, per virtutes morales infusas „homines bene se habent in ordine ad hoc, quod sint cives sanctorum et domestici Dei,“ per virtutes vero acquisitas „homo se bene habet in ordine ad res humanas:“ quibus similia habet 1. 2 q. 63 a. 4. Quod communiter quidem verum est; num vero omni in casu, controversum. Id saltem absolute non esse necessarium, videtur sequi ex iis, quae idem s. doctor statuit de discrimine inter virtutes theologicas et morales ib. q. 62 a. 2. Cf. de hac quaestione quae diximus n. 36 de discrimine actuum in salutares et ethice bonos: nam ita se habet virtus infusa ad acquisitam, ut actus salutaris ad ethice bonum. Cf. Valentia t. 2 d. 5 q. 6 p. 1.

3. Distinguuntur virtutes ratione objecti in theologicas et non theologicas, quae communiter morales dici solent. Differunt autem hae virtutes **a.** ratione objecti materialis, nam virtutis theologicae objectum materiale adaequatum aut saltem princeps, ad quod reliqua objecta

---

[1]) Reprobandae prorsus sunt notiones jejunae virtutis infusae, quae praesertim sec. 18. apud theologos minus scholasticos, hinc ad liberiorem sentiendi rationem pronos, reperiri solent, secundum quos virtus infusa est vel destinatio (Beruf) ad opera meritoria, vel jus justificationis gratiae innixum ad auxilium Spiritus s., vel ordo ad Spiritum s. inhabitantem et auxiliantem seu virtutem suam applicantem, vel habitualis affectio (Neigung) ad actus supernaturales orta ex actu caritatis non retractato absque subministratione virtutis etc., de quibus notionibus Scheeben l. 3 n. 782, qui bene dicit: Alles dieses ist lauter Flitterwerk, das sich ebensowenig mit dem einfachen und natürlichen Sinne der Kirchenlehre von der wahren übernatürlichen Lebendigkeit der Kinder Gottes reimt, als es tief und würdig gedacht ist.

referuntur, est ipse Deus, non vero virtutum moralium; **b.** ratione objecti formalis, objectum enim formale in virtutibus theologicis est ipse Deus seu aliqua ipsius perfectio; virtutum vero moralium bonitas seu honestas ipsa actus; **c.** virtutis theologicae est, hominem immediate per actus cum Deo fine supernaturali conjungere, in illum ordinare et dirigere, ejusque vitam reddere deiformem (n. 209): virtutis vero moralis mediate tantum, versatur enim circa ea quae sunt ad finem. „Virtutes theologicae, inquit Thomas 1. 2 q. 62 a. 3, hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur in finem sibi connaturalem.“ Et in 4. d. 44 q. 1 a. 1 qcl. 4 ad 2: „Virtutes infusae tripliciter se habent ad Deum. Quaedam enim Deum habent pro objecto et fine, sicut theologicae. Quaedam non pro objecto, in quod transeat earum actus, sed pro fine proximo: sicut patet de latria (seu de virtute religionis), quae aliquas servitutis protestationes quasi materiam habet, quas immediate ordinat in Deum quasi in finem; et tales virtutes propinquissimae sunt theologicis; unde et actus harum virtutum attribuuntur virtutibus theologicis, sicut proximis imperantibus . . . Quaedam autem non habent Deum pro objecto, neque pro fine proximo, sed ultimo; sicut temperantia, quae habet passiones pro materia et quietem animi pro fine proximo; sed hanc ulterius ordinat ad Deum.“ **d.** De ratione virtutis theologicae est, ut adhaereat suo objecto actu, qui sit appretiative super omnia, quae repugnant illi praedicato divino, quod est formale objectum actus theologici.

4. Distinguuntur denique virtutes ratione extensionis seu objecti in „universales et particulares. Virtus universalis ea dicitur, cujus objectum formale ea gaudet amplitudine, ut ei quodvis peccatum adversetur; particularis e contrario, cui aliquod tantum opponitur. Prioris generis sunt caritas, spes, religio, obedientia, gratitudo erga Deum, et si quae aliae hujusmodi sunt: posterioris generis sunt ex. gr. temperantia, fortitudo, fides etc.“ Palmieri de poenit. th. 4.

206. *Donum Spiritus sancti* praeeunte Thoma 1. 2 q. 68 perfectio quaedam est hominis, qua disponitur ad hoc, ut bene sequatur instinctum Spiritus sancti. Hinc sicut convenit cum virtute acquisita et infusa in eo, quod est habitus: ita differt, quod illae reguntur vel norma rationis vel lumine fidei: hoc vero impulsu seu speciali illustratione Spiritus sancti. Quam ob rem non sunt confundenda dona sancti Spiritus cum virtutibus infusis ejusdem nominis. Cf. Suarez II, 17 s., qui VI, 10 n. 10 animadvertit, nihil esse certum de eorum numero, cum per numerum septenarium apud Is. 11, 2 s. secundum plures designetur donorum plenitudo, proinde posse plura vel pauciora quam septem statui. Cf. Katholik 1879 I, 449 ss. De donis egregie disputat Bodewig in Zeitschr. f. kath. Theol. 1882 pag. 113—140; 248—282; 1883 p. 124—147; 230—50; Mazzella d. 1 a. 13; Scheeben § 295; Weiss s. Thomae Aq. de septem donis Spiritus s. doctrina, Viennae 1895.

207. Theologi subinde mentionem faciunt etiam beatitudinum et fructuum, de quibus fuse disputat s. Thomas 1. 2 q. 69 et 70, quae paucis ita complectitur lect. 6 in ep. ad Gal. c. 5: „Accipitur autem differentia donorum, beatitudinum, virtutum et fructuum ad invicem hoc modo. In virtute enim est considerare habitum et actum. Habitus autem virtutis perficit ad bene agendum. Et si quidem perficiat ad bene operandum humano modo, dicitur virtus; si vero perficiat ad bene operandum supra modum humanum, dicitur donum. Unde philosophus supra communes virtutes ponit quasdam heroicas: puta cognoscere invisibilia Dei sub aegnimate, est per modum humanum, et haec cognitio pertinet ad virtutem fidei; sed cognoscere ea perspicue et supra humanum modum pertinet ad donum intellectus. Actus autem virtutis vel est perficiens, et sic est beatitudo; vel est delectans, et sic est fructus.«

208. **Thesis CCV.** ***In justificatione habitus operativi infunduntur, nominatim virtutes theologicae fides, spes, caritas.***

Demonstratio p. I. Non desunt theologi, qui putent, thesim esse saltem quoad virtutes theologicas de fide, si habituum nomine dona tantum intelligantur permanentia ab actibus distincta, seposita quaestione, num haec dona proprie dici possint habitus. Ita Suarez, Valentia, de Lugo, Ripalda d. 120 s. 4. Secundum alios, ut Dom. Soto, Canum, Medina, Vasquez etc., ea ita est certa, ut absque temeritate nequeat negari. Minus certa est virtutum moralium infusio.

1. Probatur infusio virtutum generatim ex controversia de habituum infusione tempore conc. viennensis; adeo enim certa erat illo tempore ea sententia inter theologos quod adultos attinet, ut de ea nemo dubitaret. Si fuit dubium, illud tantum spectabat infantes: verum et his infundi virtutes tamquam probabilius statuit concilium (n. 168[3]).

2. Accedit auctoritas catechismi tridentini, qui de baptismo disserens n. 50 docet: „Huic autem gratiae additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia infunduntur divinitus;“ et synodus atrebatensis a. 1035: „Prius foedi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum;“ quae sunt s. Isidori hisp. etymol. VI, 19 n. 44.

3. Omisso argumento ex suffragio patrum et consensu theologorum, qui tantus est, ut teste Suario VI, 4, nullus reperiatur, qui id negaverit: illustratur id ratione haud spernenda, quam s. Thomas proponit 1. 2 q. 110 a. 2: „Non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit, ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus . . . Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas for-

mas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum." Qua ratione saepe utitur, ut c. gentes III, 150 ss. (n. 168[5]), qq. disp. de carit. a. 1 etc.

4. Idem divinae literae toties significare videntur, quoties promittunt Deum ablaturum esse in foedere gratiae *cor lapideum* et daturum *cor carneum;* se scripturum legem *in fidelium visceribus,* et in eorum corde, ut Ezech. 11, 19: *Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: ut in praeceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant faciantque ea;* 36, 26, Jer. 31, 33 s.: quae vix aliter, quam de habitibus infusis explicari possunt. Sicut enim nomine cordis lapidei intelligitur cor pravis habitibus infectum: ita nomine cordis carnei manifesto significatur principium habituale et permanens, operativum, sed bonum *(ut in praeceptis meis ambulent)* divinitus infusum i. e. habitus operativus bonus. Pariter aliquid in corde scribere est efficere, ut illud habitualiter memoria teneatur, magni fiat, ametur etc. Lex ergo cordi inscripta erit lex menti alte impressa, quae cum amore et prompte servatur. Atqui habitualis promptitudo et alacritas in servanda lege est virtus. Ergo divinitus infunditur cordibus eorum, qui spectant ad N. T., virtus, pro varietate praeceptorum multiplex.

209. **Demonstratio p. II. 1.** Probatur corollarii modo. Si enim in justificatione virtutes infunduntur, inter eas vero necessitate et dignitate eminent virtutes theologicae, hae prae ceteris infundentur.

2. Concilium trid. sess. 6 c. 7 docet: „In ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per J. Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem;" quae certe neque de actibus, neque de gratia actuali intelligi possunt.

3. Rationem hujus infusionis praeclare ita exponit s. Thomas 1. 2 q. 62 a. 3: „Dicendum quod, sicut supra dictum est (a. 1), virtutes theologicae hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem. Hoc autem contingit secundum duo: primo quidem secundum rationem vel intellectum, in quantum continet prima principia universalia cognita nobis per naturale lumen intellectus, ex quibus procedit ratio tam in speculandis quam in agendis; secundo per rectitudinem voluntatis naturaliter tendentis in bonum rationis. Sed haec duo deficiunt ab ordine beatitudinis supernaturalis secundum illud (1. Cor. 2, 9): *Oculus non vidit* etc. . . . Unde oportuit quod quantum ad utrumque aliquid homini supernaturaliter adderetur ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem. Et primo quidem quantum ad intellectum adduntur homini quaedam principia supernaturalia, quae divino lumine capiuntur: et haec sunt credibilia, de quibus est fides. Secundo vero est voluntas, quae ordinatur

in illum finem et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi, quod pertinet ad spem; et quantum ad unionem quandam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per caritatem. Appetitus enim uniuscujusque rei naturaliter movetur et tendit in finem sibi connaturalem; et iste motus provenit ex quadam conformitate rei ad suum finem.“ Suaderi

4. potest hac ratione: Non dissimili ratione videtur gratia operari in filiis adoptionis, ac natura in filiis naturalibus. Atqui natura inserit filiis specialem facilitatem agnoscendi parentes, fiduciam in illos et amorem tenerum: cui triplici affectui in ordine naturali triplex affectus ordinis supernaturalis erga Deum, sive tres respondent virtutes theologicae: ergo gratia regeneratione eas inseret justificatis; quod saltem de caritate clare docet Paulus Galat. 4, 6: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.*

210. **Scholion I.** *Exceptioni satisfit.* — Virtutum infusioni non adversatur factum, justos saepe experiri eosdem in se pravos habitus, quibus obnoxii erant ante justificationem: nam **1.** inter virtutes infusas et habitus pravos non est formalis oppositio, cum sint diversi ordinis: sicut etiam memoriae orationis dominicae in lingua latina non opponitur oblivio ejusdem in alia lingua. **2.** Distingui debet duplex facilitas vel difficultas, una interna, quae per se inest cuivis facultati respectu sui actus: altera quae oritur ex adjunctis externis. Atqui virtus infusa confert priorem facilitatem, sed non aufert difficultatem, quae oritur ex fomite concupiscentiae, tentationibus (n. 183. 203[3]) etc., quamvis **3.** saepe, praesertim si fervida praecessit praeparatio, pravos quoque habitus, si non penitus exstirpet, multum refrenet difficultatesque minuat.

211. **Scholion II.** Breviter *nonnullae quaestiones* sunt solvendae.

1. Quaeritur, *num in justificatione virtutes etiam morales infundantur.* Communior est sententia affirmans, quae nititur argumentis, quibus thesim praecedentem demonstravimus. Quod ejus certitudinem attinet, statuit Suarez de gratia VI, 9 n. 15: „Concludendum est igitur, hanc assertionem solum esse opinionem theologicam probabiliorem, non quidem eo in gradu, ut contraria temeritatis nota vel alia simili censurari possit, sed solum ut a pluribus theologis probatam et ratione melius fundatam magisque piam et modo etiam loquendi sanctorum magis consentaneam.“ Cf. s. Thomas 1. 2 q. 63 a. 3; q. 65 a. 3.

2. Quaeritur, *quando infundantur habitus fidei et spei,* nam habitum caritatis in justificatione infundi extra controversiam est. Plures cum Cajetano, Valentia, Suarez etc. censent, eos infundi adultis jam ante justificationem, quam primum hi actibus fidei et spei ad eorum infusionem sunt dispositi. Alii cum ss. Thoma et Bonaventura, Arriaga, Ripalda etc. statuunt, eos in ipsa justificatione infundi, quia alioquin baptismus nunquam per se illos infunderet adultis, cui tamen illorum infusio a conc. viennensi tribuitur (n. 186[3]), neque simul cum justificatione et caritate acciperent adulti fidem et spem, ut tradit conc. tridentinum (n. 209[2]). Cf. Mazzella de virt. inf. d. 1 a. 7.

3. Quaeritur, *quodnam sit discrimen inter gratiam justificationis et habitum caritatis.* „Haec controversia, inquit Ripalda d. 132 s. 4, olim celebris fuit, nunc facile dirimitur: cum jam constiterit, nullius partis argumenta plene convincere.“ Non desunt graves theologi, ut Scotus, Vega, Bellarminus, Vasquez, Estius, Antoine et alii, qui contendant, nullum esse reale discrimen, sed rationis tantum: maximeque illo nituntur argumento, quod gratiae et caritati iidem plane effectus adscribantur, et quod haec duo nomina promiscue adhiberi soleant. Plerique tamen theologi, ut s. Bonaventura, s. Thomas 1. 2 q. 110 a. 3. 4; qq. disp. de ver. q. 27 a. 2 et post ipsum thomistae, Suarez VI, 12, Valentia, Ripalda et alii tuentur reale discrimen gratiam inter et caritatem, quod in hac hypothesi omnia melius explicentur et cohaereant. Sicut in ordine naturali, inquiunt, distinguuntur essentia animae et ejus facultates, ita in ordine supernaturali distingui debet gratia, quae perficit essentiam animae, quatenus est radix intellectus et voluntatis, ab habitibus, quibus hae facultates perficiuntur: ut ita totus homo gratia elevetur, regeneretur, deificetur.

4. Quaeritur, *cujusmodi sit relatio inter gratiam sanctificantem et virtutes infusas:* cui quaestioni melius responderi nequit, quam verbis Thomae 3. q. 62 a. 2: „Gratia secundum se considerata perficit essentiam animae, in quantum participat aliquam similitudinem divini esse; et sicut ab essentia animae fluunt ejus potentiae, ita a gratia fluunt perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus perficiuntur potentiae in ordine ad actus suos.“ Cf. 1. 2 p. q. 110 a. 3; 3. q. 7 a. 2; q. 89 a. 1. Quapropter docent theologi, sanctificanti gratiae competere in ordine supernaturali munus naturae, eamque esse radicem omnis perfectionis supernaturalis. »Licet enim una sit gratia vivificans, inquit s. Bonaventura Breviloq. V, 4, ramificari tamen necessario habet in varios habitus propter varias operationes.“ Cf. Ripalda l. c. s. 5; Scheeben § 167.

5. Hinc solvitur quaestio inter theologos agitata, *utrum forma justificans sit simplex,* an composita scil. ex collectione habituum infusorum, quam Ripalda ita dirimit ib. n. 38: „Habitum simplicem gratiae habitualis a reliquis virtutibus distinctum (aut caritatem indistinctam a gratia habituali) esse essentialem justitiam: collectionem vero reliquarum virtutum theologicarum et moralium ad justitiam integralem pertinere.“ Quod si

6. quaeras, *utrum nexus inter gratiam et virtutes infusas sit physicus an moralis,* tuetur Suarez contra thomistas, quos sequuntur Silvius, Gotti etc., eum non esse physicum, sed moralem: nam virtutes ex gratia physice non fluunt, sed ejus intuitu infunduntur, quasi illi secundum suavem providentiam debitae et connaturales, ut filii Dei habitualiter idonei sint ad vivendum et operandum pro exigentia status tam sublimis.

Articulus IV.

De causis justificationis.

212. Plures causae justificationis solent a theologis numerari. Cum vero, quae ad illas spectant, vel extra controversiam sint, vel alibi jam fuerint demonstrata, pauca de iis sufficient.

1. Causa efficiens est Deus unus et trinus, et Deus quidem solus est causa efficiens principalis; neque ulla creatura, quamvis esse possit causa ministerialis, potest esse causa efficiens principalis, quae scil. virtute sibi insita et propria justificationis conferat gratiam. Gratia enim justificationis est prorsus supernaturalis, complectitur vero praeter alia peccatorum remissionem et adoptionem divinam. Atqui illius tantum est elevare naturam ad altiorem ordinem, cujus est constituere creaturis suum ordinem; remittere peccatum jure proprio potest tantum offensus, et adoptare solum is, cujus quis redditur filius. Ergo solus Deus. Cf. Thomas 1. 2 q. 109 a. 7; q. 112 a. 1 etc.; Suarez VII, 25.

Qua occasione disputant theologi, *num justificationis opus omnium operum divinorum sit maximum:* et respondent, justificationem ratione effectus unione quidem hypostatica et glorificatione esse minorem, sed majorem creatione: hujus enim terminus est bonum naturae mutabilis: illius vero participatio naturae divinae. Quamobrem censet Augustinus in Joan. tr. 72 n. 3, majus opus esse, ut ex impio justus fiat, quam creare coelum et terram. »Coelum enim et terra transibit: praedestinatorum autem salus et justificatio permanebit.« Si autem ipsae inter se conferuntur operationes, major est creatio justificatione.

2. Causa instrumentalis et quidem separata, sunt sacramenta: conjuncta vero causa est humanitas Christi, cui multiplex relate ad justificationem convenit causalitas, scil. satisfactoria, meritoria, exemplaris et ministerialis. Christus enim homo in terris degens reconciliationis egit ministrum, cujus tamen ministerialis potestas non iis alligata erat conditionibus, quibus nostra circumscribitur: poterat enim pro nutu adhibitis vel seclusis sacramentis praesentes et etiam absentes justificare, unde ejus potestas dicitur auctoritas excellentiae, de qua plura infra n. 285. Ceterum illi etiam ea causalitas jure merito potest vindicari, quae sacramentis tribuitur; sicut enim horum applicatione homines justificantur, ita potuit Christus in terris degens tactu ss. humanitatis justificare peccatores poenitentes.

3. Causa finalis est triplex: gloria Dei, gloria Christi, salus justificati.

4. Causa formalis est justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua nos justos facit, quaeque nobis inhaeret (thesi 201).

5. Causa ministerialis sunt ministri conferentes sacramenta.

6. Causa dispositiva, quae ad materialem revocari solet, sunt actus, quibus ad justificationis gratiam consequendam disponimur (n. 149): nam dispositionibus subjectum seu anima justificandi, quam aliqui causam materialem seu subjectivam vocant, fit habilis ad formae i. e. gratiae receptionem.

213. Subtilis oritur hic quaestio inter theologos, *utrum gratia justificationis creetur,* vel concreetur seu increetur, ut nonnulli loquuntur, vel utrum homo secundum eam creetur, an potius dicendum sit, eam ex animae potentia non quidem naturali, sed obedientiali divinitus educi. »Si creatio sumatur, inquit Habertus theol. PP. graec. vindicatae l. 3 c. 3 § 4, pro rei subsistentis productione, quum gratia sit accidens . . . inhaerens et cum ordine dependentiae a subjecto, cui inhaerere debet, producatur, eo sensu accurate creatio dici productio ipsius non potest. Ita s. Thomas (1 q. 45 a. 4).

Quia vero creatio a quibusdam etiam extenditur ad ea, quae vim et captum potentiae naturalis . . . superant atque extra sphaeram agentium naturalium posita sunt, solamque potentiam receptivam obedientialem in subjecto praerequirunt et Dei solius actione producuntur: cum gratia a Deo solo animae infundatur, simul a Deo creari dicitur a permultis veteribus scholasticis, Scoto, Bonaventura, Gabriele, Paludano et aliis . . . adeo ut s. Thomas medio quodam modo sententiam utramque temperare conetur, ubi ait (1. 2 q. 110 a. 2 ad 3), ‚secundum hoc etiam gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur i. e. in novo esse constituuntur ex nihilo i. e. non ex meritis secundum illud ad Eph. 2, 10: *Creati in Christo in operibus bonis.*‘ Sicut accidens neque fit neque corrumpitur: quia ejus est fieri vel corrumpi, cujus est esse vel non esse: accidens autem est entis ens, et ideo dicitur fieri vel corrumpi secundum quod subjectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundum hoc dicitur etiam gratia creari. Haec doctrina et loquendi ratio, quam excogitavit b. Thomas valde consentanea est Scripturae sanctorumque patrum dictis.‹ Quod cum adductis Scripturae patrumque effatis probavit, prosequitur: »Ex his clarum est, quaestionem esse fere de nomine apud scholasticos . . . Litem itaque totam paucis dirimere mihi videtur b. Thomas postea quam dixit de pot. q. 3 a. 8 ad 8, gratiam proprie non creari, quia non est forma subsistens. Infusio tamen gratiae accedit ad rationem creationis, quia non est ita ex potentia materiae, ut possit educi in actum per causam naturalem.‹ Cf. Ripalda d. 7; Suarez VIII, 2; Schäzler Lehre von der Wirksamk. der Sacr. § 7; Scheeben § 170.

Articulus V.

De proprietatibus justificationis.

214. Plures justificationis proprietates concilium trident. sess. 6 c. 7 s. contra protestantes tuetur. Quarum prima est gratiae inaequalitas; neque enim aequalis est in omnibus justis, neque semper aequalis manet in eodem justo. De qua proprietate haec tene:

1. Duplicem esse causam inaequalitatis gratiae in justis. Prior petitur ex voluntate Dei, qui prout vult sua dispensat dona; sicut enim in ordine naturali neque omnibus easdem proprietates et dotes, neque eodem tribuit gradu, ut hac varietate pulchrius reddatur universum: ita in ordine supernaturali non omnibus eandem gratiae mensuram elargitur. Altera petitur ex diversa justificandorum dispositione. Sicut enim in ordine naturali pro diversa materiae subjectae dispositione diversus est secundarum causarum effectus: ita et in ordine supernaturali pro diversa subjecti dispositione plus minusve gratiae confertur. Utramque rationem proponit concilium cum docet c. 7, unumquemque recipere justitiam suam „secundum mensuram, quam Spiritus s. partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.“

2. Neque in singulis gratia semper est aequalis; crescere enim potest et debet, ut patet ex Apoc. 22, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc, et*

sanctus sanctificetur adhuc; Prov. 4, 18: *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Cf. etiam Rom. 4, 2 s. col. Jac. 2, 23; Eccli. 18, 22; 2. Petr. 3, 18. Quod et multiplici analogia illustrari potest. Gratia enim est **a.** seminis instar boni, seminis autem est crescere et explicari. **b.** Regeniti sunt adhuc parvuli, qui cum aetate proficere debent sapientia et gratia apud Deum et homines, ut adolescant, donec formetur in illis Christus, cujus in regeneratione ipsis impressa fuerunt lineamenta Galat. 4, 19 (n. 186). **c.** Justificati sunt Deo grati et cari ratione sanctificantis gratiae; sed qui gratus et carus est, gratior et carior fieri potest: sicut qui injustus et inimicus, potest fieri magis inimicus et injustus. Quo vero gratior et carior quis est Deo, eo magis ab eo diligitur; quo autem majori dilectione Deus aliquem complectitur, eo majora etiam omnis gratiae dona in eum profundit. Damnata tamen est prop. Beguardorum a Clemente V. in conc. viennensi: „Quod homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit; nam, ut dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri."

3. Gratia augetur vel sacramentis vel bonis operibus, ut patet ex conc. tridentini sess. 6 c. 10 et can. 24. 32; tum ex Jacobi ep. 2, 24: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum*, quae verba sunt intelligenda non tantum de justificatione prima, sed etiam de secunda, de augmento scil. gratiae justificantis. Nam verbum justificare utramque potest significare; neque ulla ratio, cur restringatur hic ad significandam primam justificationem; praesertim cum apostolus duplex afferat justificationis exemplum: alterum certo justificationis secundae v. 21, alterum probabilius primae v. 25.

215. *De gratiae augmento.* — In quo autem consistat hoc augmentum gratiae semel infusae haud facile est explicare, neque una de eo est theologorum sententia. Alii putant id fieri additione gradus ad gradum, quod ratione habita simplicitatis hujus qualitatis, difficultate haud caret; alii augmentum explicant majore radicatione gratiae in subjecto, cui inhaeret. Quod s. Thomas disserens de virtutibus infusis ita explicat q. 1 a. 11: »Ideo intenduntur et remittuntur, in quantum subjectum reducitur magis in actum ipsarum per actionem agentis causantis eas: unde sicut virtutes acquisitae augentur ex actibus, per quos causantur, ita virtutes infusae augentur per actionem Dei, a quo causantur. Actus autem nostri comparantur ad augmentum charitatis et virtutum infusarum ut disponentes, sicut ad charitatem a principio obtinendam: homo enim faciens quod est in se praeparat se, ut a Deo recipiat charitatem. Ulterius autem actus nostri possunt esse meritorii respectu augmenti charitatis, quia praesupponunt charitatem, quae est principium merendi.« Aucta autem quovis opere bono justificationis gratia, crescunt proportione congrua virtutes infusae, quae illam potentiarum instar consequuntur (n. 211[4]). Utrumque vero augmentum illico post opus meritorium

confertur: neque enim ulla probabilis reddi potest ratio, quare illius collatio differatur vel in alteram vitam vel ad aliud tempus. Cf. Limbourg Zeitschr. 1886 p. 277 ss.

216. *Gratiae incertitudo.* — Altera gratiae justificantis proprietas in eo consistit, quod nemo scire potest certitudine fidei se gratiam Dei esse consecutum. Quod tenendum est contra protestantes, secundum quos justificandi possunt, imo debent credere sibi remissa esse peccata. Probatur vero ex Eccle. 9, 1: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit;* 1. Cor. 4, 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* quibus similia leguntur Job 9, 20; Prov. 20, 9; Eccli. 5, 5. In primis vero comprobatur nostra assertio hac ratione: Eatenus aliquis certus esse posset certitudine fidei de obtenta justificationis gratia, quatenus certitudine fidei vel evidentiae scit, se omnia praestitisse omnesque adimplesse conditiones, quae requiruntur ad justificationis gratiam consequendam. Jam vero quamvis quis possit certus esse certitudine conjecturali et morali de sua dispositione, deque adimpletis omnibus conditionibus, nunquam tamen certus esse potest certitudine fidei vel evidentiae. Nam etsi conscientiae testimonium verax est in testanda alicujus dispositionis exsistentia, infallibiliter tamen nequit dijudicare ejusdem qualitatem, num fuerit supernaturalis, sufficiens (contritio perfecta); validumne fuerit sive baptisma sive poenitentiae sacramentum: dispositionis autem sufficientia non pendet a sola illius praesentia, sed quam maxime ab ejus qualitate; esse enim debet supernaturalis, sicut oportet. Ex patribus audiatur Gregorius M. ad Gregoriam, Augustae cubiculariam, scribens ep. VI, 27: „Quod vero Dulcedo tua in tuis epistolis subjunxit, importunam se mihi exsistere, quoadusque scribam, mihi revelatum esse, quia peccata tua dimissa sunt, rem et inutilem et difficilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis: quae dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.“ Merito ergo statuit conc. tridentinum sess. 6 cap. 9: „Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.“ Hinc corollarii modo sequitur, justos a fortiori certos esse non posse de sua perseverantia et praedestinatione, quae a tot conditionibus et adjunctis futuris pendent, de quibus ipsi vix conjiciendo (ex se) aliquid assequi possunt.

217. *Exceptionibus satisfit.* — Ut difficultates solvantur, memineris

1. nos quidem negare, justum absque revelatione posse habere certitudinem fidei de adepta justitia: libenter tamen concedimus, eum posse habere certitudinem conjecturalem et moralem majorem minoremve, quae excludat actualem formidinem, prudens dubium: non tamen ita, ut si justus velit omnes rationes timendi attendere et expendere, formidare non possit. Ejusmodi certitudinem conjecturalem patres justis subinde concedunt.

2. Pleraque ex innumeris testimoniis quae vel ex Scripturis vel ex patribus protestantes objiciunt, non sunt ad rem; in illis enim sermo est vel de certitudine confidentiae, qua certo confidimus et speramus, nos a Deo gratiam et gloriam consecuturos, si fecerimus, quod est in nobis; vel de certitudine fidei, cujus objectum non est propria cujusque justificatio, quod tamen necessarium esset, ut vim probandi haberent: sed propositiones universales, ex. gr.: Qui rite est dispositus, justificabitur; per baptismum remitti peccata; nos non debere anxios et sollicitos esse, ne Deus peccata non remittat etc. scilicet dispositis: quae veritates utpote revelatae profecto certitudine fidei sunt credendae.

218. **Thesis CCVI.** ***Ad conservationem gratiae et perseverantiam in eadem requiritur ex parte justorum, ut praecepta, quae illis impossibilia non sunt, et a quorum observatione non sunt exempti, servent beneque operentur.***

Demonstratio p. I. Praecepta justis saltem esse possibilia, patet ex dictis n. 75[1]. Et sane propositio novatorum seculi XVI., praecepta Dei etiam justis esse impossibilia, maxime injuriosa est **a.** Christo dicenti: *Jugum enim meum suave est et onus meum leve* Matth. 11, 30; est injuriosa **b.** Deo, exhibet enim Deum mendacem, cum ipse promiserit se facturum, ut justi in praeceptis suis ambularent, ut judicia sua custodirent Ez. 36, 26 (cf. n. 208[4]); est injuriosa **c.** gratiae, qua adjutus Paulus dicere poterat Phil. 4, 13: *Omnia possum in eo, qui me confortat;* est **d.** absurda, cum ratio et communis sensus hominum doceant, ad impossibilia neminem teneri (n. 80[4]). Merito ergo statuit concilium trid. c. 18: „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, A. S.“ Verum quidem est, patres nonnunquam sic loqui de justorum operibus, ac si non sint bona, sed vitiis et peccatis infecta; cum vero ita loquuntur, vel conferunt justitiam humanam cum justitia beatorum, angelorum, aut Dei ipsius: quo sensu etiam creaturae Deo comparatae dicuntur non entia, bona terrena prae bonis spiritualibus detrimentum, stercora Phil. 3, 8; vel loquuntur hypothetice, si scil. opera spectantur a solo homine sine gratia facta; vel loquuntur de peccatis venialibus deque imperfectionibus et fragilitatibus, quae irrepere solent etiam in justorum opera. Cf. Bellarminus de justif. IV, 10. 21.

219. **Demonstratio p. II.** Vere blaterant, nec refutatione sunt digni, qui asserunt, justos ab observatione praeceptorum esse exemptos;

quos damnat concilium trid. sess. 6 can. 19: „Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera; aut decem praecepta nihil pertinere ad christianos, A. S.;“ 20: „Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum: quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum Dei, A. S.“ Cf. etiam cap. 11. Et sane Christus diserte dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. 19, 16 s.; 7, 21, totoque sermone montano ib. c. 5 s. praeceptorum observationem eamque omnino perfectam a suis dicipulis exigit, et ascensurus in coelum apostolis injunxit, ut docerent omnes gentes *servare omnia,* quaecunque mandaverit ipsis Matth. 28, 20; et observationem praeceptorum proponit tamquam signum verae dilectionis, sine qua non sit salus Jo. 15, 10 et 14, 21: *Qui habet mandata mea et servat ea, iste est, qui diligit me.*

220. Neve provocent ad differentiam inter legem et Evangelium, vetus et novum Testamentum; nam haec non eo continetur, quod qui pertinuerint ad legem, praeceptorum pondere velut oppressi fuerint: qui vero gratiae N. T. participes sint, ab omni praecepto sint soluti; sed longe alia est eaque multiplex. Differunt ab invicem **a.** numero praeceptorum: lex enim quam plurima imposuit, Christus paucis retentis pleraque abrogavit, et pauca induxit nova; **b.** sanctione, promittebat lex iis, qui praecepta servarent, bona temporalia, quae figura essent praemiorum ad N. T. pertinentium; differunt **c.** spiritu: nam in lege dominabatur spiritus timoris (non tamen exclusive); in N. T. dominatur (Rom. 8, 15) spiritus amoris, non secluso tamen quovis timore Matth. 10, 28. Differunt **d.** quod lex scripta erat in tabulis lapideis, ostendens quidem quid faciendum omittendumque esset, gratiam autem, qua adimpleretur, per se non conferens; praecepta vero N. T. scripta sunt in cordibus justorum per Spiritum s. diffundentem in illis caritatem, qua suavia, facilia, levia reddantur (n. 208 [4]). Differt **e.** lex ab Evangelio ut inchoatum a perfecto, umbra a corpore, figura a veritate; Evangelium enim complectitur sublimiorem doctrinam, nobiliora promissa, et perfectiorem exigit mandatorum observantiam et hortatur ad consilia servanda. Lex **f.** particulari data fuit genti, Evangelium ad omnes se extendit gentes; illa fuit mutanda vel abrogatione vel mutatione in melius; hoc nunquam per aliud abrogabitur.

Unde corollarii instar colligitur, *Christum non tantum esse redemptorem,* ut sec. XVI. nonnulli opinati sunt, *verum etiam legislatorem;* veras enim leges tulit, legemque decalogi tamquam Dominus iterum promulgavit, sanxit, authentice explicavit. Quapropter statuit concilium trid. can. 21: „Si quis dixerit, Christum J. a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, A. S.“ Quare libertas christiana,

quam tantopere extollunt protestantes, non consistit in immunitate ab omni lege, sed **a.** in libertate a gravissimo jugo peccati et diaboli Jo. 8, 34 s.; Rom. 6, 20 etc.; **b.** in libertate a jugo legis mosaicae, caeremonialis et judicialis Act. 15, 10; Gal. 2, 3 s.; 4, 21 ss., quem in l. cf. Thomas lect. 8; **c.** in libertate a terrore et timore, quem incutiebat lex mosaica, cum in primis terreret, non vero infunderet spiritum caritatis, qua praecepta suavia et facilia redduntur, non coacte, sed libenter et cum hilaritate adimplentur; quo sensu dixit Paulus Rom. 6, 14: *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.*

221. Ex his clare patet, ad conservationem gratiae et ad perseverantiam in ea justos debere praecepta servare, et cum observatio praeceptorum sit bonum opus, consequitur, eos teneri ad bene operandum. Quae omnia iterum confirmantur tum iis, quae Christus de judicio ultimo sive disertis verbis, sive propositis docet parabolis Matth. 25; tum solemni Scripturae patrumque doctrina, declinandum esse a malo et faciendum bonum, ut vita habeatur aeterna. Huc pertinent patrum tractatus, homiliae, sermones ad populum, opuscula ascetica. Speciminis gratia lege Augustini l. de fide et operibus; Enchir. n. 67 ss.; ll. duos de baptismo, qui s. Basilio adscribi solent etc.

222. Cum vero *necessitatem operum bonorum* ad perseverandum in gratia urgemus, scias **a.** nos non loqui de brevissima, sed de longiori in gratia perseverantia; **b.** non eandem esse illorum necessitatem ad justitiae infusionem et ad illius conservationem; ad illam enim aliqua absolute sunt necessaria per modum dispositionis (n. 151); ad hanc vero tantum urgente praecepto affirmativo, cujus transgressio peccatum est mortale. Etsi vero **c.** per se et absolute opera solum praecepta ad justitiae conservationem sunt necessaria, per accidens, indirecte et ex quadam velut praesuppositione necessaria sunt alia opera bona, ut ex. gr. orationes, opera misericordiae etc., quae saepe conditio sine qua non sunt ad obtinendas gratias uberiores et efficaces, quibus praecepta serventur tentationesque superentur.

223. **Thesis CCVII.** ***Gratia justificationis amitti potest etiam in perpetuum; amittitur autem quolibet peccato mortali, et una cum illa amittuntur reliqua dona infusa, non tamen fides et spes, quae solum per actus ipsis directe oppositos amittuntur.***

Demonstratio. 1. Justos amittere posse gratiam statuitur contra Jovinianum, qui teste Hieronymo l. 2 adv. eundem n. 1 asserebat: „Eos, qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari; quique autem tentati fuerint ostendi, eos aqua et non Spiritu fuisse baptizatos;“ quod tuetur etiam Calvinus. Contra quos de fide est, gratiam justificationis amitti posse, ut constat ex concilii trid. sess. 6 c. 14 et can. 23: „Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, A. S.“ Assertio haec adeo est evidens, ut demonstratione non indigeat, cum s. Scriptura passim hortetur, ut qui se existimat stare, videat ne cadat 1. Cor. 10, 12; et Ezech. 33, 12 s. testetur: *Justus*

non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.

2. Certum est, justos in aeternum amittere posse gratiam; quocirca monetur justus Apoc. 3, 11: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* Joan. 15, 6: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet;* 1. Cor. 9, 27: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar;* Hebr. 10, 26; 2. Petr. 2, 21.

Quam paradoxa et improbanda sint haec et similia doctrinae capita de justificatione a novatoribus sec. XVI. proposita, sentiunt ipsi protestantes, qui sane serio haec non amplius tuentur: viderunt jam Grotius et Leibnitius in systemate theol. p. 47, quorum ille ita scribit in discussione apologiae Riveti p. 217: »Christiani pectoris est horrescere ea dogmata, quae pietati nocent, quale illud est a nonnullis defensum: pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra. Hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere justitiam Christi sibi imputari, quasi ipse eam praestitisset; certo se esse perseveraturum; certe et absolute salutem sibi destinatam; peccata fidelium, utut magna et gravia esse possint, non imputari ipsis propter fidem in Jesum Christum; posse eos cadere in crimen majestatis, in homicidium, adulterium etc., et nihilominus eos pro certo habere, se nunquam totaliter ac finaliter excidere posse ex paterna Dei caritate erga se.«

3. Contra lutheranos tenendum est, non solum peccato infidelitatis, sed quovis peccato gravi amitti gratiam justificationis, ut sess. 6 c. 15 et can. 27 statuitur: „Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, A. S.“ Quod diserte docent Scripturae Ezech. 18, 24: *Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur;* 1. Cor. 6, 9 s.: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt;* 1. Jo. 3, 8; Jac. 1, 14 s. etc. Ex quibus liquet, quemlibet iniquum seu gravis peccati reum excludi regno coelorum, damnari ideoque excidisse justitia, si antea fuit justus. Atqui nomine iniquitatis non intelligitur sola infidelitas, sed quaelibet gravis transgressio legis divinae, ut patet evidenter ex ipso contextu. Ergo non solo infidelitatis peccato justitia amittitur. Quod ita praeclare illustrat s. Thomas 2. 2

q. 24 a. 12: „Charitas, cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis: qui sic se habet in infusione et conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aëris . . . et ideo sicut lumen statim cessaret esse in aëre per hoc, quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi solis: ita etiam charitas statim deficit esse in anima, per hoc quod aliquod obstaculum ponitur influentiae charitatis a Deo in animam. Manifestum est autem, quod per quodlibet mortale peccatum, quod divinis praeceptis contrariatur, ponitur praedictae infusioni obstaculum; quia ex hoc ipso quod homo eligendo praefert peccatum divinae amicitiae, quae requirit, ut Dei voluntatem sequamur, consequens est, ut statim per unum actum peccati mortalis habitus charitatis perdatur. Unde et Augustinus dicit (super Gen. ad lit. VIII, 12), quod homo Deo sibi praesente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.“ Cf. c. gentes IV, 70.

4. Praeter gratiam quovis gravi peccato amittuntur reliqua dona habitualia, quod de caritate aeque certum est ac de gratia sanctificante; de reliquis donis minus est certum, ex communi tamen theologorum sententia tenendum est. Assertionem ita Ripalda probat disp. 128 s. 4 n. 38: „Virtutes exsistunt sola exigentia gratiae, scil. solum quia gratia exigit, ut compleatur per illas status divinus et dignitas intrinseca permanens, in quam homo evehitur per gratiam, potens scil. permanenter et intrinsece actiones edere dignas filiatione, amicitia Dei divinitatisque consortio, quod ei confert gratia justificans. Nam, ut statuimus disp. 35, non exiguntur virtutes ex natura rei, ut actus supernaturales connaturaliter edantur, nec ut potentia vitalis connaturaliter eos eliciat, sed solum ut homo elevatus in participationem divinitatis facultatibus sibi intrinsecis ac permanentibus ornetur consentaneis dignitati gratiae, atque adeo ex natura rei sola exigentia gratiae virtutes inducit morales. Ergo abeunte gratia abibunt ex natura rei virtutes, siquidem abiit unica causa, qua a Deo inducuntur et conservantur in homine: neque alia exsistit, quae ex natura rei vindicet conservationem earum.“

5. Excipi tamen debet fides, ut concilium trid. sess. 6 can. 28 docet: „Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, A. S.“ Et sane Ecclesia constat fidelibus; sed non solum justis (cf. th 46); ergo etiam peccatoribus fidelibus. Atqui hi non dicuntur fideles ab actu, quem jugiter eliciant; ergo ab habitu, qui supponitur manere. Hinc etiam damnata est ab Alexandro VIII. prop. 12: „Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.“

Exceptionis difficile est rationem reddere, ut Ripalda l. c. s. 5 ostendit, cui nulla ex rationibus, quae solent afferri a theologis, placet. Ipse exceptionem ita probat: „Lex aliqua specialis et dispensatoria Dei recte colligitur ex testimoniis s. paginae et patrum communi catholicorum DD. sensu intellectis et ex definitionibus Ecclesiae. At lex conservandi habitum fidei post interitum gratiae colligitur ex testimoniis sacrae paginae et patrum communi doctorum sensu intellectis et ex definitionibus Ecclesiae. Ergo talis lex admittenda est . . . Minor probatur. In primis sunt plura testimonia sacrae paginae et patrum, quae fidem admittunt in peccatore nullo discrimine expresso fidei actualis et habitualis . . . At haec testimonia sic indifferentia intellecta sunt communi doctorum catholicorum consensu etiam de fide habituali, cum omnes doctores catholici tam prisci in 3 l. dist. 23, quam recentes in 1. 2 q. 4 a. 4 et aliis in locis unanimi consensu in hanc sententiam incubuerint. Ergo ex testimoniis s. paginae et patrum communi doctorum catholicorum sensu intellectis colligitur lex conservandi fidem habitualem post interitum gratiae.“ Idem dicatur de spe, ut communi consensu tuentur theologi. Eadem enim ratio, propter quam Deus peccatori relinquit fidei habitum, ut scil. justificationis semine et radice velut relicta peccator facilius resipiscat et ad justitiam redire possit, exigit, ut maneat habitus spei, quae absolute est necessaria, ut peccator serio ad reconciliationem cum Deo offenso se disponat.

6. Donum etiam habitualis fidei amitti posse docet conc. tridentinum sess. 6 cap. 15; et patet **a.** ex variis Scripturae effatis Luc. 8, 13: *Qui supra petram; qui cum audierint* (verbum Dei), *cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt;* 1. Tim. 1, 5 s.; 4, 1; 6, 21; 2. Tim. 2, 17 s. etc.; **b.** ex patrum exhortationibus; sollicite enim hortantur fideles, ut sibi caveant tempore persecutionis vel haeresis, ne fidem amittant; ratio vero **c.** evidens est: fides enim libera est, libere suscipitur; libere ergo etiam abjici potest. Quod autem de fide est tenendum, communi consensu statuunt theologi etiam de spe.

7. Fides vero amittitur peccatis ipsi directe oppositis, ut sunt haeresis et apostasia, spes his peccatis et desperatione (non vero, ut probabiliter statuunt theologi, praesumptione), cujus amissionis reddit de Lugo rationem de fide d. 14 s. 4: „Sicut Deus vult haec dona habitualia adultis nonnisi volentibus dare, ita non vult conservare in nolentibus et respuentibus, quamvis non exigat eandem dispositionem ad conservationem et ad infusionem; nam ad infusionem exigit actum positivum; ad conservationem vero solum exigit, quod non respuantur per actum contrarium; quando tamen homo per actum contrarium ea dona abjicit et respuit, Deus meritissime ea aufert, quippe qui ea volentibus solis confert et in invitis non conservat.“

224. **Scholion.** *Num gratia minuatur.* — Gratia habitualis potest crescere, intendi: jam quaeritur, possitne etiam imminui, remitti peccato veniali. Hoc revera aliqui affirmarunt, sed „Dicendum est, inquit Suarez XI, 8,

gratiam et caritatem imminui non posse. Hanc assertionem censeo ita certam, ut contraria non sit probabilis, nec versimiliter defensabilis;« tum quia graviores theologi id docent cum ss. Thoma, Bonaventura etc.; tum quia sequeretur, multiplicatis peccatis venialibus tandem amitti gratiam sanctificantem, et peccatum veniale puniri poena aeterna (amissione aeterna gradus gloriae, qui respondeat gradui gratiae amisso), quod concedi nequit. Ceterum Ripaldae ejusmodi rationes solidae non videntur, unde scribit disp. 130 n. 8: »Quare si rationi theologicae insistamus, non invenio aliquam, qua contrariae sententiae improbabilitas convincatur; eam tamen improbo, tum quia communi theologrum praesertim hujus seculi approbationi invisa est; tum quia nulla firma probatione fulcitur; praeterea quia peccata venialia non opponuntur intensioni virtutum et gratiae neque physice neque moraliter.« Concedunt tamen theologi, dici posse gratiam indirecte et quadamtenus imminui, scil. quantum ad radicationem et fervorem, ut loquitur Thomas in 2. d. 17 q. 2 a. 5 et de malo q. 7 a. 2, non quantum ad essentiam. Peccatis enim venialibus fervor faciendi opera bona, quae sunt justitiae fructus, minuitur; passiones majorem vim acquirunt, quocirca crescit difficultas operandi bonum, ita etiam minuetur resistentia hominis in tentationibus, minores erunt gratiae actuales, quas Deus ipsi ad vitanda gravia peccata concedit, ideoque peccatis venialibus disponitur homo, ut incidat in peccata mortalia. Cf. Mazzella de virt. d. 1 a. 10 s.; Limbourg Zeitschr. 1886 p. 289—313.

Caput III.

De merito.

225. Meritum propria significatione acceptum est quaedam proprietas, affectio actuum creaturae rationalis, quatenus ad alterum referuntur in ordine ad retributionem, eo quod cedunt in ipsius obsequium vel damnum. „Meritum et demeritum, inquit Thomas 1. 2 q. 21 a. 3, in ordine ad retributionem dicuntur, quae fit secundum justitiam; retributio autem secundum justitiam fit alicui ex eo, quod agit in profectum vel nocumentum alterius.“ Quamvis autem nomen meriti tribuatur tam bonis quam malis actibus, communiter tamen theologi nomen meriti de bonis actibus praedicant, malos vero demerita dicunt. Definiri meritum solet: „Obsequium cedens in utilitatem aut honorem alterius valentis illud munere aliquo compensare.“ Variae sunt meriti divisiones; praecipua ea est, qua illud in condignum et congruum distinguitur, de qua plura infra (n. 234).

Distinguunt nonnulli etiam meritum personae, meritum operum, et meritum operum quod supponit meritum personae. Meritum personae est exigentia alicujus boni orta ex qualitate et dignitate personae: ita filius eo quod talis, habet meritum sive jus adeundae hereditatis (cf. n. 192). Meritum operum est exigentia, quae operibus nititur ad mercedem vel praemium. Meritum operum quod supponit meritum personae est exigentia, quae inest operibus ex dignitate quoque operantis (cf. n. 231). Cf. Ripalda disp. 71 s. 2, qui subtiliter inquirit in discrimen inter actum meritorium et actum laudabi-

lem, quod paucis ita expressit s. Thomas l. c.: „Patet quod actus bonus vel malus habet rationem laudabilis vel culpabilis secundum quod est in potestate voluntatis; rationem vero rectitudinis et peccati secundum ordinem ad finem; rationem vero meriti vel demeriti secundum retributionem justitiae ad alterum.“ Cf. Mazzella de gratia disp. 6 a. 1.

226. *De conditionibus meriti ex parte actus.* — Supponentes modo homines apud Deum posse merere, in meriti conditiones inquiremus, quae peti possunt vel ex parte actus, vel ex parte merentis, vel ex parte Dei remunerantis. Ex parte actus requiritur:

1. ut veri nominis adsit actus; neque enim mera omissione actus meremus: merere tamen profecto possumus actus mali omissione, si ea sit intenta seu volita actu positivo, ut cum resistimus tentationi ad malum sollicitanti. Cf. Thomas in 2. d. 35 q. 1 a. 3 ad 4; Suarez XII, 2. Sententiae longe communiori adversatur Ripalda, qui disp. 70 fuse ostendere nititur, puram actus omissionem esse meritoriam.

2. Requiritur, ut actus sit liber libertate a necessitate, ut de fide tenendum est contra Jansenium, cujus prop. 3 ut haeretica damnata est: „Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.“

Doctrinam patrum cf. apud Bellarminum de justific. V, 10 s.; doctrinam scholae apud Suarez XII, 3. Ad hanc conditionem uberius illustrandam statuit Ripalda d. 74: **a.** „Non est necessaria ad meritum libertas perfectissima, proindeque sufficit perfecta sufficiens ad peccatum mortale.“ **b.** „Hinc colligo, opus virtutis metu gravi extortum esse posse meritorium.“ **c.** „Sufficit libertas imperfecta ad meritum gratiae actualis et gloriae accidentalis:“ sicut ea sufficit ad patrandum peccatum veniale. **d.** Ad meritum non sufficit si quis liber tantum est, ut eligat inter actus omnino aequales.

3. Requiritur, ut actus sit moraliter bonus: neque enim meremus actibus sive malis sive indifferentibus. Quaerunt theologi, num actus moraliter bonus, qui propter aliquam circumstantiam malam vitietur, meritorius esse possit. Affirmat alacriter Ripalda disp. 75 et prasertim 50, ubi sect. 1 innumeros adducit theologos in utramque partem, ac n. 4 statuit: „Porro actus supernaturalis reddi potest vitiosus dupliciter. Primo quidem extrinsece ab actu vitioso priori ipsum imperante: ponimus enim unum actum voluntatis sumere posse bonitatem et malitiam ex relatione alterius in suum finem. Secundo quasi intrinsece et immediate a praecepto ipsum actum prohibente, vel a circumstantia aliqua temporis aut loci, in quo licite exerceri non potest: tunc enim fiet vitiosus actus supernaturalis sejunctim a priori vitio alterius actus. Igitur utroque modo infici posse actum supernaturalem affirmant et negant auctores pro prima et secunda sententia adducti.“ Sententiam affirmantem fuse probat, et

s. 7 infert, actum ex. gr. misericordiae imperatum ex vana gloria posse esse meritorium. Contrarium statuit s. Thomas in 2. d. 38 q. 1 a. 4 ad 4, quem sequuntur multi theologi hac moti ratione, quod actus, ut sit meritorius, bonus esse debeat. Atqui bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu: ergo actus vitio intrinsecus infectus non est simpliciter bonus. Concedit tamen Suarez XII, 4, posse actui bono vel simul tempore vel successu temporis adjungi actus vere sed venialiter malos numerice distinctos ab actu bono, qui non impediant actus boni meritum.

4. Requiritur, ut actus meritorius a gratia procedat et aliquo modo sit supernaturalis, est enim actus salutaris. Ad quemlibet vero actum salutarem requiritur gratia. Huc referri potest patrum dictum, fidem esse initium et radicem meriti; sicut scil. operans absque fide placere non potest Hebr. 11, 6, ita nec opus in ordine ad praemium supernaturale acceptum esse potest sine influxu fidei seu gratiae illustrantis, quae ad gratiam fidei demum revocatur. Quapropter opus vel in se vel ratione actus imperantis supernaturale esse debet.

5. Requiritur, ut actus meritorius aliquando revera exsistat; quod s. Augustinus de praed. SS. c. 12 tuetur contra semipelagianos, qui meriti rationem vindicabant etiam actibus sub conditione nunquam ponenda futuris.

6. Requiritur, ut opus meritorium de condigno habeat aliquam proportionem et aequalitatem cum praemio; neque enim admitti potest operis condignitatem unice pendere a Dei acceptatione; non tamen requiritur aequalitas mathematica, sed sufficit aequalitas proportionis, quae non solum ab opere, sed et ab adjunctis et praemiantis majestate pendet. Merito hinc Ripalda d. 16 s. 9: „Magnam latitudinem admittit (haec aequalitas proportionis), nullaque in opere facta variatione fieri potest, ut idem opus nunc praemio majori, nunc minori jure compensetur, ex. gr. eidem poëmati ab inaequalibus principibus in eadem occasione et ab eodem principe in diversis occasionibus inaequalia munera juste quidem reddenda proponi possunt.“ Cf. Suarez XII, 17.

227. *Conditiones quae non requiruntur.* — **1.** Non requiritur, ut actus meritorius sit non praeceptus seu supererogatorius, quod tenendum est contra protestantes, qui si quod meritum concedunt, exigunt, ut opus meritorium nullo alio titulo sit debitum. Evidenter enim constat ex Scriptura, patribus et concilio trid. sess. 6 c. 16, justos per omnia opera bona, ideoque etiam per praeceptorum observationem, quae sane est bona, merere; imo Suarez probat XII, 5, opus praeceptum (a fortiori opus ex voto factum) ceteris paribus magis esse meritorium, quam non praeceptum, cum ejusmodi opus melius sit; nam praeceptum addit circumstantiam obedientiae formalis seu virtualis, quae bonitatem actui ipsi jam insitam ideoque et meritum auget. Melius enim est opus, quo duplex, quam illud, quo una tantum exercetur virtus.

2. Non requiritur, ut actus meritorius sit difficilis: nam ut actus meritorius sit, debet esse bonus; difficultas autem non necessario est de ratione boni. Est quidem difficultas, quae auget, et facilitas, quae minuit meritum; et est difficultas, quae minuit, et facilitas, quae auget meritum. Difficultas vel facilitas objectiva seu inhaerens ipsi objecto auget sane vel minuit ceteris paribus meritum; nam dare centum florenos est magis meritorium ceteris paribus quam dare unum; ita etiam subire martyrium quam patienter tolerare leve incommodum. Difficultas vero vel facilitas subjectiva consistens in minori majorive alacritate, qua operans opus ponit, ceteris paribus minuit vel auget operis aestimationem, quia supponit minorem majoremve volitionis perfectionem, a qua meriti intensio pendet. Quod s. Thomas ita breviter expressit de verit. q. 14 a. 10 ad 12: »Duplex est difficultas, quaedam ex conditione ipsius operis et talis difficultas operatur ad meritum. Alia est ex indispositione et tarditate voluntatis, et talis potius diminuit meritum et hanc aufert habitus, et non primam,« quibus similia habet de malo q. 3 a. 11.

3. Meritorii sunt non solum actus caritatis, sed actus aliarum etiam virtutum, quodvis bonum opus, ut clare docet concilium trid. sess. 6 c. 16 et can. 32, ubi omnibus bonis operibus justorum meriti praerogativam vindicat. Neque mirum **a.** cum etiam in divinis literis sicut omnibus malis operibus poena intentatur, ita bonis omnibus promittatur merces 2. Cor. 5, 10. Sane **b.** conciliari nequit cum infinita bonitate Dei, qui magis paratus est ad benefaciendum quam ad puniendum, eum punire quodlibet minimum peccatum, vel verbum inane, nolle autem praemio afficere opus omne bonum justi. Ne vero **c.** de ejus liberalitate dubitemus, expresse mentio fit operis vere minimi, potus aquae frigidae, qui non carebit praemio aeterno Matth. 10, 42. Et revera **d.** ratio meriti videtur indivisibilis a ratione actus boni, quamdiu homo est in statu viae. Atqui ut actus sit bonus non requiritur, ut eliciatur vel imperetur a caritate: alioquin peccatores nullum possent actum bonum elicere, omnisque illa tam accurata theologorum et ascetarum disputatio de virtutum distinctione et pretio, esset sat superflua, si demum omnis earum bonitas et praestantia penderet a caritatis influxu. Quare omnia, quae afferri solent de caritatis necessitate ad meritum, intelligi quidem debent de necessitate status et habitus caritatis ideoque et gratiae (n. 231) ad meritum condignum, non autem de necessitate influxus actualis et effectivi, qui a caritate eliciatur. Cf. Mazzella de virt. inf. d. 6 a. 7; Murray d. 12 n. 112 ss.

228. De actu externo haec teneas: **a.** meritum potissimum residere in actu interno; **b.** ratione vero actus interni imperantis vel approbantis, actus etiam externos meritorios esse posse; imo **c.** cum actus externus multum conferat, ut actus internus sit magis intensus, saepius iteretur, diutius duret, multum conferre actus externos ad meriti augmentum; ceteris vero paribus **d.** disputare theologos, augeatne actus externus meritum actus interni. Negant plurimi cum Suarez XII, 6 et de Lugo de poenit. d. 24 s. 6; refragatur Ripalda disp. 68 et in app. ad d. 74, ubi n. 70 paucis complectitur potiora pro sua opinione argumenta: »Omnes (actiones externae) conferunt in majorem cultum Dei, quia in eis specialis ratio cultus reperitur, distincta a cultu actionum internarum: item in majorem Dei honorem, cum Deus non solum internis, sed etiam externis actibus honoretur: quippe illi in obsequium Dei exhibiti non solum augent testimonium excellentiae Dei, quo pacto augent rationem cultus: sed etiam magis testantur et exprimunt veram et bonam exi-

stimationem de Deo, quo pacto crescit major Dei honor et gloria. Rursus conferunt in peculiarem exsecutionem finis intenti a Deo et interdum in adimpletionem praecepti a Deo impositi, in quam non conferunt adaequate solae actiones internae; quia Deus intendit et praecipit non solum actiones internas, sed etiam externas, gaudetque de fine exsecutioni mandato et praecepto reipsa adimpleto. Rationes istae seorsim ab exemplo afferunt bona extrinseca Deo aestimatione et pretio digna: nam cum ea hominibus prudentibus aestimabilia sint, Deo etiam in aestimatione et pretio erunt.« S. Thomas in 2. d. 40 q. 1 a. 3 ita statuit: »Quia ad praemium essentiale ordinatur actus per bonitatem primam, quam habet a voluntate, prout liberaliter redditur et ex amore: ideo actus exterior nihil adjungit ad praemium essentiale; tantum enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud; et si facit unum actum, quantum si faceret multos voluntate aequaliter perfecta manente. Ad praemium autem accidentale ordinatur per bonitatem, quae est ipsius actus exterioris secundum se; et ideo actus exterior adjungit aliquid ad praemium accidentale v. gr. martyr in quantum exterius patitur, victoriam de adversariis fidei habet: et ex hoc sibi aureola debetur.« Cf. etiam de malo q. 2 a. 2 ad 8.

229. Si quaeras, *num ad meritum necessaria sit specialis relatio actus in Deum,* pro quaestionis solutione distinguatur quintuplex actus relatio in Deum: actualis, virtualis, per actum nimirum virtute perseverantem; objectiva, qua offeruntur Deo subinde bonae actiones, qui tamen actus oblationis supponitur jam praeterisse, neque amplius virtute durare; habitualis, qua opera eo ipso, quod operans praeditus est gratiae et caritatis habitu, quo in Deum dirigitur, censentur relata in Deum; denique connaturalis, quam quodlibet opus salutare eo ipso, quod ex gratia proficiscitur, connaturaliter habet. Qua distinctione posita negamus requiri relationem actualem, vel virtualem, vel objectivam, quia haec in opera nullo modo influit, ea ergo meritoria reddere nequit: requiritur, sed non sufficit relatio habitualis; praeter hanc requiritur et sufficit relatio connaturalis. Hinc consequitur justos per omnes omnino actus salutares merere. Ratio hujus asserti primaria est doctrina concilii trid. sess. 6 c. 16, quod disserens data opera de meritis ad meritum exigit tantum, ut opus sit justi et ex Deo seu ex gratia profectum.

230. Neque plus videntur exigere verba Pauli 1. Cor. 10, 31: *Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Demonstrandum enim esset, hisce verbis contineri non solum consilium, sed praeceptum proprie dictum. Quod etsi haec accipiuntur praeceptive, praecipitur, ne quid contra gloriam Dei faciamus; non vero ut omnia actu in Deum referantur, ut communiter concedunt theologi: id enim nimis difficile esset misero homini tot distractionibus obnoxio. Quare sufficiet implicita aliqua relatio. Atqui dicimus hanc non solum haberi in relatione virtuali, sed etiam in connaturali; quare haec verba non plus exigunt, quam quod ipsi concessimus. Hinc Suarez XII, 9 n. 4 statuit: »Dico ergo actus virtutum infusarum factos ab homine grato esse meritorios de condigno supernaturalis beatitudinis ex vi suae bonitatis et connaturalis ponderis seu relationis in illum finem absque alia relatione quasi extrinseca, quae per actum caritatis praeteritum vel praesentem illi adveniat.« Et n. 6: »Altera relatio sine fun-

damento postulatur, quia neque ex divina ordinatione speciali postulatur, neque ex natura rei ostendi potest necessaria.« Cf. cum utilitate, quae docet I, 6 n. 14. 15 et 19. — Bellarminus vero de gratia et lib. arb. V, 9: »Non est necesse, inquit, omnia referre in Deum explicite, sed satis est si opus referatur in bonum finem proximum: tunc enim per se dirigetur in Deum ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris i. e. Dei; sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis (ut etiam docet s. Thomas de verit. q. 22 a. 1). Alioqui non solum infideles, sed fideles et justissimi quique semper peccarent, cum inter operandum de Deo non cogitant: sed operantur, quia ratio dictat esse bonum et faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi auctor operis id non cogitet vel intendat.« Quare quaestio, num quis actus sit meritorius (de condigno vel de congruo) re coincidit cum quaestione, sitne salutaris seu supernaturaliter bonus. Cf. s. Thomas de charit. a. 11 ad 2 et 3; Toletus in 2. 2 q. 10 a. 4 concl. 2; Scheeben § 296; praesertim n. 491 s.

231. *Conditiones ad merendum in operante requisitae.* — Ex parte personae merentis requiritur ad meritum condignum: **1.** ut ea sit in statu gratiae; quod probatur **a.** ex damnatione prop. Baji 2 et 12: „Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni coelestis meritorium;“ 13. 15: „Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum s., sed in eo solum, quod obediunt divinae legi;“ 17. 18. 62. 63. Probatur **b.** ex doctrina perspicua concilii trid. sess. 6 c. 16 et can. 32 (n. 235); **c.** ex consensu theologorum praeeunte s. Thoma 1. 2 q. 114 a. 2; **d.** ex divinis literis, praesertim Joan. 15, 4 ss.: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras et arescet; et colligent eum et in ignem mittent, et ardet.* Quibus in verbis sermo est de fructibus manentibus in vitam aeternam, quos agricola coelestis exspectat et vitis Christus intendit: haec autem sunt opera plene meritoria, quibus mercedis instar tribuitur coelum. Ad haec autem evidenter exigitur plena et habitualis cum Christo unio, quae nonnisi justificationis gratia obtinetur. Hinc in schemate constit. dogm. de doctrina cath. concilio vatic. proponendo c. 5 legitur: „Sed haec ipsa opera bona, quae gratia praeveniente, comitante et subsequente fiunt, vitae aeternae meritum non habent sine illo sanctitatis dono, quo justi cum Christo tamquam membra cum capite conjuncti, et tamquam filii Dei per gratiam cum filio Dei naturali consociati sunt, monente Domino: *Sicut palmes* etc.“ Neque deest **e.** ratio theologica. Sane opera bona justorum ex se vix ullam habent proportionem ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis Rom. 8, 18; 2. Cor. 4, 17. Atqui ad meritum condignum ali-

qua requiritur proportio cum praemio (n. 226[6]). Ergo haec ex personae dignitate in opus derivari debet. Et revera satisfactionis et meriti valor non tantum ex operis praestantia, sed et ex operantis dignitate aestimari solet. Atqui nulla dignitas in peccatore, imo ipse est plane inhabilis, quamdiu est peccator, praemii aeterni, utpote odio et poena aeterna dignus; maxima autem in justo (cf. thes. 203), quae una par est reddendae rationi, ob quam minima justorum opera sint meritoria. Tandem **f.** peccator si posset merere de condigno, simul dignus esset poena aeterna ratione peccati gravis nondum remissi et praemio a Deo ex justitia ob meritum conferendo, quod nequit admitti.

»Gratia (sanctificans) ergo concurrit ad meritum condignum **1.** negative removendo indignitatem subjecti: **2.** positive in genere causae formalis, conferendo aequalitatem cum praemio: **3.** in genere causae efficientis mediate tribuendo habitus infusos; denique **4.** in genere causae materialis constituendo capacitatem et proportionem subjecti.« Ita Ripalda d. 78 n. 26, qui merito d. 81 tuetur cum pluribus theologis (contra alios) ex majori gratia habituali ceteris paribus meritum crescere. Mirum autem videtur, quod idem theologus disp. 16 sect. 9 negat, »nostra opera in genere causae formalis digniora reddi a dignitate membri Christi, quam essent, si persona operans tali conditione esset destituta.« Nam **a.** ex hac unione cum Christo specialis quaedam dignitas et amabilitas redundat in justos (cf. n. 187), tanta ut ea sit novus velut titulus conferendi praemium jam ob internum valorem operum debitum. **b.** Ex relatione insuper ad merita Christi majorem quandam justitiae rationem merita nostra participant, et hinc a Deo Patre rigorosiori acceptantur justitia. »Addere possumus **c.** inquit Suarez XII, 19 n. 11, etiam concurrere Christum ad nostra merita offerendo illa Patri, ut ab illo non solum libentius acceptentur, sed etiam majori quodammodo obligatione acceptentur: nam illa Christi oblatio et auget rei oblatae dignitatem seu acceptabilitatem, et licet prout nunc fit a Christo in coelo, non habeat novum meritum: quatenus vero in praecedentibus Christi meritis nititur, rationem justitiae in nostris meritis auget et perficit.« Imo **d.** propter hanc unionem dicere licet, Christum merere in nobis, non quidem proprie, cum Christus sit modo extra statum meriti sed causaliter et quo sensu Christus dicitur modo etiam persecutionem pati in membris, in corpore suo, quod est Ecclesia. Cf. Suarez XII, 19. Alias subtiliores quaestiones huc spectantes cf. apud Ripalda d. 77 ss.; Vega de justif. V, 8; Bellarminum V, 5.

2. Requiritur, ut persona, quae meret, sit in statu viae[1]). Nomine autem status viae intelligitur status fidei in vita mortali, quae secundum communem et ordinariam legem in hoc mundo agitur, hinc qui extra

---

[1]) Cf. Suarez XII, 15 et Ripalda disp. 77, qui hanc conditionem repetunt ex sola Dei voluntate; Stentrup de Verbo incarn. p. II th. 25 eam repetit ex natura rei. Ceterum Ripalda probabilem censet sententiam s. Thomae, quam tamen is postea retractavit 1. p. q. 62 a. 9 ad 3, s. Bonaventurae, Vasquez etc., beatos in statu beatitudinis mereri sibi et aliis praemia aliqua accidentalia; quod etiam probabile censet de animabus purgatorii.

hanc legem et altiori modo vivunt, ut Elias et Henoch, ad hunc statum viatorum non pertinent. Haec vero conditio colligitur ex Scripturis, quae docent: **a.** tempus vitae esse tempus meriti Eccli. 14, 17: *Ante obitum operare justitiam;* 18, 19 ss.; **b.** tempus mortis esse tempus retributionis, ibid. 11, 18: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* Luc. 16, 9; **c.** post mortem non dari locum aut tempus meriti, Eccle. 9, 10: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos;* 11, 3; Joan. 9, 4: *Venit nox, quando nemo potest operari;* quapropter **d.** testatur Paulus objectum judicii atque idcirco retributionis esse *propria corporis* i. e. quae per corpus gessimus τά διὰ τοῦ σώματος 2. Cor. 5, 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum* etc.

3. Requiritur, ut qui meret, sibi, non alteri mereat, cum in praesenti rerum ordine nemo alteri possit condigne merere. Haec enim est praerogativa unius Christi, ut docent theologi cum s. Thoma in 4. d. 20; diximus in praesenti rerum ordine; censent enim plures cum Suarez XII, 16 et Ripalda disp. 96, absoluta Dei potentia fieri posse, ut justus alteri mereat de condigno gratiam et gloriam.

232. Quod *conditiones* attinet *ex parte Dei remunerantis* ad meritum condignum, quaeritur, num necessaria sit acceptatio et promissio Dei. Qua in re triplex est sententia. Prima affirmat cum Vasquez in 1. 2 disp. 114 c. 4, rationem meriti condigni convenire nostris operibus procedentibus a gratia seclusa omni divina ordinatione seu promissione de conferendo praemio. Altera omnino opposita tuetur, omnem prorsus condignitatem ex divina acceptatione et promissione pendere: ita plures cum Scoto. Tertia est media asserens condignitatem quidem ad praemium inesse in actu primo nostris operibus independenter ab omni lege et promissione divina; sed efficaciam ad obtinendum praemium in actu secundo illis convenire ex promissione divina. Ita Suarez XII, 17 et Ripalda d. 82 cum aliis, quae sententia omnino videtur tenenda; nam meritum condignum in sensu proprio seu in actu secundo illud est, quo homo jus ad praemium apud Deum acquirit. Atqui homo jus apud Deum operibus acquirere non potest nisi ex promissione divina sub conditione talium operum. Ad rem Augustinus serm. 158 c. 2: „Debitor factus est, inquit, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini: Debes mihi, quia dedi tibi; et aliter dicimus (Deo): Debes mihi, quia promisisti mihi . . . Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.“ Quibus similia habet in Ps. 83 et 109. Et conc. senonense (a. 1528) docet in decr. fid. c. 16: „Justitiam nostrorum meritorum non

fundari in condignitate absoluta nostrorum operum, sed magis in liberali gratuita promissione Dei, qua conventione facta conduxit operarios.“ Cui sententiae favet conc. moguntinum (a. 1549) c. 8, et quod majoris est momenti, tridentinum sess. 6 c. 16.

Quaerunt autem diligenter subtiliterque theologi, utrum Deus justitia legali an distributiva vel commutativa justis distribuat praemia, de qua quaestione cf. Suarez XII, 30 ss. et opusc. 6 de justitia, qua Deus reddit praemia meritis; Ripalda disp. 16 sect. 11 et disp. 83. Plures theologi tuentur, Deum tribuere meritis justorum praemium ex justitia, quae aliquid tum commutativae, tum distributivae justitiae participet.

233. Celebre est axioma apud theologos, Deum supra condignum meritis praemium, et infra condignum demeritis retribuere poenam. Illud significant jam patres, quorum testimonia cf. apud Suarez XII, 31; eruunt illud quoad praemium ex verbis Pauli Rom. 8, 18: *Existimo enim, quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis;* 2. Cor. 4, 17 et Luc. 6, 38; quoad poenam cf. Thomas 1. p. q. 21 a. 4 ad 1. Cf. Bellarminus V, 19. — Axioma autem ex theologorum mente ita videtur intelligendum: cum multiplex sit praemium condignum, infimum, medium et supremum: Deum loco infimi, quod ex condignis reddere juste posset, tribuere ex liberalitate praemium condignorum omnium maximum. Nam dat pro bonis operibus mensuram non quamcunque, sed coagitatam et supereffluentem [1]). Praeterea jure dicitur Deus supra condignum bonis operibus praemium conferre, quod, nisi antecederet liberalissima ejus ordinatio et promissio ex sola gratia et misericordia profecta, nos nullum haberemus jus ad praemium tantum. Deus enim omnia opera bona et plura alia posset exigere a nobis jure dominii nulla reddita mercede; quam ob rem Coelestinus I. ep. 21 n. 14 et conc. tridentinum sess. 6 cap. 16 docent, tantam esse Dei bonitatem, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona.

234. *De merito congruo.* — Ad meritum congruum requiritur **a.** ex parte actus, ut sit veri nominis actus (cf. n. 226[1]), ut sit actus bonus, liber, salutaris, aliquando exsistens; **b.** ex parte personae, ut sit in statu viae; **c.** ex parte Dei, necessaria est acceptatio, ut sit meritum efficax et actuale. Haec enim sunt de essentia actus meritorii; non vero requiruntur reliquae conditiones necessariae ad meritum condignum, ad quod meritum congruum ita se habet, ut imperfectum ad perfectum: quare

---

[1]) Hunc in sensum videtur secundum Ripalda disp. 16 sect. 6 damnata prop. Baji 14: „Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.“ Videtur nimirum Bajus justorum operibus vindicasse aequalitatem mathematicam cum praemio. Melius forte rationem damnationis aperit Suarez XII, 31; quod scil. ea significetur, operibus praemium tribui non secundum valorem, quem habent ex spiritu adoptionis et gratiae, sed juxta meritum, quod ex se suaque bonitate morali habent, ut colligitur ex prop. 13 et 15 (n. 231[1]). Hoc autem merito damnatur, quia nimis ad dogma pelagianum accedit. Quaproptor immerito provocatur ad hanc propositionem adversus meritum *condignum* justorum. Cf. Kirschkamp Gnade und Glorie p. 82—84.

si vel una ex reliquis conditionibus ad meritum condignum requisitis desit, habebitur meritum congruum. „Convenit (meritum congruum), inquit Suarez XII, 33 n. 7, cum illo (condigno), quia est actus sufficiens, ut ejus intuitu detur aliqua retributio; differt vero, quia in ea non concurrunt omnes conditiones perfecti meriti. Unde quia hic defectus potest multis modis contingere juxta illarum conditionum diversitatem, ideo meritum de congruo multiplex esse potest.“ S. Thomas discrimen ita assignat Supplem. q. 14 a. 4: „Meritum dupliciter dicitur. Uno modo, per quem efficitur, ut ipse agens habeat debitum recipiendi, et hoc vocatur meritum condigni; alio modo, per quem efficitur, ut sit debitum dandi in dante secundum decentiam ipsius, et ideo hoc meritum dicitur meritum congrui.“ Meritum congruum distinguunt nonnulli in fallibile et infallibile. Infallibile erit, si habet promissionem divinam adnexam: sic dici potest contritionem perfectam merere, sed tantum de congruo, infallibiliter tamen propter promissionem divinam, reconciliationem cum Deo. Quod si desit talis promissio, et adsit tantum quaedam decentia seu aequitas, ut Deus illud acceptet, fallibile ab illis dicitur.

235. Contra protestantes tamquam de fide tenendum est, *homines apud Deum bonis operibus ex gratia factis merere posse;* quod definivit concilium trid. sess. 6 c. 16 et can. 32: „Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et J. Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia Dei decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, A. S.“ Colligitur assertio

1. ex divinis literis, in quibus passim sermo est de mercede, praemio, corona justorum bonis operibus a Deo tribuenda. Atqui haec praesupponunt meritum, et merito tantum retribuuntur.

2. Frequenter legimus Deum esse redditurum secundum opera uniuscujusque Ps. 61, 13: *Tu reddes unicuique juxta opera sua;* Matth. 16, 27: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera sua;* Rom. 2, 6; 1. Cor. 3, 8; Apoc. 2, 23; 22, 12; idcirco dicitur judex et ejus judicium accurate describitur Matth. 25, 31 ss., in quo sicut peccatis poenam, ita bonis operibus reddet praemium, ita ut opera sint ratio et norma retributionis: *Omnes enim nos*, inquit Paulus 2. Cor. 5, 10, *manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum.* Atqui judicis functio, judicii notio et vis locutionis ‚reddere secundum opera‘ sive bona sive mala mercedem vel poenam, meriti vim

inesse significat operibus bonis, sicut et demeriti malis. Ergo homines non solum malis operibus poenam, sed et bonis apud Deum praemium merere possunt.

3. Apostolus id illustrat collatione instituta cum certaminibus cursus apud graecos (1. Cor. 9, 24 ss.), in quibus victor vere merebat praemium: unde plenus fiducia scribit 2. Tim. 4, 6: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.*

4. Bona opera et gloria junguntur nexu causali, non utique physico, sed morali, hinc meritorio Matth. 19, 17; 25, 21: *Euge serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui;* Jac. 1, 12; Phil. 2, 12 etc. Imo diserte adscribitur hominibus respectu Dei meritum Eccli. 16, 15: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum;* Hebr. 13, 16: *Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.*

236. Haec eadem argumenta ostendunt, *operibus justorum inesse rationem meriti de condigno,* quae propositio juxta Suarez XII, 1 n. 10, „non est de fide, quia sub his terminis non est definita; est tamen omnino vera et valde consentanea principiis fidei, ideoque conclusio est theologica satis certa, quam communiter approbant theologi." Et sane illi operi competit ratio meriti condigni, cui tribuitur praemium ut merces, ex justitia, in judicio, a judice, servata justitiae forma scil. secundum proportionem operis. Atqui operibus justorum tribuitur praemium ut merces Matth. 10, 41; Gen. 15, 1; ex justitia in judicio a justo judice Matth. 25, 34 s.; et tribuitur servata operum proportione 1. Cor. 3, 8: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (n. 235). Confirmatur ex modo loquendi conc. tridentini, quod peccatoribus nunquam tribuit meritum respectu justificationis, imo denegat: justis vero meritum asserit respectu gloriae. Atqui communi theologorum consensu peccatori bene se disponenti ad justificationem tribui potest meritum imperfectum i. e. congruum. Ergo concilium asserit justis meritum perfectum i. e. condignum.

Rationibus etiam assertum theologi illustrant. „Gratia facit, inquit Suarez n. 14, homines dignos vita aeterna: ergo opera, quae ex illa procedunt, ratione illius seu ex virtute illius sunt merita digna vitae aeternae . . . quia sicut gratia habet proportionem cum vita aeterna tamquam cum ultimo fine: ita opera gratiae habent proportionem et condignitatem cum eodem fine tamquam media illi maxime proportionata et consequenter ut ejus merita condigna." Hujus condignitatis radices in operibus justorum, quae specie saepe minimi videntur valoris, aperiunt s. Thomas 1. 2 q. 114 a. 3 et s. Bonaventura, qui ita Brevil. V, 2 disserit: „Non tantum liberum arbitrium per

gratiam meretur gratiae augmentum in statu viae merito digni, verum etiam complementum in statu patriae merito condigni, tum propter sublimitatem doni Spiritus sancti in merito cooperantis, tum propter veracitatem Dei promittentis, tum propter vertibilitatem liberi arbitrii consentientis et finaliter perseverantis, tum propter difficultatem status merendi, tum propter dignitatem Christi nostri capitis intervenientis, quod debet glorificari cum suis membris, tum etiam propter liberalitatem Dei tribuentis, quem non decet parva reddere propter obsequium sibi fideliter obtemperantis, tum propter nobilitatem operis, quod ex caritate procedit, quod tantum ponderat in conspectu judicis, quantum amor, ex quo procedit, qui Deum incomparabiliter praeponit omnibus creaturis, et ideo non sufficienter et competenter potest nisi in Deo et summo bono remunerari. Ex quibus omnibus tamquam ex septem rationibus gloriam aeternam merito non tantum congrui, sed etiam condigni, mereri facit gratia septiformis.«

237. Homines autem si merere possunt de condigno apud Deum, a fortiori poterunt merere de congruo. Quod confirmatur praeterea ex dictis n. 152 et ex notione meriti congrui n. 234.

Inepte vero contra justorum merita opponunt protestantes, iis obscurari merita Christi; tantum enim id abest, ut merita justorum Christi merita potius illustrent. Tanta siquidem horum est virtus, ut non solum obtinuerint hominibus gratiam, sed et ipsam virtutem merendi. Quare sicut fecunditas palmitum non obscurat vitis fecunditatem, imo potius manifestat, ita et justorum merita virtutem Christi vitis patefaciunt.

238. Reliquum est ut *de objecto meriti* aliquid dicamus.

1. Nullus homo potest sive de condigno sive de congruo merere primam gratiam actualem, ut patet ex thesi 187.

2. Potest peccator gratia actuali adjutus de congruo merere alias gratias actuales ad justificationis gratiam consequendam utiles vel necessarias, ut patet ex divinis literis, imo et justificationis gratiam (n. 152).

Hoc patrum suffragio confirmari potest; nam patres haud morose fidei aliisque dispositionibus ex gratia profectis eam meriti tribuunt rationem, quam naturae conatui, desideriis, dispositioni adscripserunt semipelagiani, qui non aliam meriti vindicabant rationem, quam quae esset de congruo. Eos non posse de condigno merere justificationis gratiam, patet ex dictis de necessitate status gratiae ad meritum condignum n. 231. Quam assertionem »non audeo dicere, inquit Suarez XII, 24 n. 12 (coll. c. 37), esse de fide, quia non invenio illam tam expresse definitam aut traditam in Scripturis vel conciliis, quin per apparentes expositiones possint testimonia illudi. Nihilominus censeo assertionem esse omnino certam et indubitatam, et reipsa in Scriptura contentam et a conciliis et a patribus intentam . . . Dico ergo, assertionem esse catholicam veritatem et ex iis, quae secundum certitudinis gradum in theologia habent, licet aperte de fide non sit.« Fuse de hac assertione nunc communi Vega de justific. VIII, 6 ss.

3. Justi merere possunt de condigno gloriam, augmentum gloriae et gratiae habitualis, ut definit concilium trid. sess. 6 c. 32 (n. 235).

Quam veritatem probant omnia, quibus ostenditur, justos apud Deum posse merere. Quae si quid probant, evincunt, eos merere mercedem, coronam aeternam etc., et consequenter propter gloriae cum gratia nexum etiam gratiae augmentum.

Gratia potest augeri: ergo si peccator de congruo potest merere gratiam primam, poterit et justus de condigno merere ejusdem augmentum. Nam condignitas maxime pendet a statu gratiae (231); quare eadem opera, quae in peccatore sunt meritoria de congruo, merita sunt condigna in justo. Ad haec si bona opera sunt dispositio ad inducendam gratiam, erunt admodum proportionata ad eandem augendam. Cum autem habitus infusi gratiam justificationis consequantur facultatum instar connaturalium (n. 211[4]), toties augebuntur virtutes infusae, quoties augetur gratia sanctificans. Atqui augmentum gratiae sanctificantis merent justi quolibet bono opere sive intenso sive remisso (dummodo sit supernaturaliter bonum). Ergo merebunt augmentum habituum infusorum etiam operibus remissis, quae habitus intensionem non adaequent: quod tenendum est contra Bañez, secundum quem justus virtutum augmentum non meret nisi actibus, qui habitibus sint intensiores. Posito autem justi merito condigno nulla est ratio, cur dicatur, infusionem augmenti gratiae et virtutum differri nescio in quod tempus vel in momentum glorificationis. Sicut enim completa dispositione peccatoris statim infunditur gratia justificationis prima: ita videtur consequens, ut posito merito condigno conferatur ejusdem augmentum. Cf. Mazzella de virt. inf. d. 1 a. 9.

4. Justi merere possunt sibi de congruo gratias actuales uberiores opportunas, perseverantiam finalem (praesertim operibus insignibus virtutumque actibus diu exercitis), et probabiliter etiam reparationem pro casu lapsus. Possunt enim haec impetrare; ergo et merere, saltem de congruo, quamdiu sunt in statu viae.

Nequit tamen justus de condigno merere perseverantiam finalem, quia **a.** de hoc objecto meriti condigni non constat, neque illud concilium trid. recenset sess. 6 cap. 16 et can. 32; deinde **b.** objectum meriti condigni est debitum: Scripturae vero et patres exhibent perseverantiam finalem ut gratiam magnamque Dei gratiam. Praeterea **c.** vel justus ita meret hoc donum, ut ipsum iterum possit amittere, et tunc illud proprie non meruit; vel ita meret, ut illud nequeat amplius amittere; hoc autem videtur contra sensum Scripturae et Ecclesiae, et tunc foret justus in gratia confirmatus. Ceterum **d.** ejusmodi actus assignari nequeunt nec quoad speciem, nec quoad numerum, quibus facta sit talis praemii promissio. Ad haec **e.** videmus plures justos post multa bona opera et merita cecidisse et periisse. Cf. Thomas l. 2 q. 114 a. 9. Denique **f.** vis merendi de condigno omnium bonorum operum exhausta videtur praemio augmenti gratiae et gloriae, quod ipsis rependitur: quare si quid adhuc merent, merebunt illud tantum de congruo. Ex quibus rationibus nonnullae evincunt etiam, justos non posse de condigno merere gratias (praevisas) efficaces, et reparationem pro casu, quod gratia excidant. Imo Suarez c. 38 quoad meritum reparationis congruum post lapsum apponit clausulam: „Quamvis nec de quocunque merito, nec de omni peccato id videtur universaliter affirmandum, sed proportionem aliquam prudenti arbitrio esse

observandam. Possunt enim praecedentia merita esse tam pauca et tot peccata postea multiplicata, ut omnino obruant merita et efficiant, ut nullo modo Deum ad miserendum provocent. Secus vero erit, si e contrario merita magna fuerint et peccatum subsequens et rarum sit et excusationem aliquam ex ignorantia vel infirmitate habeat.« Cf. ib. c. 26 s.; Bellarminus V, 22; Murray disp. 12; Mazzella de gratia d. 6 a. 4.

5. Justi merere possunt aliis de congruo quidquid sibi merere possunt, imo secundum plures theologos aliquid plus, nimirum etiam primam gratiam, quam sibi merere non possunt. Rationem hujus meriti de congruo pro aliis ita bene explicat Suarez XII, 5 n. 5: „Secundum legem amicitiae videlicet congruum est, ut amicus honestam amici voluntatem faciat, et ita hoc potest dici debitum operibus et obsequiis amici ex congruitate amicitiae. Cum ergo inter Deum et hominem amicitia intercedat dicente Christo Domino: *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (Joan. 15, 15.), magnum profecto fundamentum est in operibus justorum, ut ad benefaciendum aliis Deus benigne propter amicorum opera inclinetur, et hoc ipsum est, illa esse meritoria de congruo respectu aliorum.“

239. Denique aliquid dicendum est *de reviviscentia meritorum*, de qua statuit Ripalda disp. 91 s. 1: „Redire merita et per peccatum eis superveniens non exstingui, sed solum mortificari et impediri, constans est omnium theologorum consensus.“ Plurimis citatis prosequitur: „Quam veritatem adeo plerique certam pronunciant, ut Ledesma censeat, eam esse de fide, Sotus oppositum esse erroneum; sed rectius Suarez, Granadus, Meratius et alii, sine temeritate asseri non posse. Nam quamvis haec veritas in s. literis expressa non sit, omnes tamen theologi et plures Ecclesiae patres tamquam rem indubitatam docent, quin unus eam negaverit;“ et docent quidem occasione verborum s. Pauli ad Galat. 3, 4; Hebr. 6, 10: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.* Favet etiam concilium trid. sess. 6 c. 16 et can. 32 (n. 235): ad hoc enim, ut opera justorum sint meritoria, exigit tantum, ut sint bona, facta per gratiam a vivo membro Christi et ut justus in gratia decedat (non autem ut in gratia sine interruptione perseveret): quae conditiones reperiuntur etiam in operibus illorum justorum, qui ad tempus gratia excidunt. Ergo non est ratio dubitandi, num opera a justo facta ante peccatum, hoc poenitentia jam remisso, iterum acceptentur a Deo ad gloriam suo tempore rependendam. Ratio autem theologica pro ejusmodi reviviscentia potior haec videtur, quia Deus delendo culpam cum illa omnem dignitatem ad poenam aeternam delet. Atqui privatio irrevocabilis gratiae et gloriae prioribus meritis debitae esset poena aeterna. Ergo remisso peccato reviviscit jus ad gloriam ex meritis prioribus profectum.

Patet vero ad ejusmodi reditum meritorum requiri praeter peccati remissionem favorem Dei specialem, quia Deus posset remittere peccatum non remissa poena amissionis praemii pro meritis praeteritis. Sententia autem probabilior est, redire merita quoad totam gratiam et praemium ipsis debitum, ut plurimi theologi tuentur apud Ripalda ib. s. 7; qui pariter cum multis aliis censet, reviviscere quoque gratiam sacramentis obtentam ante peccatum et peccato amissam. Refragantur tamen alii, ut Billot de Sacr. in 3 p. q. 79 § 2 saltem quoad gratiam vi sacramenti eucharistiae acceptam. Cum enim hoc nihil relinquat in anima inamissibile, nullum titulum et rationem accipiendae gratiae sicut alia sacramenta, hinc nunquam (cessata reali praesentia) reviviscit gratia ablato obice, ideoque neque gratia per eam praecedenter habita.

240. Quare ingens est discrimen inter peccata et merita. Merita peccato amissa seu potius mortificata, deleto peccato, reviviscunt, adeo ut peccatum se habeat ad illa obicis tantum instar, qui praemii consecutionem impedit; eo igitur remoto omnem illam exserunt vim relate ad praemium, quam habuerunt ante peccatum. Peccata vero superveniente hominis congrua poenitentia a Deo non solum teguntur, quamdiu gratiae status durat, sed prorsus remittuntur et delentur, et non solum conditionate, sed absolute (n. 161): quare etsi justus statu gratiae excidit, peccata non reviviscunt, utpote antea prorsus deleta: nam *sine poenitentia sunt dona Dei*, ut toties cum s. Paulo Rom. 11, 29 patres inculcant. Quod si patres subinde de reditu loquuntur peccatorum, de eo intelligi debent, quem s. Thomas 3 p. q. 88 a. 1 vocat reditum secundum quid: quatenus scil. peccatum subsequens eo majorem malitiae et ingratitudinis prae se fert rationem, quo saepius jam Deus peccatori remiserit peccata; ratione hujus majoris ingratitudinis solet Deus subinde gravius punire peccatum subsequens ac illud punisset, si nulla praecessisset jam peccatorum remissio. Cf. Palmieri de poenit. th. 18; Scheller S. J. Zeitschrift für kathol. Theol. 1891, 19—44.

241. **Corollarium practicum.** Doctrina catholica de gratia multiplici ratione in populi christiani utilitatem potest converti. **I.** Ex dogmate *de necessitate gratiae* ad bene agendum expresso Jo. 15, 5 *sine me nihil potestis facere* (n. 31) colligere licet et hominis infirmitatem et impotentiam ad nos salutariter humiliandos; salutis nostrae celsitudinem ad nos in illius cupidinem excitandos; gratiae beneficium, ut ea strenue utamur.

1. Ex illo dogmate discimus naturae imbecillitatem: sine gratia enim **a.** nihil ad salutem spectans possumus (n. 30 ss.); **b.** ne incipere quidem (n. 33), imo nec desiderare vel cogitare (n. 18), idque **c.** impotentia absoluta et physica (th. 178); quod si **d.** salutem gratia Dei consecuti sumus, eam absque nova gratia conservare vel tueri non possumus (n. 41 s.). Absque Dei auxilio **e.** adeo imbecilles sumus, ut nec tentationes constanter vincere neque peccata gravia habitualiter cavere possimus (n. 47 s.), omnes **f.** nostri conatus, facta vel maxime splendida, sint cursus praeter viam, folia sine fructu, peccati materialis rationem habeant (n. 55), *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* 1. Cor. 1, 29.

2. Sed unde tanta impotentia? In primis **a.** ex finis celsitudine. Ad tam altum finem enim Deus charitate perpetua, qua nos dilexit (Is. 31, 3), nos destinavit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* 1. Cor. 2, 9; hinc ne cogitare quidem sufficientes sumus a nobis aliquid, quod salutem spectet, *sed sufficientia nostra ex Deo est* 2. Cor. 3, 5; ideo donandi sumus novis oculis, novo intellectu per gratiam fidei, novo corde, ut illum cognoscere atque aspirare possimus, subministratione novae virtutis novisque viribus opus est, ut illum consequi valeamus (n. 2. 93 ss.). Quia vero **b.** tam sublimis est nostra destinatio et vocatio, requiritur ad eam exquisitus animae ornatus et cultus, quem sola virtus gratiae efficere et praestare potest, quia Deo sine Deo placere non possumus (n. 93); Pater coelestis iis tantum delectatur fructibus, quos ipse sevit et justi qua palmites vitis ferunt, quae est Christus Jo. 15, 1 ss. Alia **c.** radix necessitatis auxilii divini est sane etiam infirmitas contracta per concupiscentiam, quae consecuta est peccatum originale (n. 48), unde liquet gravitas damni hujus peccati.

3. Ex his sequitur **a.** maximum esse gratiae beneficium attenta naturae vilitate finisque nostri celsitudine, ad quem consequendum juvat: eoque majus **b.** quo minus illud viribus naturae de congruo, nedum de condigno merere, imo nec impetrare possumus (th. 187); quo magis eo propter peccata indigni sumus. Quare **c.** qua aviditate gratia est expetenda; qua gratitudine acceptanda, qua sollicitudine adhibenda, qua strenuitate ei cooperandum, qua cautela cavendum ne gratiam in vacuum recipiamus 2. Cor. 6, 1; quo metu et terrore salus nostra operanda Phil. 2, 12 ob rationem reddendam de tanto talento a Deo accepto.

242. **II.** Illustrari potest mira operandi ratio gratiae in homine comparatione instituta cum opificio sex dierum (n. 2^3 a.); vel consideratione immutationis quam efficit **1.** in hominis intellectu, cujus **a.** tenebras dissipat; **b.** cognitionem dilatat et elevat, suppeditatis nobilissimis ad agendum motivis; **c.** judicia erronea ex naturali ad sensibilia pronitate, institutione, conversatione mundana imbibita et inveterata corrigit; **d.** contra dubia firmat; **2.** in ejus voluntate, cujus **a.** gustum immutat; quam **b.** duram et gelidam mollit, obsequentem reddit, inspirat, accendit, inflammat (n. 124); quam **c.** angustam ob amorem proprium dilatat; infirmam **d.** ad omnia roborat, ut dicere nobis liceat: *Omnia possum in eo, qui me confortat* Phil. 4, 13 (n. 93^2); circa concupiscentiam **3.** cujus est medela. Cf. praeclara patrum testimonia n. 2 a. pag. 3; n. 16^2; **4.** circa libertatem, quam **a.** a compedibus ignorantiae et concupiscentiae liberat; **b.** dilatat augendo ejus sufficientiam, ut homo eam vel in amplissimo ordine supernaturali exercere possit; cui **c.** facis instar praeit, ut ejus electio sana et prudens sit (n. 88 ss.). Haec in se experiuntur peccatores gratia divina ad Deum conversi. Cf. s. Cypriani verba n. 2^3 a. Quare **5.** merito gratia ratione virtutis et effectus exhibetur ut renovatio, recreatio, regeneratio, resuscitatio, incarnationis continuatio (n. 2^4). Hinc sicut **6.** expositio mundana (Weltausstellung) ostendit, quid possit ingenium et ars humana; sicut ver inexhaustam naturae fecunditatem arboribus fructiferis floribusque prodit: ita festum omnium sanctorum seu generatim vitae sanctorum manifestant artem divinam, seu quid possit gratia Dei in homine. *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia su-*

per terram Ps. 45, 9. Quod Deus gratia sua operatus est in sanctis, paratus est operari et in nobis; quia *qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu* Phil. 1, 6, dummodo non desimus gratiae ipsius.

243. **III.** De gratiae sanctificantis praestantia copiosam concionibus praebet materiam n. 2 et n. 167—201, praesertim si commentarii instar consulas aureum libellum P. Nieremberg Aprecio y estima de la divina gracia, versum, rectractatum, auctum a Scheeben sub inscriptione: Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade, saepius jam editum Friburgi 1863 et deinceps. In primis hae vel similes gratiae sanctificantis praerogativae commendari possunt: **1.** ea scil. delet peccatum grave **a.** malorum omnium maximum; delet **b.** omnia etiamsi essent innumera, enormia; delet **c.** momento; hinc relaxat **d.** poenam aeternam peccatis debitam, restituit **e.** vitam animae supernaturalem, divinam, quantum est ex se aeternam. Si homo jam tanti facit medicinam, quae restituit sanitatem corporalem, eripit per aliquot tantum annos vel dies a morte corporis: qua aviditate talis medicina, tantum beneficium est expetendum?

2. Verum gratia sanctificans non solum puros nos reddit ab omnium deterrima peccati macula, sed et gratiosos (n. 175 s.; 184) **a.** oculo non carnali, quique decipi potest, sed **b.** omnium Domino, verae nobilitatis infallibili aestimatori, qui sibi in anima gratia sanctificante praedita non complacere non potest: cujus judicium **c.** omnis aula coelestis approbat et sequitur. Eam vero complacentiam **d.** consequitur singularis benevolentia, imo et amicitia; Deus enim justos in amicorum numerum recipit: hanc **e.** amicitiam excipit specialis Omnipotentis protectio et angelorum custodia (n. 196): nequeunt enim angeli non esse solliciti de iis, qui Deo adeo cordi sunt. Cum vero omnis homo ambiat esse gratiosus et aliis placere, frui favore et amore principum, esse in omnium ore et corde: en objectum sanctae ambitionis: frui gratia, benevolentia, amicitia Dei ideoque et aulae coelestis per gratiam sanctificantem.

3. Gratia sanctificans hominem reddit filium Dei adoptivum, fratrem J. Christi atque membrum vivum corporis Christi mystici, templum s. Spiritus (n. 187. 198). Gratia reddit **A.** hominem filium Dei adoptivum: **a.** quantus Pater, et quanta hominis dignitas posse rerum omnium creatorem non solum Dominum suum, sed et Patrem tenerrimo nomine appellare. Sed Deus **b.** non vult solum Pater noster appellari, sed revera esse, ideoque omnia munera Patris amantissimi adimplere: hinc per revelationem nos inducit in cognitionem secretorum coelestium, nec minorem nobis dedit magistrum Filio suo, qui ipsa est Sapientia: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* Jo. 1, 18; cf. 1. Cor. 2, 6 ss.; dedit **c.** institutricem Ecclesiam omnibus gratiarum mediis instructam, quae nos excolat, ut digni quondam simus admitti in conspectu Patris coelestis; dedit **d.** et matrem coelestem, eandem, quae est mater Filii sui; dedit **e.** et tutores, angelos custodes, quibus mandavit, ut nos custodiant in omnibus viis nostris Ps. 90, 11. Sollicitus fuit **f.** et de pane condigno, qui non est alius a carne et sanguine Filii sui (n. 191). Instruxit nos **g.** et supellectile necessaria ad vitam tantae vocationi et nobilitati condignam ducendam, multiplici scil. gratia actuali; promisit **h.** et hereditatem: nam *si filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* Rom. 8, 17. Quare *digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus* Eph. 4, 1 ss. Sentiamus, loquamur, conversemur prout decet eos, qui non amplius sunt filii hujus seculi, filii hominum, sed ut filii Dei. —

B. Reddimur fratres, imo et membra Christi: hinc **a.** contrahimus cum ipso singularem similitudinem (n. 186); ipse **b.** qua vitis in palmites, qua caput in membra transfundit suam virtutem et spiritum: *quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater* Gal. 4, 6. Quo spiritu **c.** gradatim in ipsum transformamur, ut tandem **d.** nobis dicere liceat: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20). Haec nostra sit intentio, haec aemulatio, impensum hoc studium nostrum, ut in nobis pro viribus exprimamus Christum, qui est exemplar divinitus nobis datum: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est* Ex. 25, 40. — **C.** Reddimur gratia justificationis templa s. Spiritus, qui **a.** nos non solum donis, sed se ipso inhabitare dignatur (th. 204); quare **b.** vere regnum Dei intra nos est Luc. 17, 21; ideoque **c.** oportet nos reducere ab effusione in res creatas, introire in nos, vitam collectam, internam, spiritualem, supernaturalem, divinam degere habentes in nobis fontem aquae salientis in vitam aeternam Jo. 4, 14. Oportet **d.** sanctificare corda et corpora nostra utpote templum s. Spiritus: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* 1. Cor. 6, 20.

244. **VI.** Demum gratiae sanctificantis praestantia illustrari potest, ut illius aestimatio, desiderium, studium eam vel acquirendi, vel conservandi et augendi, timor ne eam amittamus excitetur, si consideretur quid sit homo sine illa, quid cum illa. Sine illa **a.** est objectum displicentiae, aversionis Dei universaeque aulae coelestis; cum hac objectum complacentiae et benevolentiae; sine illa **b.** servus diaboli; cum hac servus Dei; sine illa **c.** filius irae divinae et quidem aeternae; cum hac filius Dei; sine illa **d.** exsul in aeternum a patria coelesti, a visione beatifica, regno coelorum et beatorum consortio: cum hac heres Dei, coheres autem Christi; sine illa **e.** est limi instar (n. 2), homo animalis 1. Cor. 2, 14, imo mortuus morte pessima, qua scil. privatur vita nobilissima, quae est participatio vitae divinae: cum hac est homo spiritualis, viva Dei imago, fruitur vita divina, quae ex Christo vite in ipsum tamquam in palmitem, et ex Christo capite in ipsum membrum redundat, imo ex Deo Patre per Christum in justum derivatur: nam *sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem* (cf. Jo. 5, 26): *et qui manducat me, et ipse vivet propter me* (n. 190 a.). Sine illa **f.** homo nihil merere potest pro altera vita: cum hac justus merere potest mercedem, et quidem aeternam, idque singulis operibus bonis, vel minimis (n. 195). Quare sine illa homo est vere *miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus* Apoc. 3, 17; dum contra cum illa veniunt omnia bona pariter justo et innumerabilis honestas per manus illius. *Infinitus enim thesaurus est hominibus* Sap. 7, 11 (n. 196). Sine illa **g.** homo est fere inermis adversus hostes potentissimos (n. 46); cum hac potentissimus omni armorum genere munitus: instructus virtutum omnium nobilissimo comitatu (th. 205), multiplici gratia actuali (n. 20 74 s.), protectione speciali paterna (n. 9 196), singulari angelorum custodia (n. 196). Quanto ergo desiderio, sollicitudine, diligentia est adnitendum, ut tantum thesaurum acquiramus, conservemus, augeamus, nunquam amittamus.

Tractatus IX.
De Sacramentis.

245. *Sacramentorum dignitas.* — Cognita summa gratiae sanctificantis praestantia digni quoque consideratione sunt canales illi a bono Samaritano i. e. Redemptore nostro Ecclesiae suae relicti (t. II. n. 440), per quos ipsa hominum animis infunditur quique sacramenta dici solent. Ut vero eorum momentum et dignitas statim a disputationis exordio innotescat, quintuplici modo ea consideremus:

1. quidem respectu humani generis sacramenta N. Testamenti sunt **a.** canales gratiae, per quos de fontibus Salvatoris in cruce pendentis ad homines omnium aetatum et gentium gratia decurrit; sunt **b.** vasa medicinae primum contra ipsam mortem spiritualem animae, dein contra multiplex peccati vulnus; quare illis recte applicari possunt Eccli. 38, 7: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis et unctiones conficiet sanitatis* [1]). Sunt denique **c.** fundamenta et cardines vitae christianae, quibus varii status et stadia hujus vitae ad altiorem elevantur ordinem gratiaque imbuuntur atque sanctificantur.

2. relate ad Ecclesiam sunt sacramenta **a.** fontes, qui illam irrigant, non secus ac ille fluvius, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum (Gen. 2, 10), ut ipsam reddant verum paradisum hortumque voluptatis virginum liliis, rosis martyrum, confessorum violis consitum; sunt **b.** columnae illae septem, quibus innititur domus a Sa-

---

[1]) Ad rem sunt verba s. Bonaventurae in Prooemio in l. 4 Sent.: „Erant quippe in lege figurae unctiones, sed non erant sanativae, quia morbus erat letalis, et unctio erat superficialis (cf. Hebr. 9, 9 s.) . . . Quia ergo ungebant carnem et vulnus letale erat in mente, ideo non poterant curare . . . Ad hoc ergo quod aliquis faceret unguenta sanitatis, necessarium erat quod afferret unctionem spiritualem et virtutem vitalem; hic autem fuit Christus Dominus. Dum enim mortalitatem nostram univit vitae, et ille, qui vita erat, mortuus est, facta est confectio, in qua et per quam mortuus reviviscitur, et ex morte ipsius sacramenta habent vivificandi efficaciam.“

pientia sibi aedificata (Prov. 9, 1); sunt **c.** vincula et nervi, quibus fidelium multitudo in unum coalescit et colligatur corpus (cf. Eph. 4, 16).

3. si sacramenta spectentur secundum suum habitum ad Christum, haud incongrue dici eadem possunt **a.** quaedam incarnationis adumbrationes et imitamenta; sicut enim in humana assumpta natura latebat divinitas Dei Verbi, qui illam gestabat atque per eam nostram operabatur salutem: ita sacramentum forma est visibilis invisibilis gratiae, quae per ritum visibilem exseritur. Nam „instrumenta, inquit s. Thomas c. gentes IV, 56, oportet esse primae causae proportionata. Prima autem et universalis causa humanae salutis est Verbum incarnatum . . . Congruum igitur fuit, ut remedia, quibus universalis causae virtus pertingit ad homines, illius causae similitudinem haberent, ut scil. in eis virtus divina invisibiliter operaretur sub visibilibus signis." Sacramenta praeterea dici possunt **b.** operationes Christi; sicut enim Christus loquendo, tangendo etc. remittebat peccata, sanctificabat, sanctum conferebat Spiritum; ita mediante ritu sacramentali a suis ministris ipsius nomine et auctoritate posito ipse peccata delet, animas sanctificat; ipse enim in sacramentis, ut solemniter contra donatistas propugnatum fuit, principalis gratiae est minister (th. 212). Quapropter **c.** multiplicatio sunt quaedam virtutis sanctificatricis Salvatoris, quam mediantibus sacramentis modo non solum ut olim in Palaestina pro judaeorum tantum salute (visibiliter) exserit, sed hominibus sanctificandis omnium aetatum, gentium et locorum applicat, atque ita omnibus se redemptorem exhibet: adeo ut ratione sacramentorum maxime dici possit, Christum in sua Ecclesia vivere illudque continuare opus, quod visibilis in terra degens inchoavit. Quare s. Thomas in prol. in l. 4 sent.: „Quia haec medicina (incarnatione nobis exhibita) tantae est efficaciae, ut omnes sanare possit, *virtus enim exibat de illo, et sanabat omnes,* ut dicitur Luc. 6, 19, ideo ab hac universali medicina et prima aliae particulares medicinae procedunt universali medicinae conformes, quibus mediantibus virtus universalis medicinae proveniat ad infirmos et haec sunt sacramenta, in quibus sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius operatur salutem, ut Augustinus dicit (q. 80 in Levit. et tr. 30 in Joan.)."

4. Sacramenta, si considerentur secundum suam ad Deum relationem, sunt **a.** mirabilia omnipotentiae Dei; quid enim mirabilius, quam Deum elementis tam vilibus adeo stupenda operari, delere peccata, reddere homines ex filiis irae filios Dei, sanctificare animas, conferre s. Spiritum? „Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat?" Augustinus tr. 80 in Jo. n. 3; cf. Tertullianus de bapt. c. 2; Algerus de sacr. corp. et sang. dominici III, 4. 5. **b.** pignora divinae bonitatis: si enim Deus per sacramenta tam insignia praebet bona, quae daturus est

in gloria? **c.** inventa divinae sapientiae, quam miratur et depraedicat catechismus tridentinus p. II c. 1 n. 13 (n. 252).

5. Denique si sacramenta spectentur relate ad naturam, dici possunt **a.** naturae sensibilis sublimatio; magna enim in eam redundat dignitas, si instrumentum est s. Spiritus in ordine salutis ad effectus tam stupendos et divinos; quocirca **b.** in sacramentis maxime assequitur finem suum, qui est naturae rationali inservire ad illum assequendum finem, pro quo creata est; et cum **c.** in sacramentis natura sensibilis instrumentum fit benedictionis, jam anticipatur illa redemptio, quam modo adspirat et qua liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8, 19 ss.).

246. *Tractatus divisio.* — Plura autem, ut videbimus, sunt sacramentis communia, conveniunt enim in ratione sacramenti: ne ergo de singulis disserentes, ea semper repetere necesse sit, quaedam de sacramentis in genere praemittemus, antequam ad sacramenta in specie accedimus: unde disputatio de sacramentis sponte sua in duas dispescitur partes.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

247. *Disputationis partitio.* — Ad duo capita revocari possunt quaecunque de sacramentis novae Legis in genere disputantur: ad illorum scil. naturam et numerum. Natura alicujus rei et ex ejusdem causis et ex ipsius effectibus dignoscitur. Quare, ut sacramentorum naturam rite cognoscamus, illorum causas indagabimus et effectus, praemissis tamen claritatis gratia, quae sacramenti notionem, sacramentorumque sive convenientiam sive exsistentiam spectant: unde caput primum in tres distinguemus articulos.

Caput I.

De sacramentorum natura.

Articulus I.

De sacramenti notione deque sacramentorum exsistentia et convenientia.

248. *Sacramenti notio.* — Plures haeretici jam primis Ecclesiae seculis, nominatim vero novatores sec. XVI., a genuina de sacramentis discessere doctrina. Et protestantes quidem pro errorum diversitate, quos profitentur, aliter atque aliter definiunt sacramentum: omnes vero doctrinae cohaerentia eo sunt adducti, ut illorum negarent virtutem, praestantiam, necessitatem, minuerentque numerum. Quas perversas sacramenti definitiones opportunius in articulo de sacramentorum causalitate refutabimus. Ut vero rite intelligatur, quid ex catholicorum sententia sacramenti significetur nomine, notari

debet, non unam esse hujus vocis apud auctores tum profanos, tum ecclesiasticos, tum sacros significationem. Significat enim **1.** vel pecuniam a duobus litigantibus in loco sacro ea depositam conditione, ut qui vicisset causam, suam reciperet, amitteret vero victus; vel **2.** jusjurandum; vel apud scriptores ecclesiasticos plerumque idem **3.** ac vox graeca μυστήριον, quae cum multiplicis sit significationis, ideo etiam sacramenti nomen alio atque alio iterum accipitur sensu. Mysterium enim derivatur a voce μύειν claudere atque significat idem ac clausum, hinc absconditum, secretum, arcanum. Potest autem esse **a.** aliquid absconditum per se ut veritates superrationales, vel quasi extrinsecus quatenus aliorum notitiae subtrahitur, ut secreta cordis vel quaedam statuta et decreta, etiam errorum monstra etc., quae occultantur nondum initiatis. Translate vero **b.** symbola seu signa, quae aliquid arcanum significant, mysteria dicuntur: quo sensu dixit s. Augustinus ep. 138: „Signa cum ad res divinas pertinent, sacramenta nominantur;“ et s. Paulus matrimonium vocat magnum mysterium, sacramentum Eph. 5, 32, quatenus est symbolum mirae illius conjunctionis, quae viget Christum inter et Ecclesiam; ita ritus quidam apud gentiles, quibus rudes sacris initiabantur, quia significationem sacram et occultam habere jactabantur, dicebantur mysteria. Est **4.** et alia sacramenti significatio ab effectu derivata scil. a sacrando sicut nomina ornamentum, fulcimentum, nutrimentum etc. ab effectu derivantur. Hac et praecedenti significatione (3^b) in primis quidam ritus sacri religionis christianae, quibus homines cultui divino initiantur, sacramenta temporis lapsu quasi nomine proprio appellabantur, postquam apud patres sat laxus et anceps fuerit hujus vocis usus. Illa significatione in hoc tractatu utemur, sed ea est accuratius explicanda. Cf. Schanz die Lehre von den h. Sacr. § 1. 2.

249. Secundum theologos catholicos ad genuinam sacramenti notionem concurrunt haec elementa:

1. signum idque sensibile seu ritus aliquis externus, quia sacramenta pro hominibus sunt instituta: quod ultra protestantes concedunt;

2. signum sacrum tam ex parte rei significantis, quam ex parte rei significatae: debet scil. ritus esse non profanus, sed sacer significans rem non profanam, sed sacram; quare ritus profani, licet symbolici, non solent amplius dici sacramenta.

3. Significare autem debet animae sanctificationem seu gratiam, qua anima sanctificatur. Quod colligitur **a.** ex omnibus fere sacramenti definitionibus, quae a theologis catholicis ab Augustino ad nostram usque aetatem proponuntur, secundum quos sacramentum est ‚invisibilis gratiae visibilis forma, ut ejus similitudinem gerat et causa exsistat‘ (s. Thomas op. V. de art. fidei et sacr. Ecclesiae p. 2); colligitur **b.** ex patrum effatis, qui cum de iis ritibus, quos sacramenta dicimus, loquuntur, sedulo distinguunt inter elementum visibile et elementum invisibile scil. Spiritus sancti gratiam, quae intus latet et illo adumbratur, ut n. 255^2 videbimus; colligitur **c.** ex decretis tum Eugenii IV. pro armenis (n. 278), tum concilii trid. sess. 7, secundum quae sacramenta gratiam significant, quam

vel conferunt, vel quondam saltem conferendam (ut sacramenta V. T.) praefigurant.

4. De ratione sacramenti insuper est, ut non solum sanctitatem significet, sed et eam usu seu ipsa applicatione conferat: hinc consecret sitque signum practicum, non speculativum tantum et theoreticum, ut sunt verba, imagines; ritus non sterilis, sed efficax sanctitatis. Porro duplicem distinguere licet sanctitatem: alteram, quae gratia continetur sanctificante; alteram imperfectam, legalem, illius umbram, quae in quadam consecratione ad cultum divinum vel singulari conjunctione cum Deo consistit. Hanc conferebant sacramenta V. Testamenti: illam conferunt sacramenta novae Legis, quam eorum praecipuam et propriam praerogativam in primis rejiciunt protestantes, sed nos sacramentis suo asseremus loco (n. 278). Cf. Franzelin de sacr. th. 1; Lugo de sacr. d. 1 s. 3.

250. Quibus praemissis poterit sacramentum N. T. definiri cum catechismo romano p. 2 c. 1 n. 5: „Est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram justificationem institutum," quam pluribus explicans aliis verbis n. 10 ita proponit: „Res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim habet"; vel brevissime ‚ritus efficax gratiae.' Sunt theologi, qui praeterea exigant ut sint ritus perpetuae institutionis, eo quod spectent ad cultum religiosum ordinarium et divinitus institutum, in quo omnes fideles et Ecclesiae membra conveniant et quo in coetum religiosum colligantur. Hinc liquet sacramentum distingui a sacrificio, quod et ipsum est signum, sacrificii scil. invisibilis, quo homo se refert ad Deum tamquam ad primum omnium principium et finem ultimum, et ideo primario refertur ad Dei cultum, non ad cultorum Dei sanctificationem.

251. *Sacramentorum exsistentia.* — Exposita sacramenti notione quaeritur, *num aliqua* ejusmodi *sacramenta exstent,* ne in vacuum de ipsis disputemus. Cui quaestioni ut respondeant theologi, dividunt religiosam humani generis historiam in quadruplicem periodum, in periodum scil. justitiae originalis, patriarchalem seu legis naturae [1]), mosaicam et christianam.

1. Quod attinet periodum originalem dicimus, nil certo, imo ne probabiliter quidem statui vel affirmari posse, fuerintne in ea sacramenta, cum non diu duraverit fereque nil de ea habeant Scriptura atque traditio. S. Thomas 3 q. 61 a. 2 illorum institutionem pro eo statu negare videtur, quia sacramenta instituta sunt in remedium peccati: favere tamen videtur pro hypothesi,

---

[1]) Status legis naturae non dicitur ad exclusionem (n. 70[8]) gratiae, sed ad exclusionem legis positivae mosaicae et christianae; neque ad exclusionem cujuscunque legis supernaturalis: nam et in eo statu praeceptae erant fides, spes, caritas, poenitentia etc. Is autem status duravit apud judaeos usque ad Moysen; apud alias gentes usque ad Christum, imo usque ad Evangelium sufficienter promulgatum, quae promulgatio successive facta est, ut infra dicemus (n. 317[1]).

quod status ille diutius durasset. Suarez disp. 3 in 3 p. eam admittit pro hypothesi, quod Adamus non peccasset, quod etiam placet de Lugo disp. 3 sect. 1, sed tantum in hypothesi, si tunc futura fuisset Verbi incarnatio: qua non admissa negat ipse sacramentorum institutionem pro illo statu; negat Billot de sacr. th. 3. Cf. Knoll instit. theol. theoreticae t. 5 tr. 1 a. 2.

2. Circa periodum patriarchalem **a.** communis est theologorum sententia nemine fere dissentiente, exstitisse aliquod remedium, quo infantes sine propria cooperatione participes fieri potuerunt remissionis peccati originalis et sanctificationis. »Nec credendum est, inquit s. Augustinus c. Jul. V, 11 n. 45, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.« — Gregorius M. Moral. l. 4 c. 3: »Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.« — Bernardus opusc. 10 de baptismo c. 1 n. 4: »At vero quis nesciat, et alia praeter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahae quidem et semini ejus circumcisionis sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est. In nationibus vero, quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse, imo et suffecisse parentum fidem. Porro hoc ita quidem usque ad baptismi tempora perdurasse, quo uno substituto vacasse cetera;« c. 2 n. 6; s. Thomas de malo q. 4 a. 8 ad 12. Praecipua vero ratio asserendi ejusmodi remedium est a priori, scil. ex voluntatis Dei salutiferae universalitate petita; ad quam etiam provocat Innocentius III., cum in cap. ‚Majores' de bapt. et ejus effect. l. 3 tit. 42 cap. 3 docet: »Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.« Cf. in primis Franzelin th. 3. — **b.** Disputatur tamen *de ratione hujus remedii*, num scil. necessario fuerit sensibile; et si sensibile, fueritne divinitus determinatum. Probabile est parvulos a peccatis fuisse mundatos et populo Dei insertos aliorum, qui ipsorum nomine ac jure agerent, actibus religiosis iisque in individuo non determinatis: satis enim fuisse censendum est, ut essent apti ad ipsum finem cooptationis ad coetum fidelium significandum. **c.** Ritus ergo ille utpote sensibus obnoxius et ad parvulorum ordinatus sanctificationem eamque significans, sacramentum dici potuit. **d.** Incertum plane est, num praeter hunc ritum, quem remedium vocant naturae, alia fuerint sacramenta.

3. In periodo mosaica fuisse sacramenta, certum est: hoc enim supponunt concilia florentinum et tridentinum, testantur passim patres, unanimiter docet schola, quae illa praeeunte s. Thoma 1. 2 q. 102 a. 5 ad quatuor revocat: ea scil. erant circumcisio, figura baptismi; agnus paschalis, figura eucharistiae: ritus, quibus initiabantur sacerdotes, figura sacramenti ordinis: variae lustrationes et mundationes, figurae sacramenti poenitentiae. Cf. Becanus analogia V. et N. T. c. 14.

4. Denique in lege christiana aliqua saltem esse sacramenta, ex integro constabit tratatu, nec ab ullo negatur haeretico, nisi forte perditissimae fuerit notae, qui omnem abjecerit religionis christianae formam.

252. Multiplex vero reddi potest *convenientiae ratio,* cur Christus voluerit aliqua saltem instituere sacramenta ad hominum sanctificationem.

1. Conditio hominis, qui visibilibus indiget, ut ad invisibilium elevetur contemplationem, exigit sacramenta i. e. sacrorum symbola: iisque etiam melius homo disponitur ad gratiae receptionem, cum ipsorum rituum visibilium usu scit, quando infundatur gratia. Convenit

2. Dei sapientiae, ut quod est occasio ruinae, salutis fiat medium; creatura autem visibilis fuit et adhuc saepe est homini occasio ruinae.

3. Homo Deum anima offendit et corpore, anima et corpore debet esse sanctus: hinc expedit, ut ritibus visibilibus vim spiritualem habentibus curetur et sanctificetur. Ad rem Ambrosius in Luc. II, 79: „Nam cum ex duabus naturis homo i. e. ex anima subsistat et corpore, visibile per visibilia, invisibile per invisibile mysterium consecratur. Aqua enim corpus abluitur, Spiritu animae delicta donantur . . . cum communia delicta sint mentis et corporis, purificatio quoque debuit esse communis.

4. Multum conducunt sacramenta ad superbiam humanae mentis domandam fovendamque humilitatem, dum vilibus nos subjicere cogimur elementis, ut Deo obtemperemus. „Expediens fuit (institutio sacramentorum), inquit s. Bonaventura in 4 dist. 1 p. 1 a. 1 q. 1, a parte aegroti: quia erat coecus quoad rationalem, ideo data sunt ei sacramenta visibilia ad eruditionem; erat elatus quoad irascibilem, ideo data sunt ei sacramenta corporalia ad sui humiliationem; erat fastiditus quoad concupiscibilem, ut non saperent ei spiritualia, ideo sacramenta sunt ei data ad exercitationem, ne forte in unius solius perceptione vel in spiritualium tantum contemplatione sibi posset fastidium generari et taedium.“ Quae fusius evolvit Hugo a s. Victore de Sacr. l. 1 p. 9 c. 3. Cf. Schäzler die Lehre von der Wirksamkeit der Sacr. § 5.

5. Denique sacramentorum convenientia colligitur ex Ecclesiae conditione; nam ut s. Augustinus c. Faustum XIX, 11 notat: „In nullum nomen religionis seu verae seu falsae coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibili consortio colligentur.“ Hinc vel diabolus naturae humanae indigentiis abutens mimicam sacramentalium rituum imitationem apud suos cultores induxit, ut notat Tertullianus de praescript. c. 40. Cf. Suarez d. 1 s. 3.

Articulus II.

De sacramentorum virtute.

253. Jam accuratius in sacramentorum naturam inquiramus, quam colligere licet ex eorum vel causis vel agendi virtute et effectibus. Hanc posteriorem viam prius ingrediamur. Quare in sacramentorum agendi virtutem eorumque effectus indagabimus: hinc duplex erit quaestio: quosnam effectus sacramenta producant, et quomodo illos operentur. Initium ducimus a posteriori, qua soluta ex parte soluta erit et prior.

§ 1. De sacramentorum operandi ratione.

253. **Thesis CCVIII.** ***Virtus sacramentis novae Legis propria est, ut per ea tamquam per causas instrumentales hominibus non***

ponentibus obicem gratia vi ipsius signi sensibilis sacrique ritus externi juxta Christi institutum adhibiti conferatur.

Declaratio. 1. Obex est aliquod impedimentum. Potest autem sacramentum ita impediri, ne ullum prorsus habeat effectum, adeoque reddatur nullum et invalidum: et ejusmodi impedimentum dicitur obex sacramenti et consistit in ineptitudine ad sacramentum suscipiendum. Potest vero sacramenti virtus ita impediri, ut non omnem exserat virtutem, hinc non conferat gratiam: et hoc impedimentum dicitur obex gratiae, atque consistit in animi dispositione, quae vel absolute vel secundum praesentem Dei providentiam repugnat infusioni gratiae. Ejusmodi repugnantia utpote moralis potest tantum tolli actibus liberis ipsius hominis auxilio gratiae actualis elicitis. Hisce ergo constituitur necessaria ad sacramenta dispositio. **2.** In infantibus relate ad aliqua sacramenta nullus est gratiae obex: circa alia est ineptitudo, ut constat ex universali traditione christiana. **3.** In adultis repugnantia haec est impoenitentia de peccato commisso, si agitur de sacramentis, quae instituta sunt ad remissionem peccatorum; quocirca dispositio necessaria ad removendum obicem continetur actibus poenitentiae, ad quos requiritur fides, spes, voluntas perveniendi ad gratiam Dei, detestatio peccati commissi cum voluntate servandi legem Dei, ut patet ex dictis de dispositionibus ad justificationem requisitis n. 135 ss., ex Matth. 28, 19 s.; Marc. 16, 16; Act. 2, 38 etc. et confirmatur ex historia catechumenatus et poenitentiae. In aliis sacramentis, quae ex sua institutione referuntur ad peculiarem membrorum Christi sanctificationem et gratiae augmentum, dispositio necessaria est status gratiae, ut constat ex propria illorum natura proprioque fine, qui non est conferre vitam supernaturalem, sed collatam augere: quare vitam gratiae omnino praesupponunt. Quare **4.** calumniantur qui asserunt, secundum catholicos sacramenta conferre gratiam absque ullo suscipientis bono motu. Licet vero **5.** aliqua requiratur in adultis dispositio, ut sacramenta prosint seu gratiam operentur, ea non est causa gratiae efficiens, sed remotio impedimenti, ut sacramentum suum producere possit effectum seu conditio sine qua non. Contendimus autem **6.** per sacramenta tamquam per causas instrumentales, ubi obex non impedit sanctificantem gratiam immediate et efficienter conferri[1]), cum per se evidens sit, Deum esse auctorem principem gratiae. Thesis statuitur contra protestantes[2]) estque de fide, ut patet ex concilio trid. sess. 7 can. 5 ss., quorum 7 ita sonat: „Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant,

---

[1]) „Sacramentorum efficacia, inquit Franzelin thes. 6 p. 3, ad producendam gratiam concipi potest tripliciter: primo ita, ut per sacramenta tamquam per signa et visibilia verba (ut Augustinus loquitur) evangelium reconciliationis extrinsece proponatur, quam propositionem suscipiens homo aliunde adjutus gratia actuali interna, sese disponat fide, spe et caritate ad sanctificantem gratiam consequendam ex opere h. e. ex merito congruo, vel, si jam justus est, ex opere condigno operantis. At haec est efficacia propria praedicationis verbi Dei et sacramentorum V. T. Alio modo deinde posset concipi ita, ut per sacramenta ex sese solum obtineatur gratia actualis illustrationis et motionis, cui homo cooperans perveniat ad justificationem vel gratiae sanctificantis augmentum. Haec est virtus propria non sacramentorum, sed sacrificii novae Legis.“ Tertium modum supra in textu expressimus.

[2]) Quorum doctrinam cf. apud Möhler Symbolik § 29 ss.; Winer p. 119 ss.

sed aliquando et aliquibus, A. S.« Alios infra dabimus. Cf. etiam prop. 1 Lutheri a Leone X. damnata.

255. **Demonstratio. 1.** Consulantur Scripturae effata, in quibus sermo est de sacramentorum efficacia, cujusmodi sunt: Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei;* Act. 2, 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus s.;* Act. 22, 16, ubi Ananias dicit ad Saulum (Paulum): *Quid moraris? exsurge et baptizare, et ablue peccata tua;* Eph. 5, 25: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae;* Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti;* Act. 8, 17: *Tunc imponebant* (Petrus et Joannes) *manus super illos et accipiebant Spiritum s.;* Joan. 6, 59: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* 1. Tim. 4, 14: *Noli negligere gratiam . . . quae data est tibi . . . cum impositione manuum presbyterii;* 2. Tim. 1, 6: *Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum;* Joan. 20, 22 s.: *Accipite Spiritum s.; quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* etc. Atqui hisce in testimoniis ne semel quidem innuitur, effectum sacramentorum contineri fide, quae excitetur, vel obsignatione promissionum divinarum: sed diserte vel aequivalenter enunciatur, sacramenta eo pertinere et hunc esse illorum effectum, ut homines laventur, renoventur, regenerentur, accipiant Spiritum s., vivant in aeternum, remissionem consequantur peccatorum. Quo vero habitu quave relatione ad hos referuntur effectus? Eo, quem Scripturae ipsae designant **a.** particulis ex, per: **b.** ablativo instrumenti; **c.** particula finali in; **d.** synthesi subordinationis, qua instrumentalis ritus cum Spiritu s. ceu causa efficiente principe copulatur. Atqui hisce omnibus habitus effertur causae immediate instrumentalis et obnoxiae, qua homines regenerentur, renoventur etc. Ergo per sacramenta immediate tamquam per causas instrumentales confertur gratia.

2. Eadem veritas probatur ex traditione symbolica scil. ex symboli articulo: „Credo unum baptisma in remissionem peccatorum.“ Nam ex duobus alterutrum: vel immediatus baptismi ceu instrumentalis causae effectus est peccatorum remissio, quod est dogma catholicum; vel excitatio fidei, qua (hinc mediate) potiamur remissione peccatorum, quae est opinio protestantium. Atqui haec adversatur **a.** obvio verborum sensui; describitur enim et praedicatur baptismus ex suo effectu praecipuo. Causa vero non solet describi ex effectu mediato et remoto, sed ex effectu proximo, immediato et proprio. Adversatur **b.** Scripturae effatis Act. 2, 38; 22, 16 (cf. supra); Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit,*

salvus erit; quibus significatur, baptisma non media fide, quam excitat, sed fide jam praesupposita operari salutem. Adversatur **c.** praxi universalis Ecclesiae flagitantis fidem et poenitentiam (in adultis) ante baptismi collationem; **d.** praxi paedobaptismi; si enim et infantibus conferebatur baptisma in remissionem peccatorum, in quibus excitare non potest fidem, remissionem peccati originalis per se et immediate credebatur operari. Adversatur **e.** baptismi descriptionibus et appellationibus, quae apud patres passim occurrunt, quarum ne una quidem illius (secundum protestantes) immediati, praecipui, proprii effectus, qui sit fidei excitatio, meminit.

Ita enim ex. gr. ab Optato milevitano describitur de schism. donat. V, 1: »Quis fidelium nesciat, singulare baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, coelestis regni comparationem, innocentiae portum, peccatorum naufragium?« — Cyrillus hierosol. Procat. n. 16: »Magnum est sane propositum hoc baptisma: captivis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, luminosum indumentum, currus ad coelum etc.« Lege etiam Gregorium naz. or. 40 n. 3. 4.

3. Probatur traditione practica. Constans enim fuit Ecclesiae doctrina, infantes baptismo mundari. Atqui hic effectus non adscribebatur merito ministri, ratum enim habebatur baptisma ab haeretico collatum; neque infantium dispositioni, ut patet. Reliquum ergo est, ut adscriberetur ipsi ritui. Idem inferre licet ex praxi conferendi nonnulla sacramenta adultis moribundis sensibus jam destitutis.

4. Accedit illustris patrum doctrina. Docent enim **a.** intimum esse nexum inter ritum sacramentalem ejusque effectum.

»Caro abluitur, ita Tertullianus de resur. carnis c. 8, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.« — Optatus l. c.: »Baptisma christianorum Trinitate confectum confert gratiam;« Augustinus ep. 98 n. 2: »Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiae et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiae, solvens vinculum culpae, reconcilians bonum naturae, regenerant hominem in uno Christo ex uno Adam generatum.« — Cyrillus hieros. catech. mystag. 3 n. 3: »Visibili unguento corpus quidem ungitur, sancto autem et vivifico Spiritu anima sanctificatur.«

b. Nexum repetunt ex virtute sancti Spiritus, quae ritui inest.

Ita iterum Tertullianus de bapt. c. 4: »Invocato Deo supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.« — Basilius de Spir. s. n. 35: »Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia:« quae repetit Ambrosius de Spir. s. l. 1 n. 77; qui de mysteriis c. 3 n. 8 ita habet: »Crede divinitatis illic (in aqua baptismi) adesse praesentiam. Operationem credis, non credis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi praecederet ante praesentia?« — Hippolytus serm. in Theophania n. 8 (Migne patrol. gr. 10, 859): »Haec est aqua cum Spiritu s. conjuncta . . .

per quam regeneratus homo vivificatur.« — Firmicus Maternus de errore profan. relig. n. 2: »Illa (aqua), quam despicis, ignita venerandi Spiritus majestate decoratur: ut ex ipsa per veteres conscientiae cicatrices credentibus hominibus salutaris venia irrigetur«. — Ephraem advers. scrut. serm. 40: »Divini Spiritus in igne figuram agnoscito, permiscetur aquis, ut eas ad expiationem elevet; pani se infundit, ut in hostiam sacrificii transferat.« — Gregorius or. 40 n. 8: »Quandoquidem duabus partibus h. e. animo et corpore, constamus, quarum altera in conspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoque rebus constat baptismus, aqua scil. et Spiritu, illa visibili et corporeo modo accepta, hoc vero incorporeo et invisibili concurrente: illa typica, hoc autem vero et intimos animi fines purgante. Qui primae nativitati opem et adjumentum ferens, ex veteribus novos, ex humanis divinos efficit, absque igne nos rursus conflat et absque confractione rursus effingit.« Quam ob rem Isidorus hisp. Etymol. VI, 19 n. 40 sacramentum definit: »Quae (sacramenta recensita) ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur, unde a secretis virtutibus vel a sacris sacramenta dicuntur;« cf. n. 41ss., 49; quae repetit Rab. Maurus de instit. cleric. I, 24.

c. Id similitudinibus, praesertim cum disserunt de baptismo, illustrant.

»Quemadmodum, inquit Cyrillus alex. l. 2 in Jo. 3, 5, infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus accipit: sic Spiritus operatione aqua sensibilis ad divinam quandam et ineffabilem vim transformatur omnesque demum, in quibus fuerit, sanctificat.« Plurimas ejusmodi similitudines reperies in l. Ambrosii de mysteriis, Tertulliani de bapt. et in catechesibus mystag. Cyrilli hieros., quae habes opusc. t. VII, et in annot. ad Optatum milev. II, 10. opusc. t. X. Hinc Ambrosius de Elia et jejunio c. 22 n. 83: »Baptismus velut ignis quidam peccata consumit, quia Christus in igne et Spiritu baptizat.« Cf. Franzelin th. 6 ss.

5. Denique dogma catholicum probatur consensu Ecclesiae graecae schismaticae, quae etsi saepius tentata nunquam potuit adduci, ut protestantium de sacramentis approbaret errores: imo revelationis evidentia inducta non semel doctrinam catholicam solemniter professa est, ut in synodo in urbe Jassy a. 1642 habita declarans q. 99 sacramentum esse „caeremoniam sacram, quae sub forma visibili producit Dei gratiam invisibilem eandemque in animam fidelem infundit."

256. **Thesis CCIX.** ***Doctrina protestantium de efficientia sacramentorum, quatenus illis hanc unam asserunt virtutem, quod sint vel 1. signa et tesserae, quibus a judaeis et gentilibus discernantur christiani; vel 2. sigilla, quibus divinae promissiones obsignentur ac fides nostra excitetur et confirmetur; vel 3. signa, quibus homo Ecclesiae se probet candidatum et militem Christi, falsa censeri debet, nec ullo Scripturae testimonio innixa.***

Demonstratio p. I. Thesi hac triplicem excludimus de sacramentorum efficacia errorem; primus est socinianorum, alter lutheranorum et calvinistarum, tertius zwinglianorum. Contra primum et alterum statuit concilium trid. sess. 7 can. 6: »Si quis dixerit, sacramenta novae

Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, A. S.« Refelluntur autem hi errores, quatenus excludunt a sacramentis omnem aliam virtutem corollarii modo ex thesi praecedenti.

Praeterea urgemus contra primum errorem, si sacramenta tantum signa distinctiva sunt, **a.** eorum numerum ultra fas augeri, cum plurimis ritibus christiani a non christianis secernantur; **b.** principem sacramenti rationem competere professioni fidei, cum fide maxime ab invicem sejungantur; **c.** sacramenta ab hominibus institui posse.

Alteri errori **a.** opponimus praeter dicta n. 255[3] absurda, quae ex ipso sequuntur: sequitur enim sufficere ad sacramenti percipiendum fructum, illud tantum videre alteri v. gr. administratum; ideoque unicam sacramenti administrationem omnibus posse prodesse adstantibus; hominem posse instituere sacramenta: nam sane ipse potest determinare ritum aptum ad excitandam fidem.

Secundum tertium errorem homines per sacramenta agerent, nil per eadem operaretur Deus; quod adversatur revelatae doctrinae, secundum quam Deus hominum per sacramenta operatur salutem. Ad haec solemnis pariter est Ecclesiae doctrina, sacramenta a Salvatoris meritis omnem suam trahere vim, quod in illa opinione serio affirmari nequit.

257. **Demonstratio p. II.** Provocant protestantes ad haec et gemina testimonia: Act. 15, 9: *Fide purificans corda eorum;* Rom. 1, 17: *Justus ex fide vivit;* 10, 4. 8; 1. Cor. 15, 1. 2: *Notum vobis facio Evangelium, quod praedicavi vobis . . . per quod et salvamini;* Eph. 5, 26; 1. Petr. 3, 21 ss. etc.; insuper ad omnia illa testimonia, quibus nituntur probare, solam fidem justificare (quae cf. n. 153 ss.). Verum frustra: sunt enim **1.** haec testimonia affirmantia, non excludentia; affirmant quidem fidei ad justificationem consequendam necessitatem et vim, quam ultro concedimus: sed nullatenus negant sacramentorum efficaciam, neque excludunt eorum necessitatem. **2.** Exhibent quidem fidem ut causam salutis, non tamen exclusis illis operibus, quae eam sponte sua consequuntur quaeque fides ipsa exigit, sed exclusis operibus legis, quae naturae viribus, non ex fide fiunt (154 s.): imo aliis in locis ut Marc. 16, 16; Act. 2, 38; 22, 16 (n. 255) praeter fidem baptismus diserte exigitur, et huic immediate salus adscribitur. Ad rem Franzelin th. 8: »Causalitas sacramentorum ex opere operato et causalitas fidei ex opere operantis, quaecunque esse supponatur, nec sibi opponuntur, nec se invicem excludunt, quia sunt in diverso ordine, et quia alius est gradus gratiae conferendus ex opere operantis et alius conferendus ex opere operato.« **3.** Saepe fidei nomine significatur vel fides practica, fides, quae per caritatem operatur, quae propterea sacramentorum includit usum; vel fides objectiva seu ordo fidei, qui universam religionem christianam cum omnibus mysteriis, praeceptis et institutis complectitur, adeo ut sensus sit, religione seu oeconomia Christi nos salvari: quo sensu testimonia objecta nullam prae se ferunt difficultatem. Cf. Kuhn in fasc. lit. tübing. 1855 pag. 40 ss.

258. *Formula ex opere operato.* — Hactenus de doctrina catholica; nonnulla addenda sunt de catholica professione, scil. de formula: sa-

cramenta conferre gratiam „ex opere operato", qua Ecclesia suam de sacramentorum efficacia fidem exprimit, et quam acriter impugnant protestantes. Ea formula primum forte occurrit apud Petrum pictaviensem († 1205, sed adhuc cum quadam haesitatione et cum apposito „ut dici solet"), dein apud Innocentium III.

Quod autem participium operatum accipiatur contra grammaticae regulam passive, non caret exemplo. Ita legimus apud Tertullianum de praescr. n. 57 »operata charismata;« apud Lactantium div. instit. VII, 27 »operatae virtutes;« nec improbabilis est eorum sententia, secundum quos passive accipitur Gal. 5, 6: *Fides, quae per caritatem operatur.* Imo hic usus sat frequens est apud optimos etiam scriptores latinos Caesarem, Livium [1]) etc. Cum ergo haec acceptio non sit sine exemplo, cum ea jam per secula obtinuerit in universa theologorum schola, cum ea admodum sit apta: potuit Ecclesia vulgatum loquendi usum acceptare et solemni sancire decreto. Etsi vero ea locutio esset inusitata, valerent hic verba Augustini in Ps. 138 n. 20: »Melius est, ut nos reprehendant grammatici, quam ut non intelligant populi;« et iterum in Ps. 36 serm. 3 n. 6: »Quid ad nos, quid grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos deserti eritis.« Quibus similia habet Origenes vel forte potius ipsius interpres Rufinus in Cantic. l. 3 in 2, 3.

Dum autem protestantes hanc formulam impugnant, **1.** formulae pervertere solent sensum, ac si catholici docerent **a.** opus operatum esse opus meritorium ipsius suscipientis sacramenta; vel **b.** opus externum justificare sine ullo bono ipsius hominis (adulti) motu; vel **c.** Spiritum s. suas resignasse vices sacramentis veluti causis primariis seu hisce inesse vim magicam: quae sunt calumniae ex inscitia vel mala fide profectae; nihil enim horum docent catholici.

2. Sensus formulae est, ipsi ritui sacramentali secundum Christi institutionem adhibito vim inesse gratiam infundendi: non propter opus operantis sive ministri sive suscipientis sacramenta, sed vi ritus seu actionis sacramentalis gratiam conferri, ideoque sacramentorum virtutem esse independentem non quidem a Spiritu sancto, qui sacramento veluti instrumento utitur, sed a ministri probitate et subjecti dispositione, quamvis haec requiratur ad removenda impedimenta, quae obstare possent, quominus sacramenta suam exserant efficaciam. Quare opus operatum est opus externum in quantum a Deo assumitur in instrumentum ad gratiae productionem et opponitur ei, quod ex opere operantis i. e. hominis propria virtute operantis valorem habet. Cf. Schäzler die Lehre von der Wirksamk. der Sacr. § 1 ss.

Neque **3.** probari potest quorundam catholicorum explicatio, quae refert opus operatum ad opus, quod Christus operatus est in cruce, adeo

---

[1]) Vide Zumpt lat. Grammatik ed. 8 Berolini, 1837 § 632 p. 535.

ut sensus sit, sacramenta conferre gratiam ex passione atque meritis Christi. Quamvis enim hoc verum sit, non is tamen est genuinus formulae sensus, quem intendit concilium tridentinum.

Hoc enim in sensu **a.** formula non amplius praerogativam sacramentorum propriam designaret, cum etiam opera meritoria hoc modo conferant gratiam sanctificantem; neque **b.** ea esset directa adversus protestantium errores, qui id non negant; neque **c.** adversus eos vindicaret doctrinam catholicam, qui tamen fuit scopus concilii in ea formula sancienda; denique **d.** haec interpretatio adversatur communi theologorum sensui.

4. Virtus sacramentis propria triplici alia formula exprimi solet, scil. sacramenta vel continere, vel conferre, vel operari gratiam.

259. *Quaestio scholastica de propria causalitate sacramentorum.* — Ex hactenus dictis satis liquet admitti non posse opinionem illorum, qui sacramentorum causalitatem revocant ad meram rationem conditionis sine qua non (cf. s. Thomas in 4. d. 1 q. 1 a. 4 qcl. 4; quodl. 12 a. 14; 3. p. q. 62 a. 1), quam tuetur ex. gr. Petrus de Alliaco in 4. q. 1 a. 1, et ad quam accedere videntur s. Bonaventura in 4. d. 1 q. 4; Scotus in 4. d. 1 q. 4. 5 cum sua schola etc. Vera autem admissa causalitate instrumentali sacramentorum restat quaestio admodum salebrosa, quam, ut inquit Lugo d. 4 s. 4, sua contentione et disputatione celebriorem reddiderunt Suarez et Vasquez, utrum scil. sacramenta sint causae physicae an morales gratiae, quam conferunt. Causalitatem physicam tuentur auctores numero plurimi, auctoritate et scientia graves, ut praeter Suarez fere omnes thomistae, salmanticenses, Bellarminus, Valentia, Drouvenius, Schäzler, Oswald etc.; moralem vero haud pauciores theologi et auctoritate certe non inferiores, ut Canus, Vasquez, Lugo, Mastrius, Frassen, Tournely, Arriaga, Pallavicini, Franzelin etc. Non vacat varios referre modos explicandi utramque sententiam, qui cum suis argumentis reperiri possunt apud Lugo, Suarez d. 9, nominatim vero apud Schäzler. Quid vero nobis praeferendum videatur, ad quasdam revocabimus propositiones.

260. **Propositio I.** *Sacramenta sunt operationes vicariae Christi* Redemptoris, quas a se institutas ad passionis fructus singulis applicandos per ministros sua auctoritate fungentes exsequitur. Quod colligitur

1. ex ipsa ministerii ecclesiastici natura. Ecclesia enim non solum in docendo, sed etiam in sanctificando pro Christo legatione fungitur; quapropter ministri Ecclesiae non suo nomine sacramenta administrant, sed nomine et auctoritate a Christo accepta, quod maxime elucet in eucharistiae consecratione. Ideoque sicut ipsi ut ministri vices gerunt Christi,

ita cum operantur ut ministri, vice operantur Christi. Quare eorum operationes sunt operationes vicariae Christi.

2. Confirmatur ex traditione: veritas enim asserta multipliciter declarata et data opera propugnata fuit principii fundamentalis instar in controversia contra donatistas, ut inde probaretur sacramentorum valor, etiamsi a ministris improbis vel haereticis administrarentur.

Ita passim Augustinus in suis adversus illos operibus (n. 289[2]); Optatus V, 4. 7 et posteriores scriptores Augustini vestigia prementes. Ita ex. gr. Adelmannus in pulcherrima ep. ad Berengarium (Mig. 143, 1293): »Baptizat et homo, per cujus manus et linguam opus illud administratur; sed maxime et principaliter ille baptizat, qui vim et efficientiam totam praestat ... Christus igitur per manum et os sacerdotis baptizat: Christus per manum et os sacerdotis corpus et sanguinem suum creat ... Propter quod sacerdos est in aeternum, quia ipse est qui baptizat et qui immolat. Nam quod semel fecit passibiliter per semetipsum, id quotidie agit impassibiliter per eos, quibus dedit potestatem filios Dei fieri etc.« Cf. P. Damianus integro opusc. 6 (Mig. 155, 99); Radulphus Ardens (fl. initio sec. XII) hom. 25 de temp., hom. 5 in dom. (Migne 155, 1684); Goffridus vindoc. abb. († 1132) opusc. 3: »Dei Filius universa Ecclesiae conficit et tribuit sacramenta.«

Idem patet **3.** ex rei natura: neque enim potest homo sua auctoritate et virtute alios sanctificare. Quare bene Stentrup de Verbo incarn. p. II th. 124 ita distinguit: „Operationes sacramentales, ut simpliciter operationes sunt, hominum sunt, qui eas eliciunt: ut vero sacramentales sunt, non hominum sunt, sed Christi; seu ut aliis verbis dicamus, operationes sacramentales considerata materia seu eo, quod potens et valens est, hominum sunt: considerata vero forma, seu eo quo illae potentes et valentes sunt, Christi, non autem hominum sunt; seu, quod rursus eandem vim habet, operationes sacramentales spectato eo, quod est causa, ab hominibus sunt: ratione autem ducta causalitatis (quam habent) Christo adscribendae sunt. Quamvis nimirum operationes, quae sunt sacramentales, ab homine sint eas eliciente ut a causa principali: eaedem tamen, quatenus sacramentales sunt, ab eodem tantum sunt, ut Christus eum tamquam ministrum sibi substituit, atque hac substitutione effecit, ut iste sit instrumentum suum operationesque istius sint operationes suae.“

261. **Propositio II.** Quare *sacramentis inest supernaturale pretium* et dignitas objectiva, quae ex Christi meritis promanans constanti ordinis reparati lege exigit hominum, qui initiantur, sanctificationem. **1.** Id probatur ex actionis vicariae notione. Actio enim ministri vim dignitatemque suam mutuatur ex domini praestantia, cujus vices gerit et in cujus nomine agit: **2.** ex lege et consuetudine, quae vel inter homines obtinet; **3.** ex sensu Ecclesiae, quae huic veritati innixa valorem sacramentorum ab haereticis collatorum agnovit. Ita Augustinus ep. 89 n. 5: „Restat

utique, ut quilibet ministrorum hominum accesserit, ideo ratus sit baptismus, quia super quem descendit columba ipse baptizat (Joan. 1, 33)." Quod principium saepissimae recurrit in s. doctoris operibus, in quibus contra donastitas valorem baptismi ab haereticis collati probat (cf. n. 289[2]). Porro cum Christus his ritibus sua velit merita passionisque fructus applicare, idque meritorum suorum infinito valore promeruerit, ex constanti reparati ordinis lege administratio sacramentorum exigit eorum, qui initiantur, sanctificationem.

262. **Propositio III.** Ideo *sacramenta verissime sunt causae morales collationis gratiae.* Sane causa moralis ea dicitur, quae causae physicae intelligenti est ratio sua bonitate et dignitate movens ad effectum physice producendum; et hoc ipso, quod insita sua dignitate movet, distinguitur a mera conditione sine qua non vel ab occasione. Atqui bonitas et dignitas actionum Christi movet Deum, qui est sanctificationis causa principalis physica, ad sanctificandos eos, quibus illae applicantur hunc in finem. Cum vero haec bonitas actibus ministrorum vicariis non insit per se, sed derivatione tantum ex infinita Christi dignitate, qui iis tamquam suis utitur, ideo ministrorum actiones causae morales solum instrumentales sunt.

263. Ut haec melius intelligantur, juverit quasdam notiones accuratius exponere. Quadruplex est discrimem causam inter physicam et moralem: **1.** causa moralis est causa mediata effectus i. e. mediante causa physica; haec causa est immediata effectus; **2.** illa concurrit ad productionem effectus movendo motione morali intellectum voluntatemque causae physicae auctoritate, bonitate, precibus etc. (objective), quae ideo motiva dici solent; causa physica operatur exserendo suas vires physicas ad effectus productionem; **3.** causalitas moralis viget, ubi incipit ordo moralis, intellectus et voluntas: causalitas physica tam late patet quam ipse ordo physicus et viget etiam inter creaturas irrationales; **4.** causa physica tunc tantum operari potest, cum et ubi est seu exsistit; causa moralis vero operari potest absens et cum non amplius physice est. — Proderit insuper prae oculis habere discrimen inter causam principalem et instrumentalem. »Causa principalis, inquit em. card. Franzelin, quam accuratissime de his disserens thes. 6 p. 2, ut contradistinguitur ab instrumentali, ea dicitur, quae virtute propriae formae ac naturae proportionata effectui per se agit et influit (vel physice, si est causa physica, vel moraliter, si est moralis) ad effectum producendum; causa vero instrumentalis semper relative dicitur ad causam principalem, et est ea, qua principalis utitur ad producendum effectum in ipsam derivando aliquam virtutem. Causa ergo instrumentalis non habet ex sua natura a forma propriam virtutem ad producendum effectum, sed agit virtute derivata a causa principali. Vide s. Thomam 3. p. q. 62 a. 1; Suarez Metaph. disput. d. 17 s. 2 n. 16; Lugo disp. 4 n. 43; s. 5 n. 95.«

264. **Propositio IV.** Cum tamen Deus virtutem suam sanctificatricem ritui sacramenti adjungat, non praeter et extra illum, sed in illo

et per illum exserat et suscipienti sacramenta applicet, adeo ut virtus sanctificatrix vere dici possit illis inexsistere: vero quoque sensu *sacramenta*, quatenus scil. considerantur ut synthesis ex ritu visibili et virtute sanctificatrice divina, *causae physicae collationis gratiae dici possunt.* Deum suam virtutem sanctificatricem sacramentali adjungere ritui et per eum exserere omnia probant, quae de sacramentorum efficacia, ex patrum praesertim doctrina (n. 255[4]), diximus. Haec vero sacramentorum praerogativa, qua sunt forma visibilis, per quam et sub qua invisibiliter exseritur virtus sanctificatrix divina, distincta est a dignitate prop. I. et II. eisdem asserta et omnino exigit, ut sacramentis praeter causalitatem moralem alia tribuatur, quam merito physicam dixeris, cum neque ad causalitatis moralis revocetur speciem, neque sit mera conditio sine qua non. Sicut cum Christus tactu sanabat, manus Christi vere dici poterat instrumentum sanationis physicum, quod per illam Christus suam virtutem divinam, quae causa erat physica sanationis, derivaret in infirmum, ei applicaret atque exsereret. „Sicut in aliis sacramentis, scribit ad rem s. Thomas in 4. dist. 8 q. 1 sol. 1 ad 2, materiale elementum non est causa virtutis, quae in ipso est, neque alicujus spiritualis effectus in homine nisi mediante virtute, secundum quod ex elemento et virtute quasi unum efficitur: ita in hoc sacramento (eucharistiae) species non sunt causa corporis Christi, neque alicujus effectus spiritualis nisi mediante corpore Christi vero, secundum quod ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum. Utrum autem species illae secundum se habeant aliquem effectum corporalem (ex. gr. nutriendi), sicut aqua corporaliter abluit in baptismo etiam non mediante spirituali virtute, infra dicetur."

Nostram sententiam praeclare expressit Henricus gandav. († 1293) quodlib. IV qu. 37: „Dicendum est, quod sacramenta N. L. nullo modo aliquid agunt ad gratiam creandam, neque in creanda attingunt eam plus, quam sacramenta V. L.; sed solum dicuntur esse causae gratiae praesentis, cujus sunt signa in hoc, quod sunt contentiva ejus, quod est per se causa creativa gratiae, in quantum creat eam. Licet enim Deus, qui est creator gratiae, per essentiam et substantiam in omnibus sit, tamen quoad aliquem effectum est in una re ita, quod non in alia. Secundum quod Deitas exsistens in carne Christi per gratiam unionis ad tactum manus ejus curabat leprosos, ut Deitas dicatur illud egisse, non ut Deitas tantum, sed ut exsistens in manu Christi; et per hoc quod illa exsistens in manu Christi curabat illum sicut agens principale, dicitur, quod curabat ipsum manus Christi ut agens instrumentale, ut secundum hunc modum dicamus, quod sacramenta N. L. sunt causae gratiae instrumentaliter, non quia aliquid agunt in producendo gratiam . . sed quia Deus ut exsistens est in ipsis ad tactum eorum circa illos, quibus administrantur, confert gratiam creando eam in ipsis [1])."

[1]) Ab hac explicatione non multum videtur differre ea, quam sagaciter proponit Billot, cui causalitas moralis supra sacramentis asserta non arridet. Secun-

265. **Propositio V.** Non vero eo sensu sacramenta causae physicae sunt collationis gratiae, quasi sensibilis sonus et sensibilis actio vel qualitate aliqua eis impressa vel virtute obedientiali physice in animam agat et cooperetur ad gratiae productionem, sicut calamus physice sua qualitate influit in scriptionem. Quam sententiam idcirco minus probamus, quod **a.** ea non sit necessaria, ut putant patroni causalitatis physicae, ad exhauriendam vim verborum Scripturae et patrum de sacramentorum efficacia: praesertim si prae oculis habeantur, quae diximus n. praeced.; **b.** rationibus idoneis non probetur; quod **c.** pluribus obnoxia sit difficultatibus atque magna obscuritate involvat doctrinam de sacramentis. Prudenter vero notat de Lugo d. 4 s. 4 n. 35: „Non debemus res nostrae fidei absque necessitate difficiliores et obscuriores reddere, sed potius quantum fieri possit faciliores et magis ad captum vulgi et infidelium accommodatas.“ Ejusmodi autem difficultates sunt: α. causae physicae tunc tantum operantur et operari possunt, cum exsistunt. Atqui sacramentum subinde operatur, cum physice non amplius exsistit, ut cum suscipitur cum gratiae obice: hoc enim remoto, quamvis post multum tempus ab ipsius susceptione, confert gratiam (cf. n. 268). β. Materia et forma, quae constituunt sacramentum, physice non semper coexsistunt, quod tamen est necessarium, ut constituant causam physicam; γ. verba formae sibi succedunt et prolatis ultimis, sine quibus forma non valet, non amplius exsistunt priora: quomodo ergo forma (utique integra, nam nonnisi integra valet) physice concurrere potest ad producendum effectum, qui fit in instanti?

---

dum ipsum sacramenta operantur ut signa practica. Sed signa practica causant instrumentaliter imperative. Ita verba, quibus in consistorio pontifex publicat novos episcopos, rationem habent instrumenti, quo in electis episcopalis dignitas quoad jurisdictionis potestatem inducitur. Ergo sacramenta in tantum causant gratiam, in quantum deferendo et applicando determinato subjecto imperium Dei, ponunt in eo necessitatem ad gratiae susceptionem. Innititur autem rationi sacramentis propriae et essentiali, quod sint signa. Quod si illis quamcunque aliam causalitatem tribuimus physicam, egredimur e genere et ratione signorum. Mavult proinde dicere sacramenta operari imperative seu intentionaliter, quam physice vel moraliter. Cum s. Thoma vero tuetur, ea non immediate, sed solum instrumentaliter et dispositive causare gratiam, quatenus eorum effectus immediatus est titulus et dispositio (quam veteres in sacramentis non imprimentibus characterem ornatum dicebant) exigens gratiam, modo obex non obstet. Quare suam sententiam ad hanc revocat formulam: ‚Sacramenta probabilius non causant gratiam moraliter i. e. per modum valoris, cujus intuitu aliquid datur, sed causant eam efficienter. Rursus non causant efficienter perfective actione sua pertingendo immediate ad ipsam gratiae substantiam, sed solum dispositive, inducendo id quod est res et sacramentum. Denique virtus instrumentalis per quam operantur non videtur esse physica, sed potius intentionalis utpote habens adaequatum sui principium in institutione Christi legislatoris N. T.‘ De sacr. th. 7.

266. Quod s. Thomam attinet, alii aliter eum interpretantur teste Lugo disp. 4 s. 5 n. 98 ss., etiam inter ipsos thomistas. Id autem sane certum est, eum de hoc maxime esse sollicitum, ut veram causae rationem sacramentis asserat, quam defensores causalitatis moralis suo tempore nimis extenuare et ad meram rationem conditionis sine qua non revocare videbantur. Quod si causalitatem physicam tuetur, omnino nostram videtur tueri sententiam, ut satis liquet ex ejus verbis n. praec. allatis, quibus adde, quae scribit op. 5 de art. fidei et sacr. p. 2: „In sacramentis virtus Christi sub tegumento rerum visibilium secretius operatur salutem;“ 3. p. q. 73 a. 1 ad 2: „Dicendum quod aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus s. in aqua exsistentem.“ Accedit quod s. doctor de pot. q. 3 a. 4 ad 7 et 8 diserte neget sacramenta pertingere instrumentaliter ad gratiae productionem. Cf. Franzelin th. 11; Becanus summae p. 3 tr. 2 c. 3.

§ II. De sacramentorum novae Legis effectibus.

267. Sacramentorum effectus ad tres revocabimus. Omnibus enim commune est, gratiam conferre sanctificantem necnon gratias sacramentales: trium vero proprium, imprimere etiam characterem. Quae ad priores duos effectus pertinent, brevibus complectemur propositionibus.

1. *Omnia N. Legis sacramenta semper conferunt gratiam habitualem* seu sanctificantem. Haec est sententia communis theologorum, ac patet ex sacramentorum fine: per ipsa enim, ut docet concilium trid. prooemio sess. 7, „omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur,“ quod sine gratiae sanctificantis infusione non fit [1]). Ad haec, sacramenta conferunt gratiam etiam infantibus et sensu destitutis: non vero actualem; ergo habitualem.

Notandum tamen est secundum veteres theologos scholasticos, sacramenta non immediate causare ipsam gratiam, sed effectum aliquem distinctum a gratia et ad eam praevium, qui est dispositio sive titulus de se exigens infusionem gratiae, quamdiu in homine permanet, eamque immediate inducens nisi obsit obex vel statim post remotum obicem. Haec dispositio in quibusdam sacramentis est character, in aliis is, quem dicunt titulum exigitivum gratiae, vel „ornatum animae“, nomine communi „rem et sacramentum“. Huic doctrinae olim sat vulgatae inhaeret s. Thomas in comment. in ll. sent.: nec eam revocasse videtur in sua summa theologica, quidquid aliqui dicant. Eam tuetur Billot l. c. th. 6 hac innixus ratione: „Sacramenta causant id quod significant; atqui significant quendam effectum distinctum a gratia et ad eam praevium, a quo dependeat gratiae sacramentalis collatio. Ergo etc.“ Propo-

---

[1]) Cf. Suarez d. 7 sect. 2. 4, ubi statuit, peccatum tantum mortale poenitentia non rectractatum obicem esse gratiae; hinc infert peccatum veniale non impedire sacramenti effectum, qua doctrina proposita subjicit: „Doctrina haec apud me fere certa est, quia contraria nulla ratione aut auctoritate nititur et est nimis rigida ac praeter humanam fragilitatem.“ Cf. de euchar. d. 63 s. 3; Thomas 3. p. q. 79 a. 8; Becanus c. 22 q. 2 de euchar.

sitionem minorem ostendit inductione. Provocat deinde ad factum, gratiam per validum sacramentum subinde non conferri. Ergo „eo ipso oportet concludere, quod sacramentorum significatio et virtus nec proxime nec absolute ad effectum gratiae se extendit, sed mediate tantum et sub certa hypothesi: mediate i. e. medio titulo, qui gratiam exigit; sub certa hypothesi i. e. modo non adsit obex, a quo illius tituli exigentia impediatur (p. 109).“ Hinc censet optime explicari reviviscentiam sacramentorum remoto obice. Cf. Schäzler § 18.

2. Etsi sacramenta conferunt gratiam habitualem, aliqua per se sunt instituta ad delenda peccata, ideoque ad infundendam gratiam justificantem primam, ut baptismus et poenitentia, quae propterea sacramenta mortuorum dicuntur; reliqua vero supponunt peccatum jam deletum, hinc gratiam; ideoque augent gratiam seu conferunt gratiam secundam: et haec appellantur sacramenta vivorum.

3. Sacramenta, quae per se ordinata sunt ad conferendam gratiam primam, conferunt gratiae augmentum seu gratiam secundam, quoties scil. suscipiens sacramentum jam gratia fruitur. Ratio est, quia sacramenta conferunt semper gratiam non ponentibus obicem; qui autem in gratia est jam constitutus, profecto obicem non ponit; ergo accipiet gratiam: non primam, quam jam habet; ergo gratiae augmentum.

4. Sacramenta vivorum saltem aliqua per accidens conferre possunt gratiam primam. Haec sententia, non quidem certa, secundum Suarez disp. 7 s. 2 probabilis est et magis pia, quam s. Thomas ubique docet tractando de singulis sacramentis (3. p. q. 72 a. 7 ad 2; q. 79 a. 3 etc.). Ea sic suaderi potest: Secundum doctrinam catholicam sacramenta N. L. certo gratiam conferunt non ponentibus obicem. Atqui peccator invincibiliter ignorans grave peccatum, si bona fide et cum attritione universali de omnibus peccatis ad sacramentum vivorum accedit, obicem non ponit: neque enim obicem ponit propter aliquod peccatum actuale, nam supponitur accedere bona fide; neque ratione peccati habitualis: quia peccatum habituale poenitentia retractatum per se non est obex gratiae, ut patet ex sacramentis mortuorum. Ergo talis peccator videtur consequi gratiam primam. Quoad eucharistiam Lugo d. 12 in sententiam negantem propendet deque sola extrema unctione, de qua id sane est tenendum, ut certum tuetur.

5. Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, sed pro ratione dispositionis. Quod clare docet concilium trid. sess. 6 cap. 7; nam postquam dixit, nos in justificatione justitiam in nobis recipere, subjicit: „Unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus s. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.“ Hoc colligitur quoque ex Ecclesiae praxi hortantis accedentes ad sacramenta, ut pro viribus se disponant, cum meliori dispositioni uberior respondeat gratia. Quod theologi analogia illustrant. Comparare enim licet sacramenta in ordine supernaturali causis secundis ordinis naturalis. Atqui causae secundae aequalem producunt effectum in subjectis aequaliter dispositis, inaequalem in subjectis inaequaliter dispositis. Ergo et sacramenta operantur scil. conferunt gratiam pro ratione dispositionis. Neque haec assertio adversatur dogmati catholico de efficacia sacramentorum ex opere operato. Nam etiam siccitas ligni, quae est dispositio ad combustionem, non confert igni vim comburendi, sed est tantum

ratio, ut ignis vim sibi innatam abundantius exserat: ita dispositioni inest congruitas, ut virtus sacramentorum ex meritis Christi infinite patens plus gratiae in melius disposito quam in minus disposito (ex opere operato) efficiat: per dispositionem enim removentur impedimenta, quae obsistere possent infusioni gratiae et subjicitur anima sicut passivum suo proprio activo. Cf. Suarez d. 7 s. 5; Lugo d. 9 s. 2; de euch. d. 1 s. 7.

268 *De reviviscentia gratiae* in sacramentis cum obice susceptis eo remoto variae sunt theologorum sententiae. De ea haec videntur tenenda:

1. gratiam certo reviviscere in sacramento baptismi: quae est communissima theologorum sententia contra paucos quosdam; ea vero satis probatur ex controversiis catholicorum cum donatistis. Illorum enim nomine Augustinus passim tuetur, baptismum ab haereticis collatum tunc incipere valere et prodesse ad peccata remittenda, cum is, qui illum susceperit, redierit ad Ecclesiam, hinc removerit schismatis obicem, qui gratiae infusioni obstiterat.

„Non iterum baptizandus est, inquit de bapt. l. 1 c. 12. n. 18, quia ipsa ei reconciliatione ac pace (qua removetur schismatis obex) praestatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.“ Quare Urbanus II. († 1099) ep. 273 scribit: „Schismaticorum et haereticorum sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt (en obicem) juxta ss. patrum traditiones Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur (valent ergo, sed non conferunt gratiam), nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem,“ quo reditu tollitur obex. Ratio autem haud spernenda inde petitur, quod vix credibile videtur, Deum velle, ut qui cum obice fuit baptizatus, privetur fructu sacramenti adeo necessarii ad salutem, quod nequit iterari, etiamsi de posito obice postea doleat. Neque dicatur, damnum reparari posse sacramento poenitentiae. Hujus enim fructus non est regeneratio: hujus materia (delenda) non sunt peccatum originale et peccata actualia ante baptismum contracta. Cf. Lugo d. 9 s. 3 ss., qui alias subtiles quaestiones cum hac connexas acute discutit; c. 11 q. 11.

2. Probabilius est sacramenta confirmationis, ordinis, matrimonii et extremae unctionis cum obice suscepta, eo ablato, reviviscere. Haec est sententia communis contra paucos. [1]) Cujus ratio pariter est, quod hinc quidem haec sacramenta vel simpliciter vel quadamtenus saltem iterare non liceat; inde vero vix credibile sit, Deum velle eos, qui ea indigne susceperint, de hoc tamen peccato poenitentiam egerint

[1]) Inter hos per errorem recensetur Scotus. Nam circa duo priora sacramenta scribit in 4. d. 1 q. 5 circa finem: „In quibuscunque enim sacramentis imprimitur dispositio ad effectum principalem, si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis; cessante obice sufficit dispositio ad illum effectum principalem, ut apparet in sacramentis imprimentibus characterem.“ Circa sacramenta matrimonii et extremae unctionis id neque affirmat neque negat: sed quoad poenitentiam id negat.

illorum fructu carere in perpetuum. Quod tamen de eucharistia, quae toties accipi potest, affirmandum non videtur.

3. Circa poenitentiae sacramentum plurimi tuentur gratiae reviviscentiam; dubitant alii, quod ipsis dubium est suppositum, posse illud esse informe i. e. validum sed infructuosum. Cum nobis probabile omnino videatur, sacramentum poenitentiae nunquam esse validum et simul infructuosum, hinc nulla etiam quaestio est de gratiae reviviscentia in ipso.

269. *De gratia sacramentali.* — Quod alterum sacramentorum spectat effectum (n. 267), gratiam scil. sacramentalem, statuimus: **1.** Singula sacramenta praeter gratiam sanctificantem peculiares conferre gratias. Ordinantur enim sacramenta ad fines distinctos; singulis ergo alius atque alius respondet effectus in ordine ad suum finem: alioquin sacramenta non differrent ab invicem nisi ritu externo, nec ulla esset ratio, quare Christus plura instituerit quam unum, quare unum alio magis sit necessarium, et quare unum per aliud non possit suppleri. Quocirca et patres (n. 255[4]), imo et Scripturae de diversis loquentes sacramentis diversos eorundem recensent effectus. Ejusmodi vero gratiam specialem **2.** consistere secundum nonnullos in dispositionibus imminutivis concupiscentiae et sequelarum ejus et probabilissime in jure ad specialia auxilia pro assequendo fine sacramenti. Ideoque **3.** gratiam sacramentalem plene et adaequate spectatam esse ipsammet gratiam sanctificantem, quatenus per tale sacramentum datur et ordinatur ad ejusdem finem, et quatenus sub ea ratione ex divina institutione titulus est et jus praebet ad specialia quaedam auxilia pro opportunitate conferenda ad finem sacramenti proprium consequendum. Unde consequitur **4.** non semper dari totam gratiam sacramentalem eo tempore, quo sacramentum suscipitur: quamvis enim tunc conferatur gratia sanctificans cum dispositionibus forte imminutivis concupiscentiae, gratiae tamen auxilia postea concedentur, quando iis indigemus.

270. **Thesis CCX.** ***Sacramentis baptismi, confirmationis et ordinis imprimitur animae character, signum videlicet quoddam spirituale et indelebile.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra novatores sec. 16, quorum ex. gr. scribit Calvinus in antidoto conc. trid. ad sess. 7 can. 9: „Quod de charactere indelebili fabulantur, ex eadem (indoctorum monachorum) prodiit officina: nam veteribus hoc ignotum fuit, et magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanae Evangelii doctrinae. Eadem ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit.“ Similiter alii primipili protestantium, quibus praeivit Wicleffus Trialogi l. 4 c. 15. Cum aliqua saltem eruditionis et sagacitatis specie doctrinam catholicam impugnat Bingham in historia scholastica baptismi laicorum p. 2 c. 6; in origi-

nibus seu antiquitat. ecclesiasticis l. 17 c. 2 § 5; dissert. in conc. nicaeni can. 8. Doctrinam catholicam asseruit concilium trid. sess. 8 can. 9: „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scil., confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, A. S.“ Quod jam antea docuerat Eugenius IV. in instruct. pro armenis. Distingui autem debet inter characteris exsistentiam ejusque essentiam atque naturam. Modo de priori sumus solliciti, quae ita probatur:

1. Quatuor saltem seculis praecedentibus protestantium innovationi doctores omnino omnes dogma hoc proponebant in commentariis vel ad IV. sent. d. 4 et 6 vel ad 3. p. summae s. Thomae q. 63 ut ecclesiasticum, ubique receptum. Quamvis enim disputatio in scholis ferveret de characteris natura vel etiam de modo, quo ejus impressio probetur, eo evidentior erat consensus de illius exsistentia. Atqui ejusmodi consensio semper habita est theoretice et practice ut nota praecipua et tutissima apostolicitatis doctrinae (t. I. n. 134). Doctrina ergo de characteris exsistentia est apostolicae originis.

Nonnulli theologi, cum minus essent versati in christianae antiquitatis monumentis, quod tunc non mirum, cum de charactere disputant, ea habent, quae minus sunt probanda. Ita scribit Scotus in 4 dist. 4 q. 9: „Propter solam auctoritatem Ecclesiae, quantum occurrit ad praesens, est ponendum characterem imprimi.“ — Biel in 4 sent. dist. 6 q. 2 art. 3 d. 1: „Magis consonare determinationi Ecclesiae, quae non potest errare, ponere characterem.“ — Durandus in 4 dist. 4 q. 1: „Omnes moderni profitentur imprimi characterem in aliquibus sacramentis, et nos loquentes ut plures dicamus cum eis, characterem non nihil esse.“ — De Rubione statuit: „Quod character ponitur inesse de facto ab Ecclesia. Haec conclusio est vulgata, licet videatur non multum certa: cum nec ad hoc esse expressa terminatio Ecclesiae videatur. — Et Cajetanus in 3 p. q. 63 a. 1: „Adverte hic duo: primum, quod sacramenta imprimere characterem ex s. Scriptura non habetur, sed ab Ecclesiae auctoritate et non multum antiqua.“ Quae expuncta fuere ex editione jussu Pii V. adornata. Sed immerito ad hos theologos provocant protestantes pro suo errore, cum hi omnes characteris exsistentiam plane admiserint: mirandum potius est, quod theologi alioquin tam sagaces in defectu argumentorum adeo dociles ab ore pependerint Ecclesiae. Hanc docilitatem sibi potius imitandam proponant adversarii. Illorum vero theologorum dubia non tam respiciunt characteris exsistentiam, quam potius ea, quae in scholis de ejus natura et dotibus disputantur. Hinc scribit Albertus M. in 4 d. 6 a. 1: „In dictis sanctorum aut etiam Scripturae de charactere parum inveniri in sensu, quo magistri disputant.“ Similia notat Biel.

2. Revera doctrinam hanc ex apostolica derivatam esse praedicatione manifestum fiet, si prae oculis habeas, ex historia dogmatum patrumque testimoniis constare, inde a temporibus apostolicis semper et ubique creditum esse, tria haec sacramenta semel collata ita haerere, ut eadem iterare nunquam liceat.

Hinc Augustinus ep. 23 n. 2: „Rebaptizare catholicum, immanissimum scelus est;“ de unico bapt. c. 13 n. 22: „Rebaptizare catholicos ... semper est diabolicae praesumptionis;“ de baptismo l. 5 c. 5: „Homines occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterum baptismum accipiat;“ l. 2 n. 19: „Quid sit autem perniciosius, utrum omnino non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile est.“ — S. Leo baptismi iterationem pariter ep. 166 ‚inexpiabile scelus‘ vocat; et luciferiani apud Hieronymum dial. contra luciferianos n. 4, hanc reddunt rationem, quare reciperent ab arianis baptizatos: „Recipimus laicos, quoniam nemo converteretur.“ — De sacramento ordinis cf. Optatum milevit. II, 23. Quod si subinde forte ii, qui a simoniacis vel schismaticis fuerunt ordinati, iterum ordinarentur: id non propterea attentatum fuit, quod putaretur licere ordinationis iterationem, sed quod existimaretur prima ordinatio invalida. Cf. P. Damiani opusc. VI, 30 ss.

Hujus autem tam singularis proprietatis hanc reddidere patres in controversiis praesertim cum donatistis rationem, quod hisce sacramentis praeter gratiam aliquid conferatur homini independens ab ejus dispositione, permanens et indelebile, etiamsi gratia vel non recepta vel iterum amissa est, quod hominem a Deo et ab Ecclesia fugitivum semper obligat Christo tamquam ovem, militem, ministrum: quod imprimatur animae realiter tamquam sigillum et character, quo homo maneat consecratus et specialiter transcriptus in jus Christi pastoris atque imperatoris, cujus characterem gerit.

Ad rem Augustinus contra ep. Parmeniani II, 13 n. 29: „Si enim aliqui furtim et extra ordinem in monetis publicis aurum, vel argentum, vel aes percutiendo signaverint; cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? Aut si quisquam, sive desertor, sive qui nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus, illo signatus pro desertore punitur, et eo gravius, quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam imperatoris confugerit, ac prece fusa et impetrata jam venia militare jam coeperit; numquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur?“ Cf. etiam ep. 185 n. 23 et 43; serm. 296 n. 6; serm. ad Ecclesiae caesar. plebem n. 2; tract 5 in Joan. n. 6; tr. 6 n. 15 s. etc. Et revera nullam aliam magis congruam reddi posse rationem praeter id, quod dicimus characterem, quare haec sacramenta iterare non liceat, probant irriti protestantium conatus aliam assignandi. Quas enim ipsi excogitarunt causas, vel insufficientes vel ineptae sunt, ut ostendunt Bellarminus II, 22 et Gotti theologiae III tr. 4 q. 5 dub. 1 § 1.

271. **Scholion.** Ratio, cur tria haec sacramenta repeti nequeant, potest esse vel sola voluntas et praeceptum Dei vel ipsa natura, qua „christiani baptismi sacramentum etiam apud haereticos valet et sufficit ad consecrationem,

quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat: quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum [1]).« Quare hae duae propositiones: Haec sacramenta repeti nequeunt; ergo imprimunt characterem, si spectantur absolute et abstracte, non ita nectuntur, ut secunda intelligatur necessario sequi ex priori. At si spectantur, ut nobis ex traditione innotescunt, prior propositio ita enunciari debet: Haec sacramenta ex sua natura propter ontologicam consecrationem, quam producunt indelebilem, repeti non possunt. Quod si ita enuncietur, ex ea legitime infertur: Ergo imprimunt characterem; haec enim conclusio implicite in ea continetur. Cf. Franzelin th. 12.

272. **3.** Patrum effata de charactere disserentium [2]), inter quos eminent s. Augustinus et Cyrillus hierosol., ad quaedam revocabimus capita. Docent patres **a.** sacramentis hisce imprimi fidelibus sigillum, signum, signaculum, characterem.

Ita Ambrosius de Spir. s. l. 1 c. 6: »Signati igitur Spiritu sancto a Deo sumus. Sicut enim Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu sancto signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem.«

b. Signum illud diserte distinguunt tum a ritu externo sacramenti tum a gratia sanctificante sacramento infusa; quod toties significant, quoties affirmant sacramenta haec manere etiam in pessimis.

---

[1]) S. Augustinus ep. 98 n. 5. Cf. conc. trid. sess. 7 can. 9 (n. 270); Thomas 3 p. q. 66 a. 9; Bonaventura Breviloq. p. 6 § 6. — Ceterum vel cordatiores protestantes, qui in plerisque doctrinae capitibus plurimum recedunt ab extremis (et hinc saepe absurdis) opinionibus, in quas praeceps novandi pruritus adegit auctores reformationis sec. XVI., jam accedunt plus minus ad doctrinam catholicam. Ita Leibnitius system. theol. p. 204 ed. mogunt. a. 1825 et Marheinecke Christl. Symbolik oder historisch-kritische und dogmatisch-comparative Darstellung des katholischen, lutherischen, reformirten und socinianischen Lehrbegriffes p. 1 l. 3 das System des Katholicismus c. 4, qui ita scribit: »Keinem Ausspruche des Christenthumes zuwider, vielmehr dem Geiste desselben ganz angemessen ist eine solche Lehre, welche dieses als den Hauptgrund anführte, weswegen Taufe, Confirmation und Ordination nicht wiederholt werden können, weil sie einmal für immer auf eine höchst religiöse Weise weihen: welche Weihung der Seele eine durchaus neue Verfassung mittheilt, welche nie wieder verschwindet, welche dem also Geweihten in ihren Folgen nachhängt, weil sie auf dem Grund seines tiefsten religiösen Lebens ruht und in das Princip seines geistigen Daseins selbst übergegangen, gleichsam an dieses geheftet ist.«

[2]) Cf. Gerbert de selectu theologico circa effectus sacramentorum c. 8 ss.; Lorinser de sacramentali charactere commentatio; Trombelli de baptismo t. 5 diss. 15 p. 3 q. c. 1; et de confirmatione t. 1 diss. 4 s. 2 c. 1; Stanonik KL. III, 65—71, qui valde bene de charactere disputat. Ex his autem patebit, quam inscite protestantes contendant, Innocentii III. auctoritate doctrinam de charactere primum fuisse in Ecclesiam introductam.

Ita Augustinus serm. 8 (Migne t. 46) n. 2: „Baptizatus in Ecclesia si fuerit desertor Ecclesiae, sanctitate vitae carebit, sacramenti signaculo non carebit . . . sicut desertor militiae caret legitima societate, non caret regio characteré.« — Cyrillus hieros. in suis catechesibus saltem quaterdecies sigilli in baptismo et confirmatione impressi mentionem facit, ac fere ubique hoc sigillum satis clare a ritu distinguit externo. In procatech. n. 16 illud recenset inter baptismi effectus; n. 17 ipsum dicit indelebile in secula; catech. 17 n. 26 docet illud impertiri animae; cat. 3 n. 4 statuit: „Uti corpus aqua mundat, ita animam obsignat Spiritus.«

c. Docent hujus characteris esse signatos secernere a non signatis, ut agnoscantur ab angelis, timeantur a daemonibus.

„In acie, inquit s. Basilius hom. 13 de bapt. n. 4 (cf. et n. 2), duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut et amici facile se invicem inclament, et si in conflictu fuerint cum hostibus commixti queant citra confusionem sejungi. Agnoscet te nemo, noster ne sis an hostium, nisi mysticis signis affinitatem ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo angelus vindicabit te? quomodo eripiat ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu: Dei sum, si notas et insignia non exhibeas? An ignoras exterminatorem domus signatas praeteriisse, in his vero, quae signatae non erant, primogenita occidisse (Ex. 12, 12 ss.)? Thesaurus non obsignatus diripi a furibus facile potest: ovi signo carenti tuto struuntur insidiae.« — Cyrillus cat. 17 n. 36 et cat. 1 n. 3: „Non dat (Deus) sancta canibus. Sed ubi probam conscientiam videt, illic salutare et admirabile sigillum confert, quod contremiscunt daemones et agnoscunt angeli: ita ut illi quidem fugitent abacti, hi vero ut cognatum et familiare circumplectantur. His ergo, qui spirituale illud ac salutare sigillum suscipiunt, opus est, ut proprium quoque studium adhibeant.« Loquitur autem hic de charactere plene spectato, quatenus gratiam adnexam habet (n. 277[6]). — Gregorius naz. or. 40 n. 4 varia baptismi nomina recensens testatur illum dici etiam „sigillum, quia conservatio est ac dominationis obsignatio. Huic gratulantur coeli, hunc angeli propter splendoris cognationem celebrant; hic beatitudinis illius imaginem gerit.«

d. Patres characterem passim cum tessera ab imperatore militibus imposita vel cum signo ovibus a pastore impresso conferunt.

Haec comparatio frequens est apud s. Augustinum. Ita contra Cresconium scribit I, 30 n. 35: „Neque propterea, inquit, mutandus est regius character in homine, si erroris sui veniam et militandi ordinem a rege impetravit, quia eundem characterem, quo sibi satellites congregaret, desertor infixit: aut propterea signa mutanda sunt ovibus, cum dominico gregi sociantur, quia eis dominicum signum fugitivus servus impressit.« Quod ita confirmat: „Circumcisionem certe praeputii in figura futuri baptismi Christi ab antiquis observatam esse negare, ut arbitror, non audetis. Numquid apud samaritanos circumcisus, si fieri tum vellet judaeus, posset iterum circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, signaculum autem fidei agnitum probaretur?« — Ad rem quoque Chrysostomus hom. 30 in Gen.: „Sicut illos circumcisionis signum divisit a reliquis gentibus et ostendit illorum ad Dominum familiaritatem: eodem modo in nobis circumcisio, quae per baptismum fit, accuratiorem in nobis distinctionem constituit et separationem fidelium a non fidelibus.«

Quibuscum cf. hom. 3 in 2. Cor. n. 7; hom. 2 in ep. ad Eph. 1, 12, ubi ait: »Charactere nos insignivit Deus ... signati etiam sunt israelitae, sed circumcisionis nota, ut pecora; sed nos ut filii signati sumus Spiritu sancto.« Epiphanius haer. 5 n. 16.

e. Quando igitur patres priorum quatuor seculorum sacramenta haec vocant sigillum [1]), signaculum salutare etc., ea testimonia intelligi debent secundum declarationes patrum sec. IV. et V., quorum doctrina manifeste est continuatio doctrinae aetatis praecedentis ejusque legitima interpretatio: hinc et illis insinuatur characteris impressio.

273. **4.** Expendantur 2. Cor. 1, 21: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit* (ὁ καὶ σφραγισάμενος) *nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;* Eph. 1, 13: *In quo* (verbo veritatis) *et credentes signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *Spiritu promissionis sancto;* 4, 30: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis* (ἐσφραγίσθητε) *in diem redemptionis;* in quibus textibus praeter gratiam et sancti Spiritus communicationem (quae in primis effectus est trium illorum sacramentorum), distincte obsignationis seu sigilli fit mentio. Quare haec testimonia possunt saltem intelligi de characteris alicujus impressione. Collata vero phraseologia ecclesiastica de tribus sacramentis perspicue innotescit, eam ex hisce Pauli verbis esse desumptam et ad ejus loquendi rationem expressam. Hinc ex phraseologia ecclesiastica praesto est canon externus hermeneuticus, cujus ope commemorata oracula rite enarrentur. Etsi ergo ex Scripturae verbis, adhibitis solis canonibus interpretationis grammaticis, doctrina de characteris impressione nequit evinci, potest tamen sufficienter demonstrari, eam doctrinam in divinis literis insinuari et contineri, si interpretatio ad normam intellectus catholici dirigatur, quem esse canonem interpretationis principem alibi demonstravimus (t. I. n. 126); eoque magis quod huic interpretationi nullus prorsus canon hermeneuticus internus adversetur.

274. **Corollarium.** A charactere objectivo, qui animae imprimitur, potest metonymice sacramentum denominari character, sigillum, sensu scil. activo et causali: sicut et sigillum significatione tam passiva quam activa adhiberi solet. Quo sensu patres quandoque baptismum, et hujus etiam formam, qua conficitur, characterem appellant. Quocirca nihil conficiunt protestantes, dum pluribus allatis Augustini effatis inferunt, s. doctorem ipsum baptismum vel hujus formam vocare characterem, quod ultro concedimus. Sed quaeritur, quare ita appellaverit baptismum. Atqui appellationis rationem ipse aperit tot aliis in locis, ubi manifesto docet, vi baptismi imprimi et inhaerere animae baptizati characterem. Quae animadversio prae oculis

---

[1]) Ita Cyprianus ep. 78 ad Jubajanum; l. 1 testimoniorum c. 8; Tertullianus de idol. c. 19; de bapt. c. 13; Cornelius ep. ad Fabianum (cf. infra in annot. ad n. 319); Hermas l. 3 similit. 8 n. 6; similit. 9 n. 6. 7.

habeatur ad explicandum textum nonnihil difficilem, qui legitur in ejus serm. ad caesariensis ecclesiae plebem n. 2.

275. Jam inquiramus in rationem et *naturam characteris* sacramentalis. Statuimus **1.** charaterem esse qualitatem quandam realem, quae animam ipsam afficit, non relationem tantum rationis et denominationem mere moralem et externam, deputationem ad sacras actiones, ut opinatur Durandus, vel respectum realem extrinsecus advenientem ipsi animae causatum a Deo in susceptione sacramenti initerabilis, ut censet Scotus in 4. Sent. d. 6 q. 10.

Hoc saltem post concilium trid. adeo est certum theologis, ut temerarium foret id negare: quod comprobant **a.** singula fere verba, quibus concilium characterem l. c. describit. Dicit illum signum, et quidem spirituale et indelebile animaeque impressum, quae praedicata de mera relatione vel denominatione externa valde improprie affirmantur. Id probant **b.** patrum effata, similitudines, quibus characterem describunt; munera, quae ei tribuunt, n. 272; probat **c.** theologorum scholae consensus; suadet **d.** et illud, quod Deus sit ens maxime reale, cujus operationes realia reliquunt vestigia, ut patet ex ejus amore, quo nos gratos habet, ex justificatione, adoptione, quae sine gratiae habitualis animae inhaerentis eamque penitus innovantis infusione non fiunt.

2. Characterem esse qualitatem supernaturalem, patet ex ejus causa supernaturali et ex connexione, quam habet cum gratia.

3. Eum consistere in quadam consecratione permanente a gratia distincta, passim docet Augustinus. Ita disserens de sacramentis baptismi et ordinis: „Utrumque sacramentum est, inquit contra ep. Parmen. II, 13 n. 28, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari;“ et de bapt. IV, 21 n. 29: „Usque adeo nemo debet in quolibet profectu interioris hominis, si forte ante baptismum usque ad spiritualem intellectum pio corde profecerit, contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur.“

Quam consecrationem patres alii aliis describunt verbis, ut cum docent (n. 272) charactere nos addici Christi familiae; illum esse ornamentum coeleste, quo agnoscamur ut pertinentes ad familiam Dei; imaginem et conformationem ad Dominum. Ita jam Theodotus auctor vetustissimus apud Clementem alex. († p. a. 217) in Excerptis n. 86: „Cum Domino numisma fuerit oblatum, dixit ille, non cujus illud juris est, sed, cujus est imago ac superscriptio (Matth. 22, 20)? Caesaris, ut cujus esset, illi daretur. Sic etiam fidelis, Dei nomen per Christum sibi superscriptum habet, Spiritum autem ut imaginem. Quin et muta animalia per signaculum ostendunt, cujus unumquodque pecus sit, atque ex signo hoc vindicantur. Sic etiam anima, quae fidelis est quaeque sigillum veritatis accepit, stigmata Christi secum portat.“ — Cyrillus alex. in Luc. 2, 22: „Sicuti circumcisus in Dei populum per id signum olim cooptabatur, sic baptizatus Christo in se sigilli instar recepto inter

filios Dei adscribitur.« — Et forte huc spectant verba Gregorii naz. or. 40 n. 10: »Dic signaculo fretus (diabolo tentatori): Ipse quoque imago Dei sum; nondum ut tu a superna gloria propter superbiam dejectus sum; Christo indutus sum; Christum mihi per baptismum vindicavi, tu me ipse adora.«

276. **4.** Porro in Christi familia triplex ordinum distinctio considerari potest, cui tres respondent characteres distincti. Sicut enim Christus est rex, propheta et sacerdos: ita pro triplici hoc munere respondet in mystico ejus corpore triplex fidelium status, subditorum simpliciter, certantium bonum certamen pro fide, et ministrantium in mysteriis et charismatibus redemptionis: atque ideo triplex est character et triplex consecratio per sacramentum, fidelium scil., confirmatorum et sacerdotum. Qua consecratione configurantur et conformantur Christo regi, prophetae, sacerdoti, ut apta reddantur membra in ejusdem corpore mystico atque participes functionum sacerdotalium capitis passive et active ad cultum Dei: sicut in corpore humano membra vi suae configurationis et structurae apta redduntur organa ad percipiendum influxum vitae exserendasquae animae vires.

Charactere nos configurari Christo, qui est secundum s. Paulum Hebr. 1, 3 *figura substantiae ejus* (Patris) χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, saepe inculcat doctor angelicus, ut 3. p. q. 63 a. 3 ad 2: »Character secundum propriam rationem characteris est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus, ad quod aliquis deputatur: sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum christianum, cujus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur. Unde proprie est character Christi.« Cf. q. 68 a. 1 ad 2; in 4 d. q. 1 a. 1 ad. 3; a. 2 q. 2. Plenius hanc consecrationem, relationem ad Christum et conformationem explicat Stentrup (de sacr. in gen. th. 19 mscr.) »Relatio, qua per characterem ad Christum referimur, monstrat, ipso nos ontologice consecrari, ut functionum, quas Christus Caput divino-humanum exercet, participes simus. Culmen autem et centrum harum functionum est sacerdotium Christi, quo hinc creaturae gratia obtinetur, inde Deo cultus infinitus praestatur. Charactere proinde destinationem adipiscimur, ut secundum utrumque hunc respectum sacerdotii Christi participes simus. Sub primo respectu ipsius participes esse possumus vel passive vel active; passive quidem, quum functionis Christi Capitis, quam in sacramentis exercet, effectum in nos recipimus, quod fieri nequit, nisi baptismo characterem membri corporis Christi acceperimus, quum sacramenta instar venarum corporis Christi mystici sint, ideoque receptionem in ejus organismum supponant [1]); active vero, quum ejusdem functionis Christi organum et instrumentum constituimur. Sub altero respectu sacerdotii Christi in primis et maxime participes sunt, quibus character ministrorum Christi

---

[1]) S. Thomas in 4. dist. 24 q. 1 a. 2 sol. ad qcl. 3: »Nihil potest aliquid recipere, cujus receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum: unde qui characterem non habet, nullum alterum sacramentum suscipere potest.«

impressus est, ac potestas sacrificium Christi conficiendi et offerendi facta est: tum altero propemodum loco ceteri quoque omnes, ut quibus charactere membrorum Christi datum est, idem sacrificium non quidem conficere, attamen ut vere ipsis proprium offerre. Per utrumque autem characterem destinatio oritur, ut qui insigniti ipso sunt, semetipsos Deo in holocaustum offerant.« Huic principio characterem natura sua esse signum potestatis sacra vel agendi vel recipiendi, ideoque sacerdotii Christi aliquo modo participati innititur scientifica characteris delaratio apud s. Thomam 3. p. q. 63, qui a 3. statuit, »sacramentales characteres nihil aliud esse quam quasdam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo (gradu tamen diverso) derivatas;« ideoque nonnisi in iis sacramentis imprimitur character, quae aliquam novam conferunt deputationem, potentiam seu idoneitatem spiritualem sive activam sive passivam, ut quis valide vel saltem ex officio excercere possit actionem sacram. Hinc etiam in Christo non est character, quia in ipso est sacerdotii plenitudo, non participatio tantum aliqua.

277. **5.** Quapropter character signum quidem est **a.** distinctivum [1]), non tam logicum, arbitrarium, ex divina institutione tantum, quam potius **b.** entitativum et ex sua natura, quia ex dictis **c.** Christo configurativum, qua ratione similitudo filii signum est originis suae a patre; hinc **d.** est signum constitutivum et dignificativum, et **e.** dispositivum, qua ratione ipsa membrorum configuratio ea apta reddit ad influxum capitis seu animae recipiendum ejusque virtutem exserendam; est demum signum **f.** obligativum seu consecrativum repraesentans hominem sub determinato aliquo respectu Christo devotum, consecratum, obligatum et ad eum speciali titulo spectantem. Huc forte referri possunt verba, quae Augustinus ep. 34 n. 3 tribuit catholico ad donatistas deficienti: »Vadam mihi ad eos, qui noverunt exsufflare gratiam, in qua illi (Ecclesiae) natus sum; destruere formam, quam in utero ejus accepi.«

6. Character ergo ordinem habet ad gratiam, quatenus Deus, quantum est ex se, dignitati et muneri spirituali gratiam semper connexam esse vult, ut ea bene, condigne, meritorie fungamur: ideoque character animae impressus dispositio est ad gratiam sicut organismus ad vitam, ordinemque etiam habet et congruam relationem tum ad obtinenda adjutoria interna, tum ad custodiam specialem bonorum angelorum et ad arcendas tentationes daemonum, ut satis clare colligitur e patrum effatis, qui characterem saepe considerant in actuali conjunctione cum gratia ac proinde *plene:* quocirca loquuntur de obsignatione per gratiam. »Character directe quidem et propinque, inquit s. Thomas 3.

---

[1]) S. Thomas in 4. d. 4 a. 2 q. 2 ad 2 obviam illam sibi proponit difficultatem: »Aut istud signum distinctionis fit propter hominem, aut propter Deum aut propter angelos. Non propter hominem, quia nec alii homines possunt cognoscere characterem, nec ipsemet, qui habet, percipit se habere: signum autem oportet esse notum; nec quoad Deum, qui sine hoc signo scit fideles ab infidelibus discernere; et similiter nec quoad angelos. Ergo illud signum distinctionis character non est.« Respondet vero: »Ad secundum dicendum, quod istud distinctionis signum est et propter ipsum hominem, qui suscipit, qui eo accipit distinctum posse ab aliis; et propter alios homines, qui eum admittunt ad spirituales actiones ex consignatione sacramenti exteriori interiorem perpendentes; et quoad Deum, qui ejus actionibus spiritualibus efficaciam praebet.«

p. q. 63 a. 4 ad 1, disponit animam ad ea, quae sunt divini cultus exsequenda: et quia haec idonee non fiunt sine auxilio gratiae (quia ut dicitur Joan. 4, 24: *Eos, qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet),* ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea, ad quae deputantur.« Huc referri possunt, quae scribunt Ambrosius (sup. n. 272[a]) et Cornelius ad Fabianum de Novatiano (XVII, 131): „Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent: neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere [1])?«

7. Subjectum characteris juxta verba conc. tridentini (n. 270) neque voluntas est, neque intellectus, sed ipsa anima: cui ille non mere extrinsecus adhaeret, sed quam intrinsecus afficit et Christo coaptat.

8. Circa characteris perpetuitatem saltem definitum est, characterem semel receptum in hac vita amitti non posse: theologorum vero sententia est communis eaque patrum conciliorumque locutionibus omnino conformis, quam respuere non licet, eum permanere etiam post hanc vitam et quidem, ut docet s. Thomas 3. p. q. 65 a. 5, „in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum confusionem: sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam: et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui sunt victi, ad poenam.“ Cf. Lugo d. 11 s. 45.

278. **Scholion I.** *De sacramentis V. T.* — Iis declaratis, quae ad sacramentorum novae Legis virtutem et effectus pertinent, jam facile dirimi poterit quaestio de differentia sacramentorum N. L. a sacramentis veteris Legis. Generatim affirmari potest:

1. sacramenta N. L. differre eo discrimine a sacramentis V. L., quo discrimine differt ab invicem utrumque testamentum. Distingui autem debet in toto vetere Testamento oeconomia spiritualis pertinens ad omnes gentes, cum ipsa origine humani generis inchoata, per Christum vero consummata; et oeconomia temporaria, particularis, restricta ad populum Israel, mosaica, quae tota erat prophetica seu potius typica: nam *omnia in figura contingebant illis* 1. Cor. 10, 11: cujus promissio erat hereditas terrena, terra lacte et melle manans, et sanctificatio haereditati respondens externa legalis, et, ut Paulus ait Hebr. 9, 13, emundatio carnis, ita tamen, ut hereditas et sanctificatio figura essent atque realis prophetia hereditatis et sanctificationis conferendae per magnum sacerdotem N. T.

---

[1]) Cf. Oswald Die dogmat. Lehre von den h. Sacramenten p. 7 c. 2, qui n. 3 occasione verborum Pauli *ut resuscites gratiam* 2. Tim. 1, 6 notat: „Liegt nicht darin, dass, wenn auch die Gnade der Weihe selbst sich mindern und erlöschen sollte. dennoch ein Substrat derselben bleibt, das stets vorhanden, nur wieder erweckt zu werden braucht? Das wäre dann der Charakter.« Cf. Franzelin th. 13; Scheeben Mysterien des Christenth. § 84, et aliorum theologorum scholae doctrinam apud Schäzler Lehre von der Wirks. der Sacr. § 17 s.

Huic ergo rationi veteris oeconomiae seu Testamenti propriae respondebat propria rituum et sacramentorum ratio. Erant quippe signa demonstrativa et causae justitiae legalis et per hanc signa prophetica Salvatoris venturi sanctitatisque verae per ipsum conferendae, non autem erant causae gratiae collatae. Contra vero sacramenta N. T. sunt **a.** signa demonstrativa gratiae; **b.** signa practica, quae efficiunt, quod demonstrant; **c.** commemorativa passionis Christi, hujus virtute efficacia; **d.** prognostica vitae aeternae, ad quam jus conferunt.

Hoc discrimen probatur praeterea ex instructione Eugenii IV. pro armenis, in qua legimus: »Illa (sacramenta V. L.) non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt.« — Hinc Augustinus in Ps. 73 n. 2: »Lex per Moysen data est, gratia et veritas per J. Christum facta est. Si enim discernimus duo Testamenta vetus et novum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa, eadem tamen pleraque praecepta . . . Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.« Quapropter Paulus ritus, ideoque et sacramenta mosaica, vocat *exemplar* et *umbram* Hebr. 8, 5; 10, 1; *parabolam* 9, 9; *infirma et egena elementa* Gal. 4, 9. — Quod praeclare expressit Bruno astensis hom. in sabb. post dom. 1 Quadr., qui distinguens secundum Hebr. 9 tria tabernacula ita disserit: »Primum igitur tabernaculum est synagoga, secundum Ecclesia, tertium coelum: primum in umbra fuit et figura: secundum in figura est et veritate, tertium in veritate sola; in primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur: non enim sacramenta Ecclesiae ut sacramenta synagogae medicinam docent et ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina et remissio peccatorum.« — Huc referri quoque potest illa distinctio Ambrosii de officiis l. 1 c. 48 n. 238 et in Ps. 38 n. 25: »Primum igitur umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas; umbra in lege, imago vero in Evangelio, veritas in coelestibus. Umbra Evangelii et Ecclesiae congregationis in lege; imago futurae veritatis in Evangelio, veritas in judicio Dei.« Cf. de hac distinctione Perpétuité de la foi t. 2 l. 6 c. 10 s. Thomas 1. 2 q. 101 a. 2; c. gentes IV, 57; Becanus Anal. V. et N. T. De habitu N. T. ad V. praeclare disputat Humbertus card. adv. graecorum calumnias n. 38 ss. Migne 143, 950 ss.; Franzelin th. 2.

2. Si quaeritur, num sacramenta V. L. (seposita interim quaestione de remedio naturae et circumcisione) contulerint gratiam ex opere operato, negandum id omnino est: quamvis non negemus, potuisse ea prodesse ad salutem ita, ut qui illis uterentur, gratiam consequerentur ex opere operantis: nam sane excitabant fidem, fovebant spem, poenitentiae spiritum atque fervorem.

3. Si ergo propria ratio generica sacramenti in eo est, ut sit sanctificationis signum, sine dubio univoce sacramenti ratio convenit tam sacramentis V. L. quam sacramentis N. T., ita tamen ut ab invicem differant specie. Si autem propria ratio sacramenti ponitur in eo, quod sunt

causae sanctificationis, sacramenta V. T. analogice tantum sacramenta appellantur; nam sacramenta N. L. causant sanctitatem veram: sacramenta vero V. L. causabant tantum verae sanctitatis umbram et figuram, sanctitatem scil. legalem; illa faciunt hominem sanctum, haec reddebant eum tantum sacrum. Cf. s. Thomas 1. 2 q. 103 a. 2. Non deest tamen ratio, sub qua dici possint univoce sacramenta: nam etsi sanctitas analogice tantum dicitur de sanctitate legali, possumus tamen a sacramentorum utriusque T. effectu abstrahere conceptum univocum et communem sanctitatis, qui significari potest nomine consecrationis aut dedicationis et conjunctionis peculiaris cum Deo. Atqui sacramentis utriusque Testamenti ejusmodi consecratio respondet. Utrique ergo ritus univoce dici possunt sacramenta, si sacramenti nomine intelligitur ritus sanctitatem significans et suo usu consecrans homines.

4. De circumcisionis virtute et efficacia, tres sunt sententiae. Prima eaque teste s. Thoma 3. p. q. 70 a. 4 fere communis, affirmat, circumcisione datam fuisse gratiam ex opere operato vel ex infallibili decreto et promissione divina, ita Alexander halensis, Bonaventura, Valentia, Suarez, Pereira etc. Praecipuum fundamentum est auctoritas s. Augustini, quem plures scriptores posteriores sequuntur, quique innititur in primis Gen. 17, 14, et auctoritas Innocentii III., qui atfirmat, baptismum circumcisioni successisse. — Sententia altera est plane contraria, quam tuentur Bellarminus, Canus, Vasquez et, ut videtur, Thomas 3. p. q. 62 a. 6 ad 3; q. 70 a. 4, qui provocant ad Scripturae effata, quae generatim ritus mosaicos, non exclusa circumcisione, egena et infirma vocat elementa: ad patres haud paucos, qui omnem circumcisioni abnegant virtutem atque inculcant, eam tantum fuisse datam ad discernendos judaeos a gentilibus; ad concilia florentinum et tridentinum, quae de omnibus sacramentis V. T. negant, quod gratiam contulerint; qui urgent et illud circumcisionem potuisse tantum applicari pueris etc. — Tertia sententia est media, quam ita enunciat Lugo d. 5 s. 3: »Asserimus, circumcisionem ex sua institutione nullam vim habuisse justificandi vel tollendi peccatum originale, sed solum fuisse datam in signum et characterem populi judaici ac fidelis, ut docet secunda sententia, quam auctoritas Scripturae, conciliorum et patrum videtur omnino confirmare: cum hoc tamen stat, quod in circumcisione et per circumcisionem parvuli regulariter justificarentur: quia remedium legis naturae, quod applicari debebat aliquo signo externo, quod esset protestatio fidei internae de Christo venturo (cf. n. 251[2]), regulariter etiam applicabatur per ipsam circumcisionem, ut una et eadem actione duplici praecepto satisfieret.« Utrumque proinde verum est, et caeremonias Legis non excepta circumcisione in se fuisse egena et infirma elementa Gal. 4, 9, praesertim si considerentur in sua ad sacramenta N. L. oppositione et tamquam figurae atque umbrae; et »originalem culpam remissam fuisse per circumcisionis mysterium,« ut ait Innocentius III. cap. »Majores« l. 3. decr. tit. 42 c. 3. Huc refer verba S. Thomae lect. 2 in ep. ad Rom. c. 3: »Melius dicendum est, quod circumcisio ex ipso opere operato non habebat virtutem effectivam neque quantum ad remotionem culpae, neque quantum ad operationem justitiae, sed erat solummodo justitiae signum, ut

hic Apostolus dicit (v. 11): sed per fidem Christi, cujus circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale et conferebatur auxilium gratiae ad recte agendum.« Quod brevius 3. p. q. 70 a. 4 ita expressit, gratiam tunc fuisse collatam »ex fide significata, non ex circumcisione significante.« Cf. Schmalzl die Sacramente des A. B. Eichstadii 1883.

5. Si quaeras, num saltem remedium naturae et circumcisio, in hypothesi quod vices gereret remedii naturae, gratiam conferrent ex opere operato, respondet Suarez disp. 10 s. 2: »Quamvis suppositis his, quae in superioribus dicta sunt, quaestio haec videatur ad modum loquendi pertinere, nihilominus hic modus loquendi magis probandus est, ut non simpliciter asseramus, circumcisionem vel sacramentum legis naturae contulisse gratiam ex operoperato: sed interdum eis datam esse praeter opus operantis solum ob speecialem necessitatem, cui divina providentia non statuit aliter subvenire, quae necessitas in parvulis tantum accidebat.« Paulo secus respondet Lugo, secundum quem naturae remedium vel circumcisio fuit tantum conditio, qua posita Deus movebatur ad dandam gratiam, non propter ipsam, sed propter promissionem suam et propter merita Christi futura, quae erant causa moralis gratiae qua tunc conferendae. Quare accuratius dicetur gratiam fuisse collatam infantibus in circumcisione quam per circumcisionem.

279. **Scholion II.** *De sacramentalibus.* — Juverit quaedam advertisse circa sacramentalia: quod nomen primum videtur adhibuisse Alexander halensis († 1245). Sacramentalium nomine intelliguntur caeremoniae et ritus ab Ecclesia instituti, qui vel ordinantur ad sacramentorum confectionem et administrationem [1]), sive ritus et res ab eadem benedictae atque destinatae in spiritualem fidelium utilitatem, quae quandam cum sacramentis analogiam habent: differunt tamen auctore, effectu principali et operandi efficacia. Jam vero

1. certum est, fideles, praesertim justos, sacramentalium usu gratiam merere vel impetrare ex opere operantis: multiplicis enim virtutis exercitio occasionem praebent, atque ita pietatem fovent eorumque promovent salutem. Praeterea tamen

2. specialis virtus spiritualis illis debet adscribi, alioquin ea non distinguerentur a reliquis bonis operibus justorum.

3. Haec vero virtus propria et immediata neque est **a.** collatio gratiae sanctificantis ex opere operato, alioquin sacramentalia essent sacramenta; neque **b.** collatio gratiae actualis ex opere operato, cum sacramentalia applicentur etiam hominibus usu rationis destitutis, animalibus, rebus inanimatis, nec Ecclesia possit ita disponere de gratiarum elargitione. Merito tamen sperari potest, Deum intuitu orationis Eccesiae

---

[1]) S. Thomas suppl. q. 29 a. 1: »Sacramentum dicitur illa actio Ecclesiae, quae attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio, quae quamvis non pertingit ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem.«

eadem instituentis impertiri varia beneficia et gratiae auxilia iis pie utentibus. Neque **c.** sacramentalium effectus proprius remissio est peccati mortalis, neque **d.** venialis, nisi mediantibus actibus, ad quos illa auxilio gratiae juvant (cf. Thomas 3. p. q. 87 a. 3); neque **e.** remissio poenae temporalis, quae non remittitur nisi praecesserit vel condonatio culpae, vel aliqua satisfactio, vel per indulgentias, quae quidem sacramentalium usui adjungi subinde solent, sed plane ab illis distinguuntur.

4. Quis sit eorum effectus proprius, optime colligitur ex ipso Ecclesiae usu et orationibus, quae ab ea in plerisque consecrandis vel adhibendis funduntur. Ex hisce vero assequimur, sacramentalium efficaciam maxime (non unice) dirigi adversus daemones, qui circumeunt quaerentes quem devorent (1. Petr. 5, 8), et contra eorum potestatem, incursus, infestationes, impugnationes, quibus nituntur hominibus immediate vel mediate, directe vel indirecte in anima, corporibus, bonis externis nocere. Hinc Ecclesiae benedictione et consecratione creatura quadamtenus per quandam anticipationem liberatur a maledicto, cui obnoxia peccato facta est, et redditur instrumentum benedictionis et salutis.

5. Haec autem efficacia adversus daemones triplici innititur titulo: **a.** virtuti impetrationis Ecclesiae sacramentalia instituentis; **b.** potestati speciali Ecclesiae datae adversus daemones, qui ei cedere ex Christi obligantur voluntate; **c.** ipsi crucis et nominis Christi virtuti, quae invocatur, dum conficiuntur vel adhibentur.

6. Virtus vero sacramentalibus insita non est infallibilis; quatenus tamen independens est ab opere operantis et innititur dignitate et auctoritate Ecclesiae, participat aliquid de efficacia ex opere operato [1]).

Articulus I.

De sacramentorum causis.

280. *De materia et forma.* — Sacramentorum causa finalis est hominum justificatio (n. 267); exemplaris ipsum Verbum incarnatum ejusque operationes θεανδρικαί (n. 245[3]). Ad causam intrinsecam revocamus materiam et formam, de quibus haec teneantur:

1. Inductione, perpetua Ecclesiae traditione, imo et Scripturae oraculis Matth. 28, 19; Act. 8, 15; Jac. 5, 14 s. etc. (n. 255 [1]) liquet, N. L. sacramenta rebus vel actibus et verbis perfici, cujus institutionis congruentiam exponit s. Thomas 3. p. q. 60 a. 6. Atqui **a.** habitus, qui est con-

---

[1]) Cf. Augustinus l. 83 qq. q. 70 n. 4 et generatim de hoc argumento Suarez d. 15 s. 4; Lüft Liturgik II, 451 ss.: Katholik 1865 II, 525 ss.: Oswald, die k. Lehre von den heil. Sacr. I, 15 s.; Probst, Sacramente und Sacramentalien in den 3 ersten christl. Jahr. p. 1; Schanz § 5.

cursus duorum ad unam componendam significationem, quorum **b.** unum est imperfectum in significatione et indifferens ad plura: alterum vero perficiens, determinans ad unam significationem; quorum **c.** imperfectum supponitur ut prius, perficiens vero accedit: hujusmodi, inquam, habitus apte designatur nominibus materiae et formae: eoque magis, quod hic loquendi modus jam a sec. XII. (auctore in primis Guilelmo antissidorensi † 1223) theologis sit communis, confirmatus a concilio trid. sess. 14 c. 2 et 3 et ab Eugenio IV. in instruct. pro armenis: „Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum."

2. Materia alia dicitur *ex qua* scil. ex qua constat ritus sacramentalis, et de hac nunc loquimur: alia *circa quam* scil. versatur actio sacramentalis, ut in eucharistia substantia panis et vini, quae consecratione cessat, et in sacramento poenitentiae peccata quae delentur. Porro materia ex qua alia est remota, ubi elementum aliquod actione applicari debet, ut efficiatur sacramentum, ita aqua in baptismo, quae ablutione corpori applicanda est, ut cum forma constituat sacramentum: alia est proxima, scil. ipsum elementum seu applicatum sive applicatio elementi, ut aquae infusio in baptismate.

3. Si ratio signi non secundum physicam, sed secundum metaphysicam compositionem spectatur, seu si non ipse ritus visibilis, sed totum sacramentum, quatenus est signum significans, efficax, practicum, consideratur, tunc ad materiam referendum est, quidquid in ritu est visibile et sensibile: ipsa autem significatio, quae ex institutione Christi ritui competit, et virtus, quae illi inest, rationem habent formae.

4. Ad solvendas difficultates scias **a.** nomen materiae hac in quaestione non accipi sensu physico, sed sensu philosophico; ideoque **b.** de ratione materiae sacramentalis necessarium non esse, ut ea sit res materialis et palpabilis: sufficit enim, ut sit elementum minus determinatum, ad plura indifferens, quod alterius accessu magis determinatur et perficitur; quare etiam actus sensibili modo manifestati rationem habere possunt materiae, ut in sacramentis poenitentiae et matrimonii. Ad rationem vero formae **c.** sufficere, ut verba habeantur vel formaliter vel aliquoties aequivalenter (ut sunt nutus), et **d.** ut inter materiam et formam distinctio habeatur saltem virtualis. Ita in matrimonio eadem verba vel iidem actus rationem habent materiae, quatenus mutua sunt traditio seu eam significant: et simul rationem habent formae, sub alio tamen respectu, quatenus mutua sunt acceptatio seu hanc significant et eatenus obligationem inducunt contractumque perficiunt et consummant. Ideoque **e.** cavendum esse, ne nimis facile ex compositis naturalibus, quae materia et forma constant physica, judicium feratur de sacramentis, quae non sunt composita naturalia, sed artificialia pendentia ab arbitrio institutoris; quocirca compositionis ratio non est eadem, sed analoga tantum et remota.

281. **Scholion I.** Celebris est distinctio, qua theologi scholae cum Magistro sententiarum in 4. dist. 22, s. Thoma in 3. p. q. 84 a. 1 ad 3, Scoto in 4. d. 8 q. 1 a. 1 in sacramentis distinguunt aliquid, quod est sacramentum tantum; aliquid, quod res tantum, et aliquid, quod res simul et sacramentum. De qua haec nota: **1.** hanc distinctionem primum forte clare innui ab Hugone a s. Victore l. 2 de sacr. p. 8 c. 7; q. 85 in 1. Cor.; sentent. tr. 6 c. 3; Stephano augustodunensi, qui eodem tempore floruit (Mig. 172, 1295, si tamen ipsius est ille tract.) cum nonnullis aliis ejusdem aetatis, et ab Innocentio III. in cap. ‚cum Marthae' de celebratione missarum; qui tamen **2.** haec tantum in sacramento eucharistiae distinguunt; scholastici vero ea in omnibus sacramentis invenire et assignare laborant. Nomen autem **3.** sacramenti in hac distinctione accipi latius, pro signo scil. pertinente ad sacramentum, quamvis non sit pars constituens sacramentum: ita character secundum eam res et sacramentum dicitur, quia est signum. Rursus quando aliquid appellatur sacramentum tantum, non est sensus, quod in illo solo consistat tota ratio sacramenti proprie dicti, sed quod illud ita sit signum, ut non sit simul res significata. Hoc ergo loquendi modo **4.** distinguunt theologi in sacramentis aliquid, quod significat et non significatur, et hoc appellant sacramentum tantum; aliquid, quod significatur et non significat, et hoc vocant rem tantum; denique aliquid, quod significat et significatur, et hoc appellant rem simul et sacramentum. Ita **5.** in eucharistia species sunt sacramentum tantum, quia significant corpus Christi et gratiam, ipsae vero non significantur: gratia vero est res tantum, quae significatur et non significat. Denique corpus Christi est sacramentum simul et res, quia significat gratiam et significatur a verbis et a speciebus. Quod vero **6.** alia sacramenta attinet, praesertim poenitentiam, magis in hisce elementis assignandis laborant et etiam inter se dissentiunt theologi. **7.** In sententia eorum, secundum quos sacramenta gratiam non causant efficienter perfective actione sua pertingendo immediate ad ipsam gratiae substantiam, sed solum dispositive inducendo titulum exigitivum gratiae haec distinctio maximi est momenti. Hinc scribit Billot in schol. ad th. 6: „De re et sacramento pauca admodum habent moderni. Vix tamen in praesenti materia aliquid reperies quod majus momentum habeat et magis necessariam lucem afferat plerisque obscuritatibus passim inibi occurrentibus." Cf. Lugo disp. 2 sect. 8: Scheeben, Mysterien des Christenthums § 83.

282. **Scholion II.** Adversus protestantes tenendum est, in sacramentis verba, quae rationem habent formae, non esse concionatoria, sed consecratoria. Et sane protestantium opinio falso innititur supposito. Ideo enim opinantur, verba sacramentalia esse concionatoria, quod sacramenta unice referantur ad excitandam roborandamque fidem sintque adminicula praedicationis verbi divini: quod falsum esse demonstravimus th. 208 seq. Deinde falsitas hujus asserti evidens est ex paedobaptismo, ex praxi administrandi sacramenta etiam surdis, coecis, sensibus destitutis; ex rata sententia, haereticorum quoque valere baptismum etc. Verba vero sacramentalia esse consecratoria, passim testantur patres. „Deus adest, inquit Augustinus de bapt. l. 6 c. 25, evangelicis verbis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest: et ipse sanctificat sacramentum suum." — Ambrosius de sacr. l. 4 c. 4: „Ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi." — Cyrillus

hieros. cat. 3 n. 3: „Aqua simplex sancti Spiritus, Christi et Patris invocationem percipiens vim sanctificationis consequitur.“ In Scriptura vero, cum mentio fit verborum, quibus sacramenta conficiuntur, ut 1. Cor. 10, 16; Act. 22, 16; Matth. 28, 19 etc., ea exhibentur qua benedictio, invocatio, oratio. Atqui benedictionis, orationis, invocationis est consecrare. Ceterum id patet vel ex sacramentorum administratione. Si enim ad sacramenti valorem requiritur verbum, idque non est concionale sive institutio aliqua: reliquum est, ut sit vel verbum invocationis vel verbum determinans elementum materiale indeterminatum ad esse sacramentale hinc consecrans, secundum illud Augustini in Joan. tr. 80 n. 3: „Verbo baptismus consecratur. Detrahe verbum et quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.“ Hinc de bapt. V, 20: „Quomodo, inquit, homicidam exaudit (Deus) deprecantem vel supra aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam vel super capita eorum, quibus manus imponitur?“ — Quod ita etiam expressit Hugo a s. Victore de sacr. leg. nat. et scr. (Mig. 176, 35): „Sacramenta gratiae per invocationem Trinitatis sanctificationem in se suscipiunt, ac deinde sanctificationem conferunt, ut sint ex sanctificatione sanctificantia.“ Confirmatur assertio etiam monumentis antiquitatis quae in sacramentorum administratione verba exhibent consecrationis, invocationis, benedictionis, orationis.

283. Frustra vero protestantes pro suo errore provocant ad s. Augustinum, praesertim ad ejus tract. 80 in Joan. Nam **a.** Augustinus certe admisit baptismum infantium, in quo inepte somniatur de verbo concionali; admisit baptismum ab haereticis collatum, in quo verbum concionale esset plane noxium; urget catechumenos sane jam credentes ad baptismi susceptionem. **b.** Ipse l. c. totus est in eo, ut ostendat occasione verborum Christi: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis* J. 15, 3, mundationem omnem immediate vel mediate a verbo oriri: hinc loquitur modo de verbo concionali, modo de sacramentali, quod utrumque mundat, aliter tamen atque aliter: illud mediate, hoc immediate. Cum vero **c.** quaerit n. 3: „Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat? et respondet: „Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur;“ se ipsum explicat subjiciens: „Nam et in ipso aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.“ Negat scil. verbo hanc competere efficaciam, quatenus percipitur auribus et sonus est aëris, sed illam vindicat verbo ratione virtutis sub illo latentis et per illud tamquam per formam se manifestantis, quae non attingitur sensibus, sed fide percipitur, quaeque vim suam non exserit nisi in animam credentem, si baptizandus est adultus.

284. Haec sufficiant de sacramentorum materia et forma. Jam ad eorundem accedamus auctorem et ministrum: qua in re tenendum est, Deo competere potestatem auctoritatis, Christo potestatem excellentiae, Ecclesiae auctoritatem dispensandi, ministris simplex ministerium. Potiora de hoc argumento aliquot illustrabimus thesibus.

285. **Thesis CCXI.** ***Christus Jesus omnium sacramentorum N. L. est auctor, et quidem non tantum mediate et auctoritate apostolis concessa, sed immediate et per sese.***

Declaratio. Deum solum esse principem sacramentorum auctorem auctoritate prorsus independente et a qua omnis alia pendet auctoritas, per se patet. Ille enim solus esse potest auctor sacramentorum auctoritate suprema, cujus est jure proprio et non derivato pro nutu gratiam distribuere, peccata remittere, in Dei adoptare filios. Hic vero est Deus tantum. Etsi autem Christo homini, qua homo est, talis non competit auctoritas, ei tamen relate ad sacramenta ejusmodi tribuenda est potestas, quae longe excellat cujuslibet creaturae potestatem, quam propterea etiam theologi potestatem excellentiae appellant. Sane certum est, Christum esse omnium hominum redemptorem, qui pro peccatis totius mundi plenissime satisfecit gratiamque nobis promeruit; ipsum esse Ecclesiae caput, e quo omnis gratia dimanat in membra Joan. 1, 16: *De plenitudine ejus omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia* (t. I. n. 208); summum sacerdotem, sponsorem et mediatorem N. T. eique datam esse omnem potestatem in coelo et in terra, praesertim in hominum salutem: ideoque ab ipso pendere meritorum suorum applicationem, gratiae, quam ipse promeruit, distributionem collationemque per media, quae nonnisi ejus nomine et auctoritate administrantur. Matth. 28, 18 s.: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos;* 2. Cor. 5, 18 ss.: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis . . . Pro Christo ergo legatione fungimur.* Cf. Jo. 1, 33; 20, 21; Act. 4, 12; Eph. 4, 15 s. etc.

Merito hinc colligit s. Thomas potestatem excellentiae consistere in quatuor: „Primo quidem in hoc, quod meritum et virtus passionis Christi operatur in sacramentis. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud ad Rom. 3: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius,* quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur; ideo secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet, quod in ejus nomine sacramenta sanctificantur; et quia ex ejus institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituere sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum sine exteriori sacramento conferre (in Jo. 1 lect. 14).“ Cf. 3. p. q. 64 a. 3; Stentrup th. 124.

286. **Demonstratio.** Christum non solum mediate omnia instituisse sacramenta, quod saltem de fide est secundum concilii trid. sess. 7. can. 1: „Si quis dixerit, sacramenta N. L. non fuisse omnia a J. Christo D. N. instituta . . . A. S.;“ sed etiam immediate, ita certum est post idem concilium, ut forte nullus theologorum sit, qui id vel neget vel negari posse concedat: quamvis inter se disputent, num immediata sacramentorum institutio definitione tridentina comprehendatur, et quantum in singulis

sacramentis quoad materiam et formam accuratius determinandam permissum sit Ecclesiae arbitrio.

1. Institutio immediata colligitur ex can. citato, quo definitur sacramentorum institutio per Christum; atqui de institutione mediata nemo unquam dubitavit; dubium vero inter theologos exstitit de institutione immediata. Quare, ne canon sit plane inutilis, de institutione immediata est omnino intelligendus; quod etiam sensus ipse canonis obvius exigit. Quando enim aliquis rei cujusdam dicitur institutor, semper id solet intelligi de institutore immediato. Nemo enim dixerit Christum institutorem festorum, jejuniorum, indulgentiarum etc., quas Ecclesia auctoritate ab ipso accepta instituit. Hinc

2. si concilium Christo voluisset mediatam tantum asserere sacramentorum institutionem, caeremoniarum quoque institutionem ei tribuisset, quas Ecclesia pro potestate a Christo sibi tradita constituit. Atqui harum institutionem tribuit Ecclesiae, cui denegat omne jus circa sacramenti substantiam sess. 21. cap. 2. Ergo canon non de mediata, sed de immediata sacramentorum intelligi debet institutione.

3. Cum maxime dubia erat immediata extremae unctionis per Christum institutio, hanc diserte sess. 14 can. 1 ipsi asserit. A fortiori ergo aliorum sacramentorum immediatus censendus est auctor. Hinc

4. in antiquitate altum de sacramenti alicujus per Ecclesiam institutione silentium, neque unquam Ecclesia eam sibi vindicavit. Quare confidenter auctor op. de sacramentis IV, 4: „Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? de coelo ista sacramenta venerunt."

5. Denique non desunt rationes congruentiae pro immediata per Christum sacramentorum institutione: **a.** ne in alio spem nostram collocaremus, si alterius nomine sacramentum ministraretur (cf. 1. Cor. 1, 12 ss.), quam rationem post Augustinum (cf. n. 289[2]) proponit Thomas l. c. a. 4 ad 1; **b.** ut esset magis stabilis et firma unitas ritualis non habente Ecclesia potestatem mutandi sacramenta quoad substantiam; **c.** decuit, ut Christus Ecclesiae auctor et caput ejusdem fundamenta praecipua ipse poneret; **d.** exigit hoc ipsa sacramentorum dignitas, quae non essent amplius actiones Christi vicariae, si humanae institutionis, ideoque dignitatis minoris, prae se ferrent speciem.

287. **Corollarium.** Eo ipso autem, quod Christus immediatus fuit sacramentorum auctor, sequitur eum illorum quoque substantiam i. e. materiam et formam sacramentorum determinasse. Verum hoc non obstante licet tueri, eum in nonnullis quidem sacramentis materiam et formam accurate seu ut dicunt in specie infima determinasse, in aliis in genere tantum, adeo ut Ecclesiae permiserit arbitrio, eam accuratius constituere. Nisi enim quandam institutionis latitudinem admittimus, et si omnia, quae materiam formamque spectant, a priori ex quibusdam congruentiis et subtilibus considerationibus definire volumus, in graves incidimus difficultates ex ipsa historia administrationis sacramentorum petitas. Cf. Billot th. 2.

288. **Thesis CCXII.** ***Sacramentorum valor non pendet a sanctitate vel fide ministri.***

Declaratio. Reliquum est ut aliqua dicamus de causa ministeriali seu de ministris, per quos sacramenta hominibus administrantur. Hos esse homines ex universa colligitur revelatione et praxi christiana. Imo soli homines ordinario illorum sunt ministri, cujus institutionis hanc reddit s. Thomas rationem in 4. d. 5 q. 2 a. 3 qcl. 1 sol. 1: „Dispensatio sacramentorum non est concessa nisi hominibus, qui conveniunt cum Verbo incarnato, a quo sacramenta fluxerunt, in natura assumpta et etiam cum sacramentis, in quibus est spiritualis virtus in corporeis elementis sicut et homines ex natura spirituali et corporali compositi sunt." Non vero omnes homines omnium sacramentorum sunt ministri, sed alii pro aliis, ut de singulis agentes videbimus. Hic ea tantum attingemus, quae omnibus ministris, quicunque ii demum sint, communia sunt. In primis ergo notetur, virtutem conferendi gratiam ipsi inesse ritui seu signo sacramentali (n. 258). Hinc cum sacramenta per homines sint ministranda, per illos scil., qui pro Christo legatione funguntur, potestas vicaria ministri immediate pertinet ad ponendum ipsum signum, quatenus est sacramentale et efficax gratiae, mediate ergo tantum i. e. per ipsam videlicet actionem sacramentalem pertinet ad gratiae collationem: ideoque minister eatenus tantum causa est gratiae, quatenus potestate sibi a Christo collata sibique inhaerente utitur ad ponendum signum efficax gratiae. Quod cum em. card. Franzelin aliter etiam enunciari potest: Minister potestatem habet remittendi peccata gratiamque conferendi non immediate et absolute, sed quatenus habet potestatem tamquam Dei legatus ponendi actiones sacramentales, quae eo ipso, quod fiunt a ministro tamquam legato, actiones sunt Christi et Dei, et ideo efficaces gratiae et remissionis peccatorum. Thomistae tamen fere unanimes tuentur ministrum non solum mediate i. e. non solum positione ritus sacramentalis concurrere ad collationem seu productionem gratiae, sed immediate et physice efficienter, adeo ut sacramentorum effectus pendeat immediate ab ambobus (ritu et ministro) tamquam a constituentibus unum instrumentum completum et totale, quod subinde influit uno influxu attingente indivisibiliter effectum [1]). Jam autem quaeritur, quid in ministro praeter potestatem ministerialem insuper requiratur ad confectionem sacramentorum validam (nam de conditionibus requisitis ad licitam disputent moralistae). Et primum in hac thes. statuemus contra varios haereticos, quid ut absolute necessarium non requiratur.

---

[1]) Ita Salmanticenses de sacr. in conc. disp. 7 d. 6 n. 110, XVII, 568. Cf. Morgott Der Spender der hl. Sacr. sect. 1 c. 2; Friburgi 1886.

289. **Demonstratio p. I.** Sacramentorum valorem non pendere a ministri probitate, dogma est fidei statutum jam olim contra donatistas, dein contra waldenses ab Innocentio III. in prof. fidei ipsis praescripta, contra plures sectas medii aevi, ut petrobrussianos, henricianos, albigenses, catharos, contra wicleffitas in damnatione prop. 4 etc., contra quos omnes est concilii trid. sess. 7 can. 12: „Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S.“

1. Praecipuum pro dogmate argumentum petitur ex Ecclesiae praxi valide contra donatistas tot operibus a s. Augustino defensa, non iterandi sacramenta a peccatoribus sive occultis sive publicis collata.

2. Colligitur haec veritas ex doctrinae capite ea occasione sive diserte sive aequivalenter propugnato, sacramenta propria constare sanctitate eorumque principem administratorem esse Christum: ex quo inferunt patres, eorum valorem independentem esse a ministri sanctitate.

„Dedit Judas (baptismum), inquit Augustinus tr. 5 in Jo. n. 18, et non baptizatum est post Judam; dedit Joannes (Baptista), et baptizatum est post Joannem: quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi etiam per Judae manus datum baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte praeponimus . . . Quos baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem Judas baptizavit, Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat* (Joan. 1, 33).“ Quod iterum fuse inculcat tr. sequenti, ubi inter alia n. 6 scribit: „Per hanc potestatem, quam Christus solus sibi tenuit et in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, per hanc stat unitas Ecclesiae . . . Si enim, ut jam dixi, fratres mei, transferretur potestas a Domino ad ministrum, tot baptismata essent, quod ministri essent et jam non staret unitas baptismi.“ — Ambrosius de Spiritu s. prol. n. 18: „Non mundavit Damasus, non mundavit Ambrosius, non mundavit Gregorius: nostra enim servitia, sed tua sunt sacramenta. Neque enim humanae opis est divina conferre, sed tuum, Domine, munus et Patris est, qui locutus est per prophetas dicens: *Effundam de Spiritu meo* (Joel 2, 21 s.);“ de mysteriis n. 27. — Absolvimus verbis Chrysostomi hom. 86 al. 85 in Joan.: „Neque angelus, neque archangelus in iis, quae a Deo data sunt, aliquid efficere potest, sed Pater et Filius et Spiritus s. omnia administrat. Sacerdos vero linguam suam commodat, manum porrigit.“ Lege et Optatum V, 2. 3. 4; cf. n. 260.

3. Patres assertionem nostram multiplici etiam illustrant similitudine. Quamadmodum enim verbum Dei etiam cum fructu ab improbis ministris annunciari, semen sordidis etsi manibus satum fructificare, aqua per canales etiam lapideos et ferreos derivata irrigare, sigillum quoque ferreum regis imprimere imaginem, medicus per membra infirma medici-

nam salutarem praebere potest: ita quoque sacramentorum virtus independens est a ministrorum probitate.

Quare Anastasius II. ep. 1 (ed. Thiel) c. 7 hac de re egregie disputans ad cognominem scribit imperatorem: „Nam et baptismum, quod procul sit ab Ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum: quia vox illa, quae per columbam sonuit, omnem maculam humanae pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur: *Hic est qui baptizat in Spiritu et igne* (Luc. 3 16). Nam si visibilis solis istius radii, cum per loca foetidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur“ etc. — Eadem similitudine e solis radio petita utitur et Nicolaus I. in ep. 97 resp. ad bulgarorum consulta n. 71, et P. Damianus opusc. 6 c. 12, ubi cum Augustino notat: „Per hoc enim unitas Ecclesiae stat, quia Christus apud se consecrandi virtutem tenuit, et in neminem ministrorum consecrationum jura transfudit.“ Cf. s. Thomas 3. p. q. 64 a. 5.

4. Sane si semel conceditur, sacramentorum valorem a ministri sanctitate pendere, omnis eorundem utilitas periret ob perpetua de illius sanctitate dubia, imo de ipsa actum esset Ecclesia. Tandem

5. aliis omissis, ita cum Suarez disp. 13 s. 4 argumentari licet: si peccator privatur potestate valide administrandi sacramenta, hoc ideo fit, vel quia talis minister ea potestate est indignus, vel quia non decet Deum uti homine iniquo ut instrumento ad effectus tam supernaturales et sanctos, vel quia Ecclesiae non expedit peccatores sacramentorum esse ministros. Atqui horum nihil dici potest. Non primum, quia peccator non omnibus iis privatur, quibus propter peccatum redditur indignus, alioquin privandus esset potestate praecipiendi, regendi, docendi, ipsa vita etc.; non alterum, quia Deus tam bonus est atque omnipotens, ut et per malos possit bonum operari: hinc „non deserit Christus sacramentum, etiamsi habuerit malum instrumentum,“ inculcat ad rem Thomas waldensis in egregio op. Doctrinale antiquitatum fidei Ecclesiae catholicae adversus Wicleffitas et Hussitas, Venetiis 1757 t. 3, in cujus l. 5 fuse hanc agitat controversiam; non tertium, cum ipsum Ecclesiae bonum exigat, ne ministri mali hac priventur potestate, alioquin de Ecclesia esset actum. „Neque enim justum fuisset, inquit Chrysostomus hom. 87 in Matth. n. 4, ut propter alterius improbitatem illi, qui fidem sunt amplexi, in symbolis salutis nostrae laederentur;“ hom. 2 in 2. ad Timoth. n. 3, 4 inter alia praeclara: „Non talia sunt ea, quae Deus elargitur, ut a sacerdotali virtute perficiantur: totum ex gratia est, hujus autem tantum est os aperire, totum vero Deus operatur: symbolum hic (sacerdos) solum implet.“ Ergo ministri sacramentorum peccato non amittunt potestatem eadem valide administrandi, ideoque sacramentorum valor independens est a ministri sanctitate. Cf. Thomas 3. q. 82 a. 5 ss.

290. **Declaratio p. II.** Sacramentorum valor neque a ministri fide pendet. Quod baptismum attinet, id est de fide, ut patet ex controversia praesertim cum donatistis et ex concilii trid. sess. 7 can. 4: „Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus s. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, A. S.“ De reliquis sacramentis id quidem non est de fide, ita tamen in Ecclesia receptum, ut certum atque fidei proximum sit; poenitentiae tamen sacramentum excipi debet, cum absolutio sacerdotis haeretici invalida sit ex defectu non quidem potestatis ordinis, sed jurisdictionis, qua carent haeretici. Quare cum Ecclesia, ne quis pereat, suppleat vel concedat jurisdictionem in articulo mortis etiam haeretico, valide is hoc in casu absolvit.

291. **Demonstratio.** Probatur veritas asserti iisdem fere argumentis, quibus priorem demonstravimus partem; nominatim circa baptismum ex celebri controversia sec. III. cum s. Cypriano et deinde sec. IV. et V. cum donatistis; ex qua liquet, sententiam negantem valorem baptismi ab haereticis collati tempore esse posteriorem affirmante, fuisse particularem, quae tandem evanuit praevalente sententia affirmante. Nam „quis tunc universi negotii exitus? quaerit Vincentius lirinensis commonit. c. 6. Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scil. antiquitas et explosa novitas.“ Cf. ep. 1 Siricii ad Himerium tarracon. c. 1 (opusc. XVII.), et Augustinus de bapt. III, 2: „Quod et consuetudo Ecclesiae pristina non habebat (baptizare ab haereticis baptizatos), et postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit.“ Nequit ergo sententia opposita censeri apostolicae originis, sed potius doctrinae revelatae contraria. Reliqua vero sacramenta ab haereticis collata pariter esse valida, evincit tum praxis Ecclesiae universae[1]), tum analogia cum baptismo; suadet et ratio petita tum ex eo, quod Christus sacramentorum princeps

[1]) Dicimus praxim universae Ecclesiae; non enim diffitemur, fieri potuisse, ut nonnulli de valore sacramentorum ab haereticis collatorum dubitaverint, et forte eadem, ut ordinationem, iteraverint: Ecclesia vero universa nunquam dubitavit et in praxi valorem horum sacramentorum agnovit. Quam Ecclesiae praxim et fidem bene expressit Augustinus contra ep. Parmen. l. 2 c. 13 n. 28: „Utrumque sacramentum est (baptismus et ordinatio), et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursus ordinati; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra: quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est: non in sacramentis, quae ubicunque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos.“ Cf. Algerus de sacr. corp. et sang. dom. III, 1 ss. opusc. t. XXIII. Franzelin th. 15; in primis Morgott sect. 2 c. 1.

est minister, tum ab objectivo valore et sanctitate sacramentorum: unde eorum efficacia independens est a ministro homine.

292. **Scholion.** *De intentione.* — Cum ergo neque sanctitas neque fides requiratur in ministro ad validam sacramentorum confectionem, quaeritur jam, num aliquid saltem praeter potestatem seu delegationem ministerialem ad illam sit necessarium: et respondemus, requiri ad hoc ut homo rationem induat ministri, praeter potestatem ministerialem intentionem. De hac autem duplex est controversia: altera adversus protestantes eaque facilis; altera inter theologos catholicos, eaque celebris et subtilis. Quod primam attinet, dogma est catholicum statutum praesertim in concilio trid. sess. 14 cap. 6 et can. 9 et sess. 7 c. 11: »Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, A. S.« Protestantes quidem, secundum quos sacramentis similis inest vis ac verbis concionis, inde inferunt, illorum efficaciam non pendere ab intentione ministri, sicut nec verborum significatio a loquentis pendet intentione. Cui errori, aliis argumentis praetermissis, opponimus, necesse esse in sacramentorum confectione, ut is, qui eadem administrat, agat tamquam legatus et minister Christi, ideoque actionem ponat non nomine suo proprio, tamquam actionem suam, quia tunc profecto non est sacramentalis: sed nomine Christi, auctoritate ab eo accepta, actionem ministerialem. Haec autem actionis indifferentia non tollitur nisi voluntatis nutu, quo homo potius agere vult tamquam Christi minister, quam auctoritate et facultate sua naturali. Requiritur ergo ad sacramenti confectionem talis ministri intentio, qua se subjicit instrumenti instar agenti principali. Quod paulo secus ita expressit s. Thomas in 4. d. 6 q. 1 a. 2 qcla 1 ad 1: »In instrumento inanimato non requiritur intentio propria, quia ipsa inclinatio instrumenti ad effectum per motum principalis agentis locum intentionis supplet; sed in instrumento animato, quod non tantum agitur, sed aliquo modo agit utpote per imperium agens et non per impulsum motus, requiritur intentio exsequendi ministerium, ad quod applicatum est;« et s. Bonaventura Brevil. VI, 5: »Dispensatio sacramentorum est opus hominis ut rationalis, ut ministri Christi et ut ministri salutis; hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione.«

293. Si vero quaeritur, quaenam requiratur et sufficiat intentio, dicimus non requiri actualem, sed sufficere virtualem. Insuper statuunt Martinus V. art. 22 ex 39, de quibus errorum Wicleff et Huss suspecti interrogandi sunt, Eugenius IV. in instr. pro armenis (n. 280[1]) et concilium trid. (n. 292), ut sit saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia. Qua formula significatur, non requiri intentionem explicitam et distinctam agendi nomine Dei et Christi et conferendi sacramentum formaliter qua efficax gratiae; sed sufficere implicitam et quidem in intentione etiam alterius: sufficit enim, ut quis velit sese in illo actu exhibere Ecclesiae ministrum; ideoque satis esse, si sit concepta in confuso et generatim faciendi, quod Ecclesia sive christiani in hujusmodi ritu facere consueverunt. Unde intelligitur, quomodo fides, a qua potestatem conficiendi sacramenta independentem diximus (n. 289), non requiratur ratione

necesssariae intentionis. Etsi enim baptizans ex. gr. nec in Christum credit, neque efficaciam vel sanctitatem sacramenti, neque veritatem Ecclesiae atque religionis christianae admittit, dummodo scit eum ritum haberi et adhiberi ut sacrum a religionis christianae sectatoribus, potest habere, et si a christianis rogatus baptizet, plerumque habebit intentionem faciendi ritum non sua quidem, sed christianorum opinione sacrum; qua intentione supposita jam non proprio agit nomine, sed se exhibet Ecclesiae et hinc implicite Christri ministrum seque Christo ministro principi instrumenti instar subjicit. Cf. Thomas in 4. d. 6 s. 1 a. 3 qcl. 2.

294. **Thesis CCXIII.** ***Sententia Catharini affirmans, materiam et formam ipsa externa deliberata actione externisque adjunctis ita determinari ad rationem sacramenti, ut nulla intentione contraria, quae in animo ministri lateat, valor sacramenti impediri possit, admitti nequit.***

Demonstratio. Sententia haec ab Ambrosio Catharino († 1553) suam habet celebritatem, eamque sequuntur theologi praesertim galli, ut Contenson († 1674), Arnaldus († 1694), Nat. Alexander († 1724), Scribonius, Juenin († 1713), L'Herminier († 1735), Serry († 1738), Drouvenius († 1742); ex belgis Farvaques etc.; ex hispanis Salmeron († 1585), ex italis Pasqualigo († 1664), Milante († 1749), Ansaldi († 1779); ex germanis Stattler († 1797), Dobmayer († 1805), Waibel († 1852); ea etiam arrisit recentioribus Oswald (qui tamen eam retractavit I, 126 ed. 5 op. de sacramentis), Haas, Glossner. Rationes praecipuae, quae hos theologos impulerunt ad eam amplectendam, fuerunt major fidelium tranquillitas et certitudo de sacramentorum valore, qui ipsis in dubium toties videtur vocari, quoties dependens fit ab intentione mere interna ministri: tum ipsa ratio signi, cujus virtus independens est ab intentione illius, qui illud ponit seu adhibet. Cf. historiam controversiae apud Morgott l. c. c. 2.

295. **1.** Haec opinio refellitur dictis n. 292. Ministris enim sacramentorum non solum commissum est munus denunciandi seu significandi remissionem peccatorum et sanctificationem, sed potestas vera ministerialis nomine Dei et Christi per actiones sacramentales remittendi peccata et conferendi gratiam, qua potestate pro suo judicio et arbitrio utantur: hinc non sunt mera instrumenta sed esse debent dispensatores prudentes mysteriorum Dei. Quapropter ab eorum voluntate pendet, utrum velint actiones illas ponere utendo ea potestate supernaturali sibi commissa, an suo nomine facultate sibi inhaerente mere naturali, qua omnis homo pollet. Ergo ut illa actio per se indifferens illius potius quam hujus potestatis sit exercitium, sit sacramentalis ex potestate ministeriali profecta, necessaria est voluntas saltem implicita in ministro utendi hac sua potestate et ministerialiter ponendi actionem: non enim erit actio sacramentalis, si minister velit quidem ponere actionem, sed qua exercitium facultatis suae naturalis; seu requiritur aliqua intentio interna determinans actionem, ut sit potius exercitium potestatis ministerialis quam naturalis

omnibus hominibus, etiam feminis, communis. Unde ruit et altera adversariorum ratio ex signi natura petita: est enim sacramenti administratio non mera positio signi, sed et potestatis usus. Ceterum etsi urgetur signi ratio, tamen requiritur loquentis intentio; nam quoties signum aliam atque aliam potest habere significationem et usum, requiritur intentio loquentis, ut actu hoc potius, quam illud significet.

2. Quamvis haec opinio a concilio trid. proscripta censeri nequeat (damnavit siquidem concilium protestantium errorem, a quo ea differt): conciliari tamen vix potest cum iis, quae concilium de intentionis statuit necessitate. Sane sess. 14 c. 6 declarat absolutionem invalidam, „si sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit.“ Cui declarationi respondet damnatio prop. 12 Lutheri: „Si per impossibile confessus non esset contritus aut sacerdos non serio sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.“ Atqui animus serio agendi profecto deest, si minister sacramentum simulat tantum, neque intentionem absolvendi habet: sicut nemo diceret eum habere animum serio et vere promittendi vel contrahendi matrimonium, qui quidem ex respectu humano, timore etc. profert verba promissionis seu contractus, intus vero apud se statuit nolle se obligare. Et revera verba conc. tridentini de intentione interna esse intelligenda inde patet, quod non obstante hac declaratione jocus extrinsecus apparens (ex. gr. ad celandum adstantes ritum sacrum baptismi) cum seria intentione conferendi sacramentum, certissime hoc non redderet invalidum.

3. Concilium cum Eugenio IV. (n. 280[1]) diserte distinguit inter sacramenti confectionem et intentionem (cf. n. 292) et hanc tamquam plane necessariam exigit. Atqui nemo seriam simulationem, qua potest confici ritus externus sacramenti, dicet intentionem. Ergo illa non sufficit.

4. Neque in opinione, quam impugnamus, ulla ratio est tam sedulo distinguendi inter intentionem et sacramenti confectionem et utramque exigendi, si illa ab hac esset plane inseparabilis, seu si seria, simulata tamen, sacramenti confectio absque ulla alia intentione sufficeret ad valorem.

5. Damnata fuit ab Alexandro VIII. prop. 28: „Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.“ Neque probabile est, quod excipiunt adversarii, hac damnatione proscriptum iterum fuisse Lutheri errorem jam satis a concilio trid. damnatum. Hinc Benedictus XIV. de syn. dioec. l. 7 c. 4 § 8 censet, grave saltem vulnus hac damnatione praefatae inflictum fuisse opinioni.

6. Denique aliis omissis ea refellitur ex rubricis missae, quibus irrita declaratur consecratio, si quis habens coram se undecim hostias, solum decem, quas tamen non determinat, consecrare intendat. Pendet ergo consecratio legitimae et praesentis materiae non a sola formae prolatione, sed et ab interna intentione sacerdotis consecrantis. Cf. Pallavicini hist. conc. trid. IX, 6; XII, 10 n. 34; Franzelin th. 16 s. Ceterum hanc opinionem bene refellit

Hugo a s. Victore de sacr. l. 2 p. 6 c. 13 (Mig. 167, 459), refutationemque ita absolvit: „Vide ergo et considera, quod rationale esse oportet opus ministeriorum Dei, nec propter solam formam praejudicare, ubi intentio agendi nulla.“

296. Quod si tamen sententia opposita alicui videtur probabilis, non propterea ei licet in illa conquiescere, si de internae intentionis satis constet defectu: quia non licet in sacramentorum administratione sententia uti probabili relicta tutiori, ut constat ex prop. 1 ab Innocentio XI. damnata. Quare eo in casu, ut docet Benedictus XIV. l. c. § 9 urgente necessitate, sacramentum erit iterum sub conditione perficiendum: si tamen res moram patitur, sedis apostolicae oraculum erit exquirendum. — Neque putent illius patroni se ea magis consulere fidelium tranquillitati, quae praecipua forte pro ea ipsorum est ratio. Si enim sacramentorum minister fingitur adeo malignus, ut velit invalide administrare sacramenta, poterit ea multiplici alia ratione reddere invalida, sive corrumpendo formam, sive materiam, quin adstantes animadvertant corruptionem.

Caput II.

De sacramentorum N. L. numero.

297. **Thesis CCXIV.** ***N. Legis sacramenta neque plura, neque pauciora sunt quam septem.***

Demonstratio. De numero sacramentorum statuit concilium trid. sess. 7 can. 1: „Si quis dixerit, sacramenta N. L. . . . esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum etc., aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S.“ Quod dogma nobis vindicandum est contra sec. XVI. novatores, qui quamvis inter se pro more dissentirent de numero sacramentorum, consenserunt tamen in rejiciendo numero septenario; fatendum vero est illos gradatim eo devenisse, ut jam duo tantum admittant. Seposita autem demonstratione directa, qua singulorum sacramentorum veritas ex revelatione comprobatur, cum ea supponat tractatus de singulis sacramentis, demonstratione utemur indirecta eaque plane decretoria ex consensu christiani nominis petita. Cujus argumenti vis ut perspiciatur, haec sedulo et ex ordine expendantur:

1. Christianos omnes saltem a sec. XII. usque ad XVI. conspirasse in hanc fidem, et quidem professione unanimi, cum theologorum nullus, etsi ii de multis ad sacramenta spectantibus dissenserint, de numero dubitaverit septenario; professione non solum theoretica et privata, sed practica, solemni, quotidiana, ipso eorum usu.

2. Hanc in fidem conspirarunt cum latinis ipsi graeci jam a sec. XI. imo et IX. ab unitate romana sejuncti: ut constat **a.** negative: nunquam enim graeci, quamvis de rebus minimis altercati sint cum latinis, propter sacramentorum numerum litem Ecclesiae romanae moverunt; **b.** ex gestis pro unione utriusque ecclesiae tempore concilii lugdunensis II. et

florentini: nam ne vestigium quidem dissensionis exstitit circa hoc dogma; **c.** ex professionibus fidei graecorum: huc spectat professio fidei ab imperatore Michaele Palaeologo a. 1274 in concilio lugdunensi II. Gregorio X. oblata, in qua omnia septem sacramenta singulatim recensentur; nominatim vero **d.** ex irrito protestantium conatu pertrahendi graecos in suum errorem.

Saepe declararunt graeci adversus illos, septem se credere sacramenta a Christo Domino instituta. Ita ex. gr. Jeremias patriarcha († 1594) in censura Ecclesiae orientalis, in qua reprobat confessionem augustanam: „Dicimus praeclare nobis ss. patres tradidisse, unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam esse . . . in ea item ipsa catholica et orthodoxa Ecclesia septem divina sacramenta esse, baptismum scil. etc. Nam cum dona Spiritus sancti teste Isaia septem sint, septem item sacramenta, quae ab eodem Spiritu sancto vim efficiendi habent, sint oportet; non plura autem nec pauciora esse vel ipsa plena rei partitio demonstrat . . . Et haec quidem omnia salutis nostrae remedia ipse J. Christus Deus et D. N. nobis tradidit et ss. ejus apostoli.“ Verum quidem est Cyrillum Lucarim, quondam patriarcham constantinopolitanum, qui tristi fato (strangulatus siquidem periit) vitam finivit a. 1638, professionem fidei edidisse, quae faveret protestantibus; verum eam non hausit ex Ecclesiae orientalis traditione, monumentis authenticis et praxi, sed a calvinianis Genevae, ubi studiis operam dederat, didicit. Mox enim reclamarunt graeci atque synodis habitis ut Constantinopoli a. 1641 et Hierosolymis a. 1672 eam damnarunt, fidemque suam diserte professi sunt. Ceterum de consensu graecorum cum Ecclesia latina constat etiam ex eorum libris liturgicis et ritualibus, in quibus omnes illi ritus, quos Ecclesia catholica sacramenta esse docet, descripti sunt cum iis orationibus et caeremoniis, quae gratiae collationem significant.

3. Imo sectae Orientis ab Ecclesia sec. V. divulsae eandem de numero sacramentorum fidem profitentur: quamvis negari non possit, plures apud ipsas abusus barbarie praesertim gentium sub turcarum jugo gementium clerique incuria in eorum irrepsisse administrationem [1]).

298. Atqui ex consensu talibus praedito dotibus certo colligitur, fidem de numero sacramentorum septenario apostolicae esse originis:

1. juxta principium alibi comprobatum (t. I. n. 121[4]; 134), consensionem patrum, quae praeverterit controversiam aliquam de fide, semper habitam fuisse pro tutissima norma, secundum quam de doctrinae judicetur orthodoxia vel heterodoxia.

2. Patet ex eo quod hujus fidei origines aetate apostolica recentiores assignari nequeunt. Neque enim dici potest, illam primum inductam esse sec. XII., ut protestantes autumant, cum reperiatur etiam apud graecos,

---

[1]) Cf. Perpétuité de la foi t. 5 l. 1; Assemani biblioth. orient. t. 3 diss. de monophys. n. 5; et p. 2 diss. de nestorianis c. 7 § 8; Denzinger ritus orientalium.

qui certissime hanc fidem non hauserunt post suam separationem a latinis, quos semper aversati sunt. Ergo latini et graeci eam hauserunt ex fonte communi, qui antecessit eorum separationem, scil. ab Ecclesia universali sec. IX. et VIII., a qua divulsi sunt graeci. Sed neque sec. IX. vel VIII. primum originem habuit haec fides, cum reperiatur apud illas sectas, quae jam sec. V. Ecclesiae castra deseruerunt. Quare ex eadem ratione inferendum est, tam catholicos, quam schismaticos eam hausisse ex fonte communi, ex Ecclesia matrice sec. V. et IV., a qua schismatici facti sunt rami praecisi. Quod si Ecclesia jam sec. V. et IV. hanc profitebatur fidem, etsi non diserte, re ipsa tamen admittendo singula sacramenta: ea certe non est apostolis recentior, cum Ecclesia illius praesertim temporis tot decorata martyribus atque eximiis si unquam illustrata doctoribus, admodum esset tenax antiquitatis novitatisque aversatrix. Quare manifesto obtinet hic Augustini de bapt. IV, 24 axioma: „Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur."

3. Sane supponamus, hoc dogma non esse originis apostolicae: erit ergo, ut contendunt protestantes, innovatio humana atque proinde fidei apostolicae corruptio. Atqui **a.** omnis innovationis in fide, saltem alicujus momenti, scimus parentes, patriam, annum nativitatis, adjuncta etc., ut inductione constat: ergo haec omnia sciremus etiam de hac doctrina, si revera esset inventum humanum. Atqui **b.** induci non potuit fidei et praxis christianae corruptio, quin commoveretur Ecclesia, excitarentur patres, reclamarent episcopi, cogerentur concilia atque sequeretur innovationis damnatio, ut iterum inductione luculenta omnium fere seculorum comprobatur: eoque magis secuta esset commotio, quod ageretur de re magni momenti, practica, quotidiana, a qua plurimum pendet vita christiana, Ecclesiae disciplina totumque ejus ministerium, et quidem in coetu amplissimo. Sicut enim corpus organicum vivum conturbatur et commovetur, si in se receperit venenum vel aliam substantiam noxiam, donec illud evomuerit vel ejecerit, et eo vehementior est organismi commotio, quo corpus est perfectius et sanius, et quo venenum magis noxium: ita a simili Ecclesia, quo perfectior ejus est vita, eo magis commovetur, si aliqua innovatio afficit ipsa ejus fundamenta, quae fide in primis continentur. Unde Petrus ven. rationem reddens suae translationis haeresis saracenorum in latinum (Mig. 189, 650): „Fuit in hoc opere, inquit, intentio mea, ut morem illum patrum sequerer, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam, ut sic dicam, haeresim silendo praeterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, et scriptis atque disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent." Hujus autem commotionis nullum vestigium, nulla umbra in universa antiquitate: ea primum ince-

pit, cum novatores sec. XVI. sacramentorum minuerent numerum. Quod si **c.** haec fides esset innovatio sec. XII., quae sensim et clanculum nemine advertente invasit et pervasit universam Ecclesiam latinam, quomodo ea invasit et pervasit coetus schismaticos Orientis, Ecclesiae romanae adeo infestos? et si hi clausis oculis ab occidentalibus hanc mutuarunt sententiam, unde factum est, ut in administrationis ritibus adeo subinde dissentiant? Ad rem Tertullianus de praescr. n. 28: „Ecquid verisimile est, inquit, ut tot ac tantae ecclesiae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus. Variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum: ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum."

4. Constat hac praescriptione: Eatenus tantum deserenda esset doctrina de numero sacramentorum, quam Ecclesia catholica pacifice possedit per plura secula ante ortas de eadem sec. XVI. controversias, quatenus novatores sec. XVI. digni essent, qui audiantur et quibus tuto credere possimus. Atqui novatores sec. XVI. undequaque sunt indigni, qui in rebus fidei audiantur, omni carent auctoritate. Ergo temere deseritur propter eorum asserta Ecclesiae fides. Et sane protestantes ne audiendi quidem sunt **a.** quia carent omni missione, ut fuse ostendimus t. I. n. 327[2]; **b.** quia inter se dissident de numero sacramentorum: nam quamvis modo duo tantum admittant, olim non defuerunt, qui tria, vel quatuor, imo et quinque admitterent: magisterium autem in se dissonum, cum agitur de rebus fidei, caret auctoritate; **c.** quia dissentiunt manifesto a patrum doctrina seu ab Ecclesia sec. IV. et V., quae evidenter plura quam duo admisit sacramenta; quia **d.** dissentiunt a doctrina omnium coetuum fidelium, qui huic controversiae praeexstiterunt: inter varios autem coetus illos fuit certo etiam vera Ecclesia, cum ea sit indefectibilis; quia **e.** nimis terrifica sunt Christi verba Matth. 18, 17: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* et verba Pauli Gal. 1, 9: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Neque dicant novatores sec. XVI., se nihil novi annunciare, sed purum tantum Evangelium restaurare: nam α. haec assertio est, non probatio; et quidem β. assertio omnibus haereticis communis; et γ. evidenter falsa, cum alia atque alia asserant diversi novatores illius temporis: quare, ne indigne ferant, si eos rogamus, ut prius inter se consentiant, antequam catholicos turbent [1]).

---

[1]) Cf. Perpétuité de la foi t. 4 l. 10; Franzelin th. 18. Quadruplex haec probatio n. 297 proposita bene notetur, cum ea saepe utemur: plane enim efficax est ad omnia fere dogmata a protestantibus rejecta comprobanda; neque aliud alicujus momenti contra eam excipere possunt, nisi cum rationalistis vel prima fidei christianae rudimenta subvertere velint atque in dubium vocare divinitatem, imo et sapientiam

299. Solent theologi inquirere in rationes congruentiae numeri septenarii sacramentorum atque alias aliasque proponunt. Alexander halensis l. 4 summae theologiae q. 8 membri 7 a. 2 et s. Bonaventura compend. theolog. verit. l. 6 c. 5 et Breviloquii VI, 3 hujus numeri rationem repetunt ex septemplici defectu per peccatum in genus humanum inducto, cui medentur sacramenta, quam rationem probat et s. Thomas 3. p. q. 65 a. 1. — Albertus M. in 4. d. 2 a. 1 illa opponit septem vitiis capitalibus. — S. Thomas l. c. numerum hunc praeclare illustrat ex indigentiis vitae corporalis, quacum analogiam quandam habet vita spiritualis. Ex quibus patet hoc fidei catholicae dogma Christo esse dignissimum, ostendit enim ipsum sua gratia omnem statum et conditionem humanae vitae reparasse, sanctificasse atque ad altiorem evexisse ordinem: „In vita autem corporali, inquit, dupliciter aliquis perficitur: uno modo quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit . . . Respectu autem sui ipsius homo perficitur in vita corporali dupliciter: uno modo per se, acquirendo scil. aliquam vitae perfectionem, alio modo per accidens, scil. removendo impedimenta vitae, puta aegritudines vel aliquid hujusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter: primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere; et loco hujus in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio . . . Secundo per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem, et loco hujus in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus s. ad robur . . . Tertio per nutritionem, qua conservatur in homine vita et virtus, et loco hujus in vita spirituali est eucharistia . . . Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scil. peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate; quae quidem est duplex: una est quidem sanatio, quae sanitatem restituit, et loco hujus in spirituali vita est poenitentia . . . alia est autem restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium et loco hujus . . . est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam[1]) . . . Perficitur autem homo in ordine ad communitatem dupliciter: uno modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos, et loco hujus est . . . sacramentum ordinis . . . Secundo quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tam in corporali quam in spirituali vita.« Cf. etiam ejusdem expos. in symb. ap. n. 35; Oswald t. 1 § 12.

300. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Fatemur plura[2]) dogmati opponi. Ut praecipuae saltem solvantur difficultates, scias

1. Patres minus fuisse systematicos theologis scholae, neque adeo pronos ad sacramenta connumeranda[3]), praesertim cum ea in administrationis ritu

---

Christi promittentis, se Ecclesiam suam aedificaturum esse non super arenam, sed super petram.

[1]) Opportunius forte urgeretur congruentiae ratio, quam infra dabimus n. 539[4].

[2]) Collegit haec Georg. Lud. Hahn in commentario: Doctrinae romanae de numero sacrament. septenario rationes historicae, Wratislaviae 1859, cui opposuit Bittner ep. criticam de numero septenario sacramentorum, ib. 1859.

[3]) In statutis Sonnati (sec. VII) archiep. remensis Migne 80, 443 septem sacramentorum expressa occurrit mentio; sed fatendum est, statutorum genuinitatem non satis esse certam. Primi, qui certo omnia septem sacramenta enumerant, sunt

plurimum discrepent. Mirum ergo esse non debet, si patres nunquam diserte dixerunt, septem esse sacramenta. Non ergo dixerunt sub forma collectionis septem esse sacramenta, sed distributive et re tenuerunt septem sacramenta.

2. Vocis sacramenti notionem olim nondum satis fuisse fixam: hinc modo duorum triumve sacramentorum faciunt mentionem, modo ejus significationem adeo extendunt, ut plura quam septem numerent; ita P. Damianus numerat quindecim, plura Hugo a s. Victore de sac. II p. 9.

3. Viguisse olim arcani disciplinam praesertim in re sacramentaria (cf. n. 325[3] a.): quare solum necessitate compulsi patres de uno alterove disserunt sacramento, vel ut Ecclesiae doctrinam vindicent a calumniis, vel ut initiandos in necessariis instruant: hinc trium plerumque faciunt mentionem, baptismi scil., confirmationis et eucharistiae, quia haec simul conferri solebant. Cum vero haec in primis hominem Deo consecrent mysticisque ritibus gratiam adumbrent, ideo prae ceteris τοῦ μυστηρίου appellatione pro significatione sat usitata fuerunt insignita.

4. Non negamus quosdam esse scriptores orientales mediae aetatis qui uno alterove omisso sacramento caeremonias alias, quae sacramenta non sunt, substituere videantur, ut professionem monasticam et exsequias. Ita ex. gr. Vartanus armenus monophysita, Ebed-Jesu nestorianus, Job monachus et Damascenus thessalonicensis. Verum et hi **a.** non dissentiunt circa numerum; **b.** eorum testimonium nequit pondus detrahere solemnibus sectarum orientalium professionibus earumque praxi; ad summum probat **c.** magnam horum auctorum ignorantiam, quae mira videbitur nemini, qui tristissimam consideret conditionem et statum sectarum illarum a tempore, quo se a vera Christi separarunt Ecclesia. Tandem

5. quod difficultatem attinet petitam ex pedum lotione, cui elementa omnia ad sacramenti notionem necessaria convenire videntur, aliis omissis notamus, eam hoc unum probare, in re sacramentaria optimam esse interpretem Ecclesiae praxim. Cum ergo ex hac constet, pedum lotionem nunquam habitam fuisse pro vero proprioque sacramento [1]), manifestum quoque est, verba Joan. 13, 14 ss. de sacramenti alicujus institutione non esse intelligenda, sed de aliquo virtutis exercitio, quod hoc praecise ritu Christus commendat quidem, quin ipsum ritum proprie praecipiat.

301. **Scholion practicum.** Ad sacramenta populo christiano commendanda prodesse possunt quae diximus n. 245, quaeque docet s. Thomas n. 299. Juverit forte et characteris, quem tria imprimunt, inculcare momentum. Est enim ille

---

s. Otto bambergensis († 1139) in doctrinae capitibus pomeranis traditis (cf. ejus vita n. 50 s. et sermo Mig. 173, 1299, 1357) et Gregorius bergomensis episcopus (1133—46) in opusc. de veritate corporis Christi (c. 13) primum edito ab Uccelli per modum appendicis ad opus Scritti inediti del b. Gregorio Barbarigo etc. Parmae 1877, et inter opusc. a nobis edita XXXIX, 56. Cf. etiam Paululus de off. eccles. c. 12 ss., Migne 177, 388 ss.; Schanz § 13 p. 197 ss.

[1]) Testatur Augustinus ep. 55 n. 33: „Ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt: nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt.“ Cf. Franzelin thes. 19. 20; Bach Die Siebenzahl der Sacr., Ratisbonae 1864.

1. signum consecrativum, quo Christus Redemptor suum in nos jus et dominium solemniter et coram universo obsignat, et quo alte nobis imprimitur obligatio, ut, sive vivimus, sive morimur, Domini simus (Rom. 14, 8), et ut simus fideles servi, strenui milites, ministri idonei et prudentes tanti Domini, Regis et Sacerdotis, qualis est Christus. Characterem esse signum consecrativum **a.** docet s. Augustinus passim (n. 275); ostendit **b.** comparatio cum tessera militari, signo ovi impresso, circumcisione; **c.** usus humanus, qui res signat, ut eas ad dominum pertinere in ejusque destinari usum vel obsequium manifestetur; colligitur **d.** ex sententia s. Thomae, secundum quem character est quaedam sacerdotii Christi participatio (n. 276). Quod si homines vel sola veste famulari aut militari suae obligationis, obsequii, servitutis recordantur: quanto magis fideles, quorum animae vi characteris impressa est consecratio ontologica eaque plane indelebilis (n. 277), conscii sibi esse debent, se penitus esse Christi ut membra capitis, atque mancipatos esse ejus servituti, militiae, ministerio. Cf. Oswald I c. 3 § 7 n. 6.

2. Character est signum configurativum, quo fideles configurantur Christo, qui est character substantiae Patris Hebr. 1, 3; attemperantur ut membra congrua ipsi capiti, quo abundanter ejus percipere possint influxum. Quanta nobilitas exprimi ad eum, qui est splendor paternae gloriae, esse membrum coaptatum tanto capiti. Quod si ut servi, milites, ministri configurantur secundum animam Christo duci et capiti, sane tenentur eum exprimere et in actibus, in ipsa vita: sentire scil. debent quae et Christus J. sensit (Phil. 2, 5), vivere ex ejus fide; agere ejus causam commodisque servire; imbui ejus spiritu sacrificii, quo omnia omnibus fiant, ut omnes faciant salvos (1. Cor. 9, 22); atque ita character internus manifestari debet charactere vitae vere christianae externae et socialis.

3. Character est signum dispositivum, quatenus ordinem habet et jus praebet eo insignitis pignorisque instar est **a.** gratiae, quae cum eo ex intentione Dei connexa est (n. 276); **b.** ad specialem angelorum custodiam, ad quam invitat et allicit; hinc **c.** ad fiduciam adversus daemonum insidias. Cf. n. 272 verba s. Basilii, et n. 275[2] verba s. Gregorii naz.

PARS II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

Sectio I.

De baptismi sacramento.

302. Septem esse N. Legis sacramenta a Christo Domino instituta parte priori hujus disputationis demonstravimus. Jam de singulis accuratius est disputandum. Horum primum [1]) et necessitate et natura,

---

[1]) Praeclare disputat s. Thomas de ordine, quo ratione dignitatis sacramenta enumerari possint in 4. dist. 7 q. 1 a. 1 sol. 3: „Quinque modis unum sacramentum dicitur esse dignius alio. Uno modo, quoad rem sacramenti, sive effectum ejus: et sic baptismus, qui delet omnem culpam et aufert omnem poenam, est maximum sacramentorum. Alio modo quantum ad id, quod continetur in sacramento; et sic eucharistia est nobilissimum, in qua continetur Christus. Tertio quantum ad gradum dignitatis, in quo constituit; et sic ordo est dignissimum sacramentum.

ideoque et receptionis ordine, est baptismi sacramentum. Sicut enim generatio est principium et fundamentum vitae naturalis, ita regeneratio, quae est effectus baptismi proprius, initium est vitae (habitualis) supernaturalis, quae dein reliquis conservari et excoli debet sacramentis. Hinc Eugenius IV. in instruct. pro armenis: „Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas (Joan. 3,5), in regnum coelorum introire."

303. Multiplici typo patres hoc sacramentum in V. Testamento adumbratum cernunt[1]): quotiescunque scil. Deum legunt miri aliquid mediante aqua esse operatum. Cernunt ex. gr. baptismum adumbratum Gen. 1, 2: *Spiritus Dei ferebatur super aquas;* Gen. 1, 20: *Producant aquae reptile animae viventis;* Gen. 2, 7 in formatione hominis ex limo i. e. terra et aqua; in fonte irrigante paradisum; in diluvio, in arca Noë secundum verba Petri 1. ep. 3, 20; in transitu israelitarum per mare rubrum; in mutatione aquae amarae in dulcem Ex. 15, 23 ss.; in aqua de petra miraculose educta Ex. 17, 1 ss.: in mundatione Naamam syri; in piscina probatica Joan. 5, 2; in aqua profluente e latere Christi Joan. 19, 34. Ex quibus typis secundum patrum explicationem evidenter colligitur **1.** illius materiam esse aquam; **2.** praeter elementum visibile adesse virtutem invisibilem, virtutem s. Spiritus, quae per illud **3.** ex opere operato infundit virtutem; significantur **4.** effectus plane mirabiles, ereptio a diabolica captivitate, perfecta deletio omnium peccatorum, reconciliatio cum Deo, collatio novae vitae, adeo ut sit vera recreatio et regeneratio ad vitam supernaturalem. Colligitur **5.** summa ejus ad salutem necessitas et **6.** valor, etiamsi extra Ecclesiam confertur.

Quarto quantum ad ministrum; et sic confirmatio et etiam ordo sunt dignissima, quia nonnisi per episcopum ministrantur. Quinto quantum ad signatum et non contentum: et sic matrimonium est dignissimum, quia signat conjunctionem duarum naturarum in persona Christi. Si tamen has dignitates ad invicem comparemus, invenitur illa dignitas potissima, quam sacramentum habet ex contento, quia est essentialiter; et ideo sacramentum eucharistiae est simpliciter dignissimum, et ad ipsum quodammodo alia sacramenta ordinantur. Dignitas autem quae est in efficiendo praevalet ei quae est in significando; et illa quae est in efficiendo respectu boni, simpliciter loquendo, praevalet ei quae est in amotione mali; et ideo simpliciter loquendo, post eucharistiam nobilius sacramentum est ordo, per quod homo et in gratia et in gradu dignitatis ponitur; et post hoc confirmatio, per quam perfectio gratiae confertur; et post baptismus, per quem fit plena remissio culpae et poenae; et post matrimonium, quod habet maximam significationem. Poenitentia autem et extrema unctio ponuntur inter baptismum et matrimonium; quia ordinantur directe ad remotionem mali; quamvis in hoc poenitentia habeat minorem efficaciam quam baptismus; quia ordinatur contra culpam actualem tantum, et non delet totaliter poenam; et adhuc minorem extrema unctio, quae contra reliquias peccati ordinatur.

[1]) Cf. de typis Ambrosius de myst. c. 3 et Tertullianus de bapt. opusc. VII., ubi in annotationibus plurima alia patrum adduximus testimonia. Potiores paucis exhibet Hieronymus ep. 69 n. 2.

304. Multiplici quoque nomine patres baptismi praestantiam, proprietates atque effectus significant. Denominatur enim hoc sacramentum **1.** a materia remota aqua vitae aeternae, sacra piscina; a proxima baptismus, lavacrum, lavacrum mysticum, salutare, lotio etc.; **2.** a forma sacramentum Trinitatis; **3.** ratione effectuum per excellentiam gratia, sacramentum regenerationis, renovationis, signaculum seu sigillum, illuminatio, quia illo de potestate tenebrarum transferimur in admirabile lumen 1. Petr. 2, 9; Col. 1, 13; **4.** ratione initiationis sacramentum fidei; **5.** ratione figurae, cui succesit, circumcisio non manufacta Col. 2, 11 etc. Lege praeclaram s. Gregorii naz. or. in s. baptisma, in qua n. 4 ejus nomina recenset: „Donum vocamus, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum ac denique excellentissimo quovis nomine appellamus. Donum dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt, datur: gratia, quia etiam debentibus; baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur; unctio, quia sacer et regius (haec enim erant quae ungebantur); illuminatio, quia splendor et claritas; indumentum, quia ignominiae nostrae velamen est; lavacrum, quia abluit; sigillum, quia conservatio est ac dominationis obsignatio (τῆς θεσποτείας σημείωσις). Huic gratulantur coeli; hunc angeli propter splendoris cognationem celebrant; hic beatitudinis illius imaginem gerit; hunc laudibus quidem et hymnis celebrare volumus, verum pro rei dignitate non possumus.“ Cf. Schanz § 14. Porro a catechismo romano baptismus definitur (II. c. 2 n. 5): „Sacramentum regenerationis per aquam in verbo,“ vel explicatius a theologis: Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis sub invocatione ss. Trinitatis homo spiritualiter regeneratur.

305. *Disputationis partitio.* — Cum ad sacramenti collationem quatuor requirantur, materia, forma, minister et subjectum, cui confertur, de hisce in primis disseremus: quibus quaestionem subjiciemus de baptismi necessitate. Quare omnia ad quinque revocabimus puncta. Reliqua vel jam satis expendimus disserentes de sacramentis in genere, vel magis spectant ad theologiam morum, vel minoris sunt momenti, quam ut in theologia compendiaria tractentur.

1. Huc spectat baptismum esse sacramentum, de quo christianus nullus unquam dubitavit; si enim semel certum est, esse sacramenta, in primis id de baptismo est tenendum, qui a Christo est institutus et ita evidenter efficax gratiae, ut pleraque testimonia allata ad probandam sacramentorum virtutem thes. 208 agant de baptismo. Deinde

2. quaestio de tempore, quo baptismus fuerit a Christo institutus. Quamvis id certo ex divinis literis nequeat determinari, praeferenda tamen videtur sententia, quae statuit, Christum illum insituisse jam ante passionem suam, secundum s. Thomam 3. p. q. 66 a. 2, in ipso suo baptismo. Constat enim apostolos ante ipsius mortem eucharistiam suscepisse [1]): aliorum autem sacramentorum efficacia praesupponit baptismum: neque probabilis censeri

[1]) Cf. Theolog. wirceb. t. 5 de sacr. disp. 1 de baptismo c. 1 a. 1. Quaestionem, utrum apostoli fuerint baptizati movet jam Tertullianus de bapt. n. 12, sed non solvit. Cf. Goffridus ab. vindoc. († 1132) serm. 5 (Mig. 157, 255). Negative respondet Oswald p. 2 § 6. Cf. Schanz § 15.

debet opinio apostolos non fuisse baptizatos. Quomodo enim potuissent baptismi necessitatem praedicare et inculcare (Act. 2, 38), si ipsi, Ecclesiae fundamenta et columnae, ab hac necessitate fuissent exempti et sine baptismo adepti salutem? Et sane Paulus, qui verus fuit apostolus et mirabiliter conversus atque justificatus, baptizandus mittitur ad Ananiam (Act. 9, 7). Obligatio autem suscipiendi baptismum videtur nonnisi coepisse cum promulgatione novae legis i. e. in die Pentecostes: sed cf. infra n. 317[1].

3. Huc spectant quae jam supra probavimus, baptismo imprimi character em; baptismi gratiam reviviscere remoto obice n. 268[1], baptismum a peccatore vel ab haeretico collatum esse validum thes. 212.

4. De effectibus baptismi sufficiant, quae diximus de effectibus justificationis formalibus n. 167 ss.: cum evidens sit ex omnibus, quae de baptismate in Scripturis et a patribus affirmantur, illud esse sacramentum, quo justificamur et quo propterea delentur omnia peccata. Quare praeclara est baptismi descriptio a Gregorio naz. proposita or. 40 n. 3: „Baptismus est carnis abjectio, spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, coelestis regni clavis, vitae commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum praeclarissimum est et praestantissimum.“ Cf. Chrysostomus h. 25 in Jo. n. 3. Baptismo autem deleri non solum peccata, etiam venialia (supposita tamen congrua dispositione), sed remitti omnem quoque poenam temporalem, quo excellit sacramento poenitentiae, est de fide, ut colligitur ex concilio trid. sess. 5 can. 5: „Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma . . . ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur;“ et ex Eugenii IV. instructione pro armenis, qui inter effectus sacramenti baptismi recenset omnis poenae remissionem: „propterea, infert pontifex, baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt.“ Quam fidem ita jam expressit Augustinus de pecc. mer. et remiss. l. 2 n. 46: „Si continuo (post baptismum) consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant.“ Unde liquet

5. Christi baptismum multum praecellere Joannis baptismo; merito ergo concilium trid. contra protestantes statuit can. 1: „Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, A. S.“ Differentiam bene expressit ipse Baptista Matth. 3, 11: *Ego quidem baptizo vos in aqua* (sola, non in aqua et Spiritu s.) *in poenitentiam* (ad excitandam, fovendam poenitentiam salutarem, quae ex opere operantis disponat ad peccatorum remissionem) . . . *ipse vos baptizabit in Spiritu s.* (conferens s. Spiritus gratiam ex opere operato) *et igni*, nam ejus gratia ignis instar animam purificat et illustrat; hinc Luc. 3, 3 ille dicitur *baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum:* dum de nostro pronunciat s. Petrus Act. 2, 38: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. Christi in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus sancti* [1]).

[1]) Cf. Tertullianus de bapt. c. 10; Bellarminus de baptismo c. 21; Touttée in diss. 3 de doctrina s. Cyrilli hieros. c. 8 n. 60 ss.; Oswald, die dogmatische Lehre von den Sacr. p. 2 c. 1 § 1.

306. **Thesis CCXV.** ***Materia remota in baptismo est aqua vera et naturalis; proxima, tam immersio quam infusio et aspersio. Forma vero complecti debet distinctam trium personarum divinarum invocationem.***

Demonstratio p. I. Haec pars est contra socinianos, qui verba Christi Joan. 3, 5 de aqua intelligunt metaphorica; ea est de fide statuta in concilio trid. sess. 7 can. 2: „Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s.* ad metaphoram aliquam detorserit, A. S.“ Colligitur asserti veritas

1. ex verbis Christi mox citatis, quae adeo sunt clara, ut nonnisi socinianis seculo demum XVI. in mentem venerit, ea alium in sensum detorquere. Quod si esset vel minimum circa Christi verba dubium, hoc plane dissipatum fuisset traditione luculenta exegetica, quae ea semper intellexit sensu obvio, qui etiam praesumi debet, nisi demonstretur oppositum. Nulla vero est ratio suspicandi hic metaphoram: neque ideo, quod aqua conjungatur Spiritui s., cum causae principali instrumentalem addere liceat: neque ideo quod Joannes Baptista dicat Matth. 3, 11: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Nam comparationem non instituit ratione ritus, red ratione effectus; unde ignis symbolo designat efficacem Spiritus s. in baptizandi animum influxum et operationem, vel illud respicit miraculum, quod in descensu s. Spiritus die Pentecostes Act. 2, 2 contigit [1]). Accedunt ex divinis literis

2. facta luculenta. Nam eunuchus Candacis reginae fide jam imbutus mox atque aquam vidit, dixit Act. 8, 36: *Ecce aqua: quid prohibet me baptizari?* Brevis ergo institutio suffecit, ut aquae necessitatem ad baptismum colligeret. Ita Act. 10, 47 cum Petrus videret Cornelium cum suis egregie ad baptismum suscipiendum dispositum, dixit: *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi?*

3. Probatur prophetarum vaticiniis ut Is. 55, 1; Ez. 36, 25; Zach. 13, 1, in quibus mentio fit futuri baptismi in aqua. Confirmatur

4. manifesta traditione theoretica et practica: et practica quidem, quia semper adhibita fuit in baptismo aqua, nunquam receptus baptismus absque aqua collatus; theoretica vero colligitur **a.** ex tot typis, quibus praefiguratum censuerunt patres baptismum (n. 303); **b.** ex nomine pisciculorum, quo designabantur olim christiani. „Sed nos pisciculi, ita belle Tertullianus de bapt. c. 1: secundum ἰχθῦν nostrum

---

[1]) Varias hujus loci interpretationes cf. apud Ansaldi O. Pr. de baptismate in Spiritu s. et igni, Mediolani 1722; Schanz § 14.

J. Christum in aqua nascimur." Neque desunt **c.** diserta testimonia eaque innumera. Huc spectat integer Tertulliani lib. de baptismo; et Augustinus: „Quid est, inquit tr. 15 in Joan. n. 4, baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus; tolle verbum, non est baptismus."

5. Ipsum nomen baptismi, ablutionis, lavacri etc. hoc satis innuit: communiter enim ablutio aqua fieri solet. Quod si quaeritur, quare Christus aquam pro baptismi selegerit materia, respondemus rationem esse, **a.** ejus voluntatem **b.** aquae aptitudinem ad designandam spiritualem animae mundationem, quae hujus sacramenti effectus proprius est; **c.** baptismi necessitatem summam: quocirca seligenda fuit ea materia, quae esset ubique obvia atque facile comparabilis.

307. **Demonstratio p. II.** Valere baptismum per immersionem

1. colligitur ex ipso nomine baptismi, quod derivatur a βάπτω mergere, submergere; aliisque nominibus lavacri, balnei salutaris etc.;

2. ex baptismo eunuchi illius, qui ut baptizaretur descendit in aquam, atque de ea ascendit Act. 8, 38 s. Colligitur

3. ex verbis Pauli Rom. 6, 3 ss.; Coloss. 2, 12, qui disserens de baptismo satis clare innuit, eo veluti repraesentari mortem et resurrectionem Christi, quod verum est de baptismate per immersionem.

4. ex praxi Ecclesiae, quae diu immersione baptizabat. Ceterum

5. si licet baptizare per aspersionem, a fortiori immersione licebit.

308. Quare potius probandum est, valere baptismum aspersione vel infusione contra quosdam graecos schismaticos, qui in synodo a. 1756 habita declararunt baptisma latinorum invalidum, et hinc rebaptizant non solum protestantes, sed et catholicos. Contra hunc errorem statuit conc. trid. can. 3: „Si quis dixerit, in Ecclesia romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de sacramento baptismi doctrinam, A. S." Porro immersionis ritus videtur praevaluisse usque ad sec. XIV., et ab eo tempore invaluisse ritus infusionis, qui sec. demum XV. et XVI. praevaluit. Cf. Funk Tüb. Qtlschr. 1882 p. 114—23. Asserti veritas colligitur

1. ex praxi baptizandi infirmos et moribundos, qui certe in aquam non immergebantur. Quare s. Cyprianus consultus a Magno de infirmorum baptismo ep. 76 n. 12 respondet: „Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura s. per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: *Et aspergam super vos aquam mundam* etc. (36, 25). Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere etc." Baptismi per aspersionem jam mentio fit c. 7 l. doctrinae apost. nuper reperto, qui forte est sec. I. vel ineuntis II.

2. Eum valere haud immerito colligimus ex Act. 2, 41, ubi refertur, die Pentecostes baptismum recepisse circa tria hominum millia, qui vix omnes immersione baptizati sunt; cf. etiam 16, 33.

3. Colligimus etiam ex eo quod alioquin baptismi adeo necessarii administratio redderetur saepe admodum difficilis sive ob defectum aquae, sive ob frigus, sive ob baptizandorum, qui esse possunt infantes tenelli, senes, moribundi etc., infirmitatem vel multitudinem.

309. **Demonstratio. p. III.** Baptismum conferendum esse cum invocatione distincta trium personarum ss. Trinitatis [1]), colligitur

1. ex Matth. 28, 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti:* unde satis clare colligitur in administrando baptismo haec nomina esse invocanda, nam plures alias sacrae potestatis functiones praescripsit Christus apostolis, quin unquam sicut hic addiderit in nomine Patris etc. Quod si haec non videntur sufficere, ut inde inferatur hujus invocationis necessitas ad valorem baptismi, complenda est eorum probandi vis traditionis suffragio.

2. Ex praxi Ecclesiae, quae de baptismi valore judicans in primis erat sollicita, num is collatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ita conc. arelatense a. 314 can. 8: „De afris: quod propria lege sua utantur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu s. esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum s. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.“ Imo adeo certa fuit hujus formae necessitas, ut Augustinus de bapt. l. 6 n. 47 testetur: „Quis nescit, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur haeretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent [2]).“ Quapropter Ambrosius de myst. c. 4 n. 10: „Nisi baptizatus fuerit (catechumenus) in nomine Patris et Filii et Spiritus s., remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire.“

3. Ratio congruentiae est, quod cum baptismus sacramentum sit fidei et regenerationis, qua homo fit Dei filius, conveniens fuit eum con-

---

[1]) Notetur et prop. 27 damnata ab Alexandro VIII: „Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: in nomine Patris et Filii et Spiritus s., praetermissis stis: Ego te baptizo,“ quam opinionem jam antea reprobaverat Alexander III. L. 3 Decr. tit. 42 c. 1.

[2]) Non defuisse tamen haereticos, qui circa baptismi formam erraverint eamque corruperint, pluribus ostendit Holtzclau in theol. wirceb. t. 5 a. 4 n. 34. S. Basilius de Spiritu s. c. 12 data opera disputat adversus eos, qui dicunt, sufficere baptismum in nomine Domini, opusc. XXXI, 52 s.

ferri sub expressa invocatione ss. Trinitatis, quae praecipuum est mysterium fidei. Cf. Algerus de sacr. corp. et sang. dom. III, 13. 14 op. 23.

310. **Scholion.** *De baptismo in nomine Jesu.* — Legimus Act. 2, 38; 8, 12; 10, 48; 19, 5 quosdam baptizatos fuisse *in nomine Jesu Christi:* unde orta est quaestio inter theologos, quid de hoc baptismate sit tenendum. Qua de re triplex est sententia. Prima sententia tuetur, baptisma in nomine Jesu collatum esse validum; ita v. Beda, Petrus Lombardus et Petrus Pictaviensis ejus discipulus, Cajetanus, Toletus, Orsi etc., eamque saltem permittere videtur Nicolaus I. in suo ad consulta bulgarorum responso, cap. 104: »A quodam judaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine ss. Trinitatis vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut s. exponit Ambrosius), constat, eos non esse denuo baptizandos.«

Altera sententia est s. Bonaventurae et s. Thomae, qui 3. p. q. 66 a. 6 ad 1 docet: »Dicendum, quod ex speciali Christi revelatione apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum judaeis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus s. dabatur in baptismo.« Quare modo baptisma ita collatum lect. 2. 3 in 1. Cor. 1 non amplius valere censet.

Tertia sententia eaque communior atque in praxi omnino tenenda statuit, baptismum in solo Christi nomine collatum esse invalidum. Si autem ab hujus sententiae patronis quaeritur, quomodo explicanda sint Scripturae effata de baptismate in Christi nomine, in diversas abeunt sententias. Secundum nonnullos (sed minus probabiliter) baptismus collatus quidem fuit in nomine J. Christi Filii Dei, sed non excluso nomine Patris et Spiritus sancti. Aliis videtur hac loquendi ratione designari nonnisi baptismus Christi auctoritate, nomine, ex ejus delegatione collatus seu qui a Christo est institutus vimque sanctificandi habet, et idcirco ab eo denominatur, adeo ut baptismus in nomine Christi idem sit ac Christi baptismus. Eundem fere in modum explicant responsum Nicolai I. supra allatum. Ita inter alios notat Billot th. 23 § 4 »decisionem hanc non respicere sacramenti formam ... Sed dubium erat utrum homo ille baptismum tradidisset per modum cujusdam sortilegii vel specialis superstitionis, quemadmodum de hujusmodi ignoto hebraeo suspicari licebat: an vere in nomine Christi vel Trinitatis, quod est unum idem, utique quantum ad intentionem conficiendi sacramentum.« Quidam ut Holtzclau n. 47 etc., putant baptizare in Christi nomine idem esse ac baptizare in Christum credentes vel in professionem fidei Christi. Fuse de hac quaestione disserunt Trombelli de bapt. tr. 4 diss. 10 et Orsi in diss. de baptismo in nomine J. Ch., ejusque vindiciis. Cf. Palmieri th. 33 p. 5 de rom. pontifice.

311. *De baptismi ministro* haec teneantur: **1.** ministrum proprium hujus sacramenti primo loco esse sacerdotem, episcopum et presbyterum: altero veluti gradu **2.** diaconum, nam jam Philippus diaconus baptizabat Act. 8, 12. 38. **3.** „In casu autem necessitatis, ut docet Eugenius IV. in instruct. pro armenis, non solum sacerdos vel etiam diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit

Ecclesia;“ et antea conc. lateranense IV. in cap. ‚Firmiter‘: „Sacramentum baptismi quod ad invocationem individuae Trinitatis . . . consecratur in aqua, tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem.“

Quod ita jam expressit Tertullianus de bapt. n. 17: »Dandi quidem (baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem . . . alioquin etiam laicis jus est.« — Ineunte sec. IV. asseruit conc. eliberitanum can. 38 »posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum«: qui canon sat singularis non videtur ita intelligendus, ac si baptismus a peccatore collatus sit invalidus: haec enim esset ipsa haeresis donatistarum; sed ut in casu necessitatis non liceat peccatori et bigamis, si alii adsint fideles, baptizare. Quod si alii fideles deessent, certo non prohiberet concilium, ut peccatores et bigami baptizent. Baptismum enim a bigamis collatum declarare invalidum esset error vere mirus et singularis. — Hieronymus dial. c. lucif. n. 9: »Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam laicis licere;« et Augustinus c. ep. Parmen. l. 2 n. 29: »Et si laicus aliquis pereunti dederit (baptismum) necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset, addidicit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Sed et si nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum.« Cf. Gelasius I. (a. 494) ep. 14 ad episc. per Lucaniam, Bruttios et Siciliam c. 7; Isidorus hisp. de officiis eccl. II, 67; Nicolaus I. (n. 310). — Vere ergo Petrus Damianus affirmat serm. 69: »Baptismi gratiam omni homini vel omni sexui (administrandam) tradidit auctoritas antiquorum: confirmationis autem insigne sola pontificalis persona suae vindicat dignitati.« Accedit luculenta Ecclesiae praxis, quae, etsi initio non adeo manifesta (cf. Schanz § 18), ita invaluit et praevaluit, ut jam nemo serio hac de re dubitet. Congruentiae rationem petunt theologi ex summa ipsius baptismi necessitate ad salutem. Cf. Algerus III, 6; Oswald p. 2 § 7.

312. Quod hujus sacramenti attinet subjectum, controversia in primis est de infantibus, num valide et licite possint baptizari, cum dispositionis prorsus sint incapaces, Christus vero dixerit Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quare sit

Thesis CCXVI. ***Baptismus infantibus quoque valide et licite conferri potest: neque cum ii ad annos discretionis pervenerint, iterum sunt baptizandi, neque interrogandi, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, sunt polliciti.***

Demonstratio p. I. Prima pars statuitur contra catharos, inprimis contra anabaptistas, qui praeeunte Storch innixi Lutheri principiis de sola fide justificante deque sacramentis, quorum virtus tantum consistat in excitanda fide, inferebant, infantes utpote fidei incapaces inutiliter baptizari. Quos sequuntur sociniani et arminiani. As-

sertio nostra est de fide et ab Ecclesia iterum in concilio trid. statuta sess. 7 can. 12 et 13: „Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse: ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae, A. S.“

313. **1.** Fatendum quidem est ex divinis literis nullum proferri posse testimonium disertum vel factum indubium pro paedobaptismo. Haud tamen improbabilis est conjectura infantes quoque esse baptizatos, nam referuntur integrae familiae baptizatae Act. 16, 15. 33; 1. Cor. 1, 16. Merito etiam provocare licet ad Christi verba Matth. 19, 14: *Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum coelorum.* Si enim etiam parvulorum est regnum coelorum; nemo vero regnum Dei ingredi potest, nisi renatus ex aqua et Spiritu sancto Joan. 3, 5: poterunt etiam parvuli baptizari. Verum

2. etsi in divinis literis diserta desunt testimonia, ea tamen traduntur principia, ex quibus valor et utilitas colligitur paedobaptismi. Ita eae docent **a.** Christum Adami reparasse ruinam; hanc vero reparationem fieri regeneratione, qua sanatur peccati vetustas et corruptio, quam generatione ex Adamo contrahimus: regenerationem autem per Christum efficaciorem esse generatione ex Adamo (n. 165[2]). Atqui regeneramur baptismo, qui est regenerationis sacramentum. Sicut ergo infantes absque sua cooperatione sola generatione contrahunt peccatum, ita poterunt sola regeneratione sine sua cooperatione constitui justi et filii Dei; baptismi ergo sunt capaces. **b.** Deus vult omnes homines salvos fieri. Si autem infantes non essent capaces baptismi, tertia hominum pars careret salutis possibilitate. **c.** Circumcisio est figura baptismatis; atqui infantes valide circumcidebantur; valide igitur et baptismus conferetur parvulis.

3. Validissime confirmatur haec veritas traditione et theoretica et practica, eaque adeo splendida, ut protestantes coacti fuerint paedobaptismum retinere, licet hac praxi dupliciter sibi contradicerent: primo quod illum retinuerint innixi traditione, quam alioquin contemnunt; deinde, quod eum eatenus tantum utilem et necessarium censere possunt, quatenus ipsi adscribunt aliquam virtutem ex opere operato, quam alioquin exhorrent. Ecclesiae autem traditio maxime elucet ex controversia cum pelagianis: argumentum enim fere praecipuum maximeque efficax adversus illos pro peccato originali petebatur ex paedobaptismo; neque unquam ausi sunt pelagiani de hujus sive valore sive utilitate dubitare timentes fidelium reprehensionem matrumque christianarum contradictionem (t. II. n. 371). Quare concilium milevitanum et dein carthagi-

nense anathema dicit can. 2 illi, „quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat.“

Augustinus de hac praxi testatur serm. 176 n. 2: „Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit.“ — Sed jam ante Augustinum Ambrosius confidenter pronunciat (de Abraham II, 81): „Quia omnis aetas peccato obnoxia, ideo omnis aetas sacramento idonea.“ — Ante Ambrosium praeclarissimum de hac praxi habemus testimonium s. Cypriani cum synodo 66 episcoporum ita ad Fidum scribentis ep. 63 (ed. n. 16 opusc. XXI): „Porro si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.“ Quae epistola scripta post a. 252 summi momenti est ac fere tota de hoc argumento. Proposuerat enim Fidus quaestionem, liceatne infantem baptizare intra octavum a nativitate diem. Ratio dubii petebatur a lege circumcisionis, in cujus locum successit baptismus; nam infantem non licebat ante octavum diem circumcidere. — Ante Cyprianum Origenes l. 5 in ep. ad rom. n. 9: „Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent.“ — Ante Originem jam Irenaeus IV, 22 n. 4: „Omnes venit per semetipsum salvare (Christus): omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et juvenes et seniores.“ Quare si in divinis literis dispositiones quaedam ad baptismum rite suscipiendum requiruntur, spectant ea effata ad adultos, non ad infantes, quibus sicut aliena voluntas causa fuit ruinae, ita aliena voluntas satis est ad salutem. — Hinc s. Augustinus s. 294 c. 11: „Credit in altero, quia peccavit in altero;“ (cf. t. II n. 105 [1]) et s. Bernardus opusc. 10 c. 2 n. 9: „Non quod vel ipsi (infantes), quando baptizantur fide omnino careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo: sed salvantur et ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam [1]). Dignum nempe est et ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem aetas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim Omnipotentis justitia propriam putat ab his exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porro aliena opus est fide, cum sine sorde non nascantur aliena . . . Nec dubium, quod macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat vel debeat emundari.“ Paedobaptismi praxim testantur vel inscriptiones sepulcrales, quarum specimina exhibet Kirchenlex. 7^2, 791. Cf. egregius sermo 7 Ecberti schonaug. (sec. XII Mig. 195, 41) adversus catharos; Nat. Alexander diss.

---

[1]) Hinc dicuntur infantes „in fide Ecclesiae“ baptizari, quod triplici sensu accipi potest: **1.** efficienter, quia fides Ecclesiae de necessitate, efficacia etc. baptismi est causa cur etiam parvuli baptizentur; **2.** dispositive, quia fides quorundam membrorum Ecclesiae est ratio movens eos, ut infantes offerant baptizandos; **3.** formaliter quatenus baptismus est sacramentum fidei i. e. practica professio fidei et sigillum, quo quis ad fidem Christi profitendam obligatur.

13 in sec. XII. et XIII.de bapt. infantium contra petrobrussianos in waldensibus etc. redivivos.

314. Cum ergo infantes valide baptizentur, non licet eos, cum adoleverint, rebaptizare; nam Ecclesia quovis tempore baptismi iterationem exhorruit (n. 270[2]). Ideo conc. trid. statuit sess. 7 can. 11: „Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles Christi fidem negaverit et ad poenitentiam revertitur, A. S.“

315. **Demonstratio p. II.** Erasmus in praef. ad paraphr. in Ev. Matth. ed. lugd. Bat. 1706 opp. t. 7 innixus principio, neminem invitum ad aliquid ab alio ejus nomine promissum servandum obligari posse, contendit, interrogandos esse parvulos, cum ad annos discretionis pervenerint, „ratumne habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo: si respondeant, se ratum habere, tunc publice renovetur ea professio;“ quod si negent, omnibus mediis frustra adhibitis, concludit: „Expediet illos non cogi, sed suo relinqui animo, donec resipiscant: nec ad aliam interim vocari poenam, nisi ut ab eucharistia sumenda reliquisque sacramentis arceantur.“ Verum eam praxim damnavit concilium trid. sess. 7 can. 14: „Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, A. S.“ Cf. etiam can. 8 et Perrone VIII. de bapt. c. 4.

316. **1.** Infantes revera hac teneri sponsione, probatur ex jure naturae. Parentes enim tenentur vel jure naturae infantibus consulere, quamdiu sibi ipsi providere nequeunt ea quae necessaria sunt ad salutem tum corporis, tum animae. Atqui ad salutem animae absolute necessarius est baptismus. Hunc ergo parentes infantibus procurare debent. Atqui jure naturae tenentur parvuli, cum adoleverint, ea servare pacta et solvere debita, quae in utilitatem temporalem pro ipsis inierunt parentes, neque interrogandi sunt, velintne ea rata habere. Ergo a pari iis etiam obstringentur obligationibus, quas baptismus ad salutem prorsus necessarius secum fert. Probatur

2. ex jure civili. Nam jure civili (imo et naturali) tenentur pupilli iis stare pactis, quae in eorum utilitatem inierunt tutores. Atqui tutores infantium sunt parentes, patrini, Ecclesia: quae vero hi spondent, in summam, in aeternam eorum cedunt salutem et commodum. Injustum ergo non est, si ab adultis exigitur, ut hisce stent promissis. Ad haec vi juris civilis tenentur infantes, quin adulti interrogentur, propter solam nativitatem ad leges patriae subinde duras, subinde inutiles, servandas. Quanto minus ergo injustum est, eos vi regenerationis obnoxios fieri legibus reipublicae christianae plane salutaribus?

3. Probatur ex jure mosaico. Infantes enim judaeorum vi circumcisionis obnoxii reddebantur universae legi mosaicae. Quapropter contra

justitiam non erit, si parvuli baptizati vi circumcisionis spiritualis i. e. baptismi ad legem christianam servandam obligentur.

4. Probatur denique ex jure divino: nam circumcisionis lex institutionis erat divinae: ergo secundum jus divinum est, ut quis, quin interrogetur vel consentiat, obstrictus sit legi divinae servandae. Praeterea omnis homo vi nativitatis, velit nolit, tenetur ad legis naturalis observantiam. Non erit ergo contra jus divinum, ut infans vi regenerationis, quo fit membrum ordinis supernaturalis, obnoxius reddatur hujus ordinis legibus. Ceterum omnis evanescet difficultas, si notetur, infantes, postquam adoleverint, ad id tantum obligari, ad quod obligantur etiamsi non fuissent baptizati, independenter a promissionibus in baptismo factis, vi juris divini exigentis ut certae serventur conditiones ad consequendam salutem.

317. **Thesis CCXVII.** ***Baptismus omnibus tam parvulis quam adultis ad salutem est necessarius.***

Declaratio. Reliqua est quaestio de baptismi *necessitate,* quam negarunt veteres et recentiores haeretici. Ita pelagiani, negato peccato originali, affirmabant, baptismum necessarium quidem esse ad consequendam adoptionem in filios Dei et regnum coelorum: non autem ad adipiscendam vitam aeternam, quam ab illo distinguebant. Sociniani vero, arminiani, rationalistae etc., rejectis pariter peccato originali et sacramentorum efficacia conferendi gratiam, consequenter baptismi necessitatem inficiati sunt [1]). Contra quos omnes statuit concilium trid. sess. 7 can. 5: »Si quis dixerit, baptismum liberum esse, h. e. non necessarium ad salutem, A. S.;« et sess. 6 cap. 4 docet, »justificationem post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse.« Jam vero de hac necessitate plura sunt praenotanda. Sequitur scil. ex hisce verbis

1. baptismi necessitatem seu obligationem non incepisse ab ipso institutionis baptismi momento, sed a sufficienti ejusdem promulgatione; ideoque cum non ubique eodem tempore promulgatum fuerit Evangelium, sed successive et temporis cursu, non ubique eodem tempore coepisse obligationem recipiendi baptismi: citius in Palaestina quam in imperio romano; citius in provinciis huic obnoxiis quam in regionibus remotissimis, in quas Evangelium seculis nonnisi posterioribus fuit illatum: citius in urbibus nobilissimis, quam in villis et vicis. Quare infideles negativi post Christi adventum ante sufficientem Evangelii promulgationem in eodem statu et conditione versabantur, in qua fuerunt universae gentes ante Christi adventum circa salutis media. Huc referri possunt verba s. Bernardi opusc. 10 de bapt. c. 2 n. 6: »Ex eo tempore tantum cuique coepit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi praecepti reus exsistere, ex quo praeceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam.« Cf. Perrone l. c. c. 5. Suarez tamen

---

[1]) Mirum vere est, quomodo protestantes, saltem orthodoxi, baptismi necessitatem tueri possint, si sola fides justificat atque sacramenta nullam habent virtutem conferendi gratiam ex opere operato. Sed qui rebellant adversus revelationem et infallibilis Ecclesiae auctoritatem, logicae quoque jugum excutere ejusque leges contemnere solent.

de legibus l. 10 c. 4 quamvis statuat legis evangelicae ideoque et legis baptismi obligationem supponere ejusdem promulgationem, hanc vero non eodem tempore sed successive tam quoad judaeos quam quoad gentiles factam esse: non probat eorum sententiam, qui putent, promulgationem hanc in multis regionibus nonnisi post secula locum habuisse. Distinctione enim praemissa inter promulgationem et divulgationem seu notitiam promulgationis, illam jam diu factam censet, hanc successive modo adhuc diffundi. Hinc ad solvendas difficultates distinguit inter excusationem et carentiam obligationis, censetque gentes post sufficiens tempus coepisse quidem obligari lege evangelica, per accidens tamen ob cognitionis defectum a transgressionis culpa excusari, ideoque non esse in eadem conditione, qua gentes ante Christi adventum.

2. Ecclesia definivit baptismi necessitatem absque accuratiori determinatione, utrum ea sit necessitas praecepti tantum, an etiam medii. Hoc exactius definire est theologi, qui praemissa hujus distinctionis notione (n. 140), expensis argumentis merito infert, baptismum necessarium esse necessitate non solum praecepti, sed etiam medii.

3. Verum haec necessitas medii non est prorsus absoluta, quae nullam patiatur exceptionem, si scil. loquamur de ritu et non de re (seu effectu) sacramenti; nam baptismus ipse suppleri potest in adultis contritione caritate perfecta, quae baptismi votum includat, et quae idcirco dicitur baptismus flaminis, ut in tr. de poenitentia videbimus; et in primis martyrio, quod propterea baptismus sanguinis dicitur. Martyrium revera supplere baptismum aquae (dummodo hic culpabili negligentia non contemnatur), constans est assertio theologorum, innixa praxi Ecclesiae et persuasioni totius antiquitatis, quam ita enunciat Augustinus de civit. Dei XIII, 7: „Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet (mors) ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur fonte baptismatis. Qui enim dicit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum* (Joan. 3, 5), alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est* (Matth. 10, 22); et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (16, 32). Hinc est, quod scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Ps. 115, 15)“ etc. Cf. de bapt. IV, 22; Tertullianus de bapt. n. 16; Bernardus l. c. c. 2; Algerus l. c. III, 7; Thomas lect. 1 in c. 6 ep. ad Hebr.; quodl. 6 a. 4. Martyrium autem definitur: Perpessio mortis vel cruciatus letalis pro Christi fide aut virtute christianae fidei patienter tolerata: qua in definitione virtus christianae fidei latissime intelligi debet, ut s. Thomas praeclare exponit 2. 2 p. q. 124 a. 5: „Ad fidei veritatem non solum ipsa credulitas cordis, sed etiam pertinet exterior protestatio, quae quidem fit non solum per verba, quibus confitetur aliquis fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Jacobi 2, 8: *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Unde et de quibusdam dicitur ad Titum 1, 16: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur ad Deum, sunt quaedam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus a nobis hujusmodi opera requirit et nos pro eis remunerat, et secundum hoc possunt esse martyrii causa.“ Hinc Ecclesia ut martyres colit qui pro tuenda castitate, juribus Ecclesiae, matrimonii sanctitate (ut s. Joannes B.),

pro confessionis sigillo sancte servando etc. fortiter obierunt. Ut vero martyrio haec tribui possit praerogativa, requiritur ex parte adulti **a.** consensus in martyrium sive acceptatio mortis saltem habitualiter voluntaria, **b.** ex motivo supernaturali, **c.** absque resistentia, et **d.** si est in peccati gravis statu, poenitentia, quae sit saltem attritio. Justificat autem martyrium non ex opere operato, sed per modum operis operati. Cf. Holtzclau theol. wirceb. V de bapt. c. 2 a. 3; Heinrich dogm. Theol. I § 52.

318. **Demonstratio. 1.** Baptismi necessitas colligitur ex verbis Christi Joan. 3, 5: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* quae verba adeo solemniter prolata **a.** sunt plane universalia; non enunciantur **b.** forma praeceptiva, sed **c.** significant nexum objectivum conditionis seu medii ad finem: cujus nexus **d.** redditur ratio v. 6: *Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est:* col. 1. Cor. 15, 50. Ergo baptismus omnibus necessarius est et quidem necessitate medii ad salutem. Quod si dubia videtur illatio, omnis dubii vel umbra excluditur traditione exegetica et practica Ecclesiae. Matth. 28, 19: *Docete omnes gentes baptizantes eos* etc.; Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:* quibus verbis profecto significat Christus, quae prae ceteris sint necessaria ad salutem, scil. fidem, qua simul complectitur reliquas dispositiones, quae, nisi impedimenta ponuntur, fructuum instar ex illa progerminant, et baptismum. Est ergo baptismus praeter fidem, quae necessaria est necessitate medii (cf. n. 141), quam maxime necessarius ad salutem.

2. Colligitur haec veritas ex traditione, praesertim ex disputatione cum pelagianis, qui cum contenderent, parvulos sine baptismo posse consequi saltem vitam aeternam, damnati sunt atque saepius contra eos declaratum fuit, parvulos sine baptismo perire.

Ita patres conc. carthaginensis scribunt n. 6 ad Innocentium I: »Quicunque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere sempiternam, A. S.;« et Innocentius patribus conc. milevitani respondet n. 5: »Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est.« — Quocirca Augustinus ad Renatum de anima et ejus orig. III, 9: »Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalem indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus.« Cf. t. II n. 370. Tanta est secundum Hermae Past. l. 2 similit. 9 c. 16 baptismi necessitas, ut vel justi V. T. in limbo degentes debuerint baptizari, antequam plene essent salvi. »Antequam enim accipiat homo nomen Filii Dei, morti destinatus est: at ubi accipit illud sigillum, liberatur a morte et traditur vitae. Illud autem sigillum aqua est.«

3. Accedit sensus fidelium, qui se prodit sollicitudine de parvulorum baptismate et tristitia de horum morte sine baptismo.

4. Neque desunt principia, quibus confirmatur dogma catholicum. Nemo enim **a.** potest salvari, nisi vivificetur, cum omnes Adami peccato mortui sunt: secundum illud 1. Cor. 15, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur: ita et in Christo omnes vivificabuntur*, quae et de anima intelligi debent. Atqui infantes vivificari tantum possunt vi regenerationis, qua in eis sanetur generationis vitium: regeneratio autem efficitur baptismo Joan. 3, 5. Ergo infantibus baptismus absolute est necessarius ad salutem. Quod **b.** ita confirmatur: Infantes vivificari tantum possunt vel ex opere operantis vel ex opere operato. Atqui non possunt vivificari ex opere operantis, cujus sunt incapaces; ergo ex opere operato, hinc per sacramentum. Atqui sacramentum ad vivificandum primario institutum est baptismus, qui est sacramentorum aliorum janua. Ergo sine baptismo salutem nequeunt consequi. Hinc „quisquis dixerit, scribit Augustinus ad Hieronymum ep. 166 n. 21, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus (baptismi) participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse."

Sectio II.

De confirmationis sacramento.

319. Baptismum in ordine sacramentorum excipit confirmatio, quae a materia remota dicitur chrisma; a proxima sive ritu impositio manuum seu chrismatis sacramentum; ab effectu confirmatio, signaculum dominicum, sigillum, quae appellatio videtur etiam derivata a ritu, confertur enim ab episcopo consignatione frontis; a relatione ad baptismum dicitur perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis, quia eo consummatur, quod in baptismo fuit inchoatum. Cf. Vicecomes de ant. conf. ritibus I, 2 s. Adumbratur hoc sacramentum manuum impositione, quam Christus impertiebat parvulis Matth. 19, 13; Marc. 10, 13; splendidius vero solemni adventu Spiritus s. supra apostolos die Pentecostes. Definitur confirmatio sacramentum N. L., quo baptizatis gratia sanctificans augetur et additur robur Spiritus s. tum ad firmiter credendum, tum ad fidem strenue profitendam. Duplex in primis est quaestio dogmatica, quam etiam concilium trid. suis canonibus diremit:

1. num confirmatio veri nominis sit sacramentum, et

2. quinam sit ejusdem minister.

320. **Thesis CCXVIII.** ***Confirmatio verum est proprieque dictum novae Legis sacramentum a baptismo distinctum.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra protestantes, inter quos impugnatione hujus sacramenti eminent Dallaeus et Basnage: eaque est de fide, ad quam tuendam concilium trid. sess. 7 sanxit can. 1: „Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, A. S.“ Probatur

1. ex Act. 8, 14 ss., ubi narratur samaritanorum ad fidem conversio, ad quos missi fuere Petrus et Joannes, qui *imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam* etc.; 19, 6: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus s. super eos: et loquebantur linguis et prophetabant.* Unde liquet **a.** manuum impositionem, de qua l. c. est sermo, ritum fuisse distinctum a baptismo: imponebantur enim manus jam baptizatis; eamque **b.** fuisse efficacem gratiae, nam illa conferebatur Spiritus s.; **c.** eam habitam non fuisse indifferentem, cum ad imponendas manus apostolorum princeps cum Joanne in Samariam se contulerit, illuc propterea ad mera charismata conferenda certo non iturus, aliis occupationibus obrutus, nisi ritus hic institutionis esset divinae et ad salutem quam maxime utilis. Tantae vero **d.** ritum hunc esse praestantiae et dignitatis, ut non quilibet illius esse possit minister, neque is semper, qui baptismum administraverit, sed ii tantum, qui in Ecclesia excellunt; unde Act. 19, 5 s. tacetur quidem qui ephesios illos baptizaverit, diserte vero narratur Paulum ipsum manus eis imposuisse.

321. Si quis excipit, hanc manuum impositionem fuisse olim adhibitam ad conferenda extraordinaria Spiritus s. charismata, quae modo cessarunt, ideoque fuisse ritum nonnisi pro Ecclesia primitiva; negamus hunc fuisse ritus istius finem saltem primarium, vel unicum. Adhibitus enim fuit, ut ex ipsis patet textibus, ad conferendum Spiritum s., quem Christus non solum apostolis, sed fidelibus omnibus promisit, ut liquet praesertim ex Joan. 7, 38: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem erant accepturi credentes in eum;* Act. 2, 38, quibus in locis nomine Spiritus s. primario ipse Spiritus s. secundum sua dona gratum facientia intelligi debet. Deinde vix probabile censendum est omnes illos, etiam mulieres, quibus manus imponebantur, mira accepisse charismata. Voluit Deus, ut initio Ecclesiae collatio invisibilis Spiritus s. visibili saepe manifestaretur modo ad roborandam fidem christianam, qua sufficienter corroborata cessarunt signa extraordinaria (t. I n. 93). Ad rem Augustinus de bapt. III, 16: „Neque temporalibus, inquit, et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus s., sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei et Ecclesiae primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum s. imponitur, repente incipiant linguis loqui? sed invisibiliter et latenter in-

telligitur, propter vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inspirari.« Ceterum ingeniose s. doctor ostendit, qua ratione hoc miraculum nunc quoque in fidelibus adimpleatur: eo ipso enim quod fideles per sacramenta inseruntur Ecclesiae, quae loquitur linguis omnium gentium, participant hanc praerogativam. Cf. opusc. XXVII, 187 a.

Si quis ulterius urget, hunc ritum esse inutilem; vel enim adhibetur ad conferendam gratiam vel ad conferendum robur. Atqui ad gratiam conferendam institutus est baptismus; ad roborandum data est eucharistia. Superfluus ergo est hic ritus: respondemus, in quaestione facti et institutionis divinae sententiam non esse ferendam a priori, sed secundum divinae revelationis testimonia. Atqui haec clare praeter baptismum et eucharistiam alium exhibent ritum Ecclesiae relictum ad conferendum Spiritum s. Ratio vero reddi potest institutionis ritus distincti. Baptismo enim reddimur filii: eucharistia nutrimur cibo, qui tales tantosqne decet filios; confirmatione adolescimus et constituimur milites: hinc roboramur ad militiam spiritualem, ut proeliemur proelia Domini adversus spiritales nequitias.

322. **2.** Neve quis excipiat, apostolorum tantum aetate ejusmodi exstitisse ritum ad conferendum speciali modo Spiritum s., recurrendum est ad traditionem, qua evidenter comprobetur ejus perennitas.

Eum viguisse sec. V. testatur Augustinus cum respiciens Act. 8, 14 ss. scribit de Trin. XV n. 46: »Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia;« et iterum c. lit. Petil. II, 104: »In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.« — Eodem fere tempore Innocentius I. statuit ep. 25 ad Decentium n. 6: »De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio actuum apostolorum, quae asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum s. Nam presbyteris . . . chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.« — Ante utrumque refert Hieronymus dial. adv. lucif. n. 9, »hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus a presbytero et diacono baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus sancti manus impositurus excurrat.« — Ante Hieronymum Cyrillus hieros. adeo clare tradit integra catechesi (mystag. 3) hujus ritus in Ecclesia usum, ut Chemnitius hoc sacramentum per contemptum appellet chrisma cyrillianum. — Seculo III. hujus sacramenti testes luculenti sunt Cornelius romanus pontifex (n. 276[6]), et Cyprianus, qui relato Act. 8, 14 ss., scribit ep. 73: Quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratio pro eis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. »Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum s. consequantur et signaculo dominico consummentur.« — Quibus similia habent duo alii testes coaevi, Nemesianus a Thubunis in concilio carthaginensi III. (a. 256) c. 5 et auctor l. de rebaptismate.

— Sed ante hos omnes sec. exeunte II. jam Tertullianus testis exsistit de bapt. c. 8: „Dehinc (post baptismum) manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum.“ Cf. de praescr. n. 36 et supra n. 255[5].

3. Accedit argumentum efficax ex consensu ecclesiae graecae schismaticae et sectarum Orientis, quae nunquam non inter septem, quae admittunt sacramenta, confirmationem recensent [1]).

323. *De hujus sacramenti ministro* statuit concilium trid. sess. 7 can. 3: „Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S;“ cf. et sess. 23 can. 7 (th. 256). Episcopos revera ministros proprios et ordinarios esse hujus sacramenti, colligitur vel ex illis sive Scripturae sive traditionis effatis, quibus thesim comprobavimus. Ex plurimis vero factis, quae collegit Morinus, liquet, non solum in Oriente, sed et in Occidente presbyteros quoque hoc administrasse sacramentum, imo in Oriente hanc praxim esse quasi ordinariam. Quaeritur ergo, num episcopi jure divino, an ecclesiastico tantum sint hujus sacramenti ministri ordinarii. Non desunt theologi, qui hoc posterius affirment. Omnibus tamen expensis tenenda est ea sententia, quae statuit, presbyteros non esse ministros proprios, sed ad hoc, ut possint confirmationis conferre sacramentum, indigere delegatione, et quidem in Ecclesia latina a romano pontifice; in Oriente vero ex privilegio et tacito quasi sedis apostolicae consensu eos indigere delegatione tantum episcopi. Nam Eugenius IV. declarat in instruct. pro armenis: „Legitur tamen aliquando per apostolicae sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum.“ Quare presbyteri censendi sunt tantum ministri extraordinarii. Ex hac autem delegatione ipsis necessaria, ut valide possint conferre confirmationis sacramentum, non sequitur ejus collationem revocandam esse ad potestatem jurisdictionis, ut plures censent theologi vetustiores: sed inde videtur consequi, ad ejus valorem requiri quandam in Ecclesia eminentiam et dignitatem, quae illa delegatione sane confertur [2]): quod et s. Thomas satis innuit c. gentes IV, 60: „Convenienter etiam hoc sacramentum a solis pontificibus confertur, qui sunt quodammodo duces exercitus christiani; nam et apud secularem militiam ad

---

[1]) De nestorianis id luculenter probat cl. Bickell in fol. trimestri Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1877 pag. 85 ss. Cf. Renaudot Perpétuité de la foi t. 5 l. 2 c. 11 ss.; Arcudius de concordia Eccl. occident. et orientalis in septem sacrament. administratione l. 2; Goar in euchologio pag. 628 ss.; Assemani biblioth. orient. p. 1 et 2.

[2]) Cf. Lehmkuhl, Zeitschr. für kath. Theol. 6, 567 ss., Oeniponte 1882 et Praxmarer Katholik 1884. I, 271 ss.

ducem exercitus pertinet ad militiam eligendo quosdam adscribere.“ Cf. quodl. 11 q. 7 a. 7.

324. *De materia hujus sacramenti* quadruplex est sententia, et pro qualibet graves stant patroni. Prima, quam Sirmondus, Is. Habert etc. tuentur, censet materiam proximam esse solam manuum impositionem, cujus unice in Scriptura fit mentio. — Altera, quae arrisit Thomae, Bellarmino, Maldonato, contendit, solam materiam essentialem esse inunctionem, quae substituta fuerit manuum impositioni; pro qua assertione provocant ad libros rituales pluresque patres, qui solius inunctionis meminerunt; in primis ad Eugenium IV., qui in instruct. pro armenis declarat, hujus sacramenti materiam esse chrisma; et citatis verbis Act. 8, 14 s. subdit: „Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio.“ Cf. conc. mogunt. a. 1549 cap. 18; Billot th. 32. — Reliquae duae sententiae sunt mediae ad evitandas primae et alterius difficultates. Tertia, quam sequitur ex. gr. Ruardus Tapper, statuit et manuum impositionem et inunctionem seorsim materiam esse essentialem, ut suadere videntur argumenta, quibus utuntur patroni tum primae, tum alterius sententiae. — Quarta sententia contra tuetur manuum impositionem scil. eam, quae habetur in ipsa inunctione seu cum inunctione, materiam esse proximam confirmationis. Quae sententia videtur praeferenda, cum ea concilientur monumenta antiquitatis, in quibus revera modo hujus, modo illius tamquam ritus maxime proprii, quo hoc administretur sacramentum, fit mentio. Improbabile vero est, duplicem esse materiam essentialem et adaequatam ejusdem sacramenti. Ergo duo hi ritus unam constituunt materiam hujus sacramenti adaequatam. Quamobrem forma erunt ea verba, quae episcopus, dum pollice manus impositae inungit frontem confirmandi, pronunciat. Cf. Katholik 1881. I, 271 ss.

Sectio III.

De sanctissimo eucharistiae mysterio.

325. *De eucharistiae praestantia.* — „Jam nunc ad illud dominici corporis et sanguinis transeamus venerabile sacramentum, quod quidem tantum formidabile est ad loquendum, quantum non terrenum, sed coeleste est mysterium; non humanae aestimationi comparabile, sed admirabile: non disputandum, sed metuendum. De quo silere potius aestimaveram, quam temeraria disputatione indigne aliquid definire: quia coelestis altitudo mysterii plane non valet officio linguae corruptibilis exponi [1].“ Et revera sacramentorum omnium praestantissimum esse eucharistiam nemo catholicorum in dubium vocabit. Quae quidem praestantia multiplici ex capite innotescit.

---

[1]) Ita exorditur disputationem de hoc sacramento Fulbertus carn. († 1028) ep. 5. Porro tam magnificum exordium plane est ridiculum et fere puerile, si tenuisset eorum fidem, qui negant realem Christi in eo praesentiam. Cf. Petrus bless. Mig. 206, 358; Balduinus de sacr. altaris ib. 204, 641.

1. Innotescit ex nominum multitudine, quibus hoc sacramentum designatur, ex splendore praedicatorum, quibus describitur, seu ex apparatu rhetorico, qui in illo efferendo adhibetur.

Quo enim praestantior est aliqua res, quo majorem includit perfectionem, eo magis fundamentum praebet multiplicandi nomina; eo plura requiruntur praedicata ad illam adaequate describendam vel saltem adumbrandam, ad perfectionum divitias, quas complectitur, oculis velut subjiciendas. Atqui eucharistiae sacramentum innumeris a patribus designatur nominibus. Vocatur hoc sacramentum **a.** a ritu, qui in eo celebrando adhibetur fractio panis, εὐλογία (quamvis hoc nomine saepius designetur panis ex fidelium oblatione sepositus, qui benedicebatur et non communicaturis communionis vice dabatur, qui usus invaluit a sec. IV. praesertim apud graecos, cf. Kirchenlex. IV, 879), εὐχαριστία; **b.** ab institutionis tempore vel occasione mensa, coena, coena dominica, coena Domini, pascha N. T.; **c.** a re, quam continet, corpus et sanguis Christi, sancta, sancta sanctorum, mysteria, sanctissimum (Frohnleichnam i. e. corpus Domini); **d.** a materia, e qua conficitur, panis Joan. 6, 52; 1. Cor. 10, 16, licet etiam panis dicatur ratione speciei externae, et panis coelestis ratione virtutis, qua vitam spiritualem conservat et auget; **e.** ratione sacrificii, in quo conficitur, oblatio, sacramentum altaris, mensa Domini 1. Cor. 10, 21; **f.** ratione summae Christi in nos dilectionis, cujus est fructus, et effectus, qui est dilectio socialis, cujus est symbolum et causa, vel ratione adjunctorum, quae illius celebrationem olim comitabantur, ἀγάπη; **g.** ratione effectuum, quos producit, viaticum, communio etc. Cf. Thomas 3. p. q. 73 a. 4; Oswald, Die dogm. Lehre von den Sacramenten t. 1 p. 4 § 1 n. 4. — Insuper efferunt patres eucharistiae sacramentum praedicatis quam honorificentissimis: dicunt enim illud non solum sanctum, sacrosanctum, sed et sanctissimum, ineffabile, divinum, divinissimum, tremendum, φρικτόν, horrendum, »quod, ut scribit Chrysostomus hom. 81 in Matth. n. 5, angeli videntes horrore replentur, nec respicere audent propter erumpentem exinde splendorem.«

2. Praestantiam hujus sacramenti testatur apparatus liturgicus, quo eucharistia quovis seculo in Ecclesia universa celebrata fuit. Vere enim dici potest, eucharistiae celebrationem totius cultus et vitae religiosae esse centrum et velut cor et animam. Tolle hoc sacramentum ex Ecclesia, et illico languescet fidelium pietas et devotio, imminuetur concursantium ad templum frequentia et alacritas. Ubi eucharistia conficitur, congregantur undique fideles; ut illa condigne celebretur, omnes inter se certant artes liberales, eriguntur tam magnifica templa, parantur vasa pretiosa, curatur summa mundities, exigitur tanta in ministris virtus et puritas, multiplex distinguitur ministrorum ordo, praemittenda est communicaturis, si in statu sunt peccati, alterius sacramenti susceptio, praescribitur rigidissimum corporis jejunium; ex hoc mysterio redundat in altaria, vasa, templa dignitas, quae eadem reddit veneranda.

Quam ob rem Optatus non sine horrore refert, quae donatistae contra catholicorum altaria egerint. »Quid enim, inquit VI, 1. 2, tam sacrilegum, quam altaria Dei (in quibus et vos aliquando obtulistis) frangere, radere, re-

movere? in quibus et vota populi et membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens invocatus sit; quo postulatus descenderit Spiritus s.[1]): unde a multis et pignus salutis aeternae, et tutela fidei et spes resurrectionis accepta est... Quid est enim altare nisi sedes et corporis et sanguinis Christi? Haec omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit... Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus et sanguis habitabant? ... Hoc modo judaeos estis imitati: illi injecerunt manus Christo in cruce: a vobis percussus est in altari ... Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores.« — Secundum Chrysostomum vero tanta ex eucharistiae celebratione dignitas in ea, quae illam circumstant, redundat, ut eo tempore alicujus fieri commemorationem, in summum hujus cedat honorem; inde enim rationem petit, quare martyrum mentio fiat oblationis tempore. »In manibus est hostia (θυσία), ita ille hom. 21 in act. apost., et omnia parata prostant: adsunt angeli, archangeli[2]), adest Filius Dei: cum tanto horrore adstant omnes, adstant illi clamantes omnibus silentibus ... Quid putas, pro martyribus offerri quod nominentur in illa hora? Licet martyres sint, etiam pro martyribus magnus honor nominari Domino praesente, dum mors perficitur illa, horrendum sacrificium (φρικτὴ θυσία), ineffabilia mysteria. Quemadmodum enim sedente imperatore, quaecunque voluerit, quispiam perficit: ubi autem surrexerit, quaecunque dixerit, frustra dicit: ita et tunc, quamdiu prostant mysteria, omnibus honor maximus est in memoria haberi etc.«

3. Quo pretiosior est thesaurus, quo carior margarita, eo diligentiori cura et sollicitudine custoditur, improborum notitiae subtrahitur atque occultatur. Quapropter Ecclesia memor verborum Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque projicite margaritas vestras ante porcos* (Matth. 7,6), mysteria sua profanorum et nondum initiatorum oculis sedulo subtraxit,

---

[1]) Hic manifesto respicit illam Spiritus s. invocationem, qua in antiquis praesertim liturgiis ipse invocatur, »ut adveniens sancta, bona et gloriosa sua praesentia sanctificet et transmutet proposita et sancta dona ista in ipsum corpus et sanguinem nostrae liberationis,« ut legimus in liturgia alex. s. Gregorii apud Renaudot l. c. 1, 105. Cf. infra th. 226.

[2]) Angelorum praesentiam tempore sacrificii eucharistici saepe idem testatur s. doctor, et cum eodem Gregorius M. dial. IV, 58 ubi scribit: »Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Christi mysterio angelorum choros adesse, terrena coelestibus jungi unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?« quae etiam Paschasius Radbertus adducit ep. ad Frudegardum et Gero de corpore et sanguine Christi c. 53 (Migne 137, 400). Huc referri possunt, quae habentur in liturgia syriaca, in qua diaconus hortatur fideles: »Stemus recte orantes, stemus cum timore et tremore, stemus caste, quia ecce oblatio offertur, et majestas exoritur, portae coeli aperiuntur et Spiritus s. descendit et super haec sancta mysteria accubat: in loco terribili ac tremendo stamus, cherubim et seraphim conjugati et fratres ac socii vigilum angelorumque effecti, igneum ac spirituale ministerium cum ipsis peragimus etc.« Ita in supplemento, in quo integra ea describuntur, quorum initia in syriacis anaphoris indicata sunt in Assemani cod. lit. l. 4 p. 2 pag. 82. Cf. Renaudot collect. liturg. II, 33.

atque disciplina, ut dicunt, arcani [1]) caute velavit: prae ceteris vero hoc mysterium velut pupillam oculi sollicite servavit, ne profanorum auribus

---

[1]) Cum *disciplinae arcani* in re praesertim sacramentaria saepe occurrat mentio, quaedam de illa breviter annotasse haud pigebit. Eam **1.** viguisse nemo inficiabitur, qui vel obiter patrum inspexerit opera. Eam patres testantur, quoties de sacramentis disserentes aliqua silentio praetereunt, vel ad illa tantum respiciunt et alludunt, vel eadem obscure attingunt, adhibitis verbis: ‚norunt initiati,' quae fatente ipso Casaubono saltem quinquagies apud s. Joan. Chrysostomum, nec multo rarius apud s. Augustinum occurrunt. Agens de ipso baptismo, haec advertit Chrysostomus: „Volo quidem aperte hoc dicere, verum non audeo propter non initiatos. Hi enim expositionem nobis reddunt difficiliorem, ut qui nos cogunt vel non aperte dicere, vel eis arcana enunciare. Sed tamen quantum potero, dicam adumbrate etc." (in 1. Cor. hom. 40 n. 1). Ex Augustino vero luculentum testimonium habes tract. 11 in Joan. n. 3 opusc. I, 181 ser. II. Quod si **2.** quaeras quam late patuerit haec disciplina, respondemus, eam fuisse loco plane universalem, cum illius aperte mentionem faciant Augustinus, Athanasius, Cyrillus hieros., Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Gaudentius, Julius I. et Innocentius I. etc.; ex qua universalitate merito conjicitur **3.**, eam esse traditionis apostolicae, nam illius jam meminerunt Origenes l. 1 adv. Celsum n. 7 et Tertullianus praescr. c. 41; ad uxorem II, 5 etc. Et revera Basilius de Spir. s. c. 25 eam apostolis videtur adscribere. Exemplo enim desumpto ex lege mosaica, qua solus summus sacerdos semel per annum permittebatur ingredi Sancta Sanctorum, ne scil. res usu trita contemptui exponeretur, subdit: „Ad eundem profecto modum, et qui in primordiis Ecclesiae certos ritus praescripserunt apostoli et patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur." Summo autem **4.** rigore haec disciplina servabatur, ut colligitur **a.** ex Tertulliano apol. c. 7 n. 33 ss.; **b.** ex eo, quod nunquam Ecclesiae persecutoribus, adhibita licet omni diligentia, christianorum innotuerunt mysteria vel nonnisi subobscure; unde divulgatae sunt inter gentiles calumniae plane absurdae et horrendae de occisione infantis, quem in suis conventibus christiani comederent (Cf. Minuc. Felix in Octavio n. 9 opusc. XV, 28): quae calumniae non aliunde ortae sunt quam ex christianorum de reali praesentia fide male intellecta. Constat **c.** de hoc rigore ex eo, quod vel romani pontifices se hac lege obstrictos censuerint, ut testis est Innocentius I., qui noluit confirmationis formam literis consignare, ne magis prodere videretur, quam consultationi respondere ep. 25 ad Decentium n. 6 et 12 (opusc. XVIII, 31); tum **d.** ex horrore, quem concepit Julius I., cum audisset, in causa Athanasii interrogationem habitam fuisse ab arianis de mysteriis eucharisticis praesentibus catechumenis, judaeis et ethnicis (ep. ad Euseb. n. 15 opusc. XVIII); demum **e.** ex interdicto initiatis imposito, ne institutionem de mysteriis auditam aliis nondum initiatis traderent. „Cum autem catechesis recitatur, ita Cyrillus procatech. n. 12, si catechumenus ex te quaesierit, quid dicebant doctores? nihil dicas externo. Mysteria enim tibi et spem futuri seculi tradidimus. Custodi hoc mysterium ei, qui mercedem rependit; nec unquam dicentem aliquem audi: quid obest, si et ego didicero? Etiam aegroti vinum quandoque postulant, quod si intempestive illis detur, phrenesim conciliat. Et duo hinc nascuntur mala: nam aeger interit et medicus male audit. Sic et catechumenus, si audiat mysteria a fideli, phrenesim patitur, nescit enim, quid audiverit, et tamen arguit rem ignotam dictaque irridet: fidelis vero tamquam proditor condemnatur. Jam ergo tu in finibus nostris constitutus cave, ne quid effutias: non quod digna non sint narratione ea, quae ibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referas. Fueras et tu aliquando catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quae nunc traduntur, experientia di-

exponeretur. „Quid enim in terra sanctius, inquit Germanus parisienis in expos. lit. gallic., confectione corporis et sanguinis Christi? et quid plus immundum (quam) canes et porci (i. e. nondum baptizati)?“

Hinc patres in suis sermonibus, cum orationis contextus hujus sacramenti exigeret mentionem, silentio ipsum praetermittunt, vel obiter tantum attingunt, quod illud noscant initiati, vel obscure et plane aenigmatice loquuntur. Praeclarum exemplum habes apud Theodoretum in dial. 2 (p. 125), cui adversarius eutychianus suam ex eucharistia nititur probare haeresim dicens: „Opportune de divinis mysteriis intulisti sermonem. Nam inde tibi ostendam, corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde igitur ad meas interrogationes. Orthod. Respondebo. E. Quid appellas donum, quod offertur ante sacerdotis invocationem? O. Aperte dicendum non est, verisimile enim est adesse aliquos mysteriis non initiatos. E. Respondeatur aenigmatice. O. Cibum ex talibus seminibus.“ — Praeclariora forte sunt, quae scribit Epiphanius in Ancor. n. 57: „Videmus enim Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur, quod a coena surgens haec acceperit et gratias agens dixerit: *Hoc meum est hoc,* τοῦτό μου ἐστὶ τόδε. Atqui videmus aequale illud non esse nec simile, non susceptae carnis imagini, non invisibili divinitati,

---

diceris, tunc plane intelliges, dignos non esse catechumenos, qui ea audiant.“ Imo f. tanto rigore haec mysteria sacrosancta fideles celabant, ut vellent potius mori quam eadem prodere, quod Damasus de s. Tarsicio M. deferente ad confessores in carcere constitutos eucharistiam (carm. 19) laudibus prosequitur:

Cum malesana manus peteret vulgare profanis,
Ipse animam potius voluit dimittere caesus,
Prodere quam canibus rabidis coelestia membra.

Si vero **5.** quaeritur, de quibus potissimum arcani disciplina servata sit, respondemus, illam in primis viguisse circa sacramenta omnia (cf. Basilium de Spir. s. c. 27), praesertim circa eucharistiam; sed etiam circa sublimiores veritates revelatas universim; nam ita habet Cyrillus cat. 6 n. 29: „Haec mysteria, quae nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex catechumenis excedit, moris non est, gentilibus exponere. Non enim gentili cuiquam de Patre et Filio et Spiritu s. arcana mysteria declaramus; neque palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa saepe loquimur occulte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, et qui non tenent, non laedantur.“ Memoria dignissima sunt, quae Sozomenus de symbolo nicaeno disserens scribit. „Initio quidem existimaveram, ita ille H. E. I, 20, exemplum illius fidei ad veritatis demonstrationem hic necessario apponendum esse. Sed cum quidam ex amicis viri pii et harum rerum notitia praediti suasissent mihi, ut ea quidem, quae a solis initiatis et sacerdotibus dici audirique fas est, silentio involverem, eorum consilium probavi. Quippe verosimile est quosdam sacramentis fidei nostrae minime initiatos hunc librum lecturos esse. Verum occultatis a me quantum fieri potuit arcanis, quae reticenda sunt etc.“ Si **6.** inquiras in hujus disciplinae fundamenta, patres **a.** fere unanimes illam, si non praeceptam, insinuatam saltem vident verbis Christi Matth. 7, 6; cf. et 1. Cor. 3, 2; provocant **b.** ad ipsorum gentilium praxim, penes quos „mysteriis silentii fides debetur“ (Tertullianus apol. c. 7 n. 34); ob oculos ponunt **c.** hujus disciplinae utilitatem, tum ut mysteria a profanatione vindicentur venerandaque reddantur; tum ut catechumenorum animus ad illa discenda excitetur et audiendi cupiditas acuatur. (Cf. Augustini serm. 132 n. 1). Haec disciplina **7.** in Oriente ad finem usque seculi V., in Occidente ad medium circa sec. VI. videtur durasse. Cf. Schelstrate in diss. apol. de disciplina arcani.

non membrorum lineamentis ac notis. Illud enim rotundum est et quod ad vim attinet, sensus expers; et nihilominus ex gratia pronunciare voluit: *hoc meum est hoc.* Et nemo non credit sermoni, nam qui verum illum esse non credit, ita ut dicit, a gratia et salute prorsus excidit.« Et haer. 42 ref. 61: »Accipiens haec et illa dixit: Hoc est haec et illa.« Tanta autem sollicitudo, qua hoc sacramentum custodiebatur, conciliari nequit cum jejuna sacramentariorum opinione. Cf. Perpétuité de la foi II l. 3 c. 9; III l. 3 c. 7.

326. **4.** Eucharistiae praestantiam evincit comparatio cum aliis sacramentis, quam instituit s. Thomas 3. p. q. 65 a. 3, „quod quidem tripliciter apparet: primo quidem ex eo, quod in eo continetur: nam in sacramento eucharistiae continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis participata a Christo . . . Secundo hoc apparet ex ordine sacramentorum ad invicem: nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem. Manifestum est enim, quod sacramentum ordinis ordinatur ad eucharistiae consecrationem; sacramentum vero baptismi ordinatur ad eucharistiae receptionem: in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento. Per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiae, cujus unitas per sacramentum eucharistiae figuratur (adde, et consummatur) . . . Tertio hoc apparet ex ritu sacramentorum, nam fere omnia sacramenta in eucharistia consummantur etc.“ Tamen ne haec, quae de praestantia eucharistiae prae ceteris sacramentis dici solent a theologis, praepostere intelligas, cave ne propter ea, quod eucharistia gratiarum fontem, cetera sacramenta gratiae rivulos continere dicantur, putes eam reliqua posse supplere sacramenta, vel eorum operari effectum vel etiam plus gratiae conferre, quod posterius plane incertum est, teste de Lugo de euch. d. 1 n. 11. Continet quidem gratiae auctorem, virtutis sanctificatricis plenitudinem, quam tamen Christus non secundum totam latitudinem suam exserit, sed secundum legem a se statutam; posset quidem operari aliorum sacramentorum effectum per eucharistiam, sed illis semel institutis praeter ipsa eorum effectum operari non vult. Quare affirmari tantum potest, eucharistia aliorum sacramentorum effectus consummari et ad ulteriorem provehi perfectionem. Cf. Suarez in 3. p. t. 3 d. 40.

327. **5.** Eucharistia vere est mirabilium compendium et summa. Et in primis ea est admirabilis divinarum perfectionum manifestatio; quantopere enim illa manifestantur divina potentia, liberalitas, bonitas, sapientia etc.? quod cum omnibus sit notum, pluribus non exsequimur.

6. Est deinde sacramentum eucharistiae compendium mirabilium mysterii incarnationis ac propemodum quaedam ejusdem repetitio.

Analogia eucharistiam inter et incarnationem. — Sicut enim **a.** Verbum ex b. Maria V. nascens carne amictum prodiit et in praesepio jacuit [1]): ita Verbum carofactum sacerdotis consecratione panis et vini speciebus velatur et in altari adorandum proponitur. Sicut **b.** Christus diu vitam vere absconditam, sed plane divinam duxit in domo nazarethana: ita et vitam absconditam, divinissimam tamen, vivit in hoc sacramento. Sicut **c.** Christus totum se impendit animarum saluti benefaciendo pertransiens universam Palaestinam: ita et in hoc sacramento totus vivit animarum saluti, lumen, benedictionem, salutem impertiens, gratiarum charismata omnis generis ubertim diffundens in omnes hominum ordines. Sicut **d.** Christus in cruce moriens sacrificium obtulit Deo Patri cruentum: ita et in altari quotidie offertur oblatio munda, cruenti illius sacrificii incruenta commemoratio [2]). Sicut **e.** post resurrectionem solaturus suos saepius apparuit, ita per eucharistiam pacem et gaudium afferens stat in medio fidelium. Praeclare Cyrillus alex. l. 12 in Joan. 20, 26: „Justissimis itaque de causis sanctos conventus in ecclesiis agimus octava die: et cum arcanius quiddam effari oportet, quia omnem intelligendi modum superat, fores quidem claudimus, sed supervenit et apparet Christus nobis omnibus, invisibiliter simul ac visibiliter: invisibiliter quidem ut Deus, visibiliter vero in corpore. Permittit vero et dat sanctam carnem suam tangendam. Accedimus enim secundum Dei gratiam ad participationem eulogiae mysticae Christum in manum suscipientes, ut et nos firmiter credamus, eum templum suum vere excitasse.“

---

[1]) Chrysostomus hom. in s. Philogonium n 3 (Migne 48, 753): „Quid excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cum ipse nostri causa descenderit e coelis, nos ad illum vel ex aedibus ire gravemur? cum alienigenae barbarique magi ex Perside accurrant, ut illum videant in praesepi jacentem, tu vero qui christianus es, ne breve quidem spatium emetiri sustineas, ut hoc felici spectaculo perfruaris? Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in praesepi jacentem, siquidem haec mensa vicem explet praesepis. Nam et hic ponetur corpus dominicum, non quidem fasciis involutum sicut tunc, sed undique Spiritu s. vestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quae dicuntur. Ac magi quidem nihil aliud quam adorarunt, tibi vero, si cum pura conscientia accesseris, permittemus, ut sumas et sumpto domum abeas etc.“ Similia habet hom. 24 in 1. Cor. n. 5. — Theodotus ancyranus s. de nativ. Chr. vocat praesepe matrem mensae eucharisticae, subdens n. 11: „Propterea in illo est positus, ut in ista edatur et fidelibus fiat salutaris cibus. Et praesepe quidem hanc claram mensam designavit.“ — Adamus ab. Perseniae ep. 15 (Mig. 211, 630): „Quid, inquam, sunt illae species, color et sapor, forma et pondus, quibus tantum mysterium obumbratur, nisi panni illi, quibus Verbum infans in angustia praesepis obvolvitur?“ Cf. Suarez disp. 46 s. 7.

[2]) Aliam analogiam suggerit Isidorus pelusiota ep. I, 123: „Pura illa sindon, quae sub divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi arimathensis est ministerium. Ut enim ille Domini corpus sindone involutum sepulturae mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit: eodem modo nos propositionis panem in sindone sanctificantes, Christi corpus sine dubitatione reperimus, illam nobis immortalitatem fontis in modum proferens, quam Salvator Jesus a Josepho funere elatus, posteaquam a morte ad vitam rediit, largitus est.“ Cf. P. Radbertus in Matth. 27, 59; tr. de corpore D. (forte s. Bernardi) Mig. 182, 1150.

Alia similitudinis capita recenset Lessius in opere nunquam satis commendando de perfect. moribusque divinis XII, 16 n. 129: »**a.** Sicut in mysterio incarnationis divinitas invisibilis unita est humanitati visibili, ita in eucharistia caro Christi invisibilis unita est speciebus visibilibus. **b.** Sicut ex illa unione unus efficitur Christus, ita ex hac unione cum speciebus unum sacramentum corporis et sanguinis Christi. **c.** Sicut per incarnationem totum Verbum unitum est singulis humanae naturae partibus, ita per consecrationem totum Christi corpus singulis unitur partibus specierum. **d.** Sicut laesa et patiente humanitate divinitas manebat illaesa et impassibilis, ita passiones, quae fiunt circa species, non possunt corpus Christi sub illis latens afficere. **e.** Sicut tamen ob unionem illam Deus dicebatur pati, crucifigi, mori, patiente humanitate: ita ob hanc unionem fractis et sumptis speciebus dicitur frangi et sumi corpus Christi. Facit enim haec unio quandam idiomatum communionem. Sic etiam corpus Christi dicitur videri, tangi, misceri, portari ratione specierum; et hoc visibile recte dicitur vivum, intelligens, sanctificans ratione corporis inclusi. **f.** Sicut humanitas Christi non habebat ibi suum naturalem modum subsistendi, sed sustentabatur a Verbo, ita species non habent hinc suum naturalem modum exsistendi, sed continentur virtute corporis Christi seu divinitate extra suum naturale subjectum. **g.** Sicut nulla vis creata potest illam unionem dissolvere, ita nec hanc, quamdiu species salvae manent.«

7. Imo non solum incarnatio hoc mysterio adumbratur, sed quadamtenus continuatur. Hoc enim sacramento Christus intime se fidelibus singulis insinuat eosque sua imbuit vita secundum illa Joan. 6, 68: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me,* adeo ut merito singuli fideles dicere possint: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20). Qua intima insinuatione fideles penitissime sibi devincit Christus, sicut vitis palmites, caput membra sua: et non solum fideles arctissime sibi devincit, sed inter se quoque conjungit atque in unum constringit corpus: *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (1. Cor. 10, 17).

Quantae vero virtutis sit hoc vinculum inde patet, quod unum non specie, sed numero corpus Christi sit in omnibus fidelibus, qui de hoc participant pane: qua de re egregie disserit Algerus de sacramentis corporis et sanguinis dominici I, 3 (opusc. t. XXIII), et ingeniose admodum Scheeben, qui analogiam et affinitatem trium summorum mysteriorum religionis christianae, ss. Trinitatis, incarnationis et eucharistiae praeclare illustrat. Omnia enim tria eundem nobis ostendunt Filium Dei, primum in sinu Patris aeterni, a quo generatione aeterna procedit; alterum in sinu matris, e quo visibilis ingressus est hunc mundum; tertium in sinu Ecclesiae, in qua jugiter praesens est seque cum singulis conjungit (cf. infra n. 387 s.); ubique tamen corporis oculo et rationis lumini impervius: nam neque per ea, quae facta sunt, generationem aeternam, neque in humanitate visibili unionem hypostaticam, neque sub speciebus eucharisticis Christi praesentiam vel conjiciendo assequimur: sed revelationis tantum lumine et fide attingimus, et fide non quacunque, sed quae superat plane rationis captum atque adversatur notionibus, quibus assueti sumus. Rationis enim lumine cognoscimus in singulari natura unam tantum

personam; personam, quae unius tantum sit naturae; accidentia, quae suae inhaereant substantiae. In hisce vero mysteriis exhibentur nobis et personarum pluralitas in singularitate naturae, et personae unitas in duabus integris naturis, et accidentia, quae carent subjecto connaturali, et corpus ad modum spiritus sub alienis exsistens speciebus. Unde notiones fundamentales naturae, personae, substantiae, accidentis, quibus universa philosophia rationalis innititur, in horum mysteriorum lumine mirum in modum corriguntur, perficiuntur, ampliantur [1]).

8. Verum eucharistia non solum compendium et repetitio est mirabilium incarnationis, sed et summa novorum mirabilium, quibus Christus suum in omnem creaturam dominium ostendit, „nam et substantias transmutat, et accidentibus alium modum exsistendi tribuit, et corporis molem ad similitudinem spiritualis substantiae praesentem efficit idemque corpus in variis locis constituit et alia similia operatur, quibus se universae naturae dominum declarat." Ita Suarez l. c. c. 16. Cf. Lessius l. c. qui c. 16 mirabilia 12 numerat (n. 348).

328. 9. Novo lumine eucharistiae praestantia perfunditur, si consideramus momentum practicum hujus mysterii pro Ecclesia. Nam per illud Christus jugiter suae adest Ecclesiae, plenissime adimplet suum promissum Matth. 28, 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* per illud in Ecclesia vivit et operatur, singulisque se praebet consolatorem atque redemptorem, caput et vitem. Sane triplici modo haec praesentia et operatio praecellit praesentiam et operationem, quam Christus aliis in sacramentis suae exhibet Ecclesiae. Haec enim praesentia in aliis sacramentis est tantum κατ' ἐνέργειαν, secundum virtutem et operationem: in eucharistia κατ' οὐσίαν secundum essentiam et personalis; in aliis sacramentis est transiens, in hoc sacramento permanens; in illis ita est transiens, ut, si poenitentiam excipias, semel tantum vel rarissime eam singulis exhibeat; in hoc vero quoties volumus, ejus frui licet praesentia. Hinc etiam Ecclesia sensu plenissimo est domus Dei, atque in ea vere adimplentur verba 2. Cor. 6, 16: *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* (Lev. 26, 12). Imo propter eucharistiam Ecclesia militans quadamtenus Ecclesiam aemulatur triumphantem. „Hic tibi, inquit Chrysostomus hom. 24 in 1. Cor. n. 5, terram coelum facit hoc mysterium . . . quod enim illic omnium pretiosissimum est, hoc tibi in terra jacens monstrabo. Sic enim in regia, quod omnium magnificentissimum est, non muri sunt, non tectum aureum, sed regium corpus in solio sedens: sic et in coelis regium corpus. Sed hoc nunc tibi licet in terra videre. Non enim angelos, non archangelos, non coelos et coelos coelorum, sed ipsum tibi horum Dominum ostendo. Vidistine quomodo id,

[1]) Daher fallen, concludit auctor Mysterien des Christenth. § 69, diese Mysterien auch gar nicht in die Metaphysik der reinen Vernunft, in die philosophische Metaphysik; sie bilden ein System einer neuen übernatürlichen Metaphysik, welches sich zu der natürlichen fast ebenso verhält, wie diese zur Physik: ein reiches und harmonisches System, zu dem die Wurzeln aller Kategorien nach den verschiedensten Seiten in ein neues Licht treten, in dem ein Glied das andere wesentlich ergänzt und erklärt.‹

quod omnium pretiosissimum est, in terra respicias? Neque vides tantum, sed et tangis; nec tangis tantum, sed et comedis et eo accepto domum reverteris. Absterge et munda animam et praepara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Nam si regis filius cum ornatu, purpura et diademate concreditus tibi esset gestandus, omnia quae sunt in terra, abjecisses. Nunc autem non filium regis, sed ipsum Dei Filium accipiens non exhorrescis, dic mihi, et non omnem secularium rerum amorem abjicis? etc.« Duplex tamen est discrimen inter Ecclesiam triumphantem et militantem relate ad Christum, quem utraque possidet; viatores enim eo fruuntur, sed velato: beati facie ad faciem; et hinc eum videndo beantur, dum illi eum credendo merent. Hinc eucharistia anticipatio et pignus futurae gloriae dicitur. Alia momenta practica cf. n. 387 s.

10. Tandem hujus mysterii praestantia inde quoque apparet, quod non solum sacramentum est, sed et oblatio illa munda splendidissime praedicta, quae succedens sacrificiis V. T. typicis a solis ortu usque ad occasum Deo in odorem suavitatis offertur (Mal. 1, 11). Et quantae excellentiae est hoc sacrificium! nam, ut quaedam attingamus, res oblata est infinitae dignitatis; modus offerendi in se et quoad substantiam est maxime supernaturalis et divinus; ratione actionis vero sensibilis simplicissimus, mundissimus, facillimus; significatio praestantissima, est enim expressa quaedem et viva imago passionis Christi; virtus maxima, cum in hoc sacrificio conjuncta reperiantur bona omnia, quae in aliis sacrificiis divisim erant; est enim simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Cf. th. 238.

329. Cum igitur eucharistia sacramentum simul sit et sacrificium, pro duplici hac praerogativa duo in capita dividemus sectionem. Omnia autem, quae ad eucharistiam, quatenus est sacramentum, spectant, ad quinque revocabimus articulos. Demonstrandum enim est

1. vere realiterque adesse in hoc sacramento corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini. Inquirendum deinde est

2. in modum, quo praesens sistatur corpus Christi, et

3. quaenam sit hujus praesentiae ratio. Tum expendemus

4. corollaria ad praxim spectantia, de quibus magnae motae sunt diversis temporibus controversiae. Conabimur demum

5. conciliare hoc mysterium cum sana ratione, quantum per illius altitudinem et hujus fieri licet angustias: necnon quasdam proponemus regulas loquendi de tanto mysterio.

Caput I.

De sanctissimo eucharistiae sacramento.

Articulus I.

De praesentia reali corporis et sanguinis Jesu Christi in eucharistiae sacramento.

430. Jam primo Ecclesiae seculo Ignatio teste ep. ad smyrn. c. 7 (n. 347) haeretici quidam (docetae) realem carnis Christi praesentiam in eucharistia

negarunt innixi suo errore, quo veritatem carnis a Verbo assumptae rejecerunt. Manichaeis Petrus siculus in hist. manich. n. 3 (in Bibl. N. PP. ed. Mai t. IV p. II p. 13) exprobrat, »quod divinam verendamque sanctorum mysteriorum corporis ac sanguinis Domini Dei nostri participationem aversantur: neque hoc contenti, aliis quoque hanc sententiam suadendam putant, dicentes, haud panem ac vinum a Domino discipulis suis in coena propositum, sed symbolice verba sua tantummodo panis vinique loco dedisse.« Quod si tamen aliquam eucharistiae celebrationem admiserunt, saltem a specie vini abstinebant (n. 395[3]). Deinde ad sec. XI. usque gravior de eadem non fuit mota controversia Ecclesiam inter et haereticos: nam controversiae inter Paschasium Radbertum († 865) et Ratramnum huc non spectant: neuter enim negabat realem carnis Christi in eucharistia praesentiam, sed quaestio erat, possitne dici idem corpus Christi esse in eucharistia, quod natum est ex Maria V. etc. (cf. n. 357[6]). Scotus Erigena († c. 874) vero ambigue loquitur, hinc seriae controversiae non dedit locum. Undecimo primum seculo Ecclesiae fidem aperte impugnavit Berengarius[1]): verum haec controversia inter scholae parietes mansit inclusa, cum ille non multos habuerit asseclas, nulliusque sectae haereticae exstiterit auctor, imo suum retractaverit errorem († 1088). Errarunt etiam circa hoc sacramentum aliae quaedam medii aevi sectae, ut albigenses, waldenses, wicleffitae, hussitae etc., qui negarunt realem praesentiam corporis Christi, vel saltem transubstantiationem. Infausto tandem sec. XVI. reservata fuit aperta et pertinax hujus mysterii amoris divini impugnatio atque realis Christi in eodem praesentiae negatio. Cujus nefandi erroris auctores fautoresque fuere Carolostadius, Bucerus, Zwinglius, Oecolampadius, Calvinus etc., non vero Lutherus[2]), qui libenter quidem, nisi verborum Christi evidentia obstitisset, eum esset amplexus, nam dogma de reali praesentia male cohaeret cum ejus errore de sola fide justificante et cum jejuna opinione de efficacia sacramentorum. Lege candidam ejus confessionem in ep. ad argentoratenses: »Hoc diffiteri non possum, nec volo, quod si Carolostadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in sacramento praeter panem et vinum esse nihil, ille magno me beneficio sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius et in hac discutienda materia multum desudans omnibus nervis extensis me extricare et expedire conatus sum, cum ipse perspiciebam, hac re papatui in primis me valde incommodare posse. Verum ego me captum video, nulla evadendi via relicta est; textus enim Evangelii nimium apertus est et patens, qui facile convelli non potest.«

331. Contra hos adversarios statuit concilium trid. sess. 13 can. 1: „Si quis negaverit in ss. eucharistiae sacramento contineri vere, realiter

---

[1]) Cf. de ipso ejusque erroribus Guitmundus de corp. et sang. Christi veritate l. 1 n. 5 ss.; Brischar KL² 2, 391–404: in primis Schnitzer Berengar von Tours sein Leben und seine Lehre, Stuttgart 1892.

[2]) Aliorum reformatorum testimonia pro dogmate cf. passim in op. Beleuchtung der Vorurtheile wider die kath. Kirche, von einem protest. Laien Zürichs 1. I, 96 ss.; 2. II, 42. 70 ss., Lucernae 1844 ed. 3. De erroribus Zwinglii, Calvini etc. cf. Bellarminum de euchar. I, 1; Möhler, Symbolik § 35; Winer vergleich. Darstell. p. 136 ss.

et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, A. S.:" quibus verbis triplicem damnat adversariorum errorem, adesse scil. corpus Christi in eucharistia non vere sed tantum repraesentative, symbolice, figurate ut in signo, figura, imagine (adversus Zwinglium etc.); vel adesse tantum objective seu idealiter per apprehensionem et fidem, non reipsa, non realiter; vel adesse virtualiter per effectus, non secundum substantiam (adversus Calvinum).

Si quod est fidei catholicae dogma, cui probando praesto sunt plurima eaque decretoria argumenta, illud est, de quo nobis modo adversus sacramentarios seu *umbraticos,* ut eos belle appellat Guitmundus, est disserendum; unde miranda est divina providentia, quae, quo difficilius et gravius hoc mysterium est creditu, eo plura suppeditavit ad illud comprobandum argumenta, ut vix in iis proponendis modum servare possimus.

332. **Thesis CCXIX.** ***Dogma catholicum de reali corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentia eo credibilitatis fulget splendore, ut, vel seposito examine doctrinae Scripturae patrumque, revelatum illud esse pateat, sacramentarii vero novitatis haereticae rei aperte convincantur.***

Demonstratio. Assertionis veritas eadem disputandi methodo comprobatur, qua usi sumus th. 214. Sufficiet eam innuisse.

1. Colligitur apostolica dogmatis catholici origo ex consensu theologorum et fidelium plane splendido praevertente controversias sec. XVI. de reali Christi in eucharistia praesentia: ejusmodi autem consensus semper habitus fuit criterium traditionis apostolicae (cf. t. I. n. 134);

2. ex eo, quod haec est doctrina verae Ecclesiae, a cujus ore nos pendere oportet, nisi esse velimus ethnici et publicani (Matth. 18, 17); nam omnes coetus, qui has praecesserunt controversias quique aliqua probabilitatis specie se Christi dicebant Ecclesiam, realem Christi in eucharistia professi sunt praesentiam: inter hos autem fuit vera Ecclesia, cum ea sit perennis et visibilis (th. 38).

3. Colligitur ex consensu ecclesiae graecae [1]). Celebria enim sunt hac de re acta protestantium cum ecclesia graeca schismatica, ut eam in suas traherent partes et errores; quorum fructus fuit nonnisi manifestior dogmatis catholici professio et erroris novatorum damnatio.

Id patet ex conciliis CP. a. 1642 art. 17 et hierosolymitano a. 1672 cap. 17, ubi inter alia legimus: „In hujus itaque celebratione sacramenti D. N. J. Christum credimus esse praesentem, non quidem secundum figuram aut imaginem, neque etiam secundum quandam, uti ceteris in sacramentis,

---

[1]) Cf. Perpétuité de la foi t. 1 l. 2. 3; t. 3 l. 8; Nat. Alexander diss. de praesentia reali a. 3, in thes. Zaccaria t. 10. II, 616 ss.

gratiae excellentiam, neque secundum simplicem, quam et in baptismo patres nonnulli commemoravere, praesentiam: neque penes conjunctionem, qua proposito eucharistiae pani Verbi divinitas substantialiter uniatur, quemadmodum inscite juxta ac misere lutherani arbitrantur: sed vere realiterque, quatenus panis et vini facta consecratione, transmutetur, transsubstantietur, convertatur, transeat panis quidem in ipsum corpus Domini verum, quod natum est Bethlehem ex semper Virgine, baptizatum in Jordane, passum, sepultum, quod resurrexit, ascendit, sedet a dextris Dei Patris, in coeli denique nubibus adventurum; vinum vero in ipsum Domini sanguinem verum converti ac transsubstantiari, qui ex illo in cruce pendente pro mundi vita defluxit.« Accedit et consensus reliquarum sectarum orientis, quae omnes cum Ecclesia catholica circa hoc conspirant dogma, cujus tam miri consensus alia a praedicatione apostolica assignari nequit origo.

4. Veritas dogmatis catholici colligitur ex eo, quod assignari nequit ipsius origo recentior ipsa Evangelii promulgatione. Atqui si dogma catholicum non esset revelatum, sed innovatio humana et corruptio fidei apostolicae assignari posset ejus origo, auctor, locus etc. sicut omnis alius innovationis: eoque magis, quod eucharistiae celebratione continetur cultus Ecclesiae. Nunquam autem demonstrata fuit innovationis hujus origo: qua de re repeti possunt quae diximus n. 298. Denique

5. sacramentarii carent missione (t. I. n. 317[2]): audiendi ergo non sunt.

Quare absolvere possumus verbis, quibus Lanfrancus († 1089) alloquitur Berengarium l. de corpore et sanguine Dominic. 22: „Si verum est, quod tu de corpore Christi credis et adstruis: falsum est, quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur et adstruitur. Omnes enim, qui christianos se et esse et dici laetantur, veram Christi carnem verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui latinae linguae nostrarumve literarum notitiam perceperunt. Interroga graecos, armenos, seu cujuslibet nationis quoscunque christianos homines; uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro si universalis Ecclesiae fides falsa exsistit, aut nunquam fuit catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum quam perniciosus error. Sed non fuisse aut periisse Ecclesiam catholicus nemo consenserit.« Nec minus praeclara sunt quae habet Guitmundus III, 26. Ad rem quoque fratres Walemburgici in methodo august. p. 2 c. 1 animadvertunt: „Audax procul dubio facinus et imprudenti plenum temeritate; homines reperiri, qui Ecclesiam Christi adstruant sine unitate; veritatem sine miraculorum sanctitate, Evangelii praedicationem sine extensione, missionem sine successione: ac proinde repellendi essent potius, quam audiendi, nisi promissionum magnitudine incautos allicerent et instabiles perverterent.« Argumenta haec egregie evolvit Scheffmacher Lettres d'un docteur allemand à un gentilhomme et à un magistrat protestants ep. 8.

333. Haec abunde sufficerent ad omnem finiendam controversiam, ad excludendos adversarios a quavis actione contra dogma nostrum, ad tuendam causam catholicam, adeo ut necesse non sit singula expendere sive Scripturae sive traditionis de hoc mysterio testimonia. Ne tamen

videamur difficultates declinare, et quia decet, ut notat Tertullianus c. Marc. III, 1, veritatem totis viribus uti suis, potiora quibus innititur dogma catholicum proponemus argumenta.

334. **Thesis CCXX.** ***Vera, realis et substantialis corporis et sanguinis D. N. J. Christi in eucharistia praesentia demonstratur primum verbis promissionis Joan. 6, 52 ss.***

Declaratio. Sicut alias Christus res magnas a se instituendas ante promisit: ita antequam sacramentorum maximum, eucharistiam, institueret, amplissimis verbis eam prius promittit. Continetur splendidissima haec eucharistiae promissio Jo. 6. Contendunt quidem protestantium plerique in sermone Christi Domini Joan. 6, 26 ss. usque ad finem de eadem re agi, scil. tantum de fide in Christum, seu Christum exhiberi qua panem vitae per fidem in ipsum. Catholici vero vel sermonem duas dividunt in partes, quarum in priori v. 25—48 Christus exhibetur ut panis vitae per fidem seu quatenus est fidei objectum; in altera v. 48 ss. ut panis vitae per veram manducationem; vel censent totum sermonem referri a v. 25 ad eucharistiam, ita tamen ut Christus prius de fide disserat tamquam dispositione praevia ad illam, de qua deinde a v. 48 jam clare disputat. Quidquid vero est de priore sermonis parte, contendimus Christum promittere v. 52 ss. se vere, realiter substantialiterque daturum carnem suam ad manducandum. Verba autem Christi, ex quibus argumentamur, ita sonant v. 52: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* v. 53: *Litigabant ergo judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* v. 54: *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* v. 55: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* v. 56: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* v. 57: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* v. 58: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* v. 59: *Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

335. **Demonstratio. 1.** Christus promittit se vere daturum esse in animarum cibum corpus et sanguinem suum, si ejus verba proprie, non metaphorice, sunt accipienda. Atqui verba Christi a Joanne 6, 52 ss. relata sensu proprio sunt accipienda: **a.** quia hic sensus praesumitur, nisi contrarium probatur; tum quia **b.** etsi dici potest nos esurire, sitire, vel etiam nos edere et bibere sapientiam Eccli. 24, 9 et quamvis sapientia

sub symbolo panis edendi et vini bibendi Prov. 9, 5 proponatur: tamen inauditum prorsus est sensuque caret toties repetita diligensque distinctio inter manducationem carnis et potionem sanguinis, si ageretur tantum de fide in Christum ejusque passionem; praesertim cum nullibi, etsi saepissime haec fides urgetur, similis loquendi ratio recurrat, neque apud audacissimos rhetores nullaque in lingua manducare alicujus carnem, ejus bibere sanguinem significat vel credere in ipsum, vel meditari ejus passionem et mortem: et tunc manducanda et bibenda etiam esset divinitas Christi cum sit fidei objectum, aut ejus passio et mors. In primis vero **c.** sensus proprius est retinendus, cum sensus metaphoricus sit plane absonus. Ex usu enim loquendi, qui in enarrando aliquo effato maxime est attendendus, dictio ‚manducare alicujus carnem' metaphorice accepta significat moliri alicui gravem injuriam, praecipue per calumniam: qui sensus certe hic minime est probandus.

Quod pluribus et solide probat Wiseman de hoc argumento prae ceteris consulendus in Lectures an the Real Presence of Jesus Christ in the Blessed Eucharist, praelect. 2. Hic usus loquendi confirmatur ex Ps. 26, 2: *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas;* Mich. 3, 3: *Qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt;* Gal. 5, 15; Jac. 5, 3 etc.; praesertim Dan. 3, 8; 6, 24, ubi Vulgata habet verbum *accusare,*dum in textu chaldaico dicitur: *comedebant frusta* (carnem) *judaeorum: comedebant frusta Danielis.* Luc. 16, 1 legitur *diffamatus* est, quod syrus vertit: *comedebantur ei frusta ejus;* ita etiam Matth. 27, 12; et nomen διάβολος calumniator redditur velut nomen jam proprium *comestor carnis.* Verba Job. 31, 31: *Dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus, ut saturemur,* vel etiam hoc sensu explicari possunt, vel secundum textum hebraicum clarius: Quis reperiet aliquem, qui de victu ejus non sit saturatus? Quod si intelliguntur de flagrantissimo amore, prophetica et typica sunt et spectant hoc ipsum mysterium.

2. Judaei verba Christi acceperunt sensu proprio et obvio v. 56. Hinc multi ex ejus discipulis audientes dixerunt (v. 61): *Durus est hic sermo: et quis potest eum audire?* Atqui **a.** neque Christus pro more suo eorum interpretationem correxit; neque **b.** evangelista Christi verba explicavit, ut tamen alias fecit [1]): sed **c.** Christus iterum atque iterum repetendo sua verba, quae sponte sua hunc suggerebant sensum, eaque maxima inculcando solemnitate confirmavit illorum interpretationem; imo diserte enunciat: *Caro mea* **vere** *est cibus et sanguis meus* **vere** *est potus.* Quocirca provocamus adversarios, ut dicant, quomodo Christus paucis clarius po-

---

[1]) De Christi more explicandi sua verba, si proprie acciperentur, cum essent accipienda metaphorice cf. Joan. 3, 3 ss.: 4, 32: 11, 11; 8, 21 ss.; Matth. 16, 6 col. Luc. 12, 1 etc. Evangelistae morem testantur nobis 2, 19 s. et 7, 38 s. Cf. Wiseman l. c.; de Augustinis de re sacr. de euch. p. 1 a. 2; Patrizi diss. de Christo pane vitae; Franzelin th. 3 de ss. euch. sacr.

tuisset loqui, siquidem voluisset promittere realem sui corporis et sanguinis in eucharistia manducationem?

Quod si quis excipit, judaeos errasse circa modum hujus manducationis, putantes Christi carnem fore secundum ipsius verba manducandam more aliorum ciborum, et tamen Christum eos non correxisse ideoque non sequi ex Christi silentio approbationem sensus proprii: memento **a.** distinguendum esse inter manducationis objectum et manducationis modum; Christus autem hoc in sermone loquitur de manducationis objecto, nondum de ejus modo. Quare non tenebatur corrigere judaeorum circa modum errorem non ex suis verbis, sed ex judicii praecipitatione ortum. Eoque minus **b.** quod Christus totus in eo est, ut exigat fidem in verba sua, dedecet autem tantum magistrum, tot credibilitatis signis fulgentem, ut satisfaciat quaestionibus ad rem nondum necessariis ex incredulitate ortis. Tenebatur tantum **c.** cavere, ne suis verbis esset causa efficax erroris; fuisset autem causa efficax erroris, si judaeorum circa manducationis objectum interpretationem, quam ipsius verba secundum omnes regulas sanae hermeneuticae sponte sua suggerebant, non correxisset, si erronea fuisset. Ceterum **d.** solutionem quaestionis circa manducationis modum satis innuit v. 64. Si vero **e.** alias non correxit falsam judaeorum interpretationem verborum suorum ut Jo. 2, 19 ss.; Matth. 15, 11 etc., vel agebatur de re minoris momenti, vel nimis evidens erat mala auditorum voluntas, vel saltem Christus non urget ita solemniter verba sua, ut hac occasione.

3. Si verba Christi figurate essent explicanda, sermo ejus revera esset durus, insolitus, nullatenus pervius, ut probat protestantium conatus in expiscando et determinando sensu metaphorico, quem Christus intenderit. Hoc vero conciliari nequit cum Christi indole, quod scil. voluerit uti tam obscuro sermone in re tanti momenti nulla adjecta explicatione; quod maluerit permittere potius discessum discipulorum, imo errorem innumerorum fidelium per tot secula (n. 338[g]), quam eum explicare sermonem, quem non poterant intelligere, non ex mala voluntate vel incredulitate, sed quia erat improprius, obscurus, plane insolitus, nunquam ab aliis adhibitus. Mirum scil. non est Deum revelare mysteria, quae rationis superent caput, ideoque turbent homines mundanos et animales: sed eum in re summi momenti uti sermone insolito quasi ad decipiendum composito, ad quem dilucidandum requiritur omnis subtilitas grammatica et sagacitas rhetorica, adeo ut totum mysterium sit non in re sed in verbis, Christum magistrum sapientissimum quam maxime dedecet (Cf. Bossuet medit. in Evang. die 39.). Ergo verba illa accipienda sunt sensu proprio, quo sunt clara, etsi mysterium continent creditu prorsus difficile, ad quod credendum omni vivae fidei conatu opus est, quam adeo praeclare expressit Petrus illis verbis v. 69: *Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Horum argumentorum pondus

4. confirmatur solemni patrum suffragio, inter quos eminent Cyrillus alex., Chrysostomus in suis ad h. l. commentariis et Hilarius pict., qui ita de Trinit. VIII, 14 disserit:

„Quae sunt scripta legamus, et quae legerimus intelligamus: et tum perfectae fidei officio fungemur. De naturali etenim in nobis Christi veritate, quae dicimus, nisi ab eo didicerimus, stulte ac impie dicimus. Ipse enim ait: *Caro mea vere est esca etc.* 6, 56. De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum J. verum Deum esse denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.“ Et n. 16 occasione verborum Joan. 6, 58 scribit: „Vivit ergo per Patrem, et quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus vivimus . . . Haec ergo vitae nostrae causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus i. e. naturam suae carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habet, quo vivat ipse per Patrem?“ Hujus testimonii vim pluribus illustrat Guitmundus III, 13 ss. (opusc. XXXVIII, 132 ss.).

Neque opponatur quorundam patrum sive interpretum veterum dissensus, nam **a.** ex prioribus sex seculis nullus adduci potest pater, qui haec verba (v. 52—59) non intellexerit de eucharistia; vel si ea interpretatus sit de Christo pane per fidem, non intellexerit quoque de eucharistia. Insuper **b.** conc. ephesinum et nicaenum II. (Hard. I, 1290; IV, 370) ea de eucharistia acceperunt. Nonnisi **c.** occasione haeresis calixtinorum (sec. XV.), qui contenderunt sumptionem eucharistiae sub utraque specie necessariam esse ad salutem, theologi nonnulli verba Christi interpretati sunt sensu metaphorico, ut adversariis praecipuum pro suo errore eriperent argumentum (6, 54): proinde non tam propter rationes exegeticas, quam propter dogmaticas. Ceterum **d.** multi doctique protestantium interpretes nobiscum verba Christi de eucharistia intelligunt; qui vero dissentiunt, ideo nolunt ea intelligere de eucharistia, quia hoc semel concesso, sponte sua consequitur dogma catholicum, ut ex dictis patet.

336 **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Contra hanc verborum Christi explicationem nihil alicujus momenti opponere possunt protestantes. Potior exceptio, quam petunt ex v. 64: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* eos non juvat. Neque enim probari potest nomine *carnis* designari sensum proprium, nomine *spiritus* figuratum et improprium. Sed „certissima regula est, inquit Maldonatus, nullam habens exceptionem, quotiescunque in ss. literis nomen *carnis* opponitur nomini *spiritus* aut alteri idem valenti, illud non accipi pro natura carnis, sed pro infirmitate et culpa, quae nascitur ex humana carne.“ Cf. Rom. 8, 1 ss. Quare loci objecti sensus est: Verba Christi non carnaliter i. e. secundum naturalem, infirmam sensibusque addictam intelligentiam esse explicanda; animalis enim homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei (1. Cor. 2, 14); sed spiritaliter i. e. s. Spiritus illustratione opus esse ad ea percipienda et credenda, ac nonnisi fide apprehensa ea esse salutaria: quo

sensu Christus dixit Petro Matth. 16, 17: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* — Aliis vero videtur Christum significare, carnem suam per se ipsam non posse vivificare; hanc praerogativam ei non competere nisi ratione spiritus seu divinitatis, cui hypostatice est unita (355[4]). — Quod si quaeritur, quo nexu cum praecedentibus cohaereant verba Christi v. 63: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* duplici modo is nexus explicari poterit: vel ita, ut Christus provocaverit ad gloriosam suam ascensionem, quo credibile redderet tantum mysterium; vel ita haec dixit, ut augeret mysterii difficultatem, quasi diceret: Hoc quod locutus sum vos scandalizat, cum adhuc vobiscum sum, et facilius intelligi possit, quomodo praesens praesentibus det suam carnem? Quid dicetis, cum me videbitis ascendentem in coelum?

337. *Difficultas ex Augustino.* — Gravior est difficultas, quae petitur ex verbis s. Augustini, qui legitimae interpretationis tradens praecepta de doctr. christ. III, 11 scribit: „Si praeceptiva est locutio aut flagitium aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis,* inquit, *carnem Filii hominis* etc., facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo est praecipiens passioni Domini esse communicandum et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa et vulnerata sit.“ Respondemus

1. his non negari realem corporis Christi in eucharistia praesentiam oralemque ejusdem manducationem, ut patet ex aliis s. doctoris locis. Ita ex. gr. serm. 143 (a Mai edito in nova PP. bibl. t. 1) n. 3: „Christus ergo praesto est in mensa, Christus ipse ibi occiditur, Christus immolatur, Christus ibi in suo corpore et sanguine sumitur. Ipse ille, qui discipulis hodie panem dedit et calicem, iste ipse hodie consecrat ista. Non est enim homo, qui appositum Christi corpus et sanguinem dedicet, sed ille ipse Christus, qui pro vobis est crucifixus. Ore sacerdotis verba proferuntur, ipsumque corpus et sanguis Dei virtute consecrantur et gratia.“ Ceterum adeo verum est s. Augustinum non negare veram carnis Christi manducationem Joan. 6, 54 esse praeceptam, ut inde refellat adversarium legis et prophetarum, qui factis nonnullis V. T. offendebatur. Ita enim scribit l. 2 c. 9 n. 93: „Eat plane iste retro cum suis similibus sociis, qui dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire* (Joan. 6, 61)? Nos autem et intelligamus duo Testamenta in duobus filiis Abrahae duabusque mulieribus: sicut duos in carne una, Christum et Ecclesiam, istis nolentibus, sine ulla obscoenitate cognoscimus; sicut mediatorem Dei et hominum Christum Jesum carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quam perimere; et humanum sanguinem potare, quam fundere.“

2. Eam vult s. doctor exclusam manducationem, quae tota oris comestione absolvitur, ad altiorem mysterii intelligentiam non assurgit, et non est signum simul, symbolum ac velut typus manducationis spiritualis. Semetipsum explicans ita scribit de hac ipsa re tr. 27 in Joan. n. 2: „Non crediderunt (capharnaitae) aliquid magnum dicentem et verbis illis aliquam gratiam cooperientem, sed prout voluerunt, ita intellexerunt et more hominum, quia poterat Jesus aut hoc disponebat Jesus carnem, qua indutum erat Verbum, velut concisam distribuere credentibus in se.“ Quare

3. sicut vere dici potest, baptismum non esse ablutionem corporis, sed animae emundationem (1. Petri 3, 21): non ut illa excludatur, verum ut significetur, baptismum in illa non terminari, ulterius destinari tamquam ad scopum intentum ad emundandam animam; ita et eucharistia non eo continetur, ut manducetur Christi caro aliorum more ciborum, sed in sacramentali consistit refectione, quae dum ore perficitur, internam refectionem significat et efficit. „Tunc vita, inquit serm. 131 n. 1, unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.«

4. Distinguere scil. cum eodem Augustino de doctr. chr. III, 12 possumus duplex figuratum loquendi genus, alterum (metaphoricum), in quo verba non significant id, ad quod exprimendum primum sunt instituta; alterum (typicum), in quo sensus proprius non excluditur, sed id, quod verba exprimunt, figura et typus est alterius rei, quam verborum significatio per se non exhibet. In exemplum affert ipse Augustinus unctionem pedum Christi a muliere factam docetque illam, etsi vere contigit, fuisse figuram, quae a Christo, quamvis ejusmodi unctio vulgo luxui deputaretur, ad aliquid significandum fuerit admissa. Hoc sensu Origenes ait in Joan. t. 32 n. 13, Joannem symbolice recubuisse in sinu Christi, non quod revera in sinu Christi non recubuit, sed quod recubitus ille symbolum erat propensi affectus, quem erga Christum gerebat Joannes. Similiter ait n. 16, symbolice noctem fuisse, cum Jesum prodituras Judas exiit; non quod revera nox non erat, sed quia nox illa symbolum erat noctis alterius, quae Judae animo incubabat etc. Jam vero hoc sensu manducatio sacramentalis carnis Christi figura dici potest spiritualis manducationis, qua ipsius passioni communicamus et in memoria recondimus, quod caro ejus pro nobis crucifixa et vulnerata est. Quare exhibent forte Augustini verba difficultatem exegeticam, non vero dogmaticam, cum ibi non doceat, quid proprie sit eucharistia [1]).

338. **Thesis CCXXI.** ***Eadem veritas comprobatur verbis institutionis eucharistiae Matth. 26, 26 ss.; Marc. 14, 22 ss.; Luc. 22, 19 ss. et 1 Cor. 11, 24 s.***

Demonstratio. 1. Dogmatis catholici probatio ex verbis institutionis adeo est plana, simplex et candida, ut vix ad demonstrationis normam exigi possit, quin obscuretur. Ratio enim, quare Ecclesia catholica credit, in eucharistia ipsum esse corpus Christi ejusque sanguinem, est, quia ipse dixit: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus* Matth. 26, 26. 28. Planior atque evidentior consonantia inter verba Christi et doctrinam

---

[1]) Cf. Natalis Alexander diss. de praesentia reali (in thes. theol. Zachariae t. XII.) a. 2 § 14. Hanc difficultatem sibi a Frudegardo propositam jam resolvit Paschasius Radbertus in ep. ad eum (Migne 120, 1352) advertens: „Ideo, si quis dicit hanc carnem et hunc sanguinem sic ipsa esse absque mysterio et sacramento, nec in figura ex parte sumendam, ut illi tunc carnales carnaliter sapientes senserunt, totum (sacramentum) dissipat. Et ideo forte beatus Augustinus hoc ita sapere, magnum facinus esse dicit. Alioquin quomodo ipse idemque doctor tam egregius contra se diceret?« Cf. Guitmundus II, 24 ss. opusc. XXXVI, qui umbraticos hoc textu gloriantes acriter perstringit et refellit.

Ecclesiae cogitari nequit: ea enim non est nisi repetitio verborum Christi. Sacramentarii vero, ut suam inde extundant opinionem, aliqua addere debent verbis Christi, ea permutare, imo iis vim inferre ideoque in diversissimas abeunt sententias, quas jam ita belle irrisit Lutherus[1]): „Doctor Carolostadius ex his sacrosanctis vocabulis: *Hoc est corpus meum,* misere detorquet pronomen *hoc;* Zwinglius autem verbum substantivum *est* macerat; Oecolampadius nomen *corpus* torturae subjicit; alii totum textum excarnificant.“ Quare adversariis verbo factoque fatentibus sensus verborum Christi est difficilis et obscurus exquisitamque exigit eruditionem, ut inveniri possit. Atqui sensus proprius, obvius, planus praesumitur, eoque magis si sensus figuratus est exquisitus et remotus, nisi contrarium evidenter demonstretur. Ergo quoadusque sacramentarii evidenter non probant, sensum proprium obviumque esse deserendum, sumus in possessione.

2. Sane unica ratio confugiendi ad sensum figuratum, ut etiam candide plures e sacramentariis fatentur, apparens est mysterii impossibilitas. Atqui haec ratio admitti nequit: nam **a.** ea vel semel admissa, lata aperitur via rationalismo: omnia mysteria ob ejusmodi impossibilitatem in discrimen vocabuntur; neque **b.** credibile est, Christum, qui toties fidem exegit in suam omnipotentiam, et apostolos ob defectum fiduciae in eandem increpavit, quique inculcavit Luc. 18, 27: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia esse apud Deum:* voluisse, ut apostoli illiterati et rudes ejusmodi uterentur criterio, quo de sensu suorum verborum judicarent; neque **c.** credibile est, apostolos tot miraculorum Christi testes, fuisse dispositos, ut eo revera uterentur: hinc et alias verba Christi figurate accipienda sensu proprio acceperunt. Hinc neque dicunt ut alias: *Edissere nobis parabolam istam* Matth. 15, 15; 13, 36: nam panis neque ex rei natura neque ex usu loquendi symbolum est corporis. Quare a proprio non licet recedere sensu.

---

[1]) Apol. de coena Dom. Christophorus Rasperger edere jam potuit Ingolstadii 1577 dissertationem, qua complexus est ducentas verborum *hoc est corpus meum* interpretationes, quas ad illud usque tempus excogitaverant novatores; Cl. de Sainctes de euchar. relect. 1. cap. ult. ultra 80 refert. Potiores proponit Bellarminus de sacramento eucharistiae l. 1 c. 8. Nostra aetate Philipps in l. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Vier Abhandl. etc. Gütersloh 1885 verba ita explicat: Hoc est simile corpori meo, vel fit corpus meum (comestione), vel hoc meum est, ad me spectat, est mea possessio. Eorum sensum paraphrastice ita exhibet Haupt (über die ursprüngl. Form und Bedeut. der Abendmahlsworte, Halle 1894): Meine Person ist Träger der Kräfte eines höheren Lebens, welche so angeeignet werden und so zu einem Bestandtheil eurer Pers. werden will, wie dies bei der irdischen Nahrung der Fall ist. Dies gilt aber ganz besonders auch von meinem bevorstehenden Tode, gerade die Dahingabe meiner Persönlichkeit wird euch die in ihr beschlossenen Lebens- und Heilskräfte im vollsten Masse erschliessen und zu gute kommen lassen.

3. Omnia exigunt ut sensus proprius et obvius retineatur. Exigit **a.** collatio cum verbis promissionis Joan. 6, 52 ss.: hoc enim nunc tradit manducandum, quod tunc tam solemniter promisit [1]). De figurata vero manducatione cogitare vetant verba Matth. 26, 26: *Accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum.* Ab objecto manducationis, quod dicitur hic *corpus*, omnem figuram excludit sermo Christi apud Joan. 6, 52 ss., ubi tam clare docet objectum manducationis esse carnem et sanguinem, ut ne audaciores quidem interpretum protestantium ausi sint ibi nomina *carnis* et *sanguinis* metaphorice explicare. Ergo ipsum corpus et sanguis Christi vere in eucharistia percipiuntur. Exigunt **b.** ipsa adjuncta et orationis emphasis. Valedicturus enim Christus apostolis, qui erant admodum simplices, eosque solaturus ob futuram suam passionem et discessum, ultima tradebat monita, in primis eucharistiae institutionem memoriae et testamenti instar. Atqui adjuncta ejusmodi minus congruunt metaphorae insolitae, imo et inauditae. **c.** Praeter morem a tribus evangelistis et ab apostolo Paulo in ep. ad Corinthios accurate refertur eucharistiae institutio, nil prorsus adjecto, unde colligi possit Christi verba, quod corpus et sanguinem attinet, figurate esse accipienda.

Quod factum non est negligendum. Nam pauca admodum sunt, quae a tribus evangelistis simul referuntur, et insuper ab apostolo evangelistae instar; quod si idem referunt, id narrant nonnullis adjectis explicationis gratia, vel omissis, vel aliis verbis. Institutio vero eucharistiae a quatuor refertur et quod attinet panis consecrationem iisdem prorsus verbis: quoad calicis consecrationem cum aliqua varietate bini et bini. Jam vero si Christi verba metaphorica essent in sensu sacramentariorum, qui factum est, ut nullus eorum vel aliquo modo innuerit vel exposuerit hanc metaphoram, ex se inusitatam nec perviam, neque etiam Joannes, qui eucharistiae refert promissionem, quod tamen alias fecerunt? Phaenomenon vere singulare! Quare verba Christi accipienda sunt prout jacent, seclusa quavis additione, qua eorum mutetur sensus.

d. Christus utitur verbis admodum emphaticis dicens Matth. 26, 28: τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν

[1]) Praeclare Bruno astensis († 1125) in Matth. 26, 26 (Migne 165, 290) scribit: „Exponit Dominus hoc in loco quod significaret, cum alibi diceret: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. 6, 54). Ecce sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech panem et vinum virtute ineffabili in sui corporis et sanguinis substantiam convertit. Sicut enim tunc et vivebat et loquebatur, et tamen a discipulis comedebatur et bibebatur; ita et modo integer et incorruptibilis manet, et a fidelibus suis in panis et vini sacramento quotidie bibitur et manducatur. Nisi enim panis et vinum in ejus carnem et sanguinem verterentur, nunquam ipse corporaliter manducaretur et biberetur. Mutantur enim ista in illa; comeduntur et bibuntur illa in istis; quod qualiter fiat, ipse solus novit, qui omnia potest et omnia novit. Dixit enim tunc per se, dicit et modo per suos ministros: *Hoc est enim corpus meum;* et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat, quod dicitur. Similiter autem, dum dicit: *Hic est sanguis meus*, mox in ejus sanguinem vinum convertitur.“

ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν: ubi articulus ter repetitus inculcat identitatem sanguinis ad bibendum exhibiti cum eo, quem Christus pro nobis effudit, quasi diceret: hic est sanguis meus, ille idem, qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum; ut revera patres (cf. n. 346 s. 351[1]) saepe horum verborum vim reddunt.

Ad rem Paschasius Radbertus in Matth. 26, 26 (Migne 120, 890) citatis his verbis subdit: „Audiant, qui volunt extenuare hoc verbum *corporis,* quod non sit vera caro Christi, quae nunc in sacramento celebratur in Ecclesia Christi, nec verus sanguis ejus: nescio quid volentes plaudere vel fingere quasi virtus sit carnis et sanguinis in eo admodum sacramento, ut Dominus mentiatur, et non sit vera caro ejus, neque verus sanguis, in quibus vera mors Christi annunciatur, cum ipsa Veritas dicat: *Hoc est corpus meum* . . . Neque itaque dixit, cum fregit et dedit eis panem, hoc est vel in hoc mysterio est virtus vel figura corporis mei, sed ait non ficte: *hoc est corpus meum* . . . Unde miror, quid velint nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi vel sanguinis, sed in sacramento virtutem carnis et non carnem, virtutem sanguinis et non sanguinem, figuram et non veritatem, umbram et non corpus“ etc. Cf. Balduinus in l. de sacr. alt. Mig. 204, 667; Bruno astensis l. s.: „Hic, inquit (Christus), est sanguis meus qui fundendus est, non alius iste et alius ille, sed unus idemque et iste et ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem modo bibitis et videtis in calice.“

Praeterea **e.** cum a s. Luca calix dicatur pro nobis effundendus, neque aliud pro nobis Christus effuderit, quam proprium sanguinem, eatenus tantum calix pro nobis effundendus dici poterat, quatenus non vinum, sed sanguinem pro nobis effundendum continebat. **f.** Omnem figurae suspicionem excludit collatio cum Exodi 24, 8; Hebr. 9, 20. Utrobique enim instituitur testamentum et sanguine confirmatur, utrobique eadem adhibentur verba. Atqui Ex. 24, 8 non significatur sanguinis figura, sed verus adhibebatur sanguis. Ergo et Matth. 26, 27 s. de vero sanguine, quo testamentum novum confirmatur et qui bibendus exhibetur, est sermo. Quod ut clareat sufficit hos duos locos juxta se ponere, et illico apparebit parallelismus et hinc vis argumenti:

Ille (Moyses) *sumptum sanguinem*	*Accipiens calicem gratias egit et dedit*
Respersit in populum, et ait:	*dicens: Bibite ex hoc omnes;*
Hic est sanguis foederis,	*Hic est enim sanguis meus*
quod pepigit Dominus vobiscum (Ex. 24, 8).	*novi Testamenti* (Matth. 26, 27 s.).

Denique **g.** quando Christus Dominus eucharistiae sacramentum instituit, non solum apostolos, sed totam Ecclesiam, fideles omnes usque ad consummationem seculi, prae oculis habuit et in hac sua praescientia verba enunciavit, quae vidit ex sese ita comparata, ut per multa saltem secula sensu proprio essent accipienda a fidelibus non aliam ob causam, quam quia ea animi dispositione, quam ipse semper exegit, instructi, rationem humanam fidei et reverentiae erga ipsius infinitam veracitatem et omnipotentiam subjecturi erant, donec novatores aliqui credendi difficultate victi subtilibus quibusdam dispu-

tationibus sensum obvium repudiarent et figuras alii alias invenirent. Nihilo tamen minus, si vera est sacramentariorum hypothesis, voluit Christus verba ita enunciare, ut fideles omnes supposita christiana animi dispositione necessario errarent: sensus autem genuinus nonnisi ab iis inveniri posset, qui ea rejecta, ut difficultatem credendi effugerent, verba Dei pro arbitrio consuetae legum physicarum experientiae accommodarent. Atqui haec omnia tam manifesto adversantur sapientiae, bonitati et veracitati Christi universaeque redemptionis oeconomiae, ut iis positis omnis fides in mysteria superrationalia et religio christiana subvertatur. Ergo Christus eum voluit enunciare sensum, quem verba prae se ferunt, quem christiani omnes per multa secula ex reverentia erga ejus veracitatem et omnipotentiam crediderunt (n. 335[3]). Cf. haec argumenta egregie proposita ab card. Franzelin th. 4; eandem rationem urget jam Erasmus in ep. ad L. Berum a. 1529.

339. **4.** Confirmatur sensus catholicus iis, quae Paulus relata eucharistiae institutione subjicit 1. Cor. 11, 27: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Atqui dici non potest communio indigna crimen in corpus et sanguinem Domini commissum, si panis est figura tantum corporis Christi absentis. Sane nunquam dicuntur judaei, qui peccato maculati manducabant agnum paschalem vel manna, rei corporis Christi; vel qui profanat baptismi aquam, reus Spiritus sancti; vel qui injuria afficit regis imaginem, reus corporis et sanguinis regis, sed injuriosus in ipsum regem. Addit autem s. Paulus rationem, quare indigne communicans judicium sibi manducet et bibat, quia non dijudicat *corpus Domini* (μὴ διακρίνων τὸ σῶμα). Ergo juxta Apostolum eucharistia censeri judicarique debet *corpus* Domini. Hinc 10, 16 communionem eucharisticam vocat *communicationem sanguinis Christi* et *participationem corporis Domini.* At si sanguis et corpus re abessent a symbolis eucharisticis, haberetur quidem fide unio spiritualis cum Christo; ea tamen non satis accurate diceretur communicatio sanguinis et participatio corporis: hinc participes mensae daemoniorum dicit tantum *fieri socios daemonum* v. 20. Concludamus igitur cum s. Cyrillo hieros. cat. myst. 4 n. 1. 2: „Cum igitur ipse pronunciaverit et dixerit de pane: *Hoc est corpus meum:* quis deinceps audebit ambigere? et cum ipse asseveraverit et dixerit: *Hic est meus sanguis?* quis unquam dubitaverit, ajens non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit: et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit?“ Cui concinens s. Maruthas syrus [1]): „Nunc quoties ad corpus et sanguinem (Christi) accedimus et ea super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti et fieri de carne ejus et de os-

[1]) Apud Assemani in bibl. orient. I, 180. Alia testimonia similia infra n. 352[6] dabimus. Cf. Wiseman l. c. prael. 5. 6. 8; Bellarminus V, 8.

sibus ejus, sicut scriptum est (Eph. 5, 30). Nam etiam Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed (dixit) vere *hoc est corpus meum* et *hic est sanguis meus.*"

340. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Plurima sunt, quae sacramentarii opponunt ad verborum Christi evidentiam obscurandam.

I. Provocant ad plurima Scripturae testimonia, quae ex eorum opinione verbis institutionis sunt parallela, et in quibus verbum *esse* significat *repraesentare,* figuram esse, vel quae metaphorice sunt accipienda. Speciminis gratia sint: Gen 41, 26: *Septem boves pulchrae et septem spicae plenae* (quas viderat Pharao in somnio) *septem ubertatis anni sunt* (eos significant); Dan. 7, 24: *Cornua decem reges erunt;* Matth. 13, 38: *Ager est mundus;* Gal. 4, 24. — Joan. 10, 9: *Ego sum ostium;* 15, 1: *Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est . . . vos palmites.* — 1. Cor. 10, 4: *Petra autem erat Christus* (typus, figura Christi); Gen. 17, 10 de circumcisione dicit Deus: *Hoc est pactum meum* (i. e. signum pacti mei); Ex. 12, 11: *Est enim phase (id est transitus) Domini,* scil. agnus paschalis significat transitum Domini etc. Pro difficultatis solutione

1. quaerimus, unde factum est, si testimonia objecta verbis institutionis sunt vere parallela, ut usque ad sec. XVI. nemo hunc parallelismum viderit? nemo illa explicaverit sensu proprio sicut verba institutionis? nemo ex illis haec illustrare nisus sit? Neque patres unquam videmus sollicitos sive ut persuadeant fidelibus, credendum omnino esse, septem boves Gen. 41, 26 revera fuisse septem annos, cornua Dan. 7, 24 veros reges, Christum sensu proprio esse vitem, petram, ostium etc., neque licere dubitare hac de re, licet sensus contrarium renuncient; sive ut probent omnis generis miraculis possibilitatem talis appellationis, sicut eos circa verba institutionis fecisse constat ad convincendos auditores, eucharistiam ipsum esse corpus Christi (cf. th. 226).

2. Notamus ad parallelismum non sufficere, ut idem verbum quomodocunque recurrat, sed requiri, ut de eadem re sit sermo, eadem servetur verborum constructio, eadem locum habeant adjuncta. Atqui in locis objectis non adest proprie dictus parallelismus verbalis, multo minus realis; alia sunt adjuncta, cum plerisque in locis, si qua figurata est locutio, ea vel explicetur vel ex contextu facillime possit colligi, quod de verbis institutionis nequit affirmari.

3. Ut jam aliqua de singulis classibus dicamus, prima classis non est ad rem, quia **a.** non de pronomine indeterminato *hoc* aliquid affirmatur, sed de nomine substantivo determinato. Tunc forte esset aliquis parallelismus, si Christus dixisset, hic panis est corpus meum, quae propositio differt ab illa: *hoc* est corpus meum. Deinde **b.** de nomine substantivo affirmatur praedicatum non designans certam determinatamque substantiam, ut in verbis euchari-

sticis *corpus meum,* sed praedicatum abstractum vel collectivum vel non designans substantiam, scil. anni, reges, mundus, testamentum etc. Demum **c.** ad excludendam vel umbram difficultatis, diserte testatur Scriptura l. c. agi de interpretatione somnii, parabolae, allegoriae.

Quod attinet alteram classem, eadem nota, in primis vero Christum ad tollendam omnem aequivocationem indicasse analogiam seu similitudinem, propter quam se dixerit vitem, ostium, ideoque clare significasse se loqui metaphorice.

Classis tertia, cui maxime fidunt adversarii, quod complectatur dicta, ut ajunt, sacramentalia, pariter nihil eos juvat: tum quia pronomen *hoc* non refertur ad aliquid substantivum praesens coram oculis positum, sed ad ritum; neque praedicatum significat determinatam substantiam, est enim pactum, transitus; verbum *est* ibi non aequivalet significat, repraesentat, sed retinet significationem propriam, et tam Gen. 17, 10 ss., quam Ex. 12, 26 ss. adjicitur explicatio, qua omnis difficultas solvitur. Sensus enim Gen. 17, 10 est: *Hoc est pactum* e. i. praeceptum *meum, quod observabitis . . . Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Alterius loci sensus est: caeremonia descripta est solemnitas nominanda phase (i. e. transitus) et sacra Domino. Scil. Ex. 12, 26 ss. describitur singularis caeremonia divinitus praescripta, quae aliquid significare adjuncta suadebant, adeo ut v. 26 filii judaeorum inducantur interrogaturi: *Quae est ista religio?* et sequitur responsum: *Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel* etc. — 1. Cor. 10, 4 verbum *erat* sumitur proprie, Christus revera erat petra spiritualis adumbrata petra deserti. Ceterum Paulus claritatis gratia addit: *Haec autem omnia in figura contingebant illis* v. 10. Mirum, fere in omnibus locis objectis legitur explicatio, ne ea accipiamus sensu proprio: in verbis vero Christi de eucharistia ne vestigium apparet ejusmodi explicationis, etsi ab omnibus evangelistis et a Paulo fuse verba Christi referuntur! Cf. Gregorius berg. de verit. corporis Christi c. 22. 23 opusc. XXXIX; Perpétuité de la foi t. 2 l. 1 c. 11 ss.; Wiseman prael. 7.

341. **II.** Verum quidem est in verbis Lucae 22, 20: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo;* et geminis Pauli 1. Cor. 11, 25 figuram occurrere metonymiae, cum continens (calix) ponatur pro re contenta: sed **a.** ea est usitatissima, quam nemo potest perperam intelligere: quapropter etiam nemo ad saeculum usque XIX. in ea explicanda vel erravit vel dubius haesit: ejusque non ineptam rationem reddit s. Thomas 3. p. q. 78 a. 3 ad 1: »De quo (calice) fit hic mentio, quia sanguis Christi in hoc sacramento consecratur, in quantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione sanguinis; et ideo oportuit hoc designari per vas huic usui accommodatum.« Cf. lect. 6 in 1. Cor. 11. — **b.** Non minus evidens est figura, si qua latet in voce Testamenti, cum penes populos omnes consensu plane communi signum seu instrumentum pacti vel testamenti soleat pactum vel testamentum appellari. Ad haec **c.** verba Lucae et Pauli certo idem significant, quod verba Marc. 14, 24 et Matth. 26, 28: *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* quae quidem clariora sunt magisque respondent verbis, quibus Christus consecravit panem, quaeque apud omnes quatuor inspiratos auctores fere eadem sunt. Quare si verbis Lucae et Pauli aliqua subest obscuritas, ex illis illustrari potest. Facile **d.** ea obscuritas dissipatur, si notatur, verbis *sanguis meus* designari instrumentum et causam

sancientem N. Testamenti, hoc vero esse effectum sancitum (cf. n. 338[3] **f.**): et constructionem grammaticam non ubique esse eandem. Apud Matthaeum et Marcum causa ponitur in recto, effectus in obliquo: contra apud Lucam et Paulum effectus ponitur in recto, causa in obliquo.

342. **III.** Alia exceptio petitur ex verbis, quae Christus post eucharistiae institutionem dixisse videtur Matth. 26, 29: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Appellat ergo illud, quod mox dixerat sanguinem suum, iterum *vinum*. Verum **1.** probabile est, verba haec referri ad calicem, quem secundum ritum paschalem ex quatuor adhiberi solitis ante eucharistiae institutionem bibendum porrexerat, ut liquet ex Luc. 22, 17 ss., qui manifesto ea verba refert dicta ante eucharistiae consecrationem; et ex collatione cum geminis verbis, quae dixerat de agno paschali ib. 15 s. Quod si tamen **2.** haec verba quis referre velit ad calicem eucharisticum, memineris aliud esse simplicem appellationem, aliud definitionem seu solemnem declarationem, qua authentice pronunciatur quid aliquid sit, eoque sensu **3.** sanguinem Christi dici genimen vitis i. e. vinum, quo sensu ejus corpus in eucharistia praesens dicitur etiam a Paulo 1. Cor. 10, 16 panis: scil. **a.** ratione materiae, ex qua conficitur eucharistia, vel secundum eum loquendi usum, quo nomen conveniens rei ante mutationem retinemus; ita legimus Matth. 11, 5: *Coeci vident, surdi audiunt;* Ex. 7, 12; Jo. 2, 9; 9, 17 etc. **b.** ratione apparentiae seu specierum: appellamus enim saepe res non secundum substantiam, sed secundum externam speciem; **c.** ratione analogiae, quia ita se habet eucharistia ad animam, ut panis ad corpus: est enim revera cibus coelestis atque plane eximius, dicente Christo Joan. 6, 52: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Cf. Maldonatus in Matth. 26, 29; Perpétuité de la foi t. 1 l. 1. 7 c. 7.

343. **IV.** Excipiunt sacramentarii, apostolos intellexisse sacramentum a Christo institui. Atqui sacramenti ratio propria est, ut rei sacrae sit signum. Ergo cum audierunt verba: *hoc est corpus meum,* facile assequi poterant, panem significatione esse corpus Christi. Sed si adversarii hoc sibi volunt, Christum prius instituisse panem corporis sui symbolum, supponunt quod est in quaestione, neque id probare possunt. Si vero hoc sibi velint, apostolos ex verbis Christi collegisse sacramenti institutionem, id hoc sensu concedimus, quod apostoli intellexerint quidem prius genuinum verborum Christi sensum ideoque illud, quod porrigebat, ipsius esse corpus; cum vero manerent panis phaenomena, atque Christus juberet, ut hoc idem facerent in sui commemorationem, eos collegisse institutionem corporis et sanguinis invisibiliter praesentis sub signis visibilibus ad animarum alimentum, ideoque intellexisse sacramenti institutionem.

344. **V.** Neque obstat Christum eucharistiam reliquisse in sui memoriam. Nam **a.** memoria non necessario supponit absentiam rei, cujus memores esse decet, cum et Dei praesentis memores esse oporteat; sed ea opponitur oblivioni, quae oritur ex eo quod res nullam in sensus faciat impressionem. Quod vero aliqua res nullam in sensus faciat impressionem oritur non solum ex ejusdem absentia, sed potest etiam inde oriri quod etsi praesens, per se sit invisibilis. Cum ergo **b.** Christi corpus in hoc sacramento per se invisibiliter adsit, eucharistia quatenus visibile complectitur elementum, ipsius memoria esse dicique poterit. Ceterum **c.** eucharistia proprie non est memoria corporis Christi, sed secundum 1. Cor. 11, 26, passionis et mortis ejusdem, quo in

casu nulla est difficultas; et **d.** verba 1. Cor. 11, 25: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*, non sunt, ut adversarii supponunt, praecedentium explicatio, sed praeceptum continent: quod ut servari possit, praecedentia prius intelligi debent. Simili ratione **e.** solvitur difficultas inde petita, quod patres quandoque vocant eucharistiam pignus. Sane est pignus, non tamen corporis Christi, sed ejus amoris, protectionis, futurae gloriae: quo sensu et reliquiae sunt pignus protectionis, quam nobis impendunt sancti; quo sensu alicujus praesentia est nobis suae fidelitatis, tutelae pignus; quo sensu et Spiritus s. est pignus aeternae hereditatis. Quare haec appellatio non supponit absentiam corporis Christi: imo candide fateor, panem quamvis benedictum sat tenue fore pignus infinitae caritatis Christi. Cf. Perpétuité de la foi II l. 1 c. 15; III l. c. 6. c. 11.

345. **VI.** Verum quidem est doctores catholicos, cum accuratius Christi enarrant verba, nonnihil inter se dissentire. Alii enim cum s. Thoma l. 5 in 1. Cor. 11 et 3. p. q. 78 a. 5 censent, pronomine *hoc* designari substantiam in genere sub speciebus contentam; alii cum Alexandro halensi et s. Bonaventura putant, pronomen supponere pro pane convertendo: alii cum Scoto opinantur, illud supponere pro corpore Christi. Quae sententiae mutuo se non excludunt, sed verum exhibent, licet inadaequatum, sensum verborum Christi. Ceterum ut alias sacramentariorum evadamus tricas, haud inutile erit in singulorum verborum vim propriam atque significationem inquirere. Pronomine *hoc* et *hic* attentio dirigitur in rem praesentem, quaecunque demum ea est, quae exhibetur: addita copula *est* mens suspenditur et protenditur ad ideam praedicati, quo edicetur, quid sit illa res praesens, quae exhibetur. Completa propositione per praedicatum *corpus meum* enunciatur jam distincte, quid illud sit, quod sub visibilibus praesentatur speciebus. Quare facta distinctione inter significationem et demonstrationem seu inter significationem formalem et materialem, pronomine *hoc* neque panis, neque Christi corpus distincte significatur sed praesentia alicujus rei in confuso, sicut particula ecce; quod autem monstratur materialiter initio propositionis est panis in statu transeunte; propositione completa est corpus Christi in statu permanente. — Tandem ad alia testimonia s. Scripturae respondemus, iis negari praesentiam Christi visibilem, naturalem, qualis ea fuit, qua visibilis et mortalis ante passionem degebat in terra: non vero ejusdem invisibilem, sacramentalem solique fidei perviam. Cf. Gregorius berg. de verit. corp. Chr. c. 2 ss. opusc. XXXIX. Cf. Franzelin thes. 6; Vasquez in 3 p. disp. 201; Perpétuité de la foi II, 2 c. 2 ss. et III, 6 c. 10, ubi aliae difficultates solvuntur.

346. **Thesis CCXXII.** ***A verbo Dei scripto ad traditum gradum facientes ea initio urgemus effata, quibus patres docent, inter figuras eucharistiae in V. T. et ipsam tantum interesse discrimen, „quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa, quae per exemplaria figurabantur.“ Unde consequitur, eucharistiam non esse figuram tantum corporis et sanguinis Christi, sed haec vere et substantialiter continere: quod etiam patres ea verborum fatentur claritate, quae nullis obscurari possit cavillis.***

Demonstratio p. I. Tot suppetunt splendida traditionis testimonia, ut cogamur ea claritatis gratia in varias distribuere classes. Primum eos

ex patribus audiemus, qui docent, eucharistiam multipliciter praefiguratam fuisse in V. T. Praecipuae figurae fuere manna, panes propositionis, agnus paschalis, sanguis, quo confirmatum fuit V. T. Ex. 24, 8 (n. 338[3] e.), oblatio Melchisedech Gen. 14, 18; inter quas et eucharistiam tantum interesse, quantum inter umbram et corpora, passim iidem cum Hieronymo, cujus ea sunt verba in ep. ad Tit. c. 1, docent.

Ita Salvianus adv. avarit. II, 6: „Judaei habebant quondam umbram rerum, nos veritatem; judaei fuerunt servi, nos adoptivi . . . Judaeis servus magister missus est, nobis Filius; judaei per mare transierunt ad eremum, nos per baptisma introimus in regnum; judaei manna manducaverunt, nos Christum; judaei carnes avium, nos corpus Dei; judaei pruinam coeli, nos Deum coeli.“ — Ita Chrysostomus hom. de prod. Judae (Mig. 43, 379): „Ille quippe agnus (paschalis Ex. 12, 12) figura erat alterius agni spiritualis, et ovis ovem praenotabat. Atque illud quidem umbra, hoc veritas erat. Cum apparuisset sol justitiae, umbra cessavit, oriente quippe sole solvitur umbra. Ideo in eadem ipsa mensa utrumque pascha perficitur et typi et veritatis. Quemadmodum enim pictores in eadem ipsa tabula et lineas circumducunt et umbram depingunt tuncque colorum veritatem apponunt, sic et Christus fecit: in eadem ipsa mensa typicum pascha descripsit et verum addidit... Erat olim pascha judaicum, sed nunc solutum est advenitque spirituale pascha, quod nunc tradidit Christus. Illis enim manducantibus ac bibentibus, inquit, accipiens panem fregit et dixit: *Hoc est corpus meum* etc. Aderat Judas haec Christo dicente. Hoc est corpus, quod vendidisti, Juda, triginta argenteis; hic est sanguis, pro quo nuper pacta impudenter inibas cum improbis pharisaeis. O Christi benignitatem! o Judae dementiam et insaniam! Ille namque vendidit illum triginta denariis, Christus vero postea non recusavit hunc ipsum sanguinem venditum vendenti dare in remissionem peccatorum, siquidem voluisset. Aderat Judas et sacrae mensae particeps erat.“ Cf. in 1. Cor. 4, 23. 24; in Ps. 133. Ita Cyrillus alex. adv. Nest. IV, 5: „Conservabant ipsae figurae eos, qui ante nos fuerant (Ex. 12, 24). Quanto igitur res nostrae sunt excellentiores, quibus ipsa veritas i. e. Christus illuxit sanctamque suam carnem ad participandum apposuit? Quomodo id non sit omnibus perspicuum? Multo namque sunt procul dubio praestantiores ac superiores. Atque hujus mysterii vim ut declararet D. N. J. Christus ait: *Amen dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam* etc. (Joan. 6, 48—52). Nam quia ex genere Israel nati de mannae suppeditatione Moysen admirabantur, quod cum per desertum ejus temporis hominibus demissum fuisset, typum gessit mysticae benedictionis: umbra namque erat lex, ideo prudenter admodum D. N. J. Christus typum extenuat, ut ad veritatem transferat. Neque enim, inquit, ille fuit panis vitae, sed ego potius, qui de coelo sum, et omnia vivifico et me in manducantes etiam per unitam mihi carnem insero.“ Quod cum probasset verbis v. 54—58, subjicit: „Vide igitur, quemadmodum in nobis manet et corruptionis victores efficit, dum se in nostra demittit corpora, ut dixi, etiam per suam carnem, quae verus est cibus, cum illa legalis umbra et cultus per ipsam institutus non habeat veritatem.“ — Athanasius ep. festiv. 4 n. 4: „Ipse Salvator noster a figurato pariter ad spiritale transsiliens, promisit eis fore, ut non agni carnem comederent, sed suiipsius dicentis: Accipite, comedite et bibite: hoc est corpus meum et sanguis meus.“ Cf. Thomas 3. p. q. 73 a. 6.

Ex tanta autem eucharistiae prae suis figuris praestantia ipsum adesse corpus Christi in ea evidenter colligitur. Si enim panis eucharisticus non secus ac manna, agnus paschalis etc. figura est corporis Christi et quidem absentis, tantum abest, ut ille figuras sicut corpus umbram praecellat, ut hae potius censendae sint praestare et pretio et symboli ratione. Concludamus igitur verbis auctoris op. de sacr. IV, 5 n. 24: „Magnum quidem et venerabile, quod manna judaeis pluit e coelo: sed intellige. Quid est amplius, manna de coelo an corpus Christi? Corpus utique Christi, qui auctor est coeli . . . Ergo non otiose dicis tu: Amen, jam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi; et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus."

Cf. de hoc argumento Algerus II, 3; Bellarminus I, 3; Perpétuité de la foi t. 2 l. 6 c. 8 ss. Ad rem synodus ecclesiae graecae schismaticae CP. a. 1642 sub Parthenio hoc carpit in professione fidei calviniana Cyrilli Lucaris a. 17: »Divinam autem eucharistiam ita convellit, ut nihil ipsi aliud nisi nudam figuram relinquat, quasi adhuc in umbra veteris Legis serviremus. Negat enim eum, qui videtur et comeditur, panem jam sanctificatum esse verum Christi corpus« etc. Cf. Guibertus ab. († 1124), qui in ep. de buccella Judae data et de veritate dominici corporis c. 3 bene notat (Mig. 156, 530), in adversariorum opinione nos »in umbram de umbra decidere;« Lanfrancus de corpore et sang. Domini c. 22 etc.

347. **Demonstratio p. II.** Ex innumeris testimoniis, quorum splendor nullis obscurari sophismatibus potest, speciminis gratia sint verba liturgiae s. Marci (in cod. lit. Assemani IV, 4 p. 78. 128), juxta quam sacerdos, postquam de eucharistia ter dixit: „Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri hoc est vere, amen;" prosequitur: „Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit ipsa caro vivifica unigeniti Filii tui, Domini Dei et Salvatoris N. J. Christi. Accepit ipsam ex s. Domina nostra Deipara et semper V. Maria . . . Credo eam ipsam vere esse."

Eadem habentur in liturgia s. Basilii apud Renaudot in coll. liturg. I, 23 et 83, ubi adjicitur: »Tradidit ipsam ad liberationem et ad remissionem peccatorum et vitam aeternam illis, qui ex ea participant. Credo eam ipsam esse vere;« in liturgia s. Gregorii ib. I, 36; cf. et 123. — Aethiopes in sua liturgia post consecrationem dicunt: »Amen, amen, amen, credimus et confidimus et laudamus te, o Domine Deus noster: hoc vere corpus tuum est;« et mox sacerdos dicit: »Vere hoc est corpus et hic est sanguis Emmanuel Dei nostri, amen. Credo, credo, credo ex nunc et usque in seculum, amen. Hoc est corpus et hic est sanguis Domini et servatoris nostri J. Chr., quod et quem assumpsit ex D. N. sancta et immaculata V. Maria.« Migne 138, 923. 925. — In liturgia s. Dionysii areop. apud Renaudot II, 201 ad consecrationem dicit sacerdos: »Accipite et manducate ex eo et credite, quod corpus meum est, illud ipsum, quod pro vobis et pro multis frangitur et datur etc.«

— In missa dominicali liturgiae gallic. post orat. dominicam haec dicuntur: „Libera nos a malo, Christe Jesu: corpus tuum crucifixum edimus et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus.“ — In liturgia mozarabica orat sacerdos fer. 4 Pasch.: „Haec est hostia, quae pependit in ligno; haec est caro, quae surrexit de sepulcro. Quod pro nobis obtulit sacerdos noster in veritate, hoc conferimus in panis et vini suavitate.“ Cf. Muratori dissert. de rebus liturg. c. 8 ss.; Perpétuité de la foi IV, 2 c. 8.

Ex patribus audiantur s. Ignatius M. ep. ad smyrn. n. 7: „Ab eucharistia et oratione abstinent (docetae negantes veram a Dei Filio assumptam fuisse carnem), eo quod non confitentur eucharistiam carnem esse Salvatoris N. J. Chr. eam, quae pro peccatis nostris passa est quamque Pater benignitate sua resuscitavit. Qui ergo contradicunt dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem esset eis diligere (hoc donum), ut et resurgerent.“ — Macarius Magnes, qui floruit ineunte s. IV: „Dixit (Christus): *hoc est corpus meum;* non enim figura corporis Christi est, neque figura carnis, ut quidam stupida mente nugati sunt: sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi.“ Et inter alia egregia quae de eucharistia habet, notat: „Quod vero non sit hoc inauditum et horrendum (manducare Christi carnem), considerare licet puerum infantem, quomodo nisi manducet carnem et sanguinem matris, non vivit; natura enim sanguinis est secundum veritatem lac.“ Mig. 5, 348. Chrysostomus hom. 21 in 1. Cor. n. 1: „Hoc quod in calice est, illud ipsum est, quod ex latere fluxit, et illius sumus participes.“ Absolvimus verbis Ratherii veronensis ep. 1 n. 3 s.: „Forte transitorie accipis aut etiam figurate te dicere ipse putas, dum accipienti loqueris: Corpus D. N. J. Christi propitietur tibi in vitam aeternam? Quod si ita est, coecitas tui intellectus magis est dolenda et instruenda, quam miranda et irridenda . . . Sed crede, frater, quia sicut in Cana Galilaeae vinum Dei imperio verum et non figurativum fuit ex aqua factum: ita illud Dei benedictione vinum verus et non figurativus efficitur sanguis et caro panis. Quod si sapor idem manet, et color ita se habere dissuadeat, propono tibi aliud.“ Proponit scil. hominis efformationem, in qua manente substantia, limus transfiguratus tantum fuit in hominis figuram: sed hic contrarium contingit: „manente colore atque sapore eadem sapientia operante veram carnem et sanguinem, quod percipis esse crede . . . Sed cujus corporis caro sit ista rogas, importune forsitan, ut sese vanitas habet humanae curiositatis, et unde, et a quo succisa, et si delata ipsa, et panis forsitan invisibiliter sublatus, aut ipse panis in carnem mutatus? . . . Evangelium itaque interrogemus,“ et citatis verbis institutionis absolvit: „Habes, cujus sit corporis caro ista et sanguis, tanto certius, quanto veritatis ejusdem, quae loquitur, voce instructus. De ceteris, quaeso ne solliciteris, quandoquidem mysterium esse audis et hoc fidei: nam si mysterium est, non valet comprehendi; si fidei, debet credi, non discuti.“ Vim consensus patrum ipse agnovit Lutherus, cujus testimonium palmare cf. apud Möhler Symbolik § 48 a.

348. **Thesis CCXXIII.** ***Patres praeterea 1. mirantur realem Christi in eucharistia praesentiam propter stupenda, quae ipsam comitantur, miracula; 2. in rationes inquirunt, propter quas voluerit Salvator ipsam suam carnem dare ad manducandum; et 3. ea inferunt corollaria, quae evidenter ostendunt, eosdem vel maxime***

alienos fuisse ab egena umbraticorum opinione persuasissimumque habuisse, in eucharistia ipsum adesse corpus et sanguinem Christi.

Demonstratio p. I. Ex plurimis miraculis, quae secundum patres hoc comitantur mysterium, haec in primis mirantur, quod corpus Christi ad dexteram Dei sedens celebrationis eucharisticae tempore fidelium manibus tenetur, quod tot millibus fidelium (secundum animam) alendis unum sufficit, quod indivisibile manens dividitur et nunquam consumitur, quod singuli illud accipiunt integrum, quod Christus se ipsum portavit, ipse est conviva et convivium etc. Quorundam saltem patrum audiamus testimonia, ut appareat, quam vere Christus in instituendo hoc sacramento *memoriam* fecerit *mirabilium suorum* Ps. 110, 3.

Ita Chrysostomus de sacerd. III, 4: „Cum enim videris inquit, Dominum immolatum et jacentem et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse? annon potius in coelos translatus omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo menteque pura quae in coelis sunt circumspicis? O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque colentibus dat complectendum et accipiendum.“ Relato dein Eliae miraculo, quo igne coelitus delato victimae consumptae sunt, censet, non minus miraculum in hoc contingere mysterio. Cf. VI, 4. — Auctor anonymus hom. de filio prodigo inter Chrysostomi homilias spurias (Migne 59, 519) ita exponit verba patris filii prodigi (Luc. 15, 23): *Adducite vitulum saginatum et occidite* etc.: „Mactate eum, qui vivificat eos, qui se mactant; occidite eum, qui occiditur, sed non moritur; occidite eum, qui membratim conciditur et eos sanctificat, qui se occidunt; occidite eum, qui comeditur ab eis, qui eum norunt, et nunquam consumitur; occidite eum, qui comedentes beatos reddit etc.“ — S. Ephraem († 373 vel 379) adv. scrutatores s. 10: „Angelis Abrahamus incorporeis corpoream dapem obtulit, oblatam illi comederunt. Novum nunc cerno miraculum illo praestantius a Domino nostro factum, dum corporeus incorporeus ex igne et Spiritu paratur cibus et potus. Jactus ab irato Deo ignis nocentes invasit et concremavit (Gen. 19), ignis alter ab eodem, sed placato missus descendit in terras et in pane mansit. Porro, si ignis ille voravit homines et absumpsit, iste, quem in pane comeditis, comedentes vita donavit etc.“

Gregorius nyssenus or. catech. c. 38: „Cum autem solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam (vivificandi scil.) acceperit, ostensum sit autem aliter fieri non posse, ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis: oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem (eucharistiae) sit in unoquoque et ipsum in se totum maneat,“ quod subtiliter deinde nititur aliquo modo explicare. In praefatione missae, quae, teste Guitmundo I, 17, sec. XI. per totum pene orbem latinum adhibebatur, legimus: Hostia „quae offertur a plurimis, et unum corpus Christi s. Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in sin-

gula.« — Dionysius eccl. hierarchiae c. 3 contempl. § 12: »Sacerdos, inquit, indivisibilem panem in multa dividens, et indivisibile calicis omnibus distribuens ratione symbolorum multiplicat et distribuit unitatem.« — In praef. missae gothicae fer. 4 post pascha dicitur Christus agnus, »qui nusquam moritur immolatus, sed semper vivit occisus;« in liturg. s. Joan. Chrysostomi ad fractionem: »Frangitur et dividitur agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, at non comminuitur; qui semper comeditur et non consumitur, sed eos, qui sunt participes, sanctificat.« Quae in mentem nobis revocant pulcherrima verba s. Andreae ap. tributa in epist. presbyterorum et diaconorum Achajae de ejus martyrio, cum jussus idolis sacrificare dixisse fertur: »Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium . . . immaculatum agnum quotidie in altari crucis Deo offero, cujus carnes postquam fidelis populus comedit et sanguinem ejus bibit, immolatus agnus integer manet et vivus.« Cf. Nicetas choniates in Alexio Comneno l. 3 n. 8 opusc. XXIII, 22; Petrus bless. ep. 140.

Aliud miraculum miratur Augustinus serm. 1 in Ps. 38 n. 10 exponens verba 1. Reg. 21, 13 sec. LXX: *Et ferebatur in manibus suis:* »Hoc vero, fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: *Hoc est corpus meum* (Matth. 26, 26). Ferebat enim illud corpus in manibus suis.« Similia habet serm. 2 n. 2. De quo testimonio fuse disputat Guitmundus III, 2. Hoc forte miraculum insinuat imago piscis portantis super dorsum panem et vinum, quae in catacumbis reperitur. Nec praetereunda sunt Hieronymi verba ep. ad Hedibiam 120 q. 2: »Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. Illius bibimus sanguinem et sine ipso potare non possumus et quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis verae rubentia musta calcamus.« — Jacobus sarugensis († 521) in hom. in velamen supra faciem Moysis: »In quonam festo praeter hoc datum fuit convivium, in quo convivis panis loco fuerit distributum sponsi corpus? . . . Mortuus est (sponsus Ecclesiae) in cruce et gloriosae (sponsae) donavit suum corpus. Ecce ipsa illud accipit et in ejus mensa comedit illud quotidie. Ex latere lancea tranfosso miscuit ipse calicem sacro sanguine et porrexit illum, ut ipsa eum potaret et deorum oblivisceretur.« Apud Bickell Ausgewählte Gedichte der syr. Kirchenv. p. 264.

349. **Demonstratio p. II.** Rationes institutae eucharistiae secundum patrum doctrinam sunt, **1.** ut propemodum restituat carnem vi incarnationis a nobis acceptam; **2.** ne simus in deteriori conditione ac primi fideles; **3.** ut virtute carnis suae vivificae communione in nos receptae quasi antidoto sanetur corruptio, qua esu fructus prohibiti veneni instar infecta fuit universa natura humana.

Ita Chrysostomus in Jo. h. 46 n. 3: fideles instruit: »Ut ergo non solum per dilectionem, sed etiam secundum rem ipsam (κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα) cum illa carne commisceamur; hoc enim fit per cibum, quem ipse donavit: volens nobis ostendere amorem, quo fertur erga nos, propterea se nobis com-

miscuit et nobis corpus suum (per manducationem) inseruit, ut unum aliquid simus sicut corpus junctum capiti ... Amorem suum erga nos ostendens, non solum videndum se exhibuit nobis desiderantibus, sed et tangendum et comedendum, et ut ejus carnem dentibus teramus, et ei intime uniamur, et desiderium omne expleamus. Ut leones ergo ignem spirantes a mensa illa recedamus diabolo terribiles ... Parentes saepe liberos suos aliis tradunt nutriendos; ego vero non ita, inquit, sed carnibus meis nutrio, me ipsum vobis appono ... Communicavi carni et sanguini propter vos (in incarnatione), rursum vobis eandem carnem et sanguinem trado, per quae congener vobis factus sum«. — Aliam rationem exponit Cyrillus alex. in Matth. 26, 26: »Postquam egressus esset Judas, tradit Salvator undecim discipulis salutare mysterium. Cum enim paulo post in propria carne esset resurrecturus ac rediturus ad Patrem, ut ipsius Servatoris praesentiam [1]) haberemus (sine praesentia enim Christi fieri non potest, ut salvetur homo libereturque a morte et peccato, non coexsistente nobiscum nostra vita), dedit nobis proprium corpus et sanguinem, ut iis corruptionis vis dissolvatur, inhabitet autem in animabus nostris per s. Spiritum, fiamusque participes sanctitatis hominesque supercoelestes et spirituales reddamur.« Gemina habet in Luc. 22, 19. — Posteriorem rationem fusius evolvit Gregorius nyssenus, qui or. cat. c. 37 praemittit contra venenum sumendum esse antidotum; nos ergo, cum gustu cibi vetiti infecti fuerimus veneno peccati, antidoto opus habere; dein subjicit: »Quid hoc ergo est? Nihil aliud quam illud corpus, quod morte potentius ostensum fuit et vitae nostrae fuit initium ... Immortale corpus, cum fuerit intra eum, qui sumpsit, totum quoque transmutat in suam naturam (immortalem). Sed non potest fieri, ut quidpiam aliud sit intra corpus (nostrum), nisi per esum et potum visceribus nostris misceatur ... Dispensatione gratiae seipsum per carnem inserit omnibus commixtus corporibus fidelium, quibus ex pane et vino substantia est, ut unione cum immortali (corpore) etiam homo particeps fiat incorruptionis. Haec autem dat virtute benedictionis in illud (immortale corpus Christi) transelementans eorum, quae apparent, naturam.«

350. **Demonstratio p. III.** Plurima inferunt patres ex eucharistia corollaria, quae supponunt realem corporis et sanguinis praesentiam.

1. Huc spectant quae praecipiunt de summa reverentia, qua nos gerere decet tempore celebrationis tanti mysterii [2]), quae et arcani disciplinae occasionem praebuit (325 [2]), in primis vero de reverentia qua accedendum sit ad tantum sacramentum, qualem nunquam exigunt erga alia sacramenta. Audiatur Cyrillus hieros. cat. myst. 5. n. 21: »Adiens igitur, ne expansis manu-

[1]) Ita Manegaldus n. 445 et Fulbertus carnotensis ep. 5 (Migne 141, 202): »Quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulo post a nostris visibus sublaturus fuerat in coelum; ne sublati corporis fraudaremur praesenti munimine, corporis nihilominus et sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu s. corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibili creaturae forma invisibiliter virtus secreta in sacris solemnibus operatur.« Cf. Petri Damiani serm. 10; Rupertus tuit. in Joan. 6, 26 (Mig. 169, 454 s. col. 485); Honorius augustod. Eucharist. c. 2 (ib. 172, 1250). Ceterum de fine institutionis eucharistiae praeclare disserit Scheeben Mysterien des Christenthums § 69 s.

[2]) Cf. Chrysostomus hom. de coemit. et cruce n. 3; in Eph. h. 3.

um velis, neque disjunctis digitis accede: sed sinistram velut thronum subjiciens dexterae, utpote regem suscepturae, et concava manu suscipe corpus Christi, respondens: Amen: Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim intercidere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris deminutum puta. Dic enim, quaeso, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres, providus ne quid horum tibi periret, ac damnum paterere? nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro ac gemmis longe pretiosius [1])? Tum vero post communionem corporis Christi accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus, sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum, dicens Amen, sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens, et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica [2]).«

---

[1]) Cf. eandem cautionem fidelibus inculcantes Origenes hom. 13 in Exod.; Caesarius arelat. serm. 300 in append. serm. s. Augustini; Heterius et Beatus l. 1 ad Elipandum n. 97 (Migne 96, 954).

[2]) Quod Cyrillus praecipit, inquit Touttée in praef. ad h. cat., ut antequam ore sumatur panis sacer, oculis admoveatur, utque postquam fuerit ex calice epotus Christi sanguis, collectus digitis adhaerens labiis mador, oculis, fronti et sensibus applicetur, id cum singulare forte videri possit, aliorum auctorum exemplis est confirmandum. Ac primo Joannes Damasc. de fide orthod. IV, 13 non oculos solum, sed et labia per osculum et frontem Christi corpori admoveri praecipit: Τοῦ ἐσταυρωμένου τὸ σῶμα ἐπιδεξώμεθα καὶ ἐπιθέντες ὀφθαλμοὺς καὶ χείλη καὶ μέτωπα, τοῦ θείου ἄνθρακος μεταλάβωμεν. ‚Crucifixi corpus recipiamus, applicantesque oculos, labia et frontem divinum carbonem sumamus.‘ (Huc forte spectant verba, quae tribuuntur s. Agneti in ejus officio: ‚Sanguis ejus ornavit genas meas‘). Theodoretus in Cantic. 1, 1: ‚Consideret, quomodo in tempore mysteriorum sponsi membra suscipientes osculamur et circumplectimur et oculis imponimus.‘ Ejus moris antiqui testis est Theodorus Phurnes apud Allatium l. 3 de consensu etc. c. 1. 15. De altero usu, collectum e labiis post sumptionem calicis madorem oculis, fronti et reliquis sensibus adhibendi, eum Hierosolymis singularem non fuisse ritum monumenta nonnulla suadent. Nam Cyrillus alex. l. 2 Glaphyrorum in Ex. p. 270 et 271, de Christi sanguine a fidelibus sumpto explicans figuram sanguinis agni domorum postibis illiti, ait portas nostras h. e. sensus Christi sanguine liniri, θύρας δὲ νοήσεις τὰς ἐν ἡμῖν αἰσθήσεις . . . per quas invadit daemon, nisi Christi sanguine liniantur, οὐ γὰρ ἦσαν κατακεχρισμέναι τῷ αἵματι Χριστοῦ. Quem locum sane prae oculis habuisse videtur Theodorus Balsamon, cum in ep. de jejuniis n. 14 Cotelerii monum. t. 2 p. 503 scriberet: Τῷ αἵματι καὶ τῷ σώματι Χριστοῦ τὰς τῶν αἰσθήσεων παραθύρους χριόμενοι καὶ ἁγιαζόμενοι. ‚Inungentes et sanctificantes sensuum nostrorum januas sanguine et corpore Christi.‘ Theodorus Studita hunc morem videtur respexisse, dum ait serm. 46: ‚Neve oculi augusto sanguine piati efferum cernunto.‘ Eum quoque prae oculis habuisse censeo Apollinarem seu quisquis est auctor tragoediae Christi patientis apud Nazianzenum II, 272 ajens, centurionem, qui latus Christi perfodit et clamavit: *Filius Dei erat iste,* sanguinem e Christi latere profluentem manibus collegisse et oculis applicuisse:

Ἀρύεταί τε χερσὶ κρουνοῦ, καὶ κόρας
Ἔχρισεν, ὡς ἔοικεν. ὡς ἁγνισμὸν ἔχῃ
E fonte manibus haurit et inunxit pupas,
Ita ut decebat, sanctitatem inde expetens.

Nihil Rivetum moror, qui ut superstitiosum et praeter Scripturas traducit hunc a Cyrillo, de quo agimus, commendatum morem. Eodem jure omnes ante laudatos

2. Quo sanctius hoc mysterium, eo majorem exigunt patres sanctitatem animae, imo et corporis ab iis qui eo fruuntur.

»Qua ergo puritate, inquit Chrysostomus hom. 82 in Matth. n. 5, non oporteat eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? quibus radiis solaribus non puriorem manum, quae hanc carnem secat, os repletum igne spirituali, linguam tinctam tremendo sanguine? . . . Quis pastor propriis suis membris nutrit oves? Et quid dicam pastor? Matres saepe sunt, quae post partus dolores tradunt infantes aliis nutricibus. Ipse autem hoc non est passus, sed ipse nos nutrit proprio sanguine et per omnia nos sibi ipsi conjungit.« — Ad corporis sanctitatem, i. e. jejunium, spectant haec Augustini ep. 54 n. 8: »Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a jejunis semper accipiatur (eucharistia)? Et hoc enim placuit Spiritui s., ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur;« quae repetit Isidorus hisp. inculcans de div. offic. I, 18: »Panis, enim quem frangimus, corpus Christi est . . . Vinum autem sanguis ejus est.« Et Dionysius alex. († 265) in ep. canonica n. 2 disserens de mulieribus profluvio menstruo obnoxiis: »Neque eas existimo, inquit, si sint piae et fideles, sic affectas ausuras vel ad s. mensam accedere vel corpus et sanguinem Domini attingere. Neque enim quae duodecim annorum fluxum habebat, ipsum ad medicinam tetigit, sed solum ejus fimbriam (Matth. 9, 20) . . . Ad sancta autem sanctorum, qui non omnino anima pariter et corpore purus est, accedere prohibetur.«

3. Inferunt patres gravitatem criminis communionis indignae [1]). Ita Tertullianus redarguens christianos idolorum artifices de idol. c. 7: „Zelus fidei ingemit . . . christianum eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora confecerunt... Semel judaei Christo manus

---

auctores accuset. Accuset Gorgoniam Gregorii naz. sororem, quae corporis et sanguinis Christi particulas, propriis lacrymis mixtas, medicinae in modum laborantibus artubus applicuit: accuset et Gregorium fratrem, qui hoc in sorore uti praecipuum fidei et fiduciae in Deum specimen, a Deo ipso per restitutionem sanitatis remuneratum, refert et laudat or. 11.«

[1]) De *gravitate peccati indignae communionis* cum utilitate leges, quae de ea habet s. Thomas 3. p. q. 80 a. 5, secundum quem indigna communio neque per se seu ratione objecti, neque per accidens seu ratione circumstantiarum personae peccantis est peccatum omnium gravissimum. Non ratione objecti, quia tanto gravius est peccatum ratione objecti, quo id, contra quod peccatur, est majus. »Et quia divinitas Christi est major humanitate ipsius, et ipsa humanitas est potior quam sacramenta humanitatis (seu humanitas in propria specie quam in specie sacramenti): inde est quod gravissima peccata sunt, quae committuntur in ipsam divinitatem . . . secundario autem sunt gravia peccata quae committuntur in humanitatem Christi . . . tertio autem loco sunt peccata quae committuntur contra sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi, et post haec sunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis, puta peccatum, quod est ex ignorantia vel infirmitate est levius peccato, quod est ex contemptu vel ex certa scientia, et eadem ratio est de aliis circumstantiis. Et secundum hoc istud peccatum in quibusdam potest esse gravius . . . in quibusdam vero minus grave, puta in his, qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt.« Hinc prudenter monet Billot in annot.

intulerunt; isti quotidie corpus ejus lacessunt! O manus praecidendae.“ Cf. Chrysostomus hom. 25 in 1. Cor.; Cyprianus de lapsis n. 22 ss.

4. Huc praeterea spectant quae patres statuunt sive de adoratione corpori Christi in eucharistia exhibenda (th. 232), sive de dignitate sacerdotum, quam amplissimis verbis extollit Chrysostomus de sacerd. ll. 3 et 6; sive de sanctitate altarium, quae ex praesentia corporis Christi in ipsa redundat (n. 325[2]), sive de efficacia commemorationis tempore missae (ib.), de qua cf. Chrysostomus hom. 3 de incompreh. n. 7; 4 n. 4 (opusc. XXIX.).

5. Denique provocat Chrysostomus ad eucharistiam ut motivum efficax elargiendae largae eleemosynae (n. 389 a.); ita et Gregorius naz. or. 40 n. 31, qui etiam or. 17 n. 12 provocat ad illam ut leniat iram praefecti provinciae. Atqui tanta efficacia practica non inest jejunae sacramentariorum opinioni, sed ea omnino praesupponit realem corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentiam ut per se est manifestum, et ex ipsis patrum effatis liquet.

351. **Thesis CCXXIV.** ***Imo patres vel in antecessum damnarunt diserte et aequivalenter sacramentariorum errores.***

Demonstratio. Nil efficacius est ad confirmationem dogmatis catholici errorisque sacramentariorum refutationem quam collatio instituta hinc quidem professionis catholicae, inde vero novatorum opinionum cum patrum doctrina. Ex hac collatione patebit consonantia fidei catholicae cum traditione apostolica et omnimoda dissonantia figmenti adversariorum ab eadem. Quare conferamus ad invicem

1. loquendi modum. Si enim quaerimus a sacramentariis, quid sit panis eucharisticus, non solent respondere, eum esse ipsum corpus Christi, quo tamen responso nil frequentius in liturgiis et apud patres.

Ita s. Isaac Magnus syrus in serm. de fide (apud Assemani bibl. or. I, 220): „Vidi mixtum craterem ejus (fidei i. e. quem fides porrigit) et pro vino repletum sanguine et pro pane positum ab ea corpus in media mensa (altaris). Vidi sanguinem et expavi: vidi corpus, et stupor apprehendit me. Innuit mihi (fides dicens): Comede et quiesce, bibe puer et ne scruteris . . . Ostendit mihi corpus mactatum, et ponens ex eo in labiis meis placide mihi dixit: Vide, quid comedis. Porrexit mihi calamum Spiritus et postulavit a me, ut manum apponerem: accepi, scripsi et confessus sum: hoc esse Dei corpus; ita deinde etiam calicem accepi et bibi in convivio ejus (fidei), et perculit me ex calice odor ejusdem corporis, quod manducaveram. Et quod de corpore dixeram

---

ad h. a: „Cavendum igitur est ab omni excessu, unde animae, praesertim puerorum, possent in desperationem conjici; et prudenter interpretandi sunt patres, quando comparant peccatum indigne communicantium cum peccato Judae vel judaeorum crucifigentium Christum; nam ista sunt accipienda non secundum aequalitatem sed secundum quandam proportionalitatem“.

ipsum esse Dei corpus, id etiam dixi de calice, hunc esse sanguinem Salvatoris nostri.« Juvencus (fl. c. a. 330) hist. evang. l. 4 v. 448 ss.:

»Divinumque (panem) dehinc tradit, sanctumque precatus
Discipulos docuit proprium sibi dedere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, vinoque repletum
Gratis sanctificat verbis, potumque ministrat
Edocuitque suum se divisisse cruorem.«

In synodo atrebatensi adversus manichaeorum reliquias habita a. 1035 (Migne 142, 1278): »Sacrificium de pane et vino cum aqua mixto ineffabili sanctificatione cruce et verbis illius in altari consecratur, dumque passionis ... salutifera memoria agitur, verum ac proprium corpus ipsius D. N. J. Christi et sanguis verus et proprius efficitur, quamvis aliud esse videatur. Videtur namque panis materialis, sed verissime efficitur corpus Christi, sicut ipsa eadem veritate attestante didicimus.« — S. Anastasius monachus († c. a. 1036) in ep. ad Geraldum ab. (Mig. 149, 433): »Credo sacrosanctum corpus dominicum, quod in altari quotidie ex sacerdotis officio consecratur, omni exsecrata dubitatione, veram ejus carnem esse, quae passa est in cruce; et verum ejus sanguinem, qui manavit ex latere, ut Veritas ipsa testatur: *Caro mea*, inquiens, *vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (Joan. 6, 52) ... *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (Luc. 22, 19). His igitur et hujuscemodi verbis dominicis fidem praebens, sicut nullum corpus aliud pro nostra salute traditum praeter suum scio: ita, ut praefatus sum, nullam ejus aliam carnem, quam quae nata est de Maria virgine et resurrexit de sepulcro, manducari in remissionem peccatorum credo; neque alium sanguinem bibi, quam qui profluxit de ejus latere, non dubito. Qui vero autumant illud post consecrationem panem esse materialiter, et corpus Domini figuraliter tantum et non veraciter, carnales carnaliter sapientes non parum contra fidem desipiunt eo, quod magis suis corporalibus oculis, quam veritatis attestationibus credunt.« Cf. n. 339. 346. 357[6]. Cf. Perpétuité de la foi t. 1 l. 8 c. 5; t. 2 l. 4 c. 8 ss. et in prolegomenis edit. Migne I, 76 ss.

2. Conferamus modum instituendi catechumenos. Sacramentarii magna sollicitudine et diligentia exempla corradunt, quibus ostendant, rei significatae nomen tribui signo: ut inde suadeant, potuisse Christum panem utpote corporis sui symbolum appellare corpus suum. Non ita patres, qui proponunt verba Christi, eadem inculcant nulla addita explicatione, neque monent, ea proprie et ad literam minime esse accipienda. Volunt ergo, ut eadem sensu accipiantur obvio.

Quis sacramentariorum unquam ita instituet fidei christianae candidatos, ut ex. gr. Cyrillus hierosol. cat mystag. 4 n. 6. 9: »Nec igitur velut simplici pani et vino attendas; corpus enim et sanguis Christi est secundum Domini asseverationem. Nam etsi tibi illud sensus exhibeat, tamen fides te certum reddat. Ne judices rem ex gustu, sed ex fide indubitanter certus esto, te corpore et sanguine Christi dignatum fuisse.« Integra catechesis esset legenda, sicut et Ambrosii de mysteriis c. 8 s. (opusc. t. VII); Isidori hisp. (vel alterius auctoris) hom. 5 de paschate et Paschasii Radberti l. de corpore et sang. Domini c. 1, ut appareat palmaris diversitas inter fidem antiquitatis et novatorum figmenta. Cf. praeclara Guitmundi disputatio l. 1 n. 24 ss.

opusc. XXXVIII. Et tamen patres admodum solliciti erant, ne illa Scripturae effata, quibus Deo adscribuntur membra humanique affectus, proprie intelligerentur, hinc monent ea esse figurata. Cum ergo hoc circa institutionis verba non inculcent, nullam in illis viderunt figuram.

3. Secundum sacramentarios verba Christi difficilia sunt; quapropter Zwinglius, etsi jam aliquot ab annis fidem in realem corporis Christi praesentiam excusserat, nullam diu rationem reperit, qua verba Christi suae accommodaret negationi: inde etiam apud eos tanta opinionum diversitas. Res vero hisce verbis significata juxta adversariorum explicationem est facilis. Quid patres? Nullam in verbis Christi reperiunt difficultatem, quocirca eadem repetunt, urgent, inculcant; verum in re, quam significant, maximum cernunt mysterium rationis captum excedens: hinc exigunt fidem, scrutationem damnant, ad Dei omnipotentiam provocant, miraculis illud credibile reddere nituntur (th. 226).

Ita Ambrosius l. c. et qui illum presse sequitur auctor op. de sacramentis IV, 5; ita Cyrillus hieros. l. c.; et Gaudentius brixianus († c. a. 410) tr. 2 in Exod.: »Ipse naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum . . . Si qua mysteriorum superaverint in mane illius futurae resurrectionis manifestanda, quae capere modo non possumus (*modo enim scio ex parte,* inquit Apostolus 1. Cor. 13, 12) . . . haec igne cremanda sunt, i. e. divino tradenda Spiritui, ut ea, quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur.« — S. Jacobus sarugensis serm. 66 de pass. Domini: »Ab illo temporis puncto, quo (Jesus) accepit panem et dixit illud corpus suum, non erat panis, sed corpus ejus, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus ejus, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebant sanguinem ejus, cujus simul audiebant vocem doctrinae . . . Corpus suum Dominus noster suis manibus distribuit in mensa. Et quis rebellis sit, ut dicat nunc, non esse corpus? Ipse (Christus) dixit: Hoc est corpus meum, et quis verum non fatetur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus apostolatus. Apostoli enim crediderunt et viventem ac secum accumbentem (ad mensam) comederunt . . . Electi apostoli, ut Filio fidem adhiberent, satagebant, non ut scrutarentur vel quaestiones moverent sicut rebelles. Panem, quem fregit et dixit corpus suum, corpus agnoscebant, et ita illud reputabant, ac si in veritate sanguis ejus stillaret.«

352. **4.** Secundum patres cavendum sedulo est, ne mysterium hoc dijudicemus juxta sensuum relationem, alioquin fallimur, cum longe aliud sit, quam quod sensus referunt. Secundum sacramentarios vel nullum est errandi periculum, cum panis vere sit panis: vel certe erroris periculum majus non est, quam circa baptismi aquam.

Quis eorum verba usurpabit Chrysostomi in Matth. h. 82: »Deo igitur ubique credamus, nec contradicamus, etiamsi quod dicit, rationibus et sensibus nostris contrarium videatur, sed praevaleat ejus verbum nostris rationibus et sensibus. Sic etiam in mysteriis (eucharistia) faciamus, non solum

quae sub sensus cadunt respicientes, sed verba ejus tenentes. Verbum quippe ejus infallibile est, sensus vero noster facile decipitur; verbum ejus nunquam excidit, sensus noster in multis fallitur. Cum ergo sermo (divinus) dicat: *Hoc est corpus meum,* obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum recipiamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in rebus quidem sensibilibus, omnia vero intelligibilia.« — Caesarius, frater Gregorii naz., seu quisquis est auctor dialogorum, qui ipsi tribuuntur (III, 169): »Videmus sanctum illum panem hodie in ara incruenta tempore divini et mystici officii, in impolluta propositum mensa, non tamen similem imagini salutiferi corporis Dei et Verbi . . . illud vero (quantum sensibus apparet) rotundum est, non articulatum, inanimatum, exsangue, immobile, neutri simile, non ei, qui visibilis est et divinitate invisibilis. Credimus nihilominus divino sermoni et quidem non simile aut aequale, sed proprie et vere ipsum esse divinum corpus, quod in divina mensa sacrificatur, et populo prorsus sine sui divisione distribuitur et sine sui deficientia participatur.« Similia supra n. 325[3] audivimus a s. Epiphanio. — Odo camerac. († 1113 in expos. can. missae (Migne 160, 1063) occasione verborum ‚mysterium fidei', quae occurunt in consecratione calicis: »Mysterium fidei pertinet ad fidem catholicam credere post benedictionem esse verum sanguinem, ut infidelis sit, qui hoc non crediderit. Item dicitur mysterium, quod sensibilibus tegitur occultum, sicut veritas sanguinis in sapore vini latet et specie. Calix ergo altaris est mysterium fidei, quia sub figura et sapore vini ocultus creditur verus sanguis. Est mysterium fidei, quia quod creditur, sensibilibus quibusdam obtegitur. Nam verus sanguis creditur, quod vinum visu sentitur et gustu. Est fidei mysterium, quia quod fides credit, intus est occultum. Intus est verus sanguis vera fide, exterius est falsum vinum vera specie. Sentitur vinum et non est. Non apparet sanguis et est. Sensus decipitur qualitate, certa tenetur fides rei veritate. Ideoque sanguis dicitur fidei mysterium, quia sanguinem fides credit intus occultum. Apertum est, quod sentitur; occultum est, quod creditur. Et si quid occultum est fide, fidei est, sicuti quod patet est sensus. Est ergo sanguis mysterium fidei, siquidem occultus pertinet ad fidem.«

5. Juxta sacramentarios ita panis eucharisticus corporis Christi continet virtutem tantum, ut aqua baptismatis sanguinis Christi efficaciam aut ἐνέργειαν s. Spiritus. Atqui talis secundum patres comparatio non obtinet; hinc nunquam dicunt aquam baptismatis esse ipsum Christi sanguinem vel Spiritum s.; eucharistiam vero constanter dicunt ipsum corpus Christi, ut liquet ex tot jam allatis testimoniis (n. 351[1]).

Quid sit eucharistia ita nos docet Justinus M. († 166 vel 167) Apol. I n. 65: »Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei carofactus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute: ita etiam illam alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per conversionem aluntur, edocti sumus, esse incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem, postquam ea (alimonia) per precem verba ejus continentem facta est eucharistia,« quod allatis institutionis verbis confirmat. Ut vero verborum s. Justini momentum magis appareat, sedulo attendatur comparatio cum incarnationis mysterio. Ea enim, nisi frustra a Justino affertur, evidenter probat, non minus vere panem

converti et fieri mediante Christi verbo corpus Christi, ac vera fuit incarnatio, in qua virtute s. Spiritus veram carnem verumque sanguinem Dei Filius assumpsit. Huc spectant etiam verba auctoris op. de sacr. VI, 1: „Sicut verus est Dei Filius D. N. J. Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris: ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus est potus [1])." Aliud in Justini verbis annotatione dignum est, quod ad illustrandum tantae conversionis miraculum in memoriam revocet quotidianam naturalemque conversionem panis et vini in nostri corporis substantiam, qua analogia alii etiam patres utuntur (n. 365). Ceterum summi esse faciendum Justini testimonium liquet ex ejus antiquitate; ex viri, qui fuit insignis philosophus et martyr, celebritate; ex apologiae scopo, ratione habita absurdarum calumniarum, quae ex eucharistia male intellecta in vulgus sparsae erant; denique ex summa lectorum dignitate, oblata enim fuit imperatori Antonino Pio ejusque filiis.

6. Secundum sacramentarios verba Christi: *Hoc est corpus meum*, ita sunt exponenda: Hoc est figura (vel signum, symbolum) corporis mei. Atqui patres hanc interpretationem damnant.

Ita Epiphanius diaconus confutans iconoclastarum errores act. VI conc. nic. II inter alia pronunciat: „Nullus aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet apostolorum aut illustrium patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri ac omnis dispensationis efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Nec enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiant evangelice dicentem eum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc. (Joan. 5, 54); *qui manducat meam carnem* etc. (v. 55); et non dixit: Accipite et comedite: hoc est imago corporis mei . . . Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel apostoli aut patres sacrificium incruentum per sacerdotem oblatum dixerunt imaginem, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem. Et ante consecrationis quidem consummationem quibusdam ss. patrum pie visum est nominare antitypa . . . post consecrationem vero corpus proprie et sanguis Christi dicuntur et sunt et creduntur [2])" etc. In eundem sensum et alii patres loquuntur. Ita Anastasius sinaita disputans cum gajanita Hodeg. c. 7 eum interrogat: „Communio corporis et sanguinis Christi, quam offers et participas, estne verum corpus Christi Filii Dei, an simplex panis, qualis ostiatim venditur, vel figura corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod judaei offerunt?" Respondet gajanita: „Absit, ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram (ἀντίτυπον) corporis Christi aut simplicem panem, sed vere ipsum corpus et sanguinem Christi Filii Dei suscipimus, incarnati et nati ex s. Dei genitrice semper Virgine Maria." Quae

---

[1]) Cf. Hugo lingoniensis de corp. et sang. D. (Mig. 143, 1330) et s. Hildegardis, quae ep. 43 scribit: „Eadem virtus Altissimi, quae in utero Virginis carnem operata est, super altare ad verba sacerdotis oblationem panis et vini in sacramentum carnis et sanguinis convertit virtute sua illud fovens."

[2]) Apud Hardouin VIII, 370. Si corpus Christi confertur cum speciebus, hae sunt τύπος et signum, corpus Christi ἀντίτυπον, h. e. significatum et exhibitum per species. Quandoque tamen ἀντίτυπος sumitur pro typo vel signo, quo sensu loquitur hic Epiphanius: nam hoc sensu panis et vinum ante consecrationem vel etiam species sacramentales dici possunt ἀντίτυπα corporis Christi.

approbans orthodoxus ita prosequitur: »Sic credimus et sic confitemur juxta dictum ipsius Christi, quod pronunciavit ad discipulos in coena mystica dans eis panem vivificum: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum,* similiter et calicem tradens illis dixit: *Hic est sanguis meus.* Non dixit: Hoc est figura corporis et sanguinis mei.« — Ita et Joannes Damasc. F. O. IV, 13 n. 40: »Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi absit! sed ipsum corpus Domini divinitate donatum; cum Dominus ipse dixerit, *Hoc est,* non figura (τύπος) corporis mei, sed *corpus meum;* neque figura sanguinis mei, sed *sanguis meus.*« Subjicit deinde n. 48, species consecratas »antitypa futurorum dici, non quasi vere corpus et sanguis Christi non sint, sed quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vere intellectualiter (νοητῶς) per solam visionem (participes erimus)«, communio scil. est pignus, praelibatio, adumbratio fruitionis beatificae, quatenus sub specierum velamine illius reddimur participes, quod quondam absque velo in se videbimus et quo fruemur. — Ante hos idem jam sat clare inculcat Cyrillus alex. in Matth. 26, 27: »Demonstrative (δεικτικῶς) autem dixit: *Hoc est corpus meum,* et *hic est sanguis meus,* ne figuram (τύπον) esse arbitreris ea, quae videntur; sed arcana ratione aliqua transformari (μεταποιεῖσθαι) ab omnipotente Deo in corpus et sanguinem Christi vere (κατὰ τὸ ἀληθές) oblata, quorum participes effecti vivificam et sanctificantem Christi virtutem suscipimus. Oportebat enim eum per Spiritum s. in nobis prout Deum decet attemperari quodammodo corporibus nostris per s. carnem suam et pretiosum sanguinem, quae utique etiam habuimus ad vivificam benedictionem tamquam in pane et vino, ne ignavi fiamus, carnem illius et sanguinem in ecclesiarum mensis proposita cernentes; accommodans enim sese Deus nostris infirmitatibus immittit propositis virtutem vitae transfertque (μεθίστησιν) ad vitae efficaciam: ac ne dubites, verum id esse, ipso clare pronunciante: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Suscipe autem potius per fidem Servatoris sermonem, veritas enim cum sit, non mentitur.« Cf. supra n. 338[3]. 339. 347 etc.

353. **Scholion.** Fatendum tamen est quosdam patres eucharistiam dixisse figuram, typum, signum corporis Christi, ut Tertullianus c. Marcionem III, 19; IV, 30; c. Judaeos c. 11; Augustinus in Ps. 3, 1; ep. 98 n. 9 ad Bonifatium; c. Adamantium c. 12 n. 3; Origenes in Matth. t. 11 n. 14; Gelasius c. Eutich. in bibl. max. VIII, 703; Facundus herm. pro defens. trium cap. IX, 5 et si qui alii. Verum notetur: **1.** haec non ita obesse doctrinae catholicae, sicut effata, quae attulimus, adversantur sacramentariorum errori: neque enim contraria esse possunt iis, quibus patres sexcenties inculcant, eucharistiam esse ipsum Christi corpus, sed amice cum his componi debent.

2. Amice componuntur, si prae oculis habentur, quae docet Ecclesia praeeunte revelatione, eucharistiam ita esse corpus Christi, ut simul sit sacramentum, hinc signum, symbolum, formam visibilem gratiae invisibilis, seu in nostro casu corporis non absentis sed, praesentis et permanenter sub illa latentis, nam eucharistia est sacramentum permanens.

3. Sicut ergo baptismus dici potest ratione ritus externi symbolum, signum gratiae regenerationis, quam tamen continet et confert: ita et eucharistia ob elementum visibile et permanens est symbolum, figura, memoria etc. corporis Christi sane praesentis: quamvis nunc propter sacramentarios, qui ejusmodi formulis loquendi abutuntur, consultius sit ab iisdem abstinere.

4. Nunquam vero patres affirmant sicut sacramentarii, eucharistiam esse figuram tantum corporis Christi; nunquam diserte negant eam esse vel continere corpus Christi, neque docent, ita Christi verba esse interpretanda. Cf. n. 352[6].

354. **7.** Secundum sacramentarios Christi corpus fide tantum, manducatione spirituali suscipimus: sed adversantur patres, secundum quos vere, ore suscipimus et intra nos recipimus corpus Christi.

Audiatur s. Cyrillus l. 10 c. 2 in Jo. 15, 1: »Quod vero dicere ausi sunt, nullam esse nobis cum eo carnalis conjunctionis rationem (ὡς οὐδεὶς ἡμῖν συναφείας τῆς κατὰ σάρκα πρὸς αὐτὸν ὁ λόγος), ss. literis dissentire penitus ostendemus . . . Dicat enim nobis aliquis causam, et vim eulogiae mysticae obiter doceat. Nam cur in nobis inseritur? Nonne ut Christum inhabitare faciat in nobis etiam corporaliter (σωματικῶς) participatione et communione sanctae suae carnis? Praeclare quidem: scribit enim Paulus, gentes factas esse concorporales et comparticipes et coheredes Christi (Eph. 3, 6). Concorporales autem quonam modo factae sunt? Nempe eulogiae mysticae participatione honoratae unum cum eo factae sunt corpus, sicut et unusquisque ss. apostolorum. Alioqui quam ob causam sua, imo omnium membra, sicut sua, membra Christi nuncupavit? Sic enim scribit: *Nescitis quoniam membra vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit* (1. Cor. 6, 15). Sed Servator ipse: *Qui manducat meam carnem,* inquit, *et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* (Joan. 6, 57). Hic enim animadvertere est operae pretium, Christum non dicere se dumtaxat in nobis futurum secundum relationem quandam affectualem, sed et per participationem naturalem οὐ κατὰ σχέσιν τινὰ μόνην ἐν διαθέσει νοουμένην, ἀλλὰ κατὰ μέθεξιν φυσικήν. Ut enim si quis ceram cerae indutam igne simul liquaverit, unum quid ex ambabus efficit, ita et per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem rursus in eo simul unimur. Nec enim aliter vivificari potest, quod natura sua est corruptibile, quam si corporaliter unitum sit corpori ejus, qui secundum naturam suam est vita, h. e. Unigeniti,« ut liquet ex Joan. 6, 54 s. Similia saepe alibi docet, ut l. 11 c. 1 in Joan. 17, 22: »Est in nobis Filius σωματικῶς quidem ut homo nobis commixtus et unitus per eulogiam mysticam: πνευματικῶς vero ut Deus sui Spiritus virtute et gratia« etc.; l. 3 de ador. in spir. p. 103; adv. Nestorium IV, 5; in 1. Cor. 5, 15. Cf. quoque Hilarium de Trinit. VIII, 14 (n. 335[3]); Joan. Damascenum or. 3. de imag. n. 26. — Aliis omissis concludimus verbis Werneri abb. s. Blasii († 1125) in deflorat. ss. Patrum l. 2 in dominic. 2 post Pentec. (Mig. 157, 1029): »In sacramento suo modo temporaliter venit ad te, et est corporaliter tecum ut per corporalem praesentiam ad spiritualem quaerendam exciteris, et inveniendam adjuveris. Quando in manibus sacramentum ejus tenes, corporaliter tecum est. Quando ore suscipis, corporaliter tecum est. Quando manducas et quando gustas, corporaliter tecum est. Denique in visu, in tactu, in sapore corporaliter tecum est. Quamdiu sensus corporaliter afficitur, praesentia ejus corporalis non aufertur. Postquam autem sensus corporalis in percipiendo deficit, deinceps corporalis praesentia quaerenda non est, sed spiritalis retinenda. Dispensatio completa est per factum sacramentum, intus manet Christus, de ore ad cor transit.« Quae derivata sunt ex Hugone a s. Victore de sacr. l. 2 p. 8 c. 13.

8. Si quaerimus a sacramentariis, quare in eucharistia videantur panis et vini species, respondent, quia panis et vini substantia manet, nulla enim mutatio substantialis locum habet. Alias reddunt majores nostri rationes, quae omnino realem corporis et sanguinis Christi praesentiam supponunt. Docent enim, species manere, ne horreamus carnem Christi manducare et ut sit locus fidei.

Ita Lanfrancus de corp. et sang. D. c. 18: „Credimus terrenas substantias, quae in mensa dominica per sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia converti in essentiam dominici corporis reservatis ipsarum rerum speciebus et quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda et cruenta horrerent, et ut credentes fidei praemia ampliora perciperent.“ — Praeclare Germanus CP. in hom. de sacramentali corpore D. N. J. Christi (in edit. Renaudotii p. 4 s.), Christum ita loquentem ad discipulos inducit: „Verborum meorum efficacia omnem panem et vinum in meum sanguinem et corpus transmutabit . . . Neque vero gravis vobis debet aut durus esse communionis sermo. Non enim absterrebimini carnem edentes humanam et sanguinem bibentes sub eadem forma, qua subsistunt et in me sunt, sed tamquam in pane et vino manducabitis. Panis autem et vini apparens veritas veritatem non apparentem corporis et sanguinis continebit; substantia quidem transmutata ut in vobis sacramentum operetur: externa vero forma eadem permanente, ne qua vos haesitatio et horror detinens a communione abducat.“ Eadem vel similia docent alii veteres scriptores, quos dedimus opusc. XXIII, 112 ss. et XXXVII, 50.

355. **Thesis CCXXV.** ***Adeo persuasum erat patribus de reali corporis et sanguinis J. Christi in eucharistia praesentia, ut hoc dogmate usi sint principii instar indubii, quo contra haereticos alias comprobarent fidei catholicae veritates.***

Demonstratio. 1. Negarunt gnostici J. Christum Filium esse Creatoris mundi. Sed eos refellit Irenaeus IV, 18 n. 4: „Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiae actae sunt, corpus esse Domini sui et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant i. e. Verbum ejus, per quod . . . terra dat primum quidem foenum (herbam), post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?“ Neque enim Christus converteret panem in corpus suum, nisi esset Filius et Verbum illius, qui est auctor panis: alterius creatoris creaturam nunquam sibi ad tam praestans sacramentum conficiendum vindicaret, ne cupidus alieni et aliena concupiscens ostenderetur. Cf. n. 358[1].

2. Negarunt ariani Verbi cum Patre consubstantialitatem: sed ex eucharistia eos refellit Hilarius, ut supra n. 335[3] audivimus.

3. Negarunt plures, Verbum suscepisse carnem nostram, quos ita revincit Chrysostomus hom. 82 in Matth. n. 5:

„Matres saepe sunt, quae post partum infantes aliis nutricibus dant; ipse vero id non passus est, sed nos proprio sanguine nutrit et per omnia sibi

copulat. Considera autem: ex nostra substantia natus est. Sed, inquies, nihil hoc ad omnes pertinet: quamquam ad omnes certe. Si etiam ad naturam nostram venit, utique ad omnes venit: si autem ad omnes, etiam ad singulos. Et quomodo, inquies, non omnes hunc fructum acceperunt? Id certe non illi adscribendum, qui pro omnibus illud delegit, sed illis, qui noluerunt. Cuique enim fideli per hoc mysterium se conjungit, et quos genuit, per se nutrit, neque alii tradit: hocque tibi modo persuadet se carnem suscepisse tuam.«

4. Negavit Nestorius unionem substantialem et hypostaticam naturae humanae cum Verbo; sed audi Cyrillum eum impugnantem:

»Quis porro ille est, qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* (Joan. 6, 57)? Nam si homo quispiam seorsim et non potius ipsum Dei Verbum factum est simile nobis, res ipsa, quae geritur, anthropophagia erit et inutilis omnino illa participatio. Ipsum enim Christum dicentem audio: *Caro non prodest quidquam: Spiritus est qui vivificat* (ib. v. 64). Quod enim naturam ejus attinet, corruptibilis quidem est caro et nullo modo vivificabit alios, cum intrinsecus corruptionis morbo laborat.« L. 4. c. 5. Cf. etiam declarat. anathem. 11; ep. 9 ad Coelestinum (opusc. XVIII, 201) n. 4; ep. 17 al. 15 ad Nestorium de excommunicatione. Eodem modo adversus nestorianos disputat Xenajas mabugensis monophysita sec. VI. apud Assemanum in bibl. or. II, 39. Cf. Franzelin th. 9.

5. Negarunt macedoniani Spiritus sancti divinitatem: quam ita probat Isidorus Pelusiota ep. I, 109 ex transubstantiationis mysterio:

»Cum Deus et Salvator noster homo factus Spiritum s. divinam Trinitatem complere tradiderit, atque in sancti baptismi invocatione una cum Patre ac Filio tamquam a peccatis liberans numeretur, et in mystica mensa communem panem proprium ipsius incarnationis corpus reddat: quid tu, o vesane, quiddam factitium aut creatum aut servilis naturae et non dominantis et creatricis essentiae et consubstantialem Spiritum sanctum esse doces?«

6. Libenter patres carnis resurrectionem inde probant.

»Quomodo dicunt, ita Irenaeus adversus gnosticos l. supra cit. n. 5, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent aut abstineant offerendo, quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.« Sane praestantia panis eucharistici exigit tam vitalem effectum, ut inserat corporibus mortalibus immortalitatis germen: et vicissim corporum resurrectio nequit esse fructus panis terreni quamvis benedicti, sed nonnisi carnis vivificae Salvatoris. Ad rem et Cyrillus alex. IV, 2 in Jo. 6, 55: »Licet mors, quae per praevaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat: tamen quia Christus per suam carnem in nobis est, omnino resurgemus: incredibile enim est, imo vero impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet. Quemadmodum enim scintillam multis paleis inserimus, ut semen ignis servemus, sic etiam D. N. J. Christus per carnem suam in nobis vitam integit ac velut semen immortalitatis inserit, quod totam, quae in nobis est, corruptionem abolet.« Quibus adde testimonia 348. 349. 354[7]. 390.

7. Denique Cyrillus alex. n. 327[e] et in Luc. 22, 19 ex hoc dogmate illustrat Christi resurrectionem; s. Leo serm. 91 et ep. 46 et Atha-

nasius apud Theodoretum dial. 2 inferunt veritatem carnis Christi etiam post resurrectionem; Braulio caesaraug. ep. 42 (Migne 80,960) probat eum resumpsisse sanguinem; Anastasius sinaita in Hodego c. 23 refellit gajanitas negantes corpus Christi ante resurrectionem fuisse corruptibile (cf. tamen Perp. de la foi III, 5 c. 12) et c. 13 s. Timotheum quendam; Cyrilllus al. summam membrorum Ecclesiae inter se et cum capite conjunctionem inde fuse explicat in Jo. 17, 20 ss.

„Ut ergo ad unitatem, ita ille XI, 11 in Jo. 17, 22, cum Deo et inter nos contenderemus atque nos una commisceremur, licet corporibus et animis alii ab aliis differamus, rationem quandam excogitavit Unigenitus per convenientem sibi sapientiam et consilium Patris. Uno enim corpore, suo nimirum, credentes in se benedicens per mysticam communionem, cum eos sibi tum etiam inter se concorporales efficit. Quis enim eos, qui per unum illud sanctum corpus ad unitatem cum Christo conjuncti sunt, diviserit et a naturali inter se unione removerit?« Gemina habet Hilarius de Trinit. VIII, 13 ss.

356. Imo ipsi haeretici ad hoc provocant dogma, ut suos stabiliant errores. Ita eutychianorum aliquis apud Theodoretum dial. 2 naturam humanam post Christi ascensionem transiisse in divinam probare nititur: „Sicut symbola dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur et alia fiunt: ita dominicum corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est.“ — Ita Paulus samosatenus apud Dionysium alex. op. pag. 323, ut ostendat sanguinem Christi esse corruptibilem, quod is in eucharistia distribuatur. Quare post tantum antiquitatis consensum licebit disputationem concludere cum Durando ab. troarnensi († 1088) de corp. et sang. D. p. 2 n. 2 (Mig. 149, 1378): „Absit, ut tam perversis et a veritate ipsa tam aversis pari jungamur perfidia, atque in sancta dominici corporis ac sanguinis communione minus aliquid fateamur, quam catholica per universum orbem praedicat Ecclesia. In qua revera tam vera Christi caro verusque sanguis exsistit, quam verax esse ipse Christus probatur, qui ea (panem et vinum) prior sanctificavit suisque demum auctoritatem formamque sanctificandi sua potestate concessit [1])“ etc.

357. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Non infitiamur, plura patrum testimonia contra dogma catholicum objici. Cum ad singula nec respondere vacet, nec sit necessarium: sufficiat quaedam statuisse principia, quibus, si non omnia, pleraque saltem explicentur.

---

[1]) Cf. etiam factum, quod refert Irenaeus l. 1 c. 13 n. 2 et quod respicit auctor carminis adv. Marcionem l. 1 c. 7, de quo Massuet in diss. 1 adv. Grabbium a. 2 § 6 n. 86 et diss. 3 n. 76 ad opera s. Irenaei. Huc refer etiam gentilium calumnias (cf. ex. gr. Min. Felix in Oct. n. 9 opusc. XV, 28), quibus non nisi dogma de reali corporis Christi in eucharistia praesentia occasionem praebere potuit.

1. Cum nullum sit mysterium, contra quod non possint testimonia sat obscura, sat difficilia opponi, ut constat inductione (cujus causa est ipsa mysterii altitudo, intellectus humani imbecillitas, defectus idearum propriarum verborumque aptorum): immerito omnino exigitur, ut nullum prorsus patrum reperiatur effatum, quod pariat difficultatem; praesertim si ratio habetur disciplinae arcani, de qua n. 325[3] egimus, et usus patrum, qui fide praesupposita libenter rimantur et sectantur significationes morales et allegoricas, nominatim materiae, ex qua conficitur eucharistia, panis scil. et vini aqua mixti [1]). Ad rem Origenes hom. 9 in Levit. n. 10: „Novit, inquit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei; non ergo immoremur in his, quae scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt."

2. Cum patrum effata pro reali Christi in eucharistia praesentia fulgeant splendore numeroque careant, imprudenter illa propter pauca atque obscura dicta negliguntur, et haec illis praeferuntur: sed omnia exigunt ut paucorum obscuritas splendore illustretur clarorum, quae apud eosdem patres vel apud illos, quibuscum in unitate fidei vixerunt reperiuntur. Nullo enim modo credibile est, patres circa tantum dogma vel secum ipsis pugnasse vel ab aliis in substantia dissensisse. Neque mirum si sacramentariis nondum litigantibus patres in allegorias propensi subinde securius et liberius loquerentur, ut teste dogmatum historia circa quodvis fere dogma, nullo adhuc urgente adversario, contigit. Loquentes enim in Ecclesia catholica jure merito praesumere poterant, verba sua secundum Ecclesiae fidem aliunde satis cognitam intelligi.

Praeclare sunt ad patres vindicandos verba Guilelmi ab. s. Theodorici in l. de corpore et sanguine Domini c. 11 (Mig. 180, 359): »Quia ab initio s. Ecclesiae usque ad nostra paene tempora haec ab omnibus quaestio intacta relicta est, ss. patres quod non impugnabatur, non defendebant, nisi quod aliquando in tractatibus suis hoc inde proferebant, quod res postulabat, quae in manibus habebatur. Quod quia quaestionibus non respondebat, quae nondum erant, parum modo sufficere videtur ad eas, cum exsurgunt, compescendas. Contra quas, quia tunc non vigilabat intentio eorum, plurima de sacramentis sanctis (corporis et sanguinis Domini) in scriptis suis reliquerunt, quae suo loco, suo sensu bene dicta, ab eis, qui contendere vel errare amant, eruta de locis suis aliud per se videntur sonare, quam ibi sonent, unde sumpta sunt, et quam senserit, qui scribit. Sed et multa de eadem re ab eis relicta sunt, quae bene dicta sed obscurius, utpote ab eis, qui ut homines venturas omnes eorum calumnias non poterant praevidere, male intellecta materiam

---

[1]) Cf. Perpétuité de la foi t. 1 Réponse générale (ed. Migne 1, 76 ss.) et l. 10; III, 2 c. 8 ss. Lege ex. gr. Cypriani ep. 63, Ambrosium de mysteriis c. 9, Augustinum serm. ad infantes (opusc. XLVI, 40 ss.). Cf. Döllinger die Lehre von der Eucharistie in den ersten drei Jahrh. p. 91 ss.

errandi vel contendendi perditis videntur praestare . . . Quod b. Augustino in multis accidisse non ignorat, qui librorum ejus lectionem familiarem habet.«

3. Distinguatur duplex de rebus loquendi modus: alter sequitur sensus seu phaenomena, quae sensibus sunt subjecta, externamque rerum speciem; alter objectivam rei veritatem, scientiae fideique normam, qui priorem saepe corrigit. Ita secundum speciem stellas parvas, magnas secundum rei veritatem dicimus. Saepe vero contingit, ut iidem de eadem re nunc priori, posteriori nunc utantur genere loquendi. Quapropter patres modo sequentes consuetudinem humanam juxta sensuum phaenomena eucharistiam vocabant panem; modo juxta fidei lumen hunc loquendi usum corrigentes dicebant, eam esse ipsum Christi corpus. Insuper

4. sacramentum eucharistiae duplici constat elemento, visibili nimirum, quod speciebus continetur; et invisibili i. e. corpore et sanguine Christi. Atqui res composita modo ab uno tantum elemento, modo ab altero, modo ab utroque potest denominari. Triplici ergo ratione de eucharistia licet loqui. Ab elemento visibili dici potest panis, sacramentum, figura, typus corporis Christi; a re contenta seu ab elemento invisibili corpus et sanguis Christi; ab utroque panis coelestis etc. Si ergo patres eucharistiam quandoque dicunt signum, typum, symbolum corporis Christi, praepostere infertur, eos ideo exclusisse rem contentam i. e. corpus Christi. Nam et modo catholici eucharistiam dicunt sacramentum corporis Christi, sacramentum autem est signum rei sacrae: tamen nemo inde infert, eos credere Christi corpus non adesse secundum rei veritatem et substantiam. Quare ex gemina loquendi ratione patrum non licet tam praecipitanter inferre, patres negasse realem corporis Christi in eucharistia praesentiam. Cf. quae diximus supra n. 353.

Haec jam notarunt veteres scriptores ut Lanfrancus l. de corpore et sanguine Domini c. 14 et 20; Haymo haberst. († 853) in Apoc. 1, 20 (Mig. 117, 962): „Sacramentum mysterium est, ubi aliud videtur et aliud intelligitur, sicut v. gr. in Christi corpore, ubi cum videtur panis, vera est caro [1]).« Pasch. Radbertus de corp. et sang. Domini c. 4; Gerbertus remensis (postea Sylvester II. † 1003) in l. de corp. et sang. Domini, ubi n. 4 post laudatam Pasch. Radberti doctrinam statuit: „Nos . . . simpliciter

[1]) In l. de corp. et sang. Domini (Migne 118, 817) aliam etiam reddit rationem, ob quam eucharistia dici possit signum, quae non est infrequens apud patres. „Notandum, inquit, quod panis ille sacratus et calix signa dicuntur. Non autem hoc quantum ad carnem Christi et sanguinem accipiendum est; quod tamen quidam errore sensibus carnis omnino dediti, mente coecati stolidissime putant; jam enim corpus Christi et sanguis non essent . . sed ad similitudinem sumentium revera signa dicuntur, sicut enim panis, qui sacratus fit corpus Christi, ex multis granis fit unus panis, et potus ille, qui sanctificatus efficitur sanguis Christi, ex multis acinis fit unus potus; sic omnes digne sumentes hoc sacramentum ex multis unum corpus in Christo efficiuntur etc.« Cf. Perp. de la foi II, 7; III, 4 c. 1 ss.

fateamur, quia figura est (eucharistia), dum panis et vinum extra videtur veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur.« — Petrus vener. († 1156) adv. Petrobrussianos contra id, quod dicunt, missam nihil esse (Migne 189, 915): »Manet tecta veritas carnis et sanguinis honesta panis et vini specie, ut et usui humano condescendatur, et fides exerceatur, et meritum augeatur. Inde est, quod sacramentum mysterium, species et figura vocatur, quia intra hoc, quod exterior forma nunciat, virtus divina verum corpus et sanguinem Redemptoris occultat.« — Durandus ab. trear. l. c. p. 5 n. 17 (Mig. 149, 1391 s.) et Hugo a s. Victore de sacr. l. 2 p. 8 c. 7. 8, qui inter alia lectu dignissima ita habet: »Cum unum sit sacramentum, tria ibi discreta proponuntur: species videlicet visibilis, et veritas corporis et virtus gratiae spiritualis. Aliud est enim visibilis species, quae visibiliter cernitur; aliud est veritas corporis et sanguinis, quae sub visibili specie invisibiliter creditur, atque aliud gratia spiritualis, quae cum corpore et sanguine invisibiliter et spiritualiter percipitur. Quod enim videmus, species est panis et vini; quod autem sub specie illa credimus, verum corpus Christi est et verus sanguis J. Christi, quod pependit in cruce et qui fluxit de latere. Nec per panem et vinum corpus et sanguinem tantum significari credimus; sed sub specie panis et vini verum corpus et verum sanguinem consecrari, et speciem quidem visibilem sacramentum (signum) esse veri corporis et veri sanguinis; corpus autem et sanguinem sacramentum (signum) esse gratiae spiritualis« etc. — Lege praeclaram s. Anselmi l. 4 ep. 106. Quare calix eucharisticus dici potest αἷμα νοητόν, mysticus, non ad exclusionem sanguinis realis, sed ad exclusionem visibilitatis: sanguinem enim esse in eucharistia oculis non videmus, sed fide credimus, ac proinde mente concipimus. Cf. Perpétuité I, 7 c. 5 s.; II, 4 c. 7; III, 1 c. 2; Gregorius berg. tr. de verit. corp. Chr. c. 10 opusc. XXXIX.

5. Quod si patres subinde negant, nos manducare corpus Christi, diserte alii affirmant, nos illud ore seu vere manducare (n. 354[7]). Quae revocantur ad harmoniam, si notetur, manducationis nomine plura pauciorave posse comprehendi et intelligi. Si ea intelligitur physiologice cum functionibus solitis attritionis dentium, gustus, digestionis, corporalis nutritionis etc., vere negatur, nos Christi corpus manducare: neque enim est cibus naturalis sed spiritualis. Si vero manducationis nomine intelligitur trajectio ab ore ad stomachum alicujus cibi vel rei, quae saltem sub specie et ad analogiam cibi praebetur, Christi corpus in eucharistia manducamus. Si ea praeterea comprehenditur illius effectus et finis, qui est refectio, vere dicitur, solos justos, non vero peccatores, manducare Christi corpus. Quo sensu Augustinus passim loquitur. Ita serm. 131 n. 1: „Illud manducare refici est, et illud bibere, quid est nisi vivere? ... tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.“ Et in Jo. tr. 27 n. 1: „Signum quia manducavit et bibit, hoc est, si manet et manetur: si habitat et inhabitatur: si haeret, ut non deseratur.“

6. Cum alius sit status corporis Christi in eucharistia, alius in coelo, et alius ejusdem fuerit ante resurrectionem, facile intelligitur, quomodo Paschasius Radbertus sec. IX. docens in eucharistia esse ipsum illud corpus, quod natum est de Maria V. [1]), reperire potuerit adversarios vel inter catholicos. Est scil. illud ipsum substantiam si spectes: non est illud ipsum quoad speciem externam et existendi conditionem.

Ajebant quidam ab Hieronymo dupliciter, ab Augustino tripliciter corpus Christi dici. Ita Honorius augustod. (fl. ineunte sec. XII.) in l. Eucharisticon c. 1: „Trifarie itaque corpus Domini dicitur. Primo id, quod de Virgine incarnatum, in ara crucis pro nobis est oblatum . . . Secundo, corpus Domini dicitur, quod ob pignus Ecclesiae traditum Spiritu s. consecrante ex substantia panis et vini ministerio sacerdotum quotidie conficitur, ac divinitate operante in praedictum corpus transfertur, et licet ab omni populo comestum, integrum tamen catholica fide permanere fertur. Tertio, corpus Domini tota Ecclesia praedicatur, quae de omnibus electis, ut de multis membris in unum compaginatur ... Hoc tertium primo per medium connectitur ... unde non tria sed unum corpus Spiritu sancto coadunante recte affirmatur.“ Quibuscum cf. quae habet c. 5: „Verbum naturam panis et vini in substantiam suae carnis et sanguinis, sicut aquam in vinum, convertit et non aliud quam suum substantivum de virgine genitum corpus suis edendum tribuit, et idem in crastino pro vita mundi in ara crucis Deo Patri obtulit. Idem etiam et non aliud Ecclesia hodie per manus sacerdotum conficit, quod Maria genuit; idem nihilominus et non aliud, quamvis ex alio pane confectum, populus fidelium hodie accipit, quod et Christus manibus suis tradidit“ etc. — Quocirca anonymus Paschasii adversarius [2]) bene illos ad harmoniam revocans

---

[1]) Idem plures affirmarunt eo tempore, cf. th. 222 p. 2. Ita Bruno astensis comment. in Joan. 6, 52: „Jam nunc ipso Domino exponente intelligimus, quid sit iste panis. Iste enim panis caro Christi est, quae pro mundi vita in ara crucis immolata est. Hanc autem manducat Ecclesia, ideoque non moritur, sed vivit in aeternum. Panis enim et vinum, quae in altari ponuntur, ad sacerdotis vocem coelesti benedictione sanctificantur, et in Christi carnem et sanguinem essentialiter commutantur, ut una eademque essentia sit et ejus carnis quae de Virgine nata est, et ejus quae de pane facta est.“ — Goffridus ab. vindoc. opusc. 1 (Mig. 157, 213), citatis verbis institutionis subjicit: „Si qui autem aliam carnem praeter istam habuisse Dominum Jesum credit, desipit, non est catholicus, sed haereticus. Hac carne redimit hominem Christus; hac in carne Christum homo peremit. Anima tamen et caro hominis sunt redempta; sed haec caro hominis fuit pretium redemptionis. Haec est illa una eademque vere vera caro, non alia, quae cooperante Spiritu sancto concepta nata est de Maria virgine et passa in cruce, quam ipse Deus omnipotentia divinitatis suscitavit a mortuis tertia die. Quapropter nemo formidet hanc carnem Christi Dei, Dei Patris unigeniti Filii, naturalem et propriam, incorruptibilem et immortalem jam factam dicere, et dicendo credere, et credendo accipere, non tantum in sacramento, quod et multi mali faciunt, sed usque ad spiritus participationem.“ Cf. Anastasius monachus supra n. 351[1]; Guitmundus II, 41 opusc. XXXVIII; Algerus I, 17. 18. 20. opusc. XXIII.

[1]) Hujus disp. exhibet Mabillonius ad calcem sec. VI. benedictini p. 2 n. 4 ss. Cf. Migne 139, 183. Si haec et alia quae supra observavimus prae oculis habentur, impossibile non erit, Ratramni, qui contra Pasch. Radbertum scripsit, orthodoxiam tueri, praesertim si expendantur, quae docet de corp. et sang. Domini

statuit, »non quidem, quod absit, naturaliter, sed specialiter (id est quoad speciem apparentem et statum exsistendi) aliud esse corpus Domini quod ex substantia panis et vini pro mundi vita quotidie per Spiritum s. consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur: et aliud specialiter corpus Christi, quod natum est de Maria V., in quod illud transfertur;« et Lanfrancus adversus Berengarium c. 18: »Vere posse dici et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, et tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam veraeque naturae proprietatem atque virtutem: non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem [1]).« Quare concludamus verbis s. P. Damiani serm. 45: »Illud corpus Christi, quod bb. Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod in fasciis cinxit, quod materna cura enutrivit; illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, et ejus sanguinem in sacramentum nostrae redemptionis haurimus. Hoc catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet.«

358. Ut saltem aliqua obscuriora testimonia, quae objici solent, expendamus, haec ceteris difficiliora videntur: **1.** Tertulliani contra Marc. IV, 40: »Professus itaque se concupiscentia concupisse edere pascha ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus), acceptum panem et distributum discipulis, corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.« Praetermissis explicationibus aliis (quas cf. in Perpétuité III, 2 c. 2; Marani praef. ad op. s. Justini) difficultas solvi potest cum Du Perron Traité du sacrement de l'eucharistie l. 2 p. 208 s. admissa constructione, quae dicitur a grammaticis ὑπέρβατον, qua appositum refertur ad nomen non immediate sed mediate praecedens, quae constructio apud Tertullianum alias occurrit, ut cum contra Praxeam c. 29 scribit: »Christus mortuus est, id est unctus.« Hinc sensus erit: Hoc i. e. figura corporis mei (secundum illud Jer. 11, 19: *Mittamus lignum in panem ejus,* ubi secundum ipsum Tertullianum c. Marc. III, 19 panis est figura corporis Christi) *est corpus meum* etc. Secundum alios Tertullianus significat, Christum adimplesse eucharistiae institutione figuram, qua panis appellatione adumbratum fuit in V. T. corpus ipsius, et quidem adimplesse repraesentando, ut loquitur I, 14 i. e. praesens exhibendo sub pane seu panis specie corpus suum. Cf. Katholik 1864. I, 277 ss.; Billot th. 38 § 3 n. 3.

2. Haec objiciuntur ex Origenis serie in Matth. n. 85 (Migne 13, 1734): »Non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat Deus Verbum, sed verbum, in cujus mysterio fuerat panis ille frangendus . . . Nam corpus Dei Verbi aut sanguis quid aliud esse potest, nisi verbum, quod nutrit, et verbum. quod laetificat cor?« Quae tamen nimis ur-

---

n. 49. 69 cum annot. Boileau (Migne 121, 154 s.) Ceterum cf. Mabillonius diss. de controv. euchar. sec. IX. § 4 et Nat. Alexander diss. in sec. IX. de quorundam sec. IX. scriptorum doctrina circa eucharistiam: in primis em. card. Franzelin thes. 10.

[1]) Secundum hunc duplicem statum et modum exsistendi, secundum exsistendi modum scil. connaturalem et sacramentalem distinguitur a patribus corpus et sanguis Christi ita, ut idem in statu sacramentali dicatur aliquando repraesentatio, figura et typus seu antitypus corporis et sanguinis Christi, quatenus est in modo exsistendi connaturali. Et quia in eucharistia fruimur quidem Christo, sed sub symbolis, ideo relate ad fruitionem remotis symbolis futuram, vocatur ea subinde antitypon futurorum. Cf. n. 352[6].

gere nequeunt sacramentarii, quia alioquin actum est de ipsa eucharistiae institutione et sacramento, eaque ad literam accepta falsa forent; quare Origenes iis significat vel panem illum non per se fuisse Christi corpus, sed vi verbi, quo erat consecrandus; vel non esse nobis corpus Christi nisi ratione fidei, nisi scil. illud debita cum fide accipiamus; vel relicto sensu proprio, forte propter arcani disciplinam (cf. ejus verba n. 357[1]), deflectit ad allegoriam: quae responsio illustratur ex hom. 16 in Num.: „Bibere dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit.“ Et revera Origenes l. c. totus est in in sectandis allegoriis. Cf. De la Rue op. Orig. III, 898; Probst Tüb. Qtlschr. 1864 p. 449—534.

3. Allogorice quoque accipi debent, quae objiciuntur ex Cypriani ep. 63 n. 13 (cf. opusc. XXI, 208 a.) et ex Augustini s. 272 ad infantes (cf. opusc. XXXIII, 83 ss. a. et XLVI, 39 s.). De aliis ejusdem testimoniis, quibus eucharistiam vocat signum corporis Christi necnon de verbis Facundi hermian. sufficiant dicta n. 337. 353. 357[3]. Cf. Algerus III, 17 ss. opusc. XXIII cum annot. p. 83. 87. 89. 202.

4. Quodsi s. Augustinus ep. 205 ad Consentium dubitare videtur, num Christus in coelo habeat sanguinem: manifestum est, eum non dubitare de sanguine secundum substantiam, cum hic ad corporis spectet naturam quam certe integram resumpsit in resurrectione Christus; sed exclusum vult sanguinem secundum affectiones vitae mortalis; nam totus in eo est, ut omnem a Christo removeat corruptionis umbram. Cum autem sanguis maxime corruptioni et multiplici mutationi sit modo obnoxius, ideo non vult subtilem hanc et curiosam magis quam utilem ingredi quaestionem, qua „fortassis accepta occasione, inquit ib., urgebit nos molestior perscrutator, et dicit: Si sanguis (est in corpore Christi), cur non et pituita, cur non et fel flavum et fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinae disciplina testatur?“

Articulus II.

De Transubstantiatione.

359. *Transubstantiationis dogma.* — Catholica doctrina de ss. eucharistiae sacramento non absolvitur professione, corpus et sanguinem Christi post consecrationem vere, realiter atque substantialiter esse sub speciebus panis et vini: sed praeterea ad fidem catholicam spectat etiam modus, quo corpus et sanguis Domini fit praesens: credendum scil. est, id fieri mirabili et singulari conversione totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantionem appellat. Quod dogma conc. tridentinum statuit sess. 13 c. 3. 4 et can. 2: „Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini: quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, A. S.“

Eandem veritatem jam antea saepius statuerat Ecclesia; ita in conc. romano VI. sub Gregorio VII. a. 1079; in conc. lateranensi IV. cap. ‚Firmiter‘; in profess. fidei a Mich. Palaeologo conc. lugdunensi proposita; in damnatione art. Wicleffi facta a conc. constantiensi; in decreto Eugenii IV. pro armenis. Merito ergo Pius VI. art. 29 synodi pistoriensis hunc in modum damnavit: „Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: **1.** Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; **2.** tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei tridentinum concilium definivit, et quae in solemni fidei professione continetur: quatenus per inconsultum istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.«

360. **Thesis CCXXVI.** ***Tota substantia panis ac vini in eucharistia consecratione convertitur in substantiam corporis et sanguinis D. N. J. Christi.***

Declaratio. Conversio definitur transitus rei in rem secundum aliquam rationem entis. Ad eam hae conditiones requiruntur et sufficiunt, ut

1. duplex sit terminus, unus *a quo* (extremum quod), qui desinit: et alius *ad quem* (extremum in quod), qui succedit secundum aliquam entis rationem pro diversitate conversionis diversam. Requiritur ergo aliqua ratio entis, quae cesset, et nova, quae succedat; quare ad conversionem proprie dictam non sufficit, si quid nulla realitate omissa perficiatur, ut si doctus fiat doctior; vel si amittat tantum aliquam realitatem nulla alia in ejus locum succedente, quod tamen sufficeret ad mutationem. Deficiente termino a quo habetur creatio: deficiente termino ad quem annihilatio, non autem conversio.

2. Necessarium est, ut inter desitionem unius et successionem alterius nexus sit et ordo, quatenus successio exigit prioris exclusionem et desitionem, et desitio ordinetur ad alterius successionem: unde non sufficit fortuita successio unius post alterum.

3. Hinc distingui debet terminus totalis et formalis tam a quo quam ad quem. Terminus formalis a quo est ratio entis, quae cessat: in casu nostro substantia panis et vini; terminus totalis a quo est terminus, qui mutatur secundum aliquam entis rationem: in hac conversione ipse panis, scil. totum constans ex panis substantia et accidentibus. Terminus formalis ad quem est ratio entis, quae incipit adesse: in hac conversione

corpus et sanguis J. Christi; terminus totalis ad quem est terminus, qui ex conversione prodit: in nostro casu synthesis ex corpore et sanguine Christi et accidentibus panis atque vini seu ipsum eucharistiae sacramentum. Qua distinctione posita dicimus, ad conversionem sensu stricto requiri **a.** ut terminus totalis a quo desinat seu cesset, non tamen totaliter; **b.** necessarium tamen per se non esse, ut simpliciter cesset terminus formalis a quo: sufficit ut cesset saltem adesse in re, quae dicitur mutari, nisi et ipse dicatur converti, ut in casu nostro, in quo tenendum est, ipsam panis substantiam converti, corpus Christi. Requiri **c.** ut terminus totalis ad quem simpliciter incipiat; si enim is post mutationem se non aliter habet ac antea, nulla facta est vera mutatio. **d.** Non vero requiri, ut terminus formalis ad quem simpliciter producatur, tamen ad conversionem maxime propriam qualis in eucharistia est admittenda, postulari, ut positio termini ad quem productioni magis quam adductioni sit analoga atque adeo productioni aequipollens actio, quam replicationem cum Lessio dicere possumus; **e.** requiri ut id, quod cum termino formali a quo constituerat terminum totalem a quo, perseveret et cum termino conversionis formali ad quem componat unum terminum totalem ad quem; ita enim hoc commune utrique termino, in ordine ad quod unus alteri quadamtenus succedit eumque excludit, ejusque vices supplet relate ad elementum commune, efficit, ut vere dicere possimus: „ea quae sunt mutari in id, quod non erant," ut ait Ambrosius de mysteriis c. 9.

361. Si proprietatem nominum ex usu loquendi dimetiamur, mutatio per se est nomen maxime genericum, quo designari possit non solum quivis transitus intrinsecus ab uno statu in alium, sive ex positivo in positivum, sive ex negativo in positivum et contra: verum etiam transitus mere extrinsecus ex uno loco in alium, ex una denominatione in aliam. Conversio illam designat mutationem, quae locum habet inter terminos positivos, ideoque significat transitum rei in rem: transformatio stricte sumpta est conversionis species: significat enim transitum ab una forma in aliam, eaque pro ratione formae potest esse accidentalis vel substantialis. Ea vero conversionis species, quae est transitus unius substantiae in aliam, aptiori nomine designari nequit, quam si dicitur transubstantiatio cum Hildeberto turonensi, qui forte primus hoc vocabulum adhibuit († 1134 vel 1132), secundum analogiam nominum transformationis, transfigurationis, translocationis etc. Quare si ejusmodi conversio in eucharistia locum habet, hebetis ingenii pusillique animi est tam apto ad eam designandam vocabulo pueriliter offendi.

362. Statuitur thesis contra lutheranos, qui admittunt quidem veram realemque corporis atque sanguinis J. Christi in eucharistia praesentiam: simul vero contendunt, una cum corpore et sanguine Christi manere panis vinique substantiam, adeo ut corpus Christi sit cum, sub, in pane. Ita ex. gr. formula concordiae p. 736: „Docent (lutherani), quemadmodum in Christo duae distinctae et non mutatae naturae inseparabiliter sunt unitae, ita in sacra

coena duas diversas substantias, panem videlicet naturalem et verum naturale corpus Christi in instituta sacramenti administratione hic in terris simul esse praesentia.« Si quaeris ab iis, qua ratione praesens illud sit, provocant alii ad corporis Christi ubiquitatem, alii consubstantiationem tuentur seu conjunctionem corporis Christi cum pane: aliis non displicet impanationis figmentum seu assumptio hypostatica panis; alii subtiliora excogitant, ut Gerhardus, qui exclusis quam plurimis explicationibus, demum statuit loc. theolog. XXII, 10 § 69 unionem sacramentalem corporis Christi cum pane, »quae ita comparata est, ut juxta ipsius Salvatoris nostri, veracis, sapientis et omnipotentis institutionem pani benedicto, tamquam medio divinitus ordinato, corpus, et vino benedito tamquam medio item divinitus ordinato sanguis Christi modo nobis incomprehensibili uniatur, ut cum illo pane corpus Christi una manducatione sacramentali, et cum illo vino sanguinem Christi una bibitione in sublimi mysterio sumamus, manducemus ac bibamus. Breviter non ἀπουσίαν absentiam, non ἐνουσίαν inexsistentiam, non συνουσίαν consubstantiationem, non μετουσίαν transubstantiationem, sed παρουσίαν corporis et sanguinis Christi in sacra coena statuimus [1]).«

363. **Demonstratio. 1.** Dogma catholicum probatur verbis institutionis, sive ea speculative sive practice accipiantur. Si ea accipiantur speculative, tunc inter subjectum *hoc* et praedicatum *corpus* affirmatur identitas substantialis. Atqui haec affirmari nequit manente panis substantia, quia haec non est substantialiter idem cum corpore Christi. Ergo ut vera sint Christi verba, quando accepto pane ea protulit, necesse est, ut cessaverit panis substantia ejusque in locum sub eisdem speciebus successerit Christi corpus seu ut facta sit transubstantiatio. Si vero Christi verba fuerunt practica, quae sententia omnino est praeferenda (cf. n. 369 s.), ea effecerunt id, quod significant. Atqui verba Christi, ut modo diximus, significant identitatem substantialem inter praedicatum et subjectum. Ergo eam effecerunt. Atqui eam efficere non potuerunt, nisi cessaverit panis substantia ejusque in locum successerit corpus ipsius seu facta sit transubstantiatio. Sane **a.** si non cessat substantia panis, falsa sunt verba Christi: quia pronomen *hoc* refertur ad substantiam quatenus ea per accidentia cadit sub apprehensione sensus. Quare permanente substantia propria sub propriis accidentibus, hujus suae substantiae propriae et non alterius accidentia sunt manifestativa. Hinc sicut falsa est propositio de pane prolata: hoc est Deus, etsi Deus ratione suae immensitatis ibi est praesens: ita falsa forent verba Christi, si manente pane, tantum illi inesset latenter et invisibiliter ejus corpus. Nostra illatio confirmatur **b.** authentico patrum suffragio, qui, ut mox videbimus, ex his verbis in-

---

[1]) Doctrinam lutheranorum distincte exponunt Hahn christl. Glaubenslehre d. 4 § 129; Winer l. c. p. 141 ss. Notionem genuinam transubstantiationis accurate evolvunt Lugo d. 7 s. 1; Franzelin th. 13; Bellarminus III, 11 ss.; Becanus summae theol. t. 3 tr. 2 c. 18.

ferunt panem mutari in corpus Christi. Hinc conc. tridentinum docet sess. 13 cap. 4: „Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit . . . conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi D. N.“ Imo c. vel ex confessione adversariorum[1]), qui candide fatentur, admitti non posse realem corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentiam vi verborum institutionis, quin admittatur transubstantiatio.

2. Dogma catholicum probatur traditione, ex liturgiis scil. et patrum effatis. Saepissime enim in illis occurrunt formulae: ante consecrationem esse panem et vinum, post verba mystica non esse panem et vinum, sed corpus et sanguinem Christi; panem fieri, mutari, transmutari, transelementari, transire etc. in corpus Christi.

Ex innumeris testimoniis speciminis gratia sint, quae legimus in liturgia alexandrina s. Gregorii: »Ipse igitur, Domine, tua voce haec proposita transmuta . . . Ipse Spiritum tuum mitte, ut adveniens sancta, bona et gloriosa sua praesentia sanctificet et transmutet proposita et sancta dona ista in ipsum corpus et sanguinem nostrae liberationis.« Et in liturgia s. Basilii alexandrina (apud Renaudot in collect. liturg. 1; 105 et 3): »Transfer eos (panem et vinum), ita ut panis quidem fiat corpus, et hoc mixtum in calice sanguis tuus pretiosus.« Jure ergo Petrus siculus (fl. c. 870) scribens contra quandam manichaeorum sectam inter sex paradoxa, quae ipsis objicit, ut tertium statuit, quod negent terribilem transmutationem in corpus et sanguinem Domini, quae fit in mysteriis. Cf. de hoc argumento ex liturgiis Perpétuité de la foi t. 2 l. 6 c. 1. ss.; Muratori diss. de rebus liturgicis c. 8 ss. et jam Guitmundus contra Bereng. III, n. 38. opusc. XXXVIII, 158. Necesse non est et patrum afferre testimonia. Praeterea, quae in hac thesi reperies, cf. n. 338[3]. 351[8]. 357[6]. etc. Ceterum vel protestantes candidiores fatentur antiquitatis sensui consonum esse dogma catholicum. Ita Hugo Grotius in voto pro pace; Leibnitzius in systemate theol. (edit. 3 Raess et Weiss, Moguntiae 1825) p. 220: »Sed pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem: passimque hic veteres

---

[1]) Ita Herzog in op. Real-Encyklopaedie für protest. Theologie und Kirche I, 39 ed. 2: Dr. Luther und die ihm anhängenden Theologen sahen wohl ein, dass die Festhaltung des rein buchstäblichen Sinnes schnurstracks zu der katholischen Lehre führe. In der That steckt in der buchstäblichen Erklärung die ganze katholische Theorie und Praxis in Beziehung auf das Sacrament des Altars, nicht blos die Wandlung der Elemente, die Anbetung der Hostie, die Kelchentziehung, sondern auch das versöhnende Opfer der Messe, welches gemäss dem strengen Wortsinne des Textes während des Abendmahles dargebracht wurde. Daher Dr. Luther eine Zeit lang zur tropischen Deutung stark hinneigte, »weil ich wohl sah, schreibt er, dass ich damit dem Papstthum hätte den grössten Puff geben können . . .« So sieht man sich folgender Alternative gegenüber gestellt; entweder der rein und streng buchstäbliche Sinn oder der rein tropische, entweder das Katholische gesteigert bis zum Deus in pyxide und zum Messopfer oder das Reformirte etc. Cf. Perpétuité de la foi t. 2 l. 2 c. 1.

agnoscunt μεταστοιχειῶσιν, quam latini transubstantiationem recte verterunt, et definitum est, totam substantiam panis et vini mutari in substantiam corporis Christi et sanguinis: et quemadmodum igitur alias, ita hic quoque explicanda est Scriptura ex traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit.« Et Grabius in annot. ad Irenaei V, 2 de Cyrillo hierosol., Nysseno, Damasceno »et aliis fortasse pluribus« scribit: »Hi quippe persuasi erant, Spiritum s. coelitus descendentem pani non modo virtutem corporis Christi communicare sicque eundem ratione qualitatum mutare, sed et divina potentia ipsam ejus substantiam in carnem transmutare, quae Christi caro sit etc.«

3. Cum autem talis mutatio omnem nostrum superet captum ac plane incredibilis videatur, mirum non est, patres ad omnis generis miracula provocare, quo eam persuadeant. Ita eloquenter provocat s. Ambrosius ad plures conversiones stupendas de myst. c. 9; ad aquam mutatam in vinum occasione nuptiarum in Cana Galilaeae (Joan. 2, 7 s.) Cyrillus hieros. (n. 397); ad creationis opus Isidorus hisp. (vel alius auctor antiquus) hom. 5 de pasch. n. 2:

»Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum* (Matth. 26, 26) . . . Ergo ut ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi praecipit virtus et rei servit effectus.« Ad alia deinde n. 12 omnipotentiae divinae opera provocat.

Ad incarnationis mysterium provocat Justinus M. (n. 352[5]); ad quotidianas mutationes, quae secundum naturae leges peraguntur, Gaudentius brix. (n. 351[3]) et Chrysostomus.

»Adest Christus, ita hic hom. 1 de prod. Judae n. 6, et nunc is, qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, qui facit, ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens (σχῆμα πληρῶν) stat sacerdos verba illa proferens; virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum,* inquit. Hoc verbum transformat ea, quae proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa: *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (Gen. 1, 28) semel quidem prolata est, omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum procreationem: ita et vox haec semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit.« Gemina habet h. 2 n. 6; quae placent Hincmaro rhem. de cavendis vitiis et exerc. virtutibus c. 10 (Mig. 126, 930) et Gezo de corp. et sang. Christi c. 40 (Migne 137, 391). Cf. plura ad rem nostram apud auctorem de sacr. IV, 4; P. Radbertum c. 1; Adelmannum et Eus. Brunonem in suis ep. adv. Bereng. (Mig. 147, 1203).

364. **4.** Succedit triplex analogia (sane inadaequata), qua patres hoc nituntur illustrare mysterium. Provocant scil. ad mutationes quotidianas, quibus semina mutantur in triticum atque adeo in panem, succus

terrae in vinum; ad mutationem, qua Christus quotidie comedens panem mutavit in sui corporis substantiam; ad mutationem, qua virtute naturali cibi vertuntur in carnem ad sanguinem nostrum.

De prima analogia ita habet Jo. Damascenus de F. O. IV, 13: „Quamobrem si sermo Dei vivus est et efficax (Hebr. 4, 12); et omnia quaecunque voluit Dominus fecit (Ps. 134, 6) etc.; si coelum et terra, aqua et ignis et aër omnisque eorum ornatus verbo Domini perfecta sunt, quin et hoc nobilissimum animal, quod homo nuncupatur: si denique ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factus est, atque ex sanctae semperque Virginis purissimis et intaminatis sanguinibus ipse sibi nullo semine carnem compegit: cur demum panem corpus, vinum item et aquam sanguinem suum efficiendi potens non sit? In principio dixit: *Producat terra herbam virentem* (Gen. 1, 11), et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino praecepto impulsa et roborata, fetus suos profert; dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum,* et: *Hic est sanguis meus;* et *hoc facite in meam commemorationem,* idque omnipotenti ejus praecepto, donec veniat, efficitur . . . per invocationem huicce novae segeti imbre superveniente, Spiritus s. nimirum obumbrante virtute. . . . Tu nunc quaeris, qui panis fiat corpus Christi, ac vinum et aqua sanguis illius? Ego vero tibi repono, Spiritum s. supervenire et ea facere, quae sermonem conceptumque procul exsuperant.“ Similia habet Petrus siculus serm. 3 c. manich. (bibl. n. PP. ed. Mai t. 4 II, 78).

Altera analogia transubstantiationis dogma ingeniose illustrat Gregorius nyss. or. cat. c. 37: „Unde in illo corpore transmutatus panis transit in divinam virtutem, per idem fit nunc similiter. Nam et illic Verbi gratia sanctum fecit corpus, cui ex pane erat substantia et quodammodo ipsum corpus erat panis: et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei et orationem non eo quidem, ut esu et potu transeat in corpus Verbi, sed ut statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est: *Hoc est corpus meum.*“

Tertia analogia Theodorus Abucara opusc. 22 (Migne patrol. gr. 97, 1554) saraceno persuasit, panem mystica benedictione fieri corpus Christi. Postquam enim dixerat concoctione naturali panem in nostri corporis verti substantiam, subjicit: „Eodem modo cogita mihi fieri mysterium nostrum. Ponit sacerdos panem super sanctam mensam, similiter et vinum, et precante eo precationem sanctam, descendit Spiritus s. in ea, quae proposita sunt; et divinitate sua panem et vinum in corpus et sanguinem Christi mutat non minus, quam hepar cibum in corpus alicujus. En amice, non das, ut possit Spiritus s. perficere quod hepar tuum potest? Saracenus: Do, inquit, et suspirans tacuit.“ Eadem fere ratione J. Damascenus mysterium illustrat l. c.: „Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur. Si requiras, quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum s.; quemadmodum et ex s. Dei genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quae in seipso subsisteret: nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est atque omnia potest; modus vero prorsus investigari nequit. Illud vero dicere alienum non est, quemadmodum naturaliter panis per comestionem vinumque et aqua per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore ejus, quod prius exstabat; sic panem, qui in prothesi praeparatus

fuit, vinum item et aquam per Spiritus s. invocationem et adventum, modo qui naturae viribus et conditione sublimior est, in Christi corpus et sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum et idem.« Ita Bruno ast. Sentent. l. 4 c. 9; Guitmundus l. 1 n. 9 et Petrus ven. adv. petrobrussianos (Mig. 189, 803). Ne tamen hae comparationes praeposterum accipiantur in sensum, cf. Suarez disp. 49 s. 3 et Algerus I, 9 n. 62.

Quae omnia ad evidentiam usque demonstrant, tantum discedere lutheranorum opinionem a fide majorum nostrorum, quantum ad eam dogma accedit catholicum. Sed eadem probant etiam falsitatem doctrinae sacramentariorum, qui eucharistiam revocant ad meram corporis Christi figuram. Risum enim moveret sacramentarius ille, qui ut catechumenis suis persuaderet, panem eucharisticum Christo auctore figuram vel signum esse corporis ejusdem, ad miracula vel opera provocaret omnipotentiae divinae, quibus ex nihilo mundum creavit, aquam vertit in vinum, hominem a suis cineribus resuscitabit etc., cum ad institutionem figurae vel signi tantus potentiae apparatus non requiratur, nec ulla sit inter hanc et illa opera similitudo. E contrario ad demonstrandum dogma catholicum de reali corporis Christi in eucharistia praesentia nil aptius, nil opportunius, validius nihil eo loquendi probandique modo afferri potest. Viderint hinc adversarii, apud quos sit veritas! Quare concludimus cum Haymone halberstad. de corp. et sanguine D. (Migne 118, 815): „Substantiam ergo panis et vini, quae super altare ponuntur, fieri corpus Christi et sanguinem per ministerium sacerdotis et gratiarum actionem, Deo hoc operante divina gratia, secreta potestate, nefandissimae dementiae est fidelibus mentibus dubitare.“

365. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — **1.** Verum quidem est patres mutationem, quae in eucharistia locum habet illustrare mutationibus tantum accidentalibus, qualis ea est ex. gr., qua aqua baptismi vel chrisma invocatione s. Spiritus fit sacrum et sanctificans, vel qua homines resurrectione transeunt in angelicam, spiritualem conditionem, vel qua homo ope gratiae in alium mutatur, angelus fit. Eo ipso enim **a.** quod hisce comparationibus rarissime utuntur ad illustrationem conversionis eucharistiae, longe frequentius provocant ad exempla mutationum substantialium, significant comparationes illas esse inadaequatas: conveniunt scil. tantum genere, sed differunt specie; nam in eucharistia ea est substantialis, in aliis casibus tantum accidentalis: Quod patres **b.** clare docent, cum mutationis eucharisticae terminum dicant esse ipsum corpus Christi (351[1]): aliis vero mutationibus assignent terminum accidentalem. Ita nunquam dicunt aquam vel chrisma fieri Spiritum sanctum, sed aliquid sacrum. Quid clarius verbis Cyrilli cat. myst. 3 n. 3: »Sicut panis eucharistiae post invocationem sancti Spiritus non est communis panis, sed corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum, neque si quis ita appellare maluerit, commune unguentum est post invocationem, sed charisma Christi et Spiritus sancti praesentia ipsius Deitatis factum efficax.« Quod **c.** alteram comparationem attinet, notandum est, eam exigendam esse

ad dogma aliunde certissimum de identitate carnis seu substantiae humanae in resurrectione: nullum autem exstat dogma de identitate panis seu substantiae in termino a quo et in termino ad quem respectu eucharistiae. Quare in illa comparatione terminus mutationis non tam designatur nomine substantivo substantiae, naturae, sed praedicato angelicae, spiritualis: quo tantum nova qualitas designatur corporum (quae quoad substantiam manent) resurgentium. Eadem fere **d.** dicenda sunt de tertia comparatione. Mutatio enim hominis ope gratiaein angelum evidenter est accidentalis et nomen angeli, ut saepe alias, sumitur metaphorice: hinc nunquam patres ad eam suadendam provocant ad miracula, quibus utuntur ad comprobandum dogma catholicum de eucharistia. „Nec dubitet, inquit Isidorus hisp. in serm. (opp. VII, 316 ed. Arevali), quisquam, primarias creaturas nutu potentiae praesentia majestatis in dominici corporis transire naturam, cum ipsum hominem videat artificio coelestis misericordiae Christi corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero commemoratis mox exuitur omni faece peccati; ita quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini, post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuitcreare, verbo possit creata convertere.“ Quibus verbis accurate assignatur ratio, propter quam conferri possit mutatio baptismo effecta cum mutatione, quae in eucharistiae locum habet: ac simul significatur magnum inter utramque discrimen. Cf. Perpétuité de la foi d. 21. 6 c. 1 ss.; em. card. Franzelinfuse et docte th. 14. 15. 16 disputantem adversus Pusey the Doctrins ofthe Real Presence ac contained in the Fathers, 1855, qui misere hisce et similibus patrum locutionibus abutitur. Cf. etiam opus. VII, 101.

2. Patres si dicunt, a Deo immitti donis propositis vim vitae et ea transmutari in virtutem carnis Christi, hac loquendi ratione non negant vel excludunt, quod centies affirmant, dona proposita mutari in ipsum corpus Christi; hoc enim supposito sane eucharistiae inerit vis vitae, virtus carnis Christi; eoque magis quod patribus virtus δύναμις saepe idem sit ac substantia, essentia.

3. Neque obstat patres aliquoties dicere, Christum dedisse nobis carnem et sanguinem suum in pane et vino. Cum enim toties affirment et probent panem mutari in corpus Christi, ut eucharistia non sit amplius panis sed ipsum corpus Christi: locutio illa rara explicari debet ita, ut significet vel carnem dari sub specie, forma panis vel per modum cibi (spiritualis), vel eucharistiam confici in pane, ex pane, qui est illius materia remota: eoque magis quod nunquam dicant Christum carnem suam dare manducandam cum pane.

4. Hae duae propositiones: *hoc est corpus meum,* et *hic* homo, scil. Christus *est Deus,* non sunt ejusdem rationis. Nam haec altera propositio vera est propter unionem hypostaticam Verbi cum natura humana. Ratione enim hujus unionis de Christo licet affirmare quod sit Deus: quia revera praeter naturam humanam, a qua denominatur homo, habet etiam naturam divinam, et omnis habens naturam divinam est Deus (cf. t. II. thes. CLIX). Inter corpus vero Christi et panem nulla est unio hypostatica: id enim **a.** plane inauditum est in universa antiquitate, quae unam novit unionem hypostaticam Verbum inter et naturam humanam assumptam. Ad rem Guitmundus III, 30: „Quae insania est, ut Christum, ut ita dixerim, sua auctoritate impanent et invinent

(berengariani)? Et quidem Christum incarnari humanae redemptionis ratio exposcebat, quod futurum prophetae praedixerunt, factum Christus ostendit, apostoli praedicaverunt, mundus credidit. At impanari vel invinari Christum nulla (sicut ostendimus) expetit ratio, nec prophetae praedixerunt, nec Christus ostendit, nec apostoli praedicaverunt, nec mundus, exceptis his paucissimis haereticis, credidit [1]). « Etiamsi **b.** in eucharistia locum haberet unio hypostatica et impanatio, haec fieret inter Verbum seu Christum et panem, non vero inter corpus Christi, quod non est hypostasis, et panem: hinc non sufficeret, ut panis posset dici corpus Christi, sicut corpus Christi non potest dici anima; nam communicatio idiomatum, quae consequitur unionem hypostaticam, transferri nequit ad ea, quae sunt assumpta, ut de se invicem praedicari possint. Ad haec **c.** panis si hypostatice a Verbo assumeretur, non propterea posset dici corpus seu caro Christi, nedum illa Christi caro, quae pro mundi vita datur Joan. 6, 52; neque vinum sanguis ille, qui pro nobis effunditur in remissionem peccatorum Matth. 26, 28; sed panis et vinum manerent quod sunt, sicut caro et sanguis hypostatice assumptus manserunt quod erant secundum suam naturam. Denique **d.** nulla haberetur mira et singularis conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, prout revelatio tam clare docet, sed Christus quotidie novum, imo multa hypostatice assumeret corpora seu panes, quot scil. panes consecrarentur, eaque iterum jugiter exueret, quod est absurdum.

5. Verum quidem est nonnullos veteres scriptores docuisse in eucharistia consecratione facta manere panis naturam, ut Gelasium de duabus naturis; Ephraem antioch. apud Photium cod. 229; auctorem ep. ad Caesarium Chrysostomo adscriptae (inter hujus op. ed. maur. III, 844), Theodoretum, qui in dial. 2 „Inconfusibilis« (op. IV, 85) disputans cum monophysita provocanti pro suo errore de mutatione corporis dominici in naturam divinam ad mutationem eucharisticam (n. 356), reponit: „Captus es retibus, quae ipse texuisti. Neque enim post sanctificationem mystica symbola recedunt a sua natura; manent enim in prioris essentiae et figura et forma aspectabili, et visibilia sunt et tangibilia, qualia erant prius; intelliguntur autem esse ea, quae facta sunt, et creduntur et adorantur, utpote quae sint id quod esse creduntur . . . Ita etiam illud corpus (Christi post ascensionem) priorem habet formam et figuram et circumscriptionem, et ut uno verbo dicam, corporis essentiam.« Verum hi patres nomine *naturae* intelligunt non ipsam substantiam panis, sed summam qualitatum sensibilium, quibus illa se manifestat et ab aliis distinguitur cibis. Jure merito autem horum patrum testimonia ita explicari, colligitur **a.** ex collatione cum aliis patribus, qui tam perspicue transubstantiationem docent, a quibus certo in tanto mysterio non dissenserunt; **b.** ex eo, quod et ipsi eucharistiam vocant corpus et sanguinem Christi, quae appellatio non esset legitima manente in ea substantia panis et vini. Neque obstat **c.** quod ea comparatione usi sunt praesertim adversus monophysitas, nam illa usi sunt non sponte propria, sed coacti propemodum ab

---

[1]) Haec tamen opinio videtur arrisisse Ruperto Tuitiensi († 1135) in Jo. 6, 25, secundum quem ita Verbum per consecrationem assumit in eucharistia panem sicut in incarnatione naturam humanam. Ideo autem censet corpus panaceum dici posse unum cum corpore de Virgine nato, quia unum est suppositum utriusque et unus est Christus, qui utrumque assumpsit. Cf. Billot in 3. p. q. 75 § 1; Algerus I, 6. 8.

adversariis, qui ea abutebantur. Sufficiens autem est adversus eos, qui putabant, ita absorptam esse naturam humanam a divina, ut a pelago aquae gutta vini, cujus nihil reliquum manet. Si enim semel probatur, manere in Christo qualitates humanas: obvia est illatio, mansisse etiam substantiam seu naturam, cum nulla ratio sufficiens reddi possit, quare Christus post resurrectionem retinuerit qualitates humanas deficiente veritate substantiae humanae: quae tamen ratio optima reddi potest et redditur a patribus, quare maneant in eucharistia qualitates panis deficiente ejus substantia.

366. **Scholion II.** *Praeposterae notiones transubstantiationis.* — Ex thesi sequitur praeter impanationis figmentum, quod refutavimus n. praec., plane erroneam esse opinionem eorum, qui putent

1. cessare quidem panis materiam, non formam, qua ea est panis;

2. opinionem Durandi in 4. dist. 11 q. 3, secundum quam forma quidem panis desinit, non vero materia; nam utraque assertio manifesto adversatur doctrinae conc. tridentini statuentis cessare totam substantiam manentibus solis speciebus. Ad haec secundum Durandum corpus Christi eucharisticum non esset ea caro, quae data est pro mundi vita, quam peperit b. Virgo etc. (n. 357[6]); multiplex esset corpus Christi, et Christus quotidie sibi efformaret novum corpus, quod jugiter iterum exueret; neque ea conversio esset adeo mirabilis et singularis, prout docet conc. tridentinum n. 359.

3. A Durandi opinione non multum distat conjectura Rosmini, cujus prop. 29 reprobata fuit a congregatione s. Officii 14. Dec. 1887. Ea ita habet: »A catholica doctrina, quae est sola veritas, minime alienam putamus hanc conjecturam: in eucharistico sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis ipsamque sua vita vivificat: eo ferme modo, quo panis et vinum vere transubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis.« Ex qua conclusionem infert absurdam (prop. 30): »Peracta transubstantiatione intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam.«

4. Ex iisdem fere rationibus, quas contra Durandi opinionem adduximus, rejici quoque debet opinio Joannis Parisiensis († 1306): cui affinis, si non eadem, est illa, quam reprobat s. congregatio inquisitionis statuens die 7. Julii 1875, tolerari non posse has propp. 3: »Hinc transubstantiatio seu conversio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi D. N. explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in eucharistia, sustentat naturam panis, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse substantia, quia jam non est in se sed in alio sustentante: adeoque manet quidem natura panis, sed in ea cessat formalis ratio substantiae: et ideo non sunt duae substantiae sed una sola nempe corporis Christi.« 4: »Igitur in eucharistia manet materia et forma elementorum panis; verum jam in alio supernaturaliter exsistentes rationem substantiae non habent, sed habent rationem supernaturalis accidentis, non quasi ad modum supernaturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat, quod a corpore Christi modo, quo dictum est, sustentantur.« Hoc enim figmentum plane adversatur Ecclesiae doctrinae, secundum quam panis non solum cessat esse substantia seu habere rationem substantiae, sed tota substantia panis et vini convertitur, adeo ut nihil de ea maneat, praeter sola accidentia et haec quidem

absque subjecto, novumque excogitat sustentationis modum, alium ab eo, quo vel hypostasis sustentat naturam, vel substantia accidens, vel materia formam.

367. **Scholion III.** *Variae de transubstantiatione sententiae.* — Non ingredimur quaestionem spinosam, utrum Christi corpus praesens sistatur actione adducente (secluso quovis motu locali), quae sententia placet Bellarmino III, 18 (cujus tamen sententia quoad rem non differt ab opinione card. de Lugo), Vasquez, nec displicet Becano c. 18 q. 4; an conservante, ut censet Suarez disp. 50 s. 4, quae scil. terminetur ad substantiam corporis Christi et a qua hoc dependeat ita post consecrationem, ut per eam produceretur, si nondum exsisteret: quam actionem alii reproductionem seu forte melius replicationem cum Lessio de div. perf. XII, 16 vocant. Hanc sententiam, saltem ut ea a Suarez proponitur, impugnat Lugo disp. 7 s. 2 statuens ejusmodi actionem neque **a.** esse possibilem, cum nihil sit causa sui, Christus autem homo sit principalis offerens in eucharistiae celebratione: neque **b.** sufficientem, cum actio conservativa per se non sit conversio; neque **c.** necessariam, cum sufficiat actio constituens corpus Christi sub speciebus panis illudque his uniens atque ita substituens substantiae panis, ut hujus vices respectu accidentium suppleat et munus substantiae exerceat, non quidem ea producens vel ut eorum subjectum inhaesionis, sed eadem conservans absque ulla eorum ab ipso tamquam a causa materiali dependentia: ex qua actione resultet ea unio, vi cujus corpus Christi intime est accidentibus praesens et conjunctum, sicut antea substantia panis: quae eo ipso est exclusa, adeo ut nunc corpus Christi per accidentia sit demonstrabile sicut antea panis substantia. Unionem vero inter corpus Christi et species sacramentales ita subtiliter illustrat disp. 6 n. 19: „Existimo hanc continentiam corporis Christi sub speciebus consistere in primis in actione quadam, qua corpus Christi per potentiam obedientialem activam ut instrumentum elevatum conservat accidentia panis supplendo concursum et sustentationem panis, non in eodem genere causae, sed in genere causae efficientis: per hanc enim causalitatem dicitur corpus Christi substare illis accidentibus; substare, inquam, hoc est, exercere circa illa munus potissimum substantiae, quia cum praecipuum munus substantiae respectu accidentium sit illa sustentare, merito dicitur corpus Christi substare illis accidentibus, quae loco panis sustentat in genere causae efficientis.“ Cf. Suarez disp. 17 s. 3; Becanus 17 q. 12 concl. 6. Notat autem quod quamvis habeatur in eucharistia conversio substantiae in substantiam, unde ratione terminorum ea dici possit conversio substantialis: definitum tamen non esse, eam fieri actione substantiali, neque ad eam requiri, ut terminus formalis ad quem de novo producatur. Quod autem attinet panis substantiam, licet ea penitus cesset, dici tamen nequit annihilari. „Annihilatio, inquit s. Thomas quodl. 5 q. 6 a. 11, quendam motum importat. Omnis autem motus denominatur a termino ad quem; unde terminus annihilationis est nihil. Consecratio autem panis in sacramento eucharistiae non terminatur ad nihil, sed ad corpus Christi, alioquin non esset dare quomodo corpus Christi incipiat esse sub sacramento; non enim incipit ibi esse per motum localem, alioquin desineret esse in coelo. Relinquitur ergo quod in consecratione panis non est aliqua annihilatio sed transubstantiatio panis in corpus Christi“.

Fatendum tamen est omnes has sententias et explicationes minus placere Billot theologo alioquin sagaci, tum quia eae plus minus concedunt anni-

hilari panis vinique substantiam: atqui tenendum est secundum conciliorum declarationes panis substantiam converti in corpus Christi; conversio excludit annihilationem, annihilatio conversionem. Ad haec in illis explicationibus habetur tantum quaedam substantiarum successio vel substitutio, neque adest nexus internus sed tantum externus et accidentalis inter desitionem substantiae panis et positionem corporis Christi. Atqui haec non sufficiunt ad plenam notionem mirabilis conversionis substantiae in substantiam seu transubstantiationis. Neque satis assequimur, qualis sit actio, qua praesens ponitur corpus Christi: ea enim vel producitur vel adducitur corpus Christi: medium non datur, sed neutrum defendi potest: neque mysterium consisteret in conversione: nam successio vel substitutio unius substantiae loco alterius non adeo difficulter intelligitur, sed mysterium lateret in illa positione corporis Christi sub speciebus panis. Adversantur praeterea illae sententiae doctrinae veterum scholae principum, qui unanimiter negant omnem substantiae panis annihilationem, negant omnem actionem circa corpus Christi primo terminatam, omnem adductionem vel productionem vel mutationem in ipso inductam. »Itaque in doctrina veterum transubstantiatio non est unius substantiae destructio et alterius subrogatio per productionis vel adductionis viam; sed est una simplex actio, qua Deus, qui ut auctor entis potest in totum ens, immediate mutat in id quod est entitatis in substantia corporis Christi quidquid entitatis est in substantia panis, ita ut subjectum patiens non sit ullo modo Christus, sed solus panis, cujus transit substantia et remanent dimensiones«. Hinc mysterium transubstantiationis in eo situm est, »quod permanentibus dimensionibus panis, ipsa panis substantia immediate convertitur in substantiam praeexsistentem corporis Christi, quod ex tunc absque ulla sui mutatione vel virtuali multiplicatione incipit esse sub dimensionibus illis, sed non ut locatum in loco, quia substantia (quae sola est terminus directus hujus conversionis) ratione sui, situm et positionem in loco habere non potest.« De sacr. in 3. p. q. 75. Num vero hac sententia melius illustretur vel vindicetur dogma catholicum de transubstantiatione, dubitamus: ea enim non intelligitur; neque recentiorum scholae theologorum explicationes videntur adeo distare a s. Thomae doctrina, ut vera habeatur oppositio. Hic enim urget conversionem, quod omnino est faciendum, quin tamen plenius conversionis mysterium seu rationem evolvat, quam recentiores theologi, ejus discipuli, ingeniose nituntur plenius evolvere.

268. **Corollarium I.** Sicut mutatio specifica accidentium postulat naturaliter et indicat mutationem panis et vini in aliam substantiam respondentem hisce accidentibus mutatis: ita ex constanti lege sacramentali mutatis specifice accidentibus postulatur, ut non sit amplius sub illis corpus Christi, sed substantia respondens hisce mutatis accidentibus, quae ad exigentiam accidentium creatur. Neque tamen ideo corpus Christi potest dici conversum in aliam substantiam, tum quia non simpliciter desinit, sed tantum desinit esse sub his speciebus, tum quia haec ipsa desitio non fit in ordine ad aliam substantiam substituendam: neque enim vi hujus novae substantiae excluditur corpus Christi, sed cessante praesentia corporis Christi exigit rerum ordo, ut accidentibus corruptis con-

veniens provideatur substantia. Cf. Suarez d. 54; Franzelin schol. 1 post th. 14.

268. **Corollarium II.** Cum materia pro conficiendo sanguine Christi secundum antiquissimam Ecclesiae praxim sit vinum, cui modicum aquae sit admixtum [1]): non est operose inquirendum, num aqua prius convertatur in vinum et deinde in sanguinem, cum certum sit totam substantiam materiae proximae, quae est vinum aqua mixtum, quomodocunque aqua se habeat, in sanguinem converti. Cf. de hac controversia (cujus etiam mentionem facit Innocentius III. 3 decr. tit. 41 c. 7 apud Denzinger n. 346) subtiliter disputantes Lugo disp. 4 sect. 3; Suarez disp. 45 sect. 4, qui etiam quaerit disp. 57 s. 4, quid tenendum sit, si quid vino consecrato immisceatur. Cf. s. Thomas quodl. 10 q. 1 a. 3. De sanctificatione, quae ex particula consecrata in vinum non consecratum, si ei admisceatur seu immittatur, redundet, disputat Belethus (sec. XII.) in rationali div. offic. c. 99 (Mig. 202, 104) et Mabillonius in comment. praeviis ad ordines romanos § 12 ss. (cf. Migne 78, 896 ss.). Merito autem hac occasione notat Billot in 3 p. q. 77 a. 8 Scholion 2: „Ceterum in his omnibus oportet sapere ad sobrietatem, nec curiosius investigandum quid pro singulis hypothesibus contingeret, quia cum deficiant ibi documenta revelationis, et naturalis ratio in his determinationibus plerumque caliget, plerumque etiam solutio undequaque dubia remanebit.“

369. **Thesis CCXXVII.** ***Corpus et sanguis Christi ipsis verbis evangelicis, quibus Salvator in ultima coena sacramentum instituit realiter ac substantialiter praesens fit.***

Declaratio. Thesis statuitur contra graecos schismaticos recentiores, qui cum Nicolao Cabasila in expos. lit. c. 29 et Marco ephesino in l. de verbis consecr. docent, invocationi Spiritus s. super dona proposita ἐπίκλησις dictae, quae in liturgiis Orientis et in nonnullis Occidentis occurit una cum verbis dominicis tribuendam esse vim efficiendi transubstantiationem. Imo russi hunc errorem in professionem fidei, quae ab episcopo consecrando emitti debet, receperunt [2]). Assertio nostra etsi non de fide fidei proxima dici potest. Nam Eugenius IV. in instructione pro armenis docet: „Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum;“ et in decreto pro jacobitis de ea testatur „Romanam Ecclesiam apostolorum doctrina et auctoritate firmatam (ea) semper uti consuevisse“. Concilium trid. vero sess. 13 cap. 1. 3 docet vi verborum adesse corpus et sanguinem Christi (n. 372). Quapropter Pius VII. in brevi [3]) ad patriarcham melchitarum 8. Maji 1822 prohibet sententiam, verba consecrationis non sufficere, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere eam precum formulam, quae verba memorata apud occidentales praecurrit, in orientali liturgia subsequitur. Et jam antea Clemens VI. in instructione ad patriarcham armenum statuit [4]): „In 42. capitulo dicis, te credere et tenere, quod corpus Christi natum de V. et mortuum in cruce quod, nunc est in coelo vivum, post verba consecrationis

---

[1]) Cf. Cyprianus ep. 63 opusc. XXI, 195; Perrone de euch. p. 2 c. 3 pr. 3.

[2]) Cf. Nilles Zeitschr. für kath. Theol. 1894 p. 288 ss.

[3]) Apud Laemmer, in decreta conc. ruthen. Zamosc. animadversiones, Friburgi 1865 p. 56. [4]) Apud Raynaldum ad a. 1351 n. 11.

panis, quae sunt: *Hoc est corpus meum,* est in sacramento sub specie et similitudine panis.« Admitti ergo nequit sententia Ambr. Catharini et Christophori Cheffontaines, qui contendunt verba Christi *hoc est corpus meum* esse tantum declarativa, non effectiva consecrationis, cum haec fiat per epiclesin. Neque probanda est opinio, quam amplectuntur Le Brun, Renaudot, Touttée etc., libere defendi posse sententiam, consecrationem fieri non solis verbis dominicis, sed simul adnexa Spiritus s. invocatione, quatenus scil. hac sacerdotis consecrantis intentio ad actionem eucharisticam plane necessariam significetur.

370. **Demonstratio. 1.** Nostra assertio sat efficaciter ex divinis literis probatur. Dubitari enim nequit, scriptores sacros voluisse eucharistiae institutionem ea referre plenitudine, ut nil eorum omitterent, quae Dominus ad realem praesentiam significandam et efficiendam dixit aut egit [1]): praesertim cum praeceperit: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22, 19. Atqui praeter institutionis verba nil omnino aliud referunt dictum aut factum a Christo, quod pertineat ad illam significandam et efficiendam. Quare his eam effecisse censendus est.

2. Confirmatur splendidissimo patrum suffragio, quorum jam plura luculenta audivimus testimonia [2]), quibus addantur:

Ambrosius de myst. c. 9 n. 52: „Si tantum valuit humana benedictio (in miraculis, quae retulerat ex V. T.), ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.« Quibuscum cf. quae leguntur de sacr. IV, 5. — Joannes Darensis, monophysita sec. VIII., explicans verba consecrationis [3]): „Incipit qui sacerdotio fungitur et repetit preces deificas, nempe efficientes corpus et sanguinem Dei. Sunt autem preces deificae illae ab hierarchis laudatae et in mysticis ministeriis positae juxta Evangelium et Apostolum; illud (Evangelium) enim dicit: *Accepit Jesus panem et benedixit,* cum iis quae sequuntur; hic (Apostolus) autem: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem et dixit: hoc est corpus meum.*« — Ex pluribus medii aevi duos tantum audiamus. S. Bruno astensis expos. in Levit. 8, 18 (Mig. 164, 407): „Hoc est illud holocaustum, inquit, quod quotidie in sancta Ecclesia fit. Offert enim Moyses i. e. Christus arietem in holocaustum, quoniam etsi sacerdotum ministerio fiat, ipse tamen carnem et sanguinem suum immolat et sacrificat. Non enim sacerdotis, sed ipsius vox est, quae dicit: *Hoc est corpus meum* . . . Hac enim voce totum sacrificium immolatur et sanctificatur.« — Et Manegaldus (fl. exeunte sec. XI.) opusc. contra Wolfelmum colon. c. 18 (Mig. 155, 165): „Novum in se ipso condidit

---

[1]) Inter theologos scholae variae sunt sententiae de verbis, vel actionibus, quibus Christus effecerit transubstantiationem, de quibus cf. Suarez disp. 58 sect. 1 et Becanum c. 21 q. 3.

[2]) Cf. Tertullianus n. 358[1]; Justinus n. 352[5]; Germanus CP. n. 354[8]; Joan. Chrysostomus n. 363[3]; Isidorus hisp. n. 365[5]; Joan. Damascenus n. 364 etc. Cf. alia apud Hoppe op. cit. p. 224—48.

[3]) Apud Benedetti in antirrhet. II c. 11 op. s. Ephraemi II, 48.

Testamentum, secundum quod vetus homo in novam creaturam convertendus ablueretur per lavacrum regenerationis, postmodum de Christi corpore reficeretur, quod de virgine sumptum erat. Hoc licet ante resurrectionem, immortale tamen et incorruptibile potentia divina porrigitur, ut cum audis Dominum ad coelos corporaliter ascendisse, non ideo aestimes fideles suos tanto munere defraudari; sed licet irrevocabiliter sedeat ad dexteram Patris, eadem tamen potentia illud idem etiamnum accipit in altari fidelis, quod tunc dedit discipulis, cum adhuc appareret inter eos mortalis. Sicut enim in baptismo Christo consepeliris in mortem, et baptizantis manus tamquam quaedam instrumenta exterius ministrant, medius autem stat, de quo dicitur: *Hic est qui baptizat,* quem fidelis videt, infidelis ignorat, qui effectum operatur salutis; sic in mensa Christi ejusdem non figurativo, sed vero corpore reficeris, quantum fide capis visibiliter, quantum adest ille invisibilis sacerdos propositae creaturae mutator atque assumptor tanta efficacia sanctificationis, ut sacerdote verba Domini, quae viva et sanctificatoria sunt, proferente, attendendum et sumendum sit, teste b. Ambrosio, non quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit.«

3. Accedit consensus graecorum cum latinis in concilio florentino. Bessarion enim archiep. nicaenus, reliquorum nomine solemniter professus est[1]): „Quoniam ab omnibus ss. doctoribus Ecclesiae, praesertim ab illo bb. Joan. Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus, verba dominica esse illa, quae mutant et transubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem: et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent, nos ipsum ss. doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate (Mansi coll. conc. 31, 1045 s.)."

371. *De epiclesi.* — Verum difficultas inde oritur, quod in omnibus fere liturgiis Orientis et quibusdam etiam missis occidentis (gothicis scil. et mozarabicis) post verba evangelica consecrationis sequitur invocatio Spiritus s., cujus speciem habes supra n. 363[2] col. 325[2]. Sed notetur **1.** totam eam partem sacrae liturgiae, quae a latinis actio, canon, a graecis ἀναφορά dicitur, ut unam considerandam esse actionem sacrificalem. Ideo autem **2.** plura verba diversosque adhiberi ritus, ut sacramenti et sacrificii finis et fructus distinctius uberiusque declaretur ac velut ob oculos sistatur, et ut excitetur congruentior animi devotio. Quocirca **3.** verba, quatenus pertinent ad distinctiorem declarationem, intelligi debere non pro tempore, quo dicuntur, sed pro tempore, pro quo dicuntur, ut animadvertit Bessarion. Operatio scil. Spiritus s. non est successiva et per partes, sed tota simul: ejus autem declaratio precibus et verbis fieri nequit nisi successive. Refertur ergo haec invocatio s. Spiritus non ad efficiendam praesentiam corporis Christi, sed ad declarandam verborum Christi efficaciam et ad obtinendum fructum in corpore Christi mystico. Ita oramus in liturgia romana, »ut fiat nobis corpus et sanguis Christi;« vel ut in quadam missa mozarabica legitur: »Precamur, ut hic panis, quem signum crucis coxit, et hic calix, quem torcular passionis expressit, benedictionem

---

[1]) Cf. Turrecremata in conc. florent. Hardouin IX, 963 ss. et 974 s.

tuae divinitatis accipiant veramque salutem sumentibus praebeant: ut quicunque exinde sumpserimus, specialem gratiam consequi mereamur [1]).«

Articulus III.

De modo, quo praesens est Christus sub speciebus panis et vini, seu de praesentia sacramentali.

372. **Thesis CCXXVIII.** ***Totus Christus sub utravis specie et sub qualibet utriusque speciei parte praesens est.***

Declaratio. Doctrina catholica de praesentia sacramentali ita proponitur a conc. tridentino sess. 13 cap. 3: „Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub alterutra specie atque sub utraque contineri, totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub ejus partibus exsistit.“

373. **Demonstratio.** In thesi secundum concilii trid. explicationem plura affirmantur, quorum aliqua vix indigent demonstratione.

1. Affirmatur vi verborum exsistere solum et totum corpus sub specie panis, et solum sanguinem sub specie vini. Sane id vi verborum Christi exsistit sub speciebus, quod verba significant. Atqui consecrationis verba per se significant tantum corpus [2]) et quidem totum et sanguinem. Ergo vi verborum haec solum adsunt. Dicimus totum, corpus et (per analogiam) totum sanguinem: nam damnata est prop. 31. Rosmini a congr. s. Officii: „In sacramento eucharistiae vi verborum corpus et

[1]) Cf. de hac quaestione sat implexa de Lugo disp. 11 s. 1; Benedictus XIV. de sacrificio missae l. 2 c. 15 n. 16 ss.; Orsi in dissert. de liturg. Spiritus s. invocatione; Petri Benedetti de augustissimo eucharistiae sacramento antirrheticon adversus K. P. Lebrunum et Eus. Renaudotum in thesauro Zachariae X, 525 ss.; Hoppe die Epiclesis der griech. und orientalischen Liturgie und der röm. Consecrationscanon, Schaffhausen 1864 (de quo tamen cf. Katholik 1869 I, 383); Scheeben Studien über den Messcanon in fasc. liter. Katholik 1866 II 526 ss.; Franzelin thes 7; Franz die euchar. Wandlung und die Epiklese der griech. und orient. Liturgien, Würzburg 1880; Henke die kath. Lehre über die Consecrationsworte, Treviris 1850; in sensum contrarium scripsit Watterich der Konsekrationsmoment und seine Geschichte, Heidelberg 1896. Plures vero subtiles quaestiones de forma cf. apud Becanum c. 21.

[2]) Quid corporis nomine intelligatur, subtiliter inquirit Lugo d. 8 s. 4.

sanguis Christi est tantum ea mensura, quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini, quae transubstantiatur: reliquum corporis Christi ibi est per concomitantiam."

2. Alia adesse per concomitantiam [1]) vel propter unionem hypostaticam probat ratio a concilio allata n. praecedenti. Unde sponte sua

3. consequitur, totum Christum adesse sub quavis specie, quod haud obscure significatur Joan. 6, 58, ubi is, qui eucharistiam accipit dicitur manducare Christum: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* quod clarius docent patres et profitentur fideles, secundum quos idem est suscipere eucharistiam et suscipere Christum; corpus Christi esse in eucharistia, et ipsum Christum esse in ea.

4. Christum exsistere sub quavis speciei parte divisione facta, ita evincitur: Fractione et divisione facta aut Christus desinit esse sub particulis ab invicem divisis; aut est sub una tantum, non sub aliis; aut partim est sub una, partim sub alia; aut totus est sub particulis singulis. Atqui primum et alterum affirmari nequit, ut probatur ex facto Christi, qui probabiliter panem eucharisticum post consecrationem divisit: certo vero calicem consecratum apostoli inter se diviserunt; confirmatur quoque Ecclesiae universalis praxi frangendi hostiam consecratam et distribuendi particulas tam panis eucharistici quam calicis inter fideles, quod certissime non fieret, si fractione periret consecratio. Tertium statuere est absurdum, cum adversetur statui glorioso corporis Christi. Reliquum ergo est quartum, Christum esse sub quolibet fragmento facta divisione; quod confirmatur practica fidelium persuasione, qui eucharistiae particulas sumentes et de eodem bibentes calice credebant, se totum, quod eucharistia continet, accipere.

„Eucharistiae perceptio, inquit Isidorus hisp. hom. de corp. et sang. D. (M. 39, 273) n. 5, non in quantitate, sed in virtute consistit, quod corpus (Domini) sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis . . . De hoc vero pane, cum assumitur, nihil minus habent singuli, quam universi: totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione accipiunt; quia benedictio hujus sacramenti scit distribui, nec scit distributione consumi." — Ambrosius ep. 7 ad Justum n. 8: „Plenius autem de sanguine Christi intelligitur (quod legimus de manna Ex. 16, 17), cujus ad gratiam nihil minuitur, nihil adjungitur. Et si parum sumas et si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemptionis." — Haymo halberstad. de corpore et sanguine Domini (Migne 118,

---

[1]) Hanc negavit sec. XII. Folmarus, praepositus Trifensteinii; contra quem scripserunt Gerhohus ab. reichenspergensis et Eberhardus episc. bambergensis, quorum ep. cf. Migne 193, 496 ss. Ceterum Folmarus suum errorem retractavit. Cf. ib. 194, 485.

817): „Hoc quoque fides sumentium hoc sacramentum firmiter tenere debet, quantulumcunque sumere videatur de hoc sacramento, corpus Christi non per partes divisum et separatum, sed omnino integrum accipere.“ Cf. aliorum effata supra n. 348. Cf. Perpétuité I, 2 c. 14; II, 5 c. 12.

5. Christum vere exsistere jam ante separationem totum in toto, et totum in singulis speciei partibus, de fide quidem non est, canon enim tridentinus 3 sess. 13 ita sonat: „Si quis negaverit, in vener. sacramento eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, A. S.;“ magno tamen consensu theologi tuentur [1]), quorum ratio praecipua petitur ex dictis, adeo ut contrarium censeant erroneum vel errori proximum. Ostendimus enim Christum separatione facta esse sub singulis speciei partibus. Atqui hujus replicatae praesentiae causa esse nequit fractio, quae ad tantum effectum producendum non est instituta. Reliquum ergo est, ut Christus jam ante divisionem exsistat sub singulis speciei partibus. Quare etiam in cap. 3 sess. 13 conc. trid. (n. 372), ubi statuitur Christum esse sub qualibet speciei parte, omittitur illa restrictio ‚separatione facta‘, quae in canone enunciatur. Cf. Guitmundus I, 16 ss., qui n. 19 praesentiam corporis Christi in eucharistia duplici comparatione illustrat: praesentiae scil. animae in corpore, et vocis ab uno prolatae in omnium audientium auribus (opusc. XXXVIII, 25 s.).

374. **Scholion.** *De speciebus eucharisticis.* — Cum corpus Christi hoc in sacramento supernaturaliter exsistat prorsusque sit gloriosum, censeri illud nequit subjectum, cui accidentia inhaereant: ut unanimes quoque docent theologi; quare in eucharistia accidentia sunt sine subjecto. Quam ob rem damnati fuerunt a Martino V. art. 1 et 2 Wicleffi: „Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris;“ et „Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento.“ Quod si hujus miraculi explicatio aliqua exigitur, variae excogitatae fuere hypotheses. Sunt qui doceant, species, quas accidentia vocamus, objectiva carere realitate, et esse solum substantiae in sensus nostros operationes. Cum vero in eucharistia, transubstantiatione facta, non remaneat panis substantia, quae in sensus agat, Deum per se ipsum supplere actionem substantiae panis, eadem producta impressione in nostris sensibus, quam ante consecrationem efficiebat panis substantia [2]). Ita ex. gr. Maignan eoque duce Saguens, Noxera,

---

[1]) Cf. Thomas 3 p. q. 76 a. 3; Suarez disp. 52; Franzelin thes. 11; Lessius de div. perf. XII, 16.

[2]) Cf. nonnulla de controversiis circa hanc opinionem in nostro Nomenclatore literario recentioris theol. II, 641 s.; 929 a.; 1298; 1307. Eam expositam reperies apud Holtzclau de sacr. n. 284 in theol. wirceb. et in Katholik 1878 I, 241 ss.

Pourchot, Pissy, Perimezzi etc. Tenendum tamen est, *aliquas saltem species sacramentales habere realitatem objectivam*, physicam, distinctam a substantia panis, divina potentia ab ea separabilem, quae remanet, cessante etiam panis substantia.

1. Probatur haec assertio loquendi ratione patrum, qui in eucharistia distinguunt elementum visibile et invisibile, quod est corpus Christi. Illud vocant rem terrenam, qualitatem, subinde naturam sensibilem(n.365[5]), permanentem non desinentem naturae proprietatem: quae loquendi ratio ostendit, eos accidentium nomine intellexisse quid physicum, quod a parte rei et objective exsisit.

2. Probatur consensu magistrorum scholae: omnes enim consenserunt in objectivam accidentium panis et vini realitatem, quamvis dissensus aliquis esset de propria eorum ratione. Imo Algerus de sacr. corp. et sang. dom. I, 7 aliique, qui scripserunt contra Berengarium, ut Hildebertus cenom., Guilelmus s.Theodorici ab., Lanfrancus etc., data opera oppositam theoriam jam refellunt. Quare theologi graviores post conc. constantiense et tridentinum hanc sententiam dicunt ad fidem pertinere. Hinc in tanta doctorum multitudine ad sec. XVII. usque labens nullus alicujus nominis theologus defendit opinionem de speciebus intentionalibus, quae sint mera phaenomena, et de sola operatione divina in sensus nostros et in corpora circumstantia.

3. Probatur ex damnatione art. Wicleffi (supra), instruct. Eugenii IV. pro armenis, ex conciliis lateranensi cap. ‚Firmiter' et tridentino, quae dum docent manere species panis et vini, secundum usum tunc in scholis ubique receptum explicari debent. Atqui communiter tunc nomine specierum intelligebatur aliquid objectivum, physicam habens realitatem. Ergo ejusmodi species concilia tuentur; eoque magis quod hae species panis tamquam quae maneant opponantur ejusdem substantiae, quae cessare affirmatur. Atqui et species panis cessarent, si species essent tantum panis impressiones in sensus nostros, quas dein Deus deficiente panis substantia hujus vice vel loco continuaret operari. Manerent scil. tunc similes species, sed non eaedem numero, non eaedem quas produxit panis. Ad haec species credebantur ita manere, ut censerentur esse sine subjecto, quare damnata fuit prop. 2. Wicleffii, dicebantur frangi, corrumpi, et cat. tridentinus p. 2 c. 4 n. 25 inter tria maxime in hoc sacramento admiranda, quae fides catholica sine ulla dubitatione credit et profitetur, tertio loco ponit: „Accidentia, quae aut oculis cernuntur aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse, mira quadam atque inexplicabili ratione. Ac panis quidem et vini accidentia omnia licet videre, quae tamen nulli substantiae inhaerent, sed per

se ipsa constant.“ Quae omnia realitatem accidentium objectivam supponunt. Denique

4. dedecet haec jugis sensuum ludificatio sacramentum veritatis, si sensuum relationi nihil responderet a parte rei. Cf. Billot th. 40.

375. Supposita accidentium objectiva realitate, eorum absque subjecto conservationem ita explicare licet: Resistentia concipi debet ut actuatio seu actus virtutis resistendi, qui alius atque alius esse potest pro diversitate virtutis, ideoque etiam ab ea separabilis: nam ex. gr. homo se impellenti non semper resistit, vel saltem non semper eodem conatu. Quare actualis resistentia concipi potest ut realitas dimanans jugiter vel resultans ex substantiae virtute, quae quidem naturaliter postulat inesse substantiae, et ideo vocatur accidens, ens entis. Atqui „Deus, inquit s. Thomas 3. p. q. 77 a. 1, qui est prima causa substantiae et accidentis per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens subtracta substantia, per quam conservatur in esse sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis.“ Quod si Deus resistentiam conservat, patet phaenomena, quorum radix proxima est resistentia, eodem manere modo ac si substantia panis adesset. Manet scil. extensio in spatio, reflexio lucis et soni, hinc quantitas visibilis et figura, raritas vel densitas, titillatio fibrarum in sensu gustus, gravitas, mutationes quoad calorem etc. Corpora vero circumstantia non solum eodem modo afficientur ab illis accidentibus sicut prius, sed etiam eodem modo in illa agent ac si adhuc eisdem subesset substantia panis et vini; poterunt proinde illa sicut prius modificare, immutare, imo et corrumpere, ut non amplius sint panis et vini species: quo posito desinent esse species sacramentales, cessabitque praesentia corporis et sanguinis sub illis; ut vero specierum naturali exigentiae inhaerendi substantiae sibi congruae satisfiat, ejusmodi substantia sub illis creatur. Unde liquet, qua ratione species nutriant: nutriunt enim vi hujus substantiae, quam exigunt quaeque sub illis creatur, postquam ob corruptionem cessaverit esse sub iis corpus Christi.

Quae explicatio accedit ad sententiam Scoti in 4. d. 12 q. 6. S. Thomas docet quantitatem immediate esse sine subjecto: accidentia vero reliqua inesse ac fundari in quantitate ideoque esse sine subjecto ultimo (cf. in 4. dist. 12 q. 1 a. 1 qcl. 3; in 3. p. q. 77 a. 2. 3): quae sententia placet de Lugo disp. 9 sect. 1, Suario disp. 56, ejus synopsin exhibet Becanus c. 20 q. 1; non vero arridet Lessio de div. perfect. XII, 16. Quomodo accidentia eucharistica nutriant, ita explicat s. Thomas l. 4 in 1. Cor. 11 et c. gentes IV, 66: „Melius dicendum videtur, quod in ipsa consecratione, sicut substantia panis in corpus Christi miraculose convertitur, ita miraculose accidentibus confertur, quod subsistant, quod est proprium substantiae: et per consequens quod omnia possint facere et pati, quae substantia posset facere et pati, si substantia ades-

set: unde sine novo miraculo et inebriare et nutrire et incinerari et putrefieri possunt, eodem modo et ordine, ac si substantia panis et vini adesset.«

376. **Corollarium.** *Sacramentalis corporis Christi praesentia.* — Ex dictis liquet, exsistendi rationem corporis Christi in eucharistia esse prorsus supernaturalem et accedere ad exsistendi rationem spirituum: unde ratione hujus singularis exsistendi modi dicitur corpus Christi in eucharistia spirituale. Differt autem sacramentalis exsistendi ratio corporis Christi ab exsistendi ratione naturali: nam corporis praesentia naturalis est circumscriptiva (cf. t. II n. 53): non vero praesentia sacramentalis, totum enim Christi corpus est in qualibet speciei parte; illa insuper est conjuncta cum duplici extensione, una ex parte subjecti, et alia in ordine ad spatium (cf. 380[3]): haec quamvis conjuncta sit cum extensione seu reali compositione ex parte subjecti, quod manet per se utpote ex partibus compositum divisibile, comparate tamen ad spatium non est divisibilis. Analogia vero cum exsistendi ratione spirituum in eo est, quod corpus Christi est in toto symbolo et in singulis symboli partibus; differt tamen in eo, quod compositum et divisibile in se manet. Quare corpus Christi non est in eucharistia sicut in loco, si hac locutione intelligitur praesentia circumscriptiva, in qua partes corporis distinctae distinctis respondent spatii partibus; est tamen in loco, quatenus realiter et substantialiter hic est. Item non est in eucharistia definitive, si hoc nomine intelligitur definitio ad unum locum, ita ut non sit etiam alibi. Ex hac exsistendi ratione corporis Christi sequitur etiam, nullum corpus naturaliter agere posse in illud prout est in eucharistia: nulliusque sensibus ipsum esse obnoxium, neque imaginatione posse repraesentari: haec enim supponunt naturalem exsistendi rationem per extensionem realem in spatio. Qua de re docte disputat em. card. Franzelin th. 11, qui inter alia statuit, Christum Dominum »non posse naturali virtute suae humanitatis exercere actus transeuntes in alia corpora; nec posse, spectata solum naturali virtute, animam Christi agere in proprium corpus sive ad motum sive ad exercitium sensuum externorum. Hoc theorema omnino consequitur ex modo exsistendi sacramentali inextenso corporis Christi . . . Videtur tamen dignitas ss. humanitatis exigere vel certe ejus dignitatem decere, ut Verbum supernaturali modo tribuat suae humanitati etiam in hoc statu exercitium sensuum corporis, quantum id mysterio fidei et fini sacramenti congruit.« Quibus explicatur Thomas 3. p. q. 76 a. 5 et ad 1. Cf. Lugo disp. 5 s. 7; Suarez disp. 53, Dalgairns Die hl. Communion, ihre Philosophie, Theologie und Praxis c. 4; in primis Scheeben, qui de momento hujus praesentiae praeclare disserit Mysterien § 73.

377. **Thesis CCXXIX.** ***Praesentia corporis et sanguinis Christi in eucharistia non est alligata tantum usui, sed consecratione peracta tamdiu durat, quamdiu species consecratae manent.***

Demonstratio. Thesis est de fide, ut patet ex concilii trid. sess. 13 can. 4: „Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post: et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere corpus Domini, A. S.“ Ea statuitur adversus lutheranos,

qui idcirco maxime praesentiam Christi in eucharistia extra usum negant, ut eo facilius omnem ss. sacramenti rejicere possint cultum aliaque consectaria catholica. Dogmatis catholici veritas

1. probatur ex verbis institutionis, quibus hoc sacramentum conficitur (thes. 227), quorum veritas et vis independens est ab eucharistiae sumptione, quam nullatenus significant. Si ergo sunt practica efficiuntque quod significant, efficiunt realem corporis Christi praesentiam independenter ab usu. Hinc secundum Christi verba: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus N. T.* (Matth. 26,28), praesentia sanguinis Christi non pendet ab usu, sed usus consequitur praesentiam. Insuper ut ostendimus, realis praesentia efficitur verbis Christi: quare ipsius corpus eo saltem tempore aderit, quod intercedit consecrationem et sumptionem: ut etiam supponitur in omnibus liturgiis. Nil vero impedit, quominus usus diu etiam distet a consecratione. Ad haec ex illa opinione sequeretur non tam sacerdotes quam potius fideles sumentes conficere hoc sacramentum, quod inauditum.

2. Probatur ex traditione, et quidem **a.** negative, cum patres de eucharistia disserentes eam simpliciter dicant corpus et sanguinem Christi independenter ab usu vel sumptione, hinc figmenti lutherani nullum reperitur penes ipsos vestigium; **b.** ex disertis effatis: „Porro alios esse etiam audio, scribit Cyrillus alex. ep. 83, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem juvare dicunt, si quid ex ea fiat reliqui in aliam diem. Insaniunt vero qui haec asserunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetuo in ea (i. e. quamdiu eucharistia seu species eucharisticae manent n. 368) exsistit."

3. Probatur ex praxi veteris Ecclesiae: solebant enim fideles eucharistiam secum domum deferre; credebant ergo corpus Christi permanenter esse in eucharistia. Ita jam Tertullianus instruit fideles, quomodo et servare possint jejunium et accipere communionem de orat. n. 19: „Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris (si interfueris mane sacro)? Accepto corpore et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et exsecutio officii (i. e. jejunii)." Cf. Mabillon de lit. gall. I, 9; Muratori diss. de rebus lit. c. 24.

378. Potiora argumenta paucis complexus est Leibnitzius in syst. theol. p. 224: „Certum est, antiquitatem tradidisse, ipsa consecratione fieri conversionem, quemadmodum apparet ex verbis Ambrosii paulo ante allatis: neque unquam veteribus auditum est novum quorundam dogma, quod in momento perceptionis demum adsit corpus Christi. Certum enim est, nonnullos sacrum hunc cibum non statim consumpsisse, sed aliis misisse, et secum domum, imo in itinera, in deserta tulisse, eumque morem aliquando fuisse commendatum, quamquam postea abrogatus sit majoris reverentiae causa. Et profecto

aut falsa sunt, quae a sacerdote pronunciantur, verba institutionis, quod absit, aut necesse est, quod benedictum est, esse corpus Christi, etiam antequam manducetur. Ut taceam, qui sic sentiunt, in tricas incidere, utrum in labiis aut in ore aut in gula aut in stomacho primum incipiat, an ne in hoc quidem, si vitio ejus symbola non consumantur.« Cf. Kirchenlex. 1^2, 1576.

Articulus IV.

Dogma catholicum de augustissimo eucharistiae mysterio secundum rationis lumen consideratum.

379. Hoc articulo paucis ea complectemur, quae tenenda sunt circa apparentem pugnam inter ipsum dogma rationisque principia.

1. Distingue inter rationem mere humanam sibique permissam, quae secundum Paulum 1. Cor. 2, 14 competit homini animali: et rationem, quam dicere possumus christianam, quae revelationis scil. lumine imbuitur et regitur: ostendimus enim multum luminis et commodi ex revelatione redundare in rationem (t. I n. 494).

2. Jam vero rationi christianae neque incredibile dogma catholicum, neque probabilis videri potest opinio adeo jejuna sacramentariorum in lumine earum veritatum, quas fides nos docet **a.** de omnipotentia Dei, quae omnia creavit ex nihilo et cui possibilia sunt, quae hominibus videntur impossibilia; **b.** de liberalitate Dei, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum (Rom. 8, 32); **c.** de sapientia Dei, qui per ea, quae judaeis scandalum, graecis stultitia videntur, constituit salvos facere credentes (1. Cor. 1, 21); **d.** de amore Christi, qui dilexit suos in finem, imo usque ad profusionem sanguinis sui, in cujus dilectionis pignus reliquit eucharistiam; **e.** de mysteriis ss. Trinitatis et incarnationis aliisque operibus divinis: majus vero prodigium est, quod Deus fiat homo et humana indutus forma agat et patiatur humana, quam quod panis fiat caro, et caro sub panis specie tribuatur in coelestem alimoniam fidelium [1]); **f.** de summa dignitate, ad quam homo per gratiam elevatur (n. 191); **g.** de familiari conversatione Dei cum hominibus jam in paradiso, cum patriarchis et populo judaico, et

---

[1]) Cf. Scheeben Mysterien § 71, qui pro more sublimiter disserit de nexu hujus mysterii cum mysteriis ss. Trinitatis et incarnationis. Balduinus cantuar. archiep. († 1190) in tr. de ss. euch. sacramento (Mig. 204, 408) post praeclaram fidei catholicae de hoc mysterio expositionem, ita prosequitur: „*Vere Deus absconditus tu es, rex Israel Salvator* (Is. 45, 15). Absconditus fuit Christus ab initio in sinu Patris; absconditus fuit post idem in forma servi, quam assumpsit; absconditus est et nunc in sacramento, quod ipse instituit (cf. supra n. 327[7]). Absconditum in sinu Patris, fides invenit; absconditum in homine fides nihilominus invenit; invenit et ipsa (f. ipsum) fides in sacramento absconditum. Magna virtus fidei magnam habet familiaritatis gratiam apud Deum. Cf. Wolphelmi ab. brunvillerensis († 1091) egregiam ep. contra errores Berengarii.

de humanitate Sapientiae incarnatae, cujus deliciae sunt, *esse cum filiis hominum* (Prov. 8, 31), incolumi manente statu fidei et viae; et propter quam jam olim promisit: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester vosque eritis populus meus* (Lev. 26, 11. 12 col. 2. Cor. 6, 16). Ratione hujus mysterii secundum fidem catholicam Ecclesia praeclare medium locum occupat inter V. Testamentum et statum futurae gloriae. In illo *omnia in figura contingebant illis* (1. Cor. 10, 11), Christus erat typice; in gloria facie ad faciem eo fruemur; nunc adest mystice, realiter scil. sed velatus (cf. n. 278[1]). Quo tenacius Christum mysticum tuemur, eo certior nobis erit Christus historicus seu historica ejus realitas. Quod si in eucharistia umbram tantum et figuram videmus Christi, eo pronius delabimur ad Christum mythicum, quod scil. Christus fuerit tantum mythus. Cf. Oswald die dogm. Lehre von den h. Sacr. p. 4 s. 1 c. 3. Merito ergo conc. tridentinum sess. 13 cap. 1 disserens de corporis Christi in eucharistia praesentia, docet, nos eam „etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi posse."

3. Ratio vero mere naturalis injuria exigit, ut ei antequam credat demonstretur, mysterium hoc evidenter esse possibile. Qui enim hoc exigit, supponit vel **a.** nullam esse veritatem nullamque rem, quae mentis finitae innumeris erroribus obnoxiae captum excedat, quod prorsus falsum; vel **b.** rationem nil posse aut debere admittere, nisi ei appareat evidenter possibile, quod adversatur sensui communi, nedum christiano; vel **c.** Deum nil posse revelare aut facere, quod superet hominis captum, quin ejus possibilitatem evidenter manifestet, quod plane arrogans.

Repetere hic licet verba Augustini ep. 137 ad Volusianum n. 8: »Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis;« et Cyrilli l. 4 c. 2 in Joan. 6, 53: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum,* ita disserens: »Judaicum est illud vocabulum πῶς (quomodo) et extremi proinde causa supplicii . . . aliorum igitur stultitia ad rei utilis investigationem sapientiores facti, de iis, quae Deus operatur, illud πῶς usurpare caveamus, sed ei potius operum suorum viam perspectam esse fateri studeamus.« Quod confirmat Is. 55, 8 s. et exemplo ex humana consuetudine petito, dein prosequitur: »Quomodo igitur, inquiet aliquis, non gravissimorum criminum rei jure tenebuntur, qui praestantissimum rerum omnium artificem Deum incredulitate sua elevare audent: qui de iis, quae operatur, πῶς quaerere non verentur, quamvis universae sapientiae largitorem eum esse noverint, et ex omni divina Scriptura cunctipotentem esse didicerint?«

4. Neque vicissim ratio demonstrare potest hujus mysterii repugnantiam sive impossibilitatem. Vera enim demonstratio ea dici nequit, quae

per XVIII secula innumeros viros doctos aeque ac sanctos, veritatis ex corde studiosos omnisque erroris acerrimos hostes nullatenus in sua commovit persuasione. Ejusmodi vero est decantata demonstratio impossibilitatis hujus mysterii.

5. Quare cum nec evidens sit possibilitas, neque ejusdem impossibilitas, non poterit a priori, sed debet a posteriori scil. ex revelatione, si qua est, dirimi quaestio, quid de hoc mysterio sit tenendum. Poterit sane exigi, ut quo difficilius creditu illud est, eo certius constet de ejus revelatione, quo certitudo revelationis factae compenset mysterii obscuritatem juvetque rationis imbecillitatem ad dubitandum tam pronae. Atqui ut vidimus toto art. 1, dogma catholicum de reali corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentia clare continetur revelationis deposito. Dicimus clare, quamvis haud immerito illius revelatio conferri possit nubi, quae (Ex. 14, 20) stetit inter castra aegyptiorum et castra Israelis illis tenebrosa, his lucida; nam verba promissionis et institutionis sunt fidelibus, qui intellectum suum libenter captivant sub auctoritate divina, clara et perspicua: incredulis vero obscura secundum illa Pauli 1. Cor. 2, 14: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi et non potest intelligere* [1]).

380. Sed nonne eucharistiae mysterium evidenter repugnare videtur? Nam repugnat **a.** adesse Christi corpus sub speciebus panis modo spiritus et sine actuali coextensione ad spatium; **b.** idem corpus adesse simul tot diversis in locis; **c.** cessare panis et vini substantiam remanentibus tamen absque inhaesionis subjecto eorum accidentibus. Verum

1. argumentum ex hisce petitum capitibus multipliciter peccat, scil. **a.** idearum confusione, confundi enim solet in hisce difficultatibus urgendis impossibilitas rei cum ejusdem incomprehensibilitate; huc transferri possunt Augustini adversus arianos de agone christ. c. 16 verba: „Nesciunt quid loquuntur, et de his rebus, quas per oculos carneos videre consueverunt, vanas imagines ad disputationes suas transferunt.“ Peccat **b.** argumentum temeritate, supponunt enim adversarii se comprehendere penitus omnipotentiam Dei atque accurate nosse, quid possit quidque non possit: peccat **c.** arrogantia, cum adversarii sibi vindicent cognitionem essentiae corporum perfectam, de qua tamen dissident phi-

---

[1]) Cf. Guitmundus III, 47 et Algerus II, 4. Ad rem Ecbertus ab. schonaug. serm. 11 contra catharos (Mig. 195, 85) n. 2: „Humano sensui impossibile quidem est, ut intelligat, qualiter id fieri possit; habet tamen rectam et firmam rationem, quare hoc indubitanter credere debeat. Quae est illa ratio, qua credi debeat illud, quod foris videbatur esse panis, fuisse ipsum corpus Domini? Quod D. Jesus Christus Filius Dei hoc dixit, qui mentiri non potuit. Vere mentiri non potuit, quia Deus fuit, quia veritas fuit.“ Cf. Suarez d. 46. 47.

losophi sagacissimi. Peccat **4.** contra regulas logicae, quatenus praesens rerum ordo pro unico possibili habetur: unde inferunt adversarii leges, quas utcunque cognoscunt, esse plane immutabiles, nulli prorsus exceptioni obnoxias et vigere pro quovis casu.

2. Notetur judicia nostra de corporibus distinguenda esse in judicia ordinis physici, quae innituntur constanti experientiae, et in judicia ordinis metaphysici, quae pendent ab evidenti cognitione essentiae corporum. Haec sunt absolute vera et immutabilia: priora certa hypothetice, quamdiu scil. leges physicae perseverant. Quare qui de corporibus absolute et pro quavis hypothesi et pro quovis ordine judicat secundum leges physicas praesentis naturae cursus, manifesto praepostere judicat; si supponatur enim sive earum suspensio sive alius naturae ordo, aliter corpora se habebunt. Ita manifesto erraret qui de corporibus post resurrectionem judicaret secundum eam, cui modo obnoxii sunt, conditionem. Jam vero repugnantiae illae, quae objiciuntur, fundantur in constantia legum physicarum, nullatenus vero colliguntur ex ipsa corporum essentia. Inferri ergo tantum poterit, eas vigere pro praesenti, non autem pro omni rerum ordine, quod libenter concedimus; eucharistia autem ad alium pertinet rerum ordinem, qui est supernaturalis et in quo aliae vigent leges: neque Christi corpus nunc naturalis est conditionis, sed in statu summae glorificationis, ideoque praeter et supra omnes leges physicas.

3. Quo jam directe respondeamus ad propositas exceptiones, haud inopportunum erit sedulo distinguere **a.** inter corporis essentiam et ejusdem praesentiam; **b.** inter extensionem subjectivam, organicam, intrinsecam, et extensionem extrinsecam, situalem, localem in ordine ad spatium. Illa continetur pluralitate partium, quae re ab invicem distinguuntur, mutuo ab invicem pendent (saltem in corpore organico) et aptitudinem exigentiamque habent, ut in ordine ad spatium dispositione locali respondente suae naturae una sit extra aliam. Quare si corpus suae permittitur naturae, partes sunt extra partes in ordine ad spatium: unde exsurgit altera extensio, quam extrinsecam, localem, situalem diximus, quae prioris est velut effectus secundum leges physicas necessario ex illa resultans et dimanans: qui tamen a Deo, cui omnis obnoxia est natura creata, suspendi poterit, quo suspenso corpus quamvis in se extensum suam extensionem non exseret in ordine ad spatium. Quod autem revera Deus, rerum creatarum Dominus absolutissimus et omnipotens, pro nutu relationes corporum ad spatium mutare possit, inde forte illustrare licet, quod eadem substantia (ex. gr. aquae) indefinita propemodum elasticitate aliam atque aliam induere potest ad locum relationem et praesentiam; et quod vel homo instrumentis opticis objecta maxima ad minimum reducere spatium, et objecta minima, quae oculum inermem

plane fugiunt, per spatium maximum potest dilatare; atque generatim nil mutabilius est relationibus temporis et spatii: quod uni est magnum, alteri est parvum; quod uni est brevissimum, alteri est longissimum etc. Cum ergo corpus necessario non sit alligatum determinato rerum spatio vel secundum notas nobis leges physicas: repugnantia evidens non apparet, si statuitur, Deum omnipotentia sua efficere posse, ut unum idemque corpus praeter consuetas leges suam exhibeat praesentiam distinctis in locis.

381. Ad hanc difficultatem ex multilocatione corporis Christi petitam respondere jam nititur Guitmundus I, 19. 20, ubi inter alia scribit: „Cum vero sapientissimus Salomon cunctas res esse difficiles dixerit, ita ut explicare eas homo non possit, nonne insanienti quam simillimus est, qui haec divina arcana discutere ad oculum violenter quaerit? Omnes enim creaturae Dei miracula nobis inexplicabilia sunt: Christus vero inter omnia aut prae omnibus miraculum singulare. Sic igitur potest Christus efficere, sicut diximus, ut unaquaeque separata particula sit totum Christi corpus, et tamen omnes separatae non plura sint corpora sed unum corpus, quemadmodum vox mille hominum percutit aures, et apud unumquemque una est, nec tamen plures dicuntur sed una sola, et quemadmodum tota anima mille corporis humani replet particulas, et cum se totam praebeat singulis, non plures tamen sed una est anima; ita jam nulla ratio propter hujuscemodi quasi partitiones obstare videtur, ut non possit, aut velle non debeat Christus panem et vinum, sicut ipse docuit et Ecclesia credidit, transferre in corpus et sanguinem suum.“ Eadem analogia utitur etiam Eutychius patriarcha CP. serm. 2 in bibl. nova PP. ed. Mai IV, 57. Cf. Suarez d. 48 s. 1.

382. Quod speciatim difficultatem attinet ex accidentibus petitam, quae contra eorum naturam subjecto careant, nota, de ratione accidentis non esse, actu subjecto inhaerere, sed aptitudinem et exigentiam inhaerendi in alio, quam actualis inhaesio consequitur, si naturaliter exsistit. Haec ejus proprietas non negatur dogmate catholico. „Non est definitio substantiae, inquit ad rem s. Thomas 3. p. q. 77 a. 1 ad 2, ens per se sine subjecto, nec definitio accidentis ens in subjecto; sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse non in subjecto, quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante: et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quae est aptitudo ad subjectum, quae semper manet in iis, non actualis inhaerentia, nec competit eis definitio substantiae.“

383. Aliam exceptionem hunc in modum proponit Scotus: „In sacramento veritatis nil decet esse falsum. At si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus; accidentia enim externa sunt naturalia signa internae substantiae; unde etiam per ea a posteriori indagatur a philosophis substantia.“ Respondemus **1.** sensus in hoc mysterio proprie non decipi: sensuum enim est referre phaenomena, non vero de horum subjecto vel causa judicare. Atqui eadem manent phaenomena in eucharistia. Idem ergo sensus referre debent transubstantiatione facta: ex hac ergo parte nulla falsitas. Quamvis **2.** ratio sponte sua ex sensuum relationibus concludat ad subjectum vel substantiam

correspondentem, in praesenti tamen mysterio, quominus ita judicet, fide praevenitur, ideoque ab errore praeservatur. »Dicendum, inquit s. Thomas in 4. d. 11 q. 1 a. 1 qcla 2 ad 1, quod in hoc sacramento non est aliqua deceptio, neque fictio. Non enim sensus decipitur, quia non habet judicare nisi de sensibilibus speciebus, quae quidem vere ibi sunt sicut et sensui ostenduntur; neque etiam intellectus, qui habet judicium de substantiis rerum per fidem juvatus.« Cf. ib. d. 12 q. 1 a. 1 qcla 2 ad 2. **3.** Quod eos attinet, qui panem eucharisticum vident non cognita illius consecratione, ad summum dici potest, Deum permittere illorum errorem, sicut eum permisit in illis qui videntes Christum puerum, eum purum judicabant hominem: Deus enim non tenetur omnem impedire errorem. Neque **4.** illorum judicia necessario sunt erronea, cum judiciorum, quae experientiae innituntur, certitudo supponat hypothesim, leges naturales fuisse servatas; si enim hac spreta absolute judicamus de rebus, errandi periculo nos exponimus: ea vero tacite supposita (quam quidem plerumque negligimus, cum nulla adsit vel appareat suspicandi ratio, suspensas fuisse hoc in casu leges naturae) judicia circa eucharistiam ab errore sunt immunia. Cf. Guitmundus I, 26 ss.

384. **Scholion.** *Loquendi regulae.* — Cognita hujus mysterii natura, difficile non erit quasdam statuere loquendi regulas circa illud servandas. Aliquas jam insinuavimus n. 353. 357[4]. 376. Insuper

1. illa loquendi ratio diligenter est servanda, quam sancivit Ecclesia sive solemnibus declarationibus sive ipso usu, et quam commendat veneranda patrum auctoritas: nec facile sunt usurpandae formulae, quae quamvis absolute verae, propter abusum haereticorum redditae sunt suspectae, vel propter non usum sunt novae et insolitae, vel propter ambiguitatem errori possunt dare occasionem. Ejusmodi ex. gr. sunt: eucharistiam esse figuram corporis Christi; corpus Christi in eucharistia manducari corporaliter, esse et exhiberi spiritualiter etc. cf. s. Thomas 3. p. q. 75 a. 8. Praeter hanc regulam generalem speciatim notentur:

2. Eo ipso, quod modus tantum exsistendi Christi in eucharistia est alius, sequitur nomina substantiva et adjectiva, quae ab exsistendi modo praescindunt, **a.** aequaliter posse de Christo sive in sacramento sive extra illud praedicari: ideoque Christum non solum prout extra sacramentum consideratur, sed etiam in sacramento exsistentem dici posse Deum, hominem, Mediatorem, omnipotentem etc.: particulas vero et praedicata **b.** quae modum exsistendi naturalem respectu loci adsignificant, non rite de ipso deque ejus corpore praedicari. Quare non licet dicere ipsum in eucharistia stare, jacere, hunc illumve habere situm. Quod si **c.** verba significant tantum praesentiam corporis Domini in eucharistia abstrahendo a modo exsistendi in loco, simpliciter affirmari possunt. Hinc dicere licet, corpus Christi esse, manere, contineri in eucharistiae sacramento.

3. Spectatis speciebus, quibus corpus Christi substat **a.** per accidens quidem, vere tamen minimeque figurate, de ipso verba enunciantur motum localem significantia. Sane cum eucharistiae sacramentum synthesis quaedam sit corporis sanguinisque Domini et specierum, habitus quidam unionis inter corpus sanguinemque et species intercedit: habitus quidem accidentalis, qui

potest conferri analogice cum habitu, qualis obtinet in compositis tum naturalibus, tum artificialibus. Atqui talis unio sufficit, ut de corpore Christi accidentaliter quidem, vere tamen verba praedicentur motum designantia localem, quae proprie spectant ad species. Quare sicut moto corpore dici potest, animam moveri: ita analogice dici poterit, Christi corpus moveri motis speciebus. Nequeunt vero **b.** de Christi corpore affirmari ea praedicata, quae de pane affirmantur quatenus est subjectum inhaesionis et informationis accidentium. Neque enim ipsum est subjectum, cui species inhaereant; quocirca dicere vetamur, corpus Christi in eucharistia esse rotundum, album etc. Adhiberi tamen **c.** figurate licet de Christi corpore vocabula, quae habitum relationemque exprimunt ad sensus videndi tangendique, ut patet ex loquendi ratione patrum, qui passim docent, nos in eucharistia Christum videre, tangere, deosculari etc. Cum enim de ratione sacramenti sit esse formam visibilem invisibilis gratiae, et eucharistia sacramentum sit, in quo corpus Christi subjecti et species se habent phaenomenorum instar, quibus illud fidei oculis exhibetur et manifestatur ut panis coelestis: ideo quae fiunt circa accidentia panis, praecise ut manifestant praesens (sub forma tamen cibi) Christi corpus, de hoc enunciantur: et subinde propter rationes polemicas etiam enunciari debent. Harum enim locutionum sensus est, substantiam, quae accidentibus subest ut objecto immediato visus, tactus, fractionis, et quae cum hisce accidentibus unum constituit sacramentum, non esse aliam quam ipsum Christi corpus. Hoc sensu Berengarius jussus est profiteri in concilio romano a. 1059, »panem et vinum post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et verum sanguinem D. N. J. Christi esse, et sensualiter non solum in sacramento (scil. ut in aliquo symbolo seu figura corpore Christi vacua), sed et in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri.« Hujus professionis apologiam cf. apud Bellarminum III, 24 et opusc. XXIII, 219 s. Bene Thomas Waldensis contra Wicleffum t. 2 l. 4 c. 42: »Ecce iste magnus philosophus et profundus theologus (Chrysostomus), etiam secundum Wicleffum, ipse concedit, illud, quod ibi videtur et tangitur, esse Christum; cur hoc negabit fidelis, quia non videtur per suam naturam, sed extraneam? Sic enim (per suam naturam) est ibi invisibilis, intangibilis, incomestibilis, indivisibilis, irrevelabilis; revelatus tamen, divisus, comestus, tactus, aspectus sensibiliter per species alienas.« Cf. Guitmundus I, 10 ss.

4. Species parsque visibilis sacramenti improprie tantum per figuram metonymiae dicuntur corpus Christi. De hac loquendi ratione fusius disputant scriptores medii aevi, ut plura effata Augustini alioquin obscura explicent. Hoc sensu videtur dixisse Augustinus in ep. 97 n. 9: »Sacramentum corporis Christi esse corpus Christi secundum quendam modum;« et Facundus hermianensis in loco alioquin sat obscuro pro defens. trium capit. l. 9 c. 5: »Potest sacramentum adoptionis (baptismus) adoptio nuncupari sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et in poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus: non quod proprie corpus ejus sit panis et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis sanguinisque contineat. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem, quem discipulis tradidit, corpus et sanguinem suum vocavit.« Cf. supra n. 357[4]; Algerus I, 5. 17 opusc. XXIII, 202 cum annot.

5. Denique cum corpus Christi pluribus in locis praesens habeat unum esse substantiale, multiplex vero esse praesentiale: ideo quae consequuntur

τό esse praesentiale, multiplicari, imo et contraria esse possunt: non vero ea, quae consequuntur τό esse substantiale. Quocirca de corpore Christi dicere possumus simul, illud adesse et abesse, moveri et quiescere etc.

Articulus V.

De eucharistiae effectibus, necessitate et cultu.

385. **Thesis CCXXX.** ***Effectus sacramenti eucharistiae 1. non est vitae spiritualis inchoatio, sed 2. ejusdem conservatio et perfectio: consequenter 3. praeparatio ad fruitionem consummatam gloriosamque corporum resurrectionem.***

Demonstratio p. I. Ad fructuosam hujus sacramenti susceptionem praerequiri statum gratiae, ideoque ejus fructum unicum vel primarium non esse peccatorum gravium remissionem, quam jam praesupponit, tenendum est contra Lutherum et Calvinum, quorum doctrinam damnavit concilium tridentinum sess. 13 cap. 7 et can. 5: „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum ss. eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, A. S.“ Probatur autem

1. ex praxi Ecclesiae, quae eucharistiam peccatoribus gravium criminum reis non ante solebat dare, quam baptismo vel poenitentia peccatorum veniam obtinuissent. Ita jam Justinus Apol. I n. 66: „Hujus (eucharistiae) nemini alii licet esse participi, nisi qui credat, vera esse, quae docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem, lavacro ablutus fuerit, et ita vivat, ut Christus tradidit.“ Hinc inter missarum solemnia vox illa diaconi: ‚Exite catechumeni, poenitentes, indigni!‘ hinc et illa altera ante eucharistiae distributionem in liturgia graecorum: ‚Sancta sanctis.‘

Hinc gravissimae s. Cypriani de nimia quorundam erga lapsos facilitate querelae ep. 9 n. 2: »Nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur, cum scriptum sit (1. Cor. 11, 27): *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*« Ceterum huc spectant pleraeque Cypriani epistolae in causa lapsorum scriptae (plures habes opusc. t. XXI), nominatim l. de lapsis (opusc. t. V), ubi etiam propositis divinae vindictae exemplis n. 24 ss. lapsos deterret, ne »ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis« vim inferant corpori ejus et sanguini, et plus in Dominum manibus atque ore delinquant, quam cum Dominum negaverunt.

2. Probatur tum ex parabola hominis, qui ad regias nuptias ingressus est non vestitus veste nuptiali Matth. 21, 11, secundum patrum expositionem; tum ex munditia praescripta judaeis in obeundis sacrificiis, quae celebrationis eucharistiae erant tantum typi et umbrae; tum haud obscure ex lotione pedum hujus sacramenti institutioni praemissa

Jo. 13, 4 ss., tum praecipue ex verbis Pauli modo citatis: neque enim alius (ex mente antiquissimae Ecclesiae) est ille, qui indigne manducat, quam qui illotus, veste nuptiali caritatis destitutus, peccatis obnoxius gravibus, qualia ibidem corinthiis exprobrat Paulus, ad hoc accedit convivium.

Merito ergo Ambrosius de sacramentis l. 5 c. 2 n. 6: »*Osculetur me* (Cant. 1, 1). Vides te mundum esse ab omni peccato, quia delicta detersa sunt; ideo te sacramentis coelestibus dignum judicat, et ideo invitat ad coeleste convivium.« Et s. Basilius de bapt. II, 3: »Si tales minae adversus eos positae sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quae ab hominibus sanctificantur: quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim plus templo illic est secundum Domini vocem, tanto gravius et terribilius est, corpore Christi impure vesci audere, quam arietes vel tauros edere, cum apostolus dicat: *Itaque quicunque manducaverit* etc. Cf. n. 350.

3. Accedit argumentum ex sacramenti natura petitum; institutum enim est per modum cibi dicente Christo: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* (Jo. 6, 56). Cibus autem praesupponit vitam, nec datur ad vitam communicandam, sed ad hanc conservandam roborandamque. Ideoque Christus ejus fructum significat verbis: *non morietur, vivet in aeternum,* quibus non vitae inchoatio, sed persevererantia in ea exprimitur. Quare si liturgiae et patres peccatorum remissionem inter eucharistiae numerant effectus, illam tribuunt sacrificio eucharistico. Quod si loquuntur de ipso sacramento, intelligi debent vel de consumptione concupiscentiae, vel de praeservatione a peccatis, vel de remissione peccatorum quotidianorum i. e. venialium.

386. **Demonstratio p. II.** Cum sacramenta omnia non ponentibus obicem gratiam conferant, et cum hoc sacramentum institutum non sit ad conferendam gratiam primam, reliquum est, ut conferat gratiam secundam seu gratiae augmentum. Quaeritur autem

1. *num hoc sacramentum* saltem per accidens *conferat gratiam primam.* Ad hanc quaestionem respondimus supra n. 267[4]. Quaeritur

2. *num eucharistia conferat gratiam etiam infantibus,* si eis praebeatur. Negant nonnulli, inter quos et Oswald (qui tamen non negat effectus aliquos, quales ex. gr. sacramentalia conferunt). Sententia tamen probabilior secundum Suarez disp. 62 s. 4, omnino vera secundum Lugo disp. 13 s. 2, certa secundum Perrone n. 220, affirmat, tum quia **a.** sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam; tum **b.** propter praxim antiquae Ecclesiae conferendi illis eucharistiam, et **c.** propter analogiam cum confirmatione.

3. Quaeritur, *quinam sint effectus proprii hujus sacramenti.* In primis ergo tenendum est, ejus effectus plane esse praestantes, ut patet tum ex dictis n. 326, tum ex iis quae docet catechismus trid. p. 2 c. 4 n. 48: »Vere enim ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est (eucharistia): cum fontem ipsum coelestium charismatum et donorum omniumque sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat, a quo tamquam a fonte ad alia sacramenta quidquid boni et perfectionis habent derivatur.« Recensitis

vero nonnullis effectibus concludit n. 56: »Cum eos jure ac merito beatissimos fuisse existimamus, in quorum tecta mortalis receptus est (Christus), vel qui illius vestis aut fimbriae tactu sanitatem recuperarunt: multo nos beatiores et feliciores esse, in quorum animam immortali gloria praeditus ingredi non gravatur, ut ejus vulnera sanet omnia eamque amplissimis muneribus ornatam sibi conjungat.« Merito huc referes Pauli verba Rom. 8, 32: *Quomodo non etiam cum illo* (Filio) *omnia nobis donavit?* Si Christus se ipsum nobis in hoc sacramento donat, donabit profecto et alia.

387. Ut autem in particulari proprios quosdam hujus sacramenti recenseamus effectus, cum Eugenio IV. in instr. pro arm. affirmare licet: „Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operari spiritualem.“ Quare

1. hujus sacramenti est vitam conservare spiritualem: nam *qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* Jo. 6, 59. Conservat autem praeservando a peccatis mortalibus, adversus quae secundum concilium trid. sess. 13 cap. 2 antidotum est. Praeservat vero **a.** augendo gratiam gratum facientem gratiarumque auxilia, ideoque roborando; **b.** infundendo delectationem spiritualem, unde minuatur cupiditas carnalis concupiscentiaeque aestus, et **c.** fugando daemones specialique protectione adversus eos dignos nos reddendo.

»Christus enim, inquit Cyrillus alex. III, 2 in Joan. 6, 67, exsistens in nobis, sopit saevientem in nostris membris carnis legem, et pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta, in quibus sumus, nobis non imputans, sed potius ut aegrotos sanans. Confractum enim alligat, erigit lapsum ceu pastor bonus, et qui animam suam ponit pro ovibus suis.« Cf. in Ps. 22, 5. — Firmicius Maternus (fl. c. a. 340) de errore profanarum relig. c. 22: »Scimus, quibus remediis artis tuae (o diabole) venena vincantur. Christi immortalem sanguinem bibimus, nostro sanguini sanguis Christi adjunctus est. Hoc est salutare remedium scelerum tuorum, quod a Dei plebe mortiferum virus excludit.« Chrysostomus hom. 46 in Joan. n. 3. 4. — Cyprianus ep. 63 n. 11 (opusc. XXI, 207) et Ambrosius serm. 8 in Ps. 118 n. 48: »Suscipe ante Dominum Jesum tuae mentis hospitio: ubi corpus ejus, ibi Christus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum coelestis fulgore praesentiae, intelligens locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet ac recedet, et tu mediam noctem sine ulla offensione transibis.« P. Damianus ep. 11 et opus. 47 c. 2. Cf. Suarez d. 63 s. 9; 64 s. 1. Applicari eucharistiae possunt verba Is. 4, 6: *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab aestu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.*

2. Verum non solum eucharistiae est conservare vitam spiritualem, sed et illam promovere speciali unione cum Christo gratiarum fonte, capite et vite, cui per eucharistiam semper magis inserimur, ut inde copiosius jugiter gratiis irrigemur secundum illa: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* Jo. 6, 57. Vi hujus arctioris unionis semper magis perficiuntur lineamenta illa Christi, quae

vi regenerationis contraximus (cf. n. 186), secundum praeclara Augustini verba Confess. VII, 10: „Cibus sum grandium, cresce et manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibos carnis tuae, sed tu mutaberis in me;“ et s. Leonis serm. 12 de pass. Domini c. 7: „Non enim aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus.“ Et sane si duo inter se uniuntur, id quod potentius est alterum sibi subjicit atque assimilat [1]). Unde frequenti dignaque communione illud assequi licebit, ut cum apostolo dicere possimus: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. 2, 20). Hinc

3. alius quoque effectus consequitur, arcta scil. conjunctio fidelium inter se. Quam ob rem sacramentum optimum remedium est adversus egoismum ad fovendum amorem socialem. Nam amoris, quem sacramentum sponte sua succendit, est transire et transeundo transformare in amatum: unde fideles sibi in Christo occurrunt et per Christum in unum coagulantur corpus, ut praeclare Paulus significat 1. Cor. 10, 17: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* (cf. n. 425). Quem effectum secundum patrum explicationem ipsa materia, ex qua eucharistia conficitur, panis scil. et vinum symbolice adumbrat: ille enim non ex unico grano, hoc vero ex multis acinis in unitatem redactis conficitur; et ipsa praxi, qua administratur eucharistiae sacramentum, fovetur: promiscue enim divites et pauperes, nobiles et rudes mensae eucharisticae accumbunt nulla ratione habita dignitatis, conditionis, cultus etc.

388. **Scholion.** Qua occasione quaerunt subtiliter theologi, qualis oriatur unio inter corpus Christi et nostrum, et quo nomine sit exprimenda, utrum dicenda realis, an naturalis vel substantialis vel corporalis etc. De qua ita disserit Suarez disp. 64 sect. 3: „Tota haec controversia, quamvis a multis magna contentione disputetur, videtur magis in verbis consistere, quam in re aliqua versari.“ Quam ut dirimat, statuit:

1. „In usu hujus sacramenti nos non tantum suscipimus Christum in figura aut per fidem, sed vere et realiter per os corporeum ... quod potissimum intendunt docere aliqui ex sanctis in priori sententia citatis et hanc vocant corporalem unionem, quia est vere corporalis sumptio; dicitur etiam naturalis, ut distinguatur contra umbratilem aut per solam figuram vel signum ... haec vero unio quantum ad hoc non est effectus sacramenti hujus, sed potius usus ejus,“ quocirca et peccatoribus communis.

2. „Existimo omnino certum praeter hanc propinquitatem vel contactum inter corpus nostrum et (corpus) Christi mediis speciebus sacramentalibus non intervenire materialem aliquam unionem physicam ac veram.“ Ad quod probandum ex ordine ostendit, non adesse unionem formalem, substantialem, hypostaticam, effectivam. Et sane explicari nequit, inter quae fiat haec unio

---

[1]) De hac assimilatione et transformatione in Christum praeclare disserit Caesarius arelat. hom. 5 in pascha. Cf. Scheeben Mysterien des Christenth. § 71 ss.

physica, dum corpus Christi nostro unitur. Neque enim dici potest uniri cum toto corpore nostro, quia corpus Christi non est toti corpori immediate praesens; neque dici potest physice uniri cum aliqua parte, quia nulla est ratio, quare potius cum hac physice uniatur quam cum alia.

3. „Certum est ex hac sacramentali manducatione et corporali receptione carnis Christi sequi in his, qui digne illam suscipiunt, spiritualem unionem cum Christo seu perfectionem ejus, et omnes effectus supra numeratos, qui omnes ad perfectionem hujus unionis tendunt et ideo spirituales sunt.“

4. Nihilominus ratione sacramentalis unionis spirituali conjunctae potest dici Christus nobis uniri magis quam per solam spiritualem unionem vel sacramentalem solam: nam ratione illius contactus speciali titulo censetur is, qui digne suscipit hoc sacramentum, esse aliquid Christi et Christus non solum habere curam animae, sed etiam corporis ejus, ut illud sanctificet suaeque gloriae particeps faciat. Quam veritatem egregie in primis illustrat Vasquez disp. 204, ad quem nos delegat ipse Lugo disp. 12 s. 5, quod scil. optime totam controversiam comprehenderit. Notat scil. **a.** amorem suapte natura tendere ad unionem amantium realem inter se eo modo, quo fieri potest; quocirca **b.** amici amant mutuam praesentiam, convictum, collationem, qua unio secundum affectum perficiatur. Jam vero **c.** Christus vehementer nos amans suum amorem consummat conjunctione carnis suae cum nostra, quam modo cibi ingreditur. Hinc fit **d.** ut Christus postquam a nobis inter viscera et carnem nostram ex caritate sumptus est, corpora nostra, intra quae recipitur, aestimet et tractet ut propria, et ut membra ex carne et ossibus ejus. Ideoque **e.** patres baptismum exhibent qua nuptias, quas cum Christo inimus: eucharistiam vero qua earundem consummationem.

5. Statuit Suarez l. c. hanc unionem dici non posse substantialem, quia quamvis fiat inter substantias, accidentalis est; posse tamen dici corporalem, quia fundatur in corporali permixtione seu susceptione sacramenti; realem et naturalem ad excludendas figuras: sed maxime esse spiritualem; et proprie mysticam seu moralem fundatam aliquo modo in vinculo corporali. Cf. Lessius XII, 15; Toletus in Jo. 6 a. 29; c. 17 a. 13.

Cum ergo hoc sacramentum ordinetur ad intimam unionem animae cum Deo, peccata venialia, quae unionis perfectioni obsunt, delet ex opere operato, supposita ea dispositione, quae sit sufficiens ad auferendum obicem, non ad ipsam remissionem venialium impetrandam: et hic erit

4. alius hujus sacramenti effectus. Poenas vere temporales adhuc luendas ob peccata remissa, quia perfectioni caritatis non obsunt, nec alia suppetunt argumenta, ex quibus concludere possumus, illarum remissionem effectum esse sacramenti: non ex opere operato, sed solum indirecte et quadam concomitantia, quatenus auget actualem caritatem et fervorem, hinc ex opere operantis remittit. Cf. s. Thomas 3. q. 79 a. 4 ss.

389. **Demonstratio p. III.** Hujus sacramenti esse etiam ad gloriam praeparare futuram patet ex dictis. Praeparamur autem ad gloriam, quatenus **a.** est pignus futurae nostrae gloriae et perpetuae feli-

citatis, ut docet conc. tridentinum sess. 13 cap. 2, hinc alit potentissime spem illam consequendi. Si enim Christus se jam nobis donat in terris, quanto magis in coelis se donabit in praemium. Praeparat quatenus **b.** eucharistiae usu in gratia perseveramus et crescimus; quatenus **c.** ea roboramur adversus daemonum insidias, qui omni conatu moliuntur, ne illa potiamur, adeo ut jam vita hominis super terram sit jugis militia (Job 7, 1) et gloria certaminis palma; quatenus **d.** hujus sacramenti est excitare ad bona opera[1]), quibus certam faciamus vocationem et electionem nostram (2. Petr. 1, 10), atque nova semper gloriae augmenta promereamus. Hunc esse revera effectum proprium hujus alimoniae coelestis, colligimus ex manna, ejus figura, quo sustentati israelitae peregrinantes per desertum pervenerunt demum in terram promissam, et ex altera ejusdem figura, ex pane scil. subcinericio, in cujus fortitudine Elias ambulavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb (3. Reg. 19, 8). Hinc Cyprianus cum 40 episcopis decrevit, ut ingruente persecutione poenitentibus daretur pax et communio ep. 58 al. 54 n. 2: „Communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad proelium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus... munimento dominicae saturitatis armemus; nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?“[2]) Ideo et Christus inculcat: *Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* [3]).

---

[1]) Quam ob rem Chrysostomus cupiens auditores suos ad opera excitare misericordiae, utitur hoc mysterio tamquam motivo validissimo hom. de viduis (Migne 51, 237) n. 16: „Cum ali te opus fuerit, ne carni quidem suae parcit ipse (Christus); cum potum tibi dari opus fuerit, nec sanguini quidem suo parcit, nec illum invidet; tu vero ne panem quidem impertis, nec calicem (egenis)! Quam tandem veniam obtinebis, qui tot bonis tam pretiosis acceptis, tam vilibus parcas?“ Hom. 77 in Joan. n. 5. Cf. Franzelin th. 19.

[2]) Cf. Kneller Eucharistie und Martyrium, Laacherstimmen 1894. I, 276 ss.

[3]) Joan. 6, 59. De sensu horum verborum et v. 49 s.: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, haud levis oritur controversia. Nam sive ea de morte corporis, sive de spiritali intelligantur, difficultatem facessunt. Triplex autem est expositio. Prima est, comparationem institui non tam de rebus quam de personis, quia qui manna manducaverunt, plerique male comederunt. Atqui non de personis agitur, verum de rebus i. e. de manna et de eucharistia. Altera concedit, panem cum pane conferri, non tamen quocunque modo, sed quantum est ex natura sua, et sermonem esse de sola vita et morte spirituali. Tertiam ita enunciat Maldonatus in h. l.: „Vere mihi videntur quaestionem explicare, qui respondent, agi simul h. l. de morte vitaque corporis et animae... Itaque sensus est, manna non potuisse dare vitam corporis, hunc autem panem dare vitam animae... Haec est, quae in his verbis occulta latet argumentatio a minori ad majus per negationem, et a majori

390. Quare eucharistiae adscribi potest etiam gloriosa corporum resurrectio, quae ab adeptione gloriae coelestis pendet: imo patres illam saepe inter eucharistiae fructus recensent (cf. n. 348. 349. 354. 355[6]). Cujus rationem ita Vasquez reddit disp. 204 c. 5: „Ex sola illa unione, quam explicuimus (n. 388[4]), carnem nostram habere posse pignus vitae immortalis et ad eam praeparari patet: quia si virtute illius fit una cum carne Christi, et nemo unquam carnem suam odio habuit, ut dixit Apostolus ad Eph. 5, 29, et Christus in carne propria resurgens ex mortuis jam non moritur: quis dubitet fore, ut et nostra caro cum eo eadem immortalitate perficiatur? Hanc autem praeparationem carnis nostrae non fieri per qualitatem aliquam in eam derivatam, sed solum spe certa, quam ex praedicta unione concipere possumus, indicat Irenaeus illis verbis (IV, 18): „Sic et corpora nostra percipientia eucharistiam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.“ Quare eucharistia novum dat jus ad gloriosam resurrectionem adeo efficax, ut si lege divina generali homines non essent resurrecturi, resuscitandi forent certe ii, qui pie susceperint communionem: et intuitu hujus tituli et juris speciales consequuntur gratias, ut ad illam secure perveniant [1]).

391. **Thesis CCXXXI.** ***Quamvis realis perceptio eucharistiae non sit absolute ad salutem necessaria: moraliter tamen necessaria dici potest ad perseverandum in gratia per longius tempus.***

Demonstratio p. I. Etsi adeo praestantes sunt eucharistiae effectus, dici ea tamen nequit absolute necessaria ad salutem, quod saltem quoad infantes est de fide, ut patet ex concilii trid. sess. 21 cap. 4 et can. 4: „Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, A. S.“ Et sane eatenus eucharistia esset absolute necessaria ad salutem, quatenus esset medium absolute necessarium vel ad primam gratiam obtinendam vel ad perseverandum in ea. Atqui neutrum affirmare licet: non illud, ut patet ex thesi praecedenti; non alterum, ut patet ex infantibus, qui post baptismum ante perceptam eucharistiam moriuntur, de quorum salute nunquam fuit desperatum, sicut neque de salute adultorum, qui mox a baptismo decedunt. Ratio est, quia solo peccato gravi excidimus gratia et salute; atqui infantes incapaces sunt peccati: adulti vero saltem per

---

ad minus per affirmationem. A minori sic: Manna non potuit vitam dare corporibus, quod est minus: ergo multo minus poterit vitam aeternam animis dare, quod est majus. A majore hoc modo: Panis hic, qui de coelo descendit, dat vitam animis aeternam, quod est majus; dabit igitur vitam corporibus: quod est minus.« Cf. Algerus II, 6.

[1]) Ceterum fuse de eucharistiae effectibus disputat Heimbacher die Wirkungen der h. Communion, Regensburg 1884.

aliquod tempus, etiamsi hoc sacramentum re non accipiunt, peccatum grave vitare possunt. Non est ergo eucharistia ad salutem absolute necessaria.

392. Hinc reprobata fuit prop. 31 Rosmini: »Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit ejus sanguinem, non habet vitam in se (Jo. 6, 54); et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam: dicendum est his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc coelestem cibum in futura vita ipso mortis instante. Hinc etiam sanctis V. T. potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.« Haec enim adeo singularis opinio innititur falso supposito absolutae necessitatis eucharistiae. Neque urgeatur parallelismus, qui videtur intercedere inter verba Christi Jo. 6, 54 (n. 391), quibus inculcat eucharistiae percipiendae necessitatem, et Jo. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei*, quibus significatur absoluta necessitas medii baptismi: advertimus enim, triplex esse inter utrumque locum discrimen: **1.** ratione formae grammaticae: Joan. 3, 5 subjectum necessitati obnoxium enunciatur illimitate *nisi quis;* Joan. 6, 54 sermo dirigitur ad adultos; hinc vi verborum nonnisi adulti obligantur; **2.** ratione subjectae materiae: Jo. 3, 5 sermo est de regeneratione, quae ad vivendum est absolute necessaria; Jo. 6, 54 disseritur de manducatione, quae non est absolute necessaria ad vivendum ex. gr. per horam; **3.** ratione interpretationis authenticae ab Ecclesia datae.

393. **Demonstratio p. II.** Eucharistiam necessariam esse necessitate praecepti et divini et ecclesiastici dubium esse nequit: imo eam necessariam quoque censemus ad salutem necessitate medii utique non absoluta, sed morali (n. 140), utpote medium admodum efficax ad perseverandum et hunc in finem divinitus institutum. Et sane nisi defendatur haec necessitas, sensu carent minae Christi: *Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Jo. 6, 54); et promissio adjecta v. 58: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me.* Haec enim omnia, sicut ipsa exterior sacramenti forma, qua institutum est sub cibi symbolo, clare evincunt, ita analogice se habere hunc panem ad conservationem vitae spiritualis, ut se habet cibus corporalis ad conservationem vitae naturalis. Fieri ergo non poterit, ut qui voluntarie hoc medium spernit, seposita etiam praecepti transgressione, perseverantiae donum, saltem ordinarie, assequatur.

394. **Scholion.** *Exceptioni satisfit.* — Censent nonnulli, Augustinum, Innocentium I. et Gelasium statuisse absolutam eucharistiae ad salutem necessitatem. Certum tamen est, Augustinum passim docere, infantibus ad salutem sufficere baptisma. Cf. de pecc. meritis et remiss. l. 1 c. 19 n. 25; c. 20 n. 28; c. 25 n. 36; c. 26 n. 39; c. 32 n. 61 s.; praesertim l. 3 c. 5. Hinc patres nunquam de infantibus baptizatis, antequam eucharistiam perceperint, dicunt eos carere gratia, vel non esse filios Dei, eos esse damnationi

obnoxios, actum vel saltem dubitandum esse de eorum salute, ut saepe id affirmant de nondum baptizatis. Difficultas ergo haec exegetica tantum est, quam alii aliter solvunt. Secundum plures hi patres loquuntur non tam de ipso sacramento quam de re sacramenti seu de ejus effectu, qui est conjunctio cum Christo et incorporatio, quem infantes jam in baptismo percipiunt: quare quadamtenus dici possunt in baptismo manducare corpus et sanguinem Christi, non quidem ratione sacramenti, sed ratione effectus, quem consequuntur, et qui sane ipsius eucharistiae susceptione, quam infantes jam baptizati voto adspirant, consummabitur. Quae explicatio confirmatur Fulgentii responso dato Ferrando diacono interroganti, quid sentiendum sit de salute cujusdam aethiopis, qui post baptismum ante perceptam eucharistiam decesserat. Respondet nimirum s. episcopus ep. 12 n. 26: „Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.“ Provocat autem s. Fulgentius pro hac explicatione ad s. doctoris sermonem ad infantes, quem suae ep. subjungit (opusc. t. XLVI). Provocare pro eadem possumus etiam ad tr. 26 in Jo. n. 1: „Credere in eum hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat: invisibiliter saginatur, qui invisibiliter renascitur. Infans intus est, novus intus est: ubi novellatur, ibi satiatur;“ n. 15; n. 17: „Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere“ etc.

Alii vero censent cum card. Norisio in vind. aug. c. 4 § 4, Augustinum argumentari ad hominem adversus pelagianos, qui distinctione facta inter regnum Dei et vitam aeternam, hanc, non illud, vindicabant infantibus absque baptismo mortuis. Contra hos urgere poterat verba Christi Joan. 6, 54, quibus vita aeterna suscipientibus eucharistiam, quae baptismum praesupponit, promittitur: unde sequitur, neminem non baptizatum vitam posse adipisci. Quae responsio confirmari potest ex Isidoro hisp. hom. 5 de pasch., imo ex Augustini ep. 186 n. 29 ad Paulinum: „Si autem cedunt (pelagiani) sedi apostolicae vel potius ipsi Magistro et Domino apostolorum, qui dicit, non habituros vitam aeternam in semetipsis, nisi manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem, quod nisi baptizati utique non possunt: nempe aliquando fatebuntur parvulos non baptizatos vitam habere non posse.“ Cf. Oswald § 17 n. 1.

395. **Thesis CCXXXII.** ***Sumptio eucharistiae sub utraque specie non est fidelibus ad salutem necessaria.***

Demonstratio. Thesis est de fide; statuit enim concilium trid. sess. 21 can. 1: „Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem ss. eucharistiae sacramenti sumere debere, A. S.“ Huc spectant etiam can. 2 et 3 et cap. 1 ss. Tenenda ea est adversus sic dictos calixtinos duce Huss, quos concilium constantiense sess. 13 damnavit. Quare ex mandato Martini V. interrogandus etiam erat suspectus errorum Wicleff et Huss (n. 18):

„Utrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum ab Ecclesia universali observata, et per sacrum conc. Constantiae approbata, sit servanda sic, quod non liceat eam reprobare aut sine Ecclesiae autoritate pro libito immutare; et quod dicentes pertinaciter oppositum praemissorum tamquam haeretici vel sapientes haeresim sint arcendi et puniendi.“ Recoxerunt horum errores Lutherus et Calvinus. Ut eos refellamus

1. sufficiet ad praecipuum, quo nituntur, respondere argumentum petitum ex verbis Christi [1]): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verum inde ea necessitas non eruitur, obstat enim **a.** authentica Ecclesiae interpretatio, cujus est, legitimum praeceptorum divinorum enarrare sensum. Ad haec **b.** loco objecto non est sermo de modo suscipiendi eucharistiam, quae nondum erat instituta, sed de re sumenda, scil. de carne et sanguine Salvatoris, quae ex th. 228 sub unaquaque continetur specie: ideoque Christi praecepto unius speciei sumptione satisfit. Praeterea **c.** propositio illa disjunctive accipi potest, ita scil. nisi quis manducaverit *vel* biberit etc., sicut disjunctive accipi debent verba Petri Act. 3, 6: *Argentum et aurum non est mihi;* Ex. 21, 15 (sec. textum hebr.): *Qui percusserit patrem et matrem, morte moriatur;* Lev. 20, 9 etc. Quo in casu nulla difficultas. Et revera Paulus disjunctive scribit 1. Cor. 11, 27: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Supponere ergo videtur alterutrum contingere posse, quod verum non est, si utraque species necessario est sumenda. Ceterum **d.** ad difficultatem solvendam opportuna est argumentatio concilii trid. sess. 21 c. 1: „Qui dixit: *Nisi manducaveritis* etc., dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (v. 52). Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam* (v. 55), dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam*

---

[1]) Joan. 6, 54. Neque enim quisquam tam ineptus erit, ut provocet ad Matth. 26, 27: *Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: bibite ex eo omnes*, ut inde inferat, omnes fideles praecepto divino teneri ad bibendum calicem. Haec enim verba rationem habere possunt exhortationis et invitationis; quod si rationem habent praecepti, spectant apostolos: hinc Marcus 14, 23 subjicit: *Et biberunt ex illo omnes.* Si vero ita urgentur, ut inde eruatur praeceptum omnes obligans, sequeretur, toties, quoties celebratur eucharistia, omnes quotquot adsunt, nemine excepto teneri ad communionem, quod falsum, quod inauditum et absonum est. Ceterum jam Guilelmus de Campellis († 1121) quamvis propter praxim antiquam statuat retinendam esse utramque speciem, tamen ita pronunciat de sacr. altaris (Mig. 163, 1040): „Quod dicitur, utramque speciem oportere accipi, haeresis plane est,“ cum scil., ut inculcat, totus Christus sit in utraque specie.

carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo, dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.*"

2. Communio sub utraque specie tunc forte esset necessaria ad salutem, si sub utraque plus contineretur, quam sub una. Atqui sub quavis specie totus atque integer est Christus, qui causa est efficax gratiae et vitae, ad quam conservandam augendamque hoc sacramentum instituit. Nulla ergo ii, qui unam tantum accipiunt speciem, privantur gratia ad salutem necessaria [1]); quare nulla ex sacramenti natura sequitur necessitas communionis sub utraque specie: quae est argumentatio concilii trid. sess. 21 cap. 3.

3. Probatur doctrina catholica ex praxi antiquae Ecclesiae, quae quamvis soleret ad sec. usque XII. communionem sub utraque specie fidelibus exhibere, haud raro tamen illam etiam sub una distribuit: ut patet ex communione infantium, qui idonei non erant, ut sub panis specie eam acciperent: ex communione domestica et infirmorum; neque enim asservabatur sanguis Domini; ex iis, quae s. Leo de manichaeis testatur serm. 49. Plures enim diu Romae latitantes cum reliquis fidelibus intererant sacris synaxibus atque etiam ad sacram accedebant communionem: abstinebant vero a calice ex pestifero errore, quod vinum abhorrebant ut malum. Atqui latitare non potuissent, si fidelibus semper data fuisset s. communio sub utraque specie. Quare etiam ad eos detegendos praecepit pontifex, ut fideles illos observarent, qui semper sub una tantum communicarent specie. Censuit ergo Ecclesia quovis tempore, neque de necessitate salutis, neque ex praecepto divino necessariam esse communionem sub utraque specie.

396. Cum fideles gradatim renunciarent suo privilegio sumendi sub utraque specie eucharistiam, quo ex vigente Ecclesiae praxi jam a remotissima aetate gaudebant, adeo ut a sec. XII. consuetudine jam esset inducta communio sub una tantum specie, accedentibus aliis gravibus rationibus eadem Ecclesia pro potestate divinitus sibi facta hanc praxim lege sancivit. Ejusmodi rationes esse poterant **a.** periculum effusionis sanguinis in magna populi frequentia; **b.** plurimorum nausea bibendi cum aliis ex eodem calice; **c.** penuria vini in multis regionibus et ecclesiarum inopia ad illud comparandum; **d.** multorum constitutio, qui vinum aversantur; **e.** ad excludendum errorem, Christum non esse totum sub quavis specie; **f.** spontanea fidelium desuetudo et unitas ritus in accipienda eucharistia [2]).

---

[1]) Quaeritur, num saltem major gratia conferatur, si utraque accipitur species. Negant Bellarminus IV, 23; Suarez, Billot th. 36 etc.; affirmant Lugo d. 12 s. 3, Vasquez etc. Cf. de Augustinis p. 2 a. 6.

[2]) Cf. Lainez in consult. de calice laicis porrigendo in suis disp. trid. ed. Grisar Oeniponte 1886. II, 24—74 col. proleg. 13*—42*; Perrone p. 1 c. 3 p. 5; Becanus in op. de communione sub utraque specie. Leibnitzius in syst. theol. iisdem fere argumentis et fuse probat communionem sub utraque specie non esse ne-

379. **Thesis CCXXXIII.** ***Christus in eucharistia adorandus est cultu latriae.***

Demonstratio. Concilium trid. sess. 13 can. 6 statuit: „Si quis dixerit, in s. eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae s. ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, A. S.“ Haec autem sponte sua consequuntur corollarii practici modo realem Christi in eucharistia praesentiam. Si enim ipse J. Christus in ea vere est praesens, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum jubet adorari ab omnibus angelis Dei (Hebr. 1, 6), quem magi procidentes adoraverunt, quem ab apostolis adoratum fuisse Scriptura (Matth. 28, 17) testatur: certe, ut infert idem concilium cap. 5, a nobis quoque in eucharistia est adorandus. Et revera jam in antiquissima Ecclesia Christum in hoc sacramento fuisse adoratum, tradunt patres.

Praeclarissima sunt, quae legimus in antirrhetico 2 Theodori Studitae c. 31: „Orthodoxus: Quo in numero habes corpus et sanguinem Domini Jesu Christi? Haereticus: Sancta sunt procul dubio, etenim sancta sanctis a sacerdote pronunciantur. O. Haec itaque etiam adoranda judicas? H. Et quis adeo impie sentiat, qui non sancta simul et adoranda confiteatur? O. Non igitur tecum pugnantia loqueris, qui cum antea dixeris, non statim quod sanctum est, idem etiam adorandum esse, nunc rursum affirmas, quod negasti? H. Atqui non de mysteriis mihi sermo erat, quum de his omnes consentiant ut dixi.“ — Ambrosius exponens Ps. 98, 5 ita scribit de Spir. s. l. 3 n. 79: „Per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino Jesu adoraverunt;“ et Augustinus eadem enarrans verba: „Converto me, inquit n. 9, ad Christum, quia ipsum quaero hic, et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando . . . Ideo et ad terram quamlibet (i. e. ad quamlibet eucharistiae, quae caro Christi et hinc terra est, par-

---

cessariam disputationemque ita absolvit: „Nil autem dubito, de rebus hujusmodi statuere posse eos, qui praesunt, iisque parendum potius quam schisma faciendum esse, quod super omnia pene mala grave malum Augustinus ostendit. Ecclesiae quidem potestas definiendi late porrigitur, ad ea etiam (sed certo modo), quae juris divini positivi sunt, ut patet ex mutatione sabbati in dominicam diem, permissione sanguinis et suffocati . . . abrogata immersione in baptismo matrimoniique impedimentis, quae partim ipsi protestantes sola Ecclesiae auctoritate, quam in aliis spernunt, tuti sequuntur.“ Cf. Perpétuité etc. V, 8 c. 1 ss.

ticulam) cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cujus pedum scabellum est, quod adoras, propter ipsum enim adoras.« — Auctor anonymus sec. XI. (Mig. 143, 1215) ita redarguit graecos schismaticos, qui eucharistiam ex pane azymo confectam respuebant: »Nihil est medium: aut corpus est Christi, et omnibus adorandum: aut corpus ejus non est et ut idolum contemnendum. Sed unde probas, quod corpus ejus non fiat, cum nullus doctorum hoc sapiat? etc.« Cf. n. 350; Muratori in diss. de rebus liturg. c. 19 et quae sapienter ad hunc cultum vindicandum animadvertit Leibnitzius l. c. p. 250 ss. Plures de hujus sacramenti adoratione quaestiones expendit Suarez disp. 65.

398. **Scholion.** Reliquum est, ut paucis *quaestiones* quasdam *de ratione et unitate* hujus *sacramenti* expediamus. Eucharistiam esse sacramentum probandum non est, nullus enim haereticorum id unquam negavit. Et sane adest signum idque significans spiritualem refectionem eamque causans ipsa sumptione. Porro eucharistia definitur: »Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis ac vini ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum.« Quare

1. tenendum est, species panis et vini intrinsecus spectare ad hoc sacramentum, quia sacramentum signum est sensibile; spectare etiam corpus et sanguinem Domini, quia sacramentum causat gratiam, quam hoc sacramentum causat ratione corporis et sanguinis Domini. Alia quoque praedicata ei non competunt nisi ratione corporis et sanguinis Domini.

2. Si quaeras, num corpus Christi in recto et directe hujus sacramenti ingrediatur essentiam, statuit Lugo d. 1 s. 3, species solas non importari in recto, quia speciebus non conveniunt ea praedicata, quae eucharistiae sacramento tribui solent, esse scil. corpus et sanguinem Christi, nutrire ad vitam aeternam etc.: ideoque in recto importari communiter (non semper) corpus et sanguinem Christi, species vero connotari; eucharistiam ergo esse corpus et sanguinem Domini sub speciebus panis et vini contentum, non vero species continentes corpus et sanguinem Domini. Si tamen in sacramento in primis prae oculis habeatur ratio signi, species consecratae principalius importari, ut ajunt, videntur, ut etiam docet catechismus trid. p. 2 c. 8. Cf. Bellarminus IV, 6.

3. Quaeres, num verba consecrationis spectent ad sacramenti essentiam. Negant plures, quia hoc sacramentum est permanens et sanctificans; atqui verba consecrationis neque permanent neque sanctificant animas: sunt ergo forma efficiens, sed non constituens, informans sacramentum. Ita Becanus c. 15 q. 2 c. 5; Vasquez disp. 167 c. 3; Ledesma etc. Affirmat Lugo d. 1 s. 4, quia species per se, seorsim a verbis, non habent rationem signi sacramentalis, et quia alioquin verba non possent dici forma: neque enim principium mere efficiens alicujus rei dici potest hujus forma. Ita etiam Valentia, Billot th. 35 etc. Suarez disp. 42 s. priorem sententiam censet probabilem simulque notat: »Secunda opinio non negat, quod in re affirmat prima, sed addit aliquid spectans ad modum loquendi, quod non displicet,« scil. »licet verba physice transierint, semper tamen quodammodo informant illas species, quia illae non significant, nisi ut consecratae sunt, atque adeo quatenus substant verbis consecrationis, quae praecesserunt . . . unde relatio signi, quae rationis est, intelligi potest fundata in speciebus ut denominatis a tali forma . . . haec vero unio et informatio non est physica, ideo non oportet

ut sit intrinseca et propria, sed per quandam denominationem extrinsecam, « ut aqua dicitur benedicta a benedictione praeterita. Neque enim sacramentum qua tale est compositum physicum, sed compositum ordinis intentionalis, ad quod satis est ut permamentia formae sit ab intellectu perceptibilis utpote fundata super actionem, quae praecessit realiter. [1])

4. Materia remota eucharistiae est panis triticeus et vinum de vite, cui, si non ex institutione Christi, saltem ex Ecclesiae praecepto admixtum sit modicissimum quid de aqua (cf. Lugo d. 4 s. 2), de cujus materiae convenientia disserit Algerus II, 5. Licere uti pane azymo, tenendum est contra graecos schismaticos, et colligitur ex Christi exemplo, qui cum prius celebrasset more judaeorum coenam paschalem, in qua non licebat adhibere panem fermentatum, certe pane azymo usus est. Colligitur item ex ejusdem usu jam sec. XI. in Ecclesia occidentali universaliter vigente, qui cum non videatur gradatim inductus, cum hujus inductionis per concilium aliquod vel romanum pontificem nullum habeatur vestigium, ex traditione apostolica derivari si non certum, saltem admodum est probabile [2]). Ceterum etiam in Oriente, saltem in provinciis Osrhoenae et Euphratesiae, sec. V. viguisse praxim consecrandi panem azymum, colligimus ex ep. Rabulae edesseni ad Gemellinum ep. Perrhae [3]), in qua gravissimis verbis monachorum quorundam abusum reprehendit, qui se victitare jactabant sola eucharistia, atque „hunc in finem parabant hostiam cum fermento copioso, magnam et bene excoctam, ut ipsis esset in alimentum, non ad sacramentum corporis Christi, quod azymo repraesentatur.«

5. Etsi consecratione efficitur hoc sacramentum, ea tamen non est eucharistiae sacramentum, ut patet vel ex modo loquendi: dicitur enim illud manere peracta consecratione, a fidelibus accipi, adorari, Christum in eo esse etc., quae de consecratione dici nequeunt.

6. Sumptio est sacramenti applicatio seu conditio sine qua illud gratiam non confert. Quod analogia illustrat Lugo disp. 1 n. 112: „Eucharistiae sacramentum institutum est per modum cibi nutrientis spiritualiter ... quare sicut cibus naturalis de se habet adaequatam virtutem ad nutriendum, manducatio vero non nutrit, sed est conditio applicans virtutem cibi ad opus: sic etiam sumptio cibi spiritualis non est virtus, nec pars virtutis, sed applicatio virtutis cibi, ut operetur vitam in anima.«

7. Ambae species unum constituunt sacramentum in ratione significationis, qua scil. significant convivium et refectionem spiritualem: utraque tamen species dici potest sacramentum, imo integrum sacramentum in ratione cibi, alimenti coelestis seu causae, hinc eucharistia materialiter quidem est duplex, formaliter tamen unum sacramentum.

---

[1]) Cf. de hac quaestione Sickenberger in Theol. praktische Monatschrift, Passau 1894 t. 4 fasc. 11. 12.

[2]) Cf. Perrone p. 2 c. 3; de Augustinis p. 2 a. 2 th. 8. Ceterum de convenientia materiae bene disserit Oswald p. 4 s. 2 c. 2.

[3]) Apud Bickell ausgewählte Schriften der syrischen Kirchenväter. David archiep. syrus in Revue de l'Eglise grecque unie 1888 p. 188 censet tamen hoc testimonium non esse ad rem, quod carpat non usum fermenti, sed copiosi fermenti: viguisse enim olim in ecclesia syra usum fermenti in eucharistia.

Caput II.

De sacrificio missae.

399. Postquam consideravimus eucharistiam ut est sacramentum, ad alteram ejusdem praerogativam transeamus, quae sacrificii dignitate continetur (n. 328[10]), quod in ejus offertur celebratione. Omnia autem, quae de sacrificio eucharistico dicenda sunt, ad tres revocari possunt articulos. Probanda scil. est

1. veritas sacrificii;

2. declaranda est ejus essentia;

3. determinanda est ejus efficientia.

Articulus I.

De veritate sacrificii missae.

400. *Quaestiones praeviae de sacrificio.* — Ut ea, quae de missae sacrificio dicenda sunt, clariora reddantur, quasdam de sacrificio in genere notiones et quaestiones praemittemus (cf. t. II n. 641 s.). Sacrificium est actus cultus externi, nobilissima expressio cultus interni, atque a theologis definitur: Oblatio Deo facta rei substantialis et sensibilis per ejusdem realem vel moraliter aequivalentem destructionem seu immutationem legitime instituta ad agnoscendam Dei majestatem supremumque dominium et in statu lapso ad propitiandam divinam justitiam propriumque reatum profitendum. Ad accuratiorem definitionis intelligentiam statuimus:

1. *Non omnis actus virtutis vel opus bonum est sacrificium proprie dictum.* Quod tenendum est contra protestantes, qui quo facilius veterum effata de missae sacrificio eludant, omnia susque deque vertunt. Concedunt scil. eucharistiae celebrationem dici posse sacrificium, sed eo sensu, quo alii actus religiosi sacrificium dicuntur. Quocirca Melanchthon sacrificium in apol. confess. aug. in art. missa definit: „Sacrificium est caeremonia vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus.“ Probatur assertum **a.** ex sensu omnium gentium, quae sedulo distinguebant inter sacrificia proprie dicta et opera bona; hinc etiam in divinis literis ejusmodi actus solent opponi sacrificio proprie dicto Os. 6, 6: *Misericordiam volui, et non sacrificium*, Ps. 39, 7; Mich. 6, 6; 1. Reg. 15, 32: *Melior est obedientia, quam victimae; et auscultare magis quam offerre adipem arietum.* **b.** Actus virtutum quilibet homo exercere potest vel debet: sacrificium vero offerre non est cujuslibet, sed sacerdotum Hebr. 5, 1; **c.** patres loquuntur tantum de sacrificio crucis et coenae, quod Christus obtulerit, cum tamen innumeros virtutum actus exercuerit; iidem-

que testantur (n. 406) in N. T. unum tantum Deo offerri sacrificium; actuum autem bonorum ingens est varietas. **d.** Sicut sacerdotium et sacrificium intime nectuntur, ita et altare et sacrificium: ad ejusmodi vero virtutum actus nullum requiritur altare. Quam ob rem vel ipse Calvinus scribit Inst. IV, 18 § 13: „Qui sacrificii vocabulum ad omnes ceremonias et religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant, non video.“ Quare si qui actus virtutum dicuntur sacrificium, vocantur ita ab aliqua analogia cum sacrificio, quia scil. in iis reperitur vel aliqua oblatio ut in eleemosynis, vel immolationis species, ut in martyrio, mortificatione, votis etc., vel Dei cultus, qui maxime sacrificio intenditur.

2. Statuimus *de ratione sacrificii esse quidem aliquam oblationem, sed non quamlibet oblationem esse sacrificium proprie dictum.* Primum colligitur ex usu loquendi, quo promiscue adhibentur verba sacrificare et offerre, et quo facilius illi virtutum actus analogice saltem dicuntur sacrificia, in quibus aliqua oblatio locum habet. Alterum probatur **a.** ex divinis literis in quibus legimus, Deo oblato fuisse aurum, argentum, primogenitos etc., quae tamen non dicuntur Deo sacrificata. Ad haec **b.** non omnis oblatio exigit sacerdotium et altare, sicut sacrificium.

3. *Sacrificium est nobilissima oblationis species:* est scil. oblatio quinque distincta characteribus: **a.** ex parte ministri, nam non quilibet (saltem ordinario) potest sacrificium offerre, ut patet ex inductione, cum et in synagoga et apud alias gentes reperiantur sacerdotes, quorum munus esset sacrificia offerre: quod et Paulus haud obscure confirmat scribens: *Omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur* Hebr. 8, 3; et: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* ib. 5, 1; **b.** ex parte loci, qui est ara; **c.** ex parte finis, qui est supremus cultus soli Deo exhibendus. Sane reliqua omnia cultus signa aliis quoque, qui non sunt Deus, ut sanctis, regibus etc. exhibentur: solum sacrificium Deo uni exhibetur. „Quis vero, inquit Augustinus de civit. Dei X, 4, sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?“ Hinc romani imperatores tum demum sibi offerri sacrificia exigebant, postquam declarati fuerunt dii. Hinc daemonum conatus inducendi homines ut ipsis offerant sacrificia: „daemones enim, notat idem s. doctor c. 19, non cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent.“ Cf. c. advers. leg. et prophet. I, 18; c. Faustum XX, 22; **d.** ex parte materiae, quae esse debet res sensibilis, substantialis, absolute ve relative pretiosa, secundum hominum aestimationem quandam prae se ferens dignitatem, et ad hominis sustentationem vel delectationem pertinens, cujus rationem mox reddemus; **e.** ex parte formae, quae scil. continetur actione rei oblatae consecrativa et immutativa, qua ea in Dei hono-

rem immoletur. Haec porro immolatio seu destructio α. significationem habet moralem: est enim visibilis expressio sensus interni, quo homo profitetur summum Dei in se dominium suamque ab ipso dependentiam, vi cujus tenetur se totum devovere Deo vitamque suam consumere in ejus honorem, et si est peccator, offerre ad eum placandum. Habet β. significationem symbolicam, quatenus victima substituitur offerenti: quod colligimus tum ex Lev. 17, 11: *Anima carnis in sanguine est et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit;* tum ex ritu, secundum quem is, pro quo offerebatur sacrificium, victimae debebat imponere manum quasi translaturus sua in eam peccata; hinc ratio redditur materiae, quam sacrificiis assignavimus. Insuper γ. continet victimae destructio realem quandam abnegationem, mortificationem, satisfactionem, qua homo non solum symbolice peccati sensum exprimit, sed et facto spiritum poenitentiae exercet renunciando grato cuidam objecto, quod ad ipsum spectat. In V. T. illi inerat δ. significatio quoque typica, quatenus adumbrabat substitutionem illam, qua se substituit Dei Filius pro humano genere reo, ut ostendimus t. II. n. 641 s. Ea vero destructio erat plerumque physica, subinde tamen tantum moralis et aequivalens seu consumptio, ut in libationibus, cum effundebatur vinum; subinde tantum partialis, cum scil. pars victimae comburebatur, alia pars comedebatur aut a sacerdotibus aut etiam ab offerentibus: hinc ara erat mensa Dei, et qui admittebantur ad victimae manducationem, admittebantur ad mensam Dei, in signum reconciliationis, amicitiae et familiaritatis restitutae. Quo in casu victimae oblatio rationem habebat tum sacrificii tum sacramenti. Cf. Thomassinus de incarnat. l. 10 c. 6; Weiss Apologie II, 2 § 11 ss.; Thalhofer § 5, 11. 12; Oswald § 19.

401. Quibus ad pleniorem rei tractationem haec praeterea addantur:

1. Sacrificium pertinere ad genus signorum: »nam sacrificium visibile inquit Augustinus de civ. Dei X, 5 col. 19, invisibilis sacrificii sacramentum i. e. sacrum signum est.« Quocirca in omni sacrificio, ut est ex lege naturae vel determinatum institutione humana, pretium et dignitas sacrificii externi petitur ex interno: quod etiam valet de sacrificiis V. T. divinitus praeceptis; unde ad harmoniam revocantur Scripturae patrumque effata, quae modo enunciant, Deum voluisse ea sacrificia, modo ea noluisse atque sibi ea displicuisse. Aliter vero censendum est, si sacrificio major dignitas insit ex speciali ratione tum offerentis tum rei oblatae, ideoque ex opere operato ut in sacrificio missae. Si autem veritas dicitur res significata prae signo significante, potuit Augustinus l. c. dicere: »Illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii.«

2. Sacrificia distinguuntur **a.** ratione originis in sacrificia legis naturae, V. Testamenti et in sacrificium N. T.; **b.** ratione materiae in sacrificia animalium i. e. hostias, fructuum terrae i. e. immolationes, et liquidorum i. e. libationes; **c.** ratione formae in holocausta, si tota victima

comburebatur: in sacrificia pro peccatis, in quibus pars una comburebatur, altera cedebat in usum sacerdotum; in pacifica, si etiam pars (tertia) cedebat in usum offerentium; **d.** ratione finis in latreutica, eucharistica, propitiatoria, impetratoria. Cf. Becanus de triplici sacrif. III, 10.

3. Convenit sacrificium cum sacramento, quod utrumque pertinet ad signorum genus: differunt tamen in pluribus, nominatim in eo, quod, ut docet Suarez d. 1 s. 1, »sacrificium contineat supremum cultum Dei i. e. immediate referatur et constituatur ad tribuendum cultum Deo . . . sacramentum vero immediate referatur ad ipsos cultores Dei, quos disponit seu sanctificat ad cultum Dei. Unde fit, ut sacrificium consistat in actione aliqua seu oblatione, quae ad Deum refertur: sacramentum autem in receptione seu quasi passione, quae in Dei cultoribus aliquo modo suscipiatur. Et hinc etiam repetendum quod idem sacrificium possit a multis offerri et omnibus prodesse: idem vero sacramentum seu usus sacramenti tantum in uno recipiatur eique tantum prosit etc.« Quibus et Billot in praeambulis ad 3. p. q. 82. 83 § 1 alia quaedam addit discrimina: »Sacramenta nec sunt de jure naturae, nec possunt esse institutionis humanae, nec necessario et semper a sacerdote conficiuntur, nec demum efficaciam habent per modum impetrationis, sicut sacrificium, sed per modum efficientiae.«

402. Quaeritur *num quilibet possit instituere sacrificium.* Negant id passim theologi. Et sane **a.** si non omnium est sacrificium offerre sed nonnisi eorum, qui ex hominibus assumuntur et pro hominibus constituuntur, vel qui ratione auctoritatis alios repraesentant, multo minus erit cujuslibet sacrificium instituere. Praeterea **b.** ad unitatem et concordiam humanae reipublicae expedit, ut omnes conveniant in solemniori modo colendi Deum, qui consistit in sacrificio. Ad hunc vero finem consequendum necesse est, ut sacrificia auctoritate publica instituantur et determinentur, neque aliter possint introduci. Quod **c.** Lugo illustrat comparatione d. 19 s. 1: »Sicut vox *homo* non potest privata alicujus voluntate accipere vim significandi hominem, sed necessaria est ad hoc institutio communis vel alicujus habentis plus quam privatam auctoritatem: sic occisio ovis v. gr. non videtur posse fieri signum sufficienter significans talem vel talem reverentiam ex sola unius vel alterius privata voluntate.« Si vero aliqua sacrificia auctoritate legitima, nominatim vero divina sunt instituta, alii actus, quamvis per se apti ad sacrificii rationem, nequeunt censeri actus publici, solemnes et legitimi cultus divini, sed potius cultus profanationes: sicut argentum auctoritate privata signatum acceptari non solet in pecuniam. Quare etsi in quibusdam actibus externi cultus christiani reperiuntur materia et forma oblationis per se sufficiens ad rationem sacrificii, ii tamen non sunt nisi caeremoniae ordinatae ad majestatem et declarationem sacrificii a Christo instituti, nullatenus sacrificium; quia non modo deest institutio in signum sacrificum, sed facta jam divinitus institutione unius sacrificii excluduntur omnes aliae oblationes a ratione sacrificii [1]). Quapropter neque in potestate Ecclesiae est instituere sacrificia.

---

[1]) Cf. Suarez disp. 73 sect. 4; disp. 74 sect. 4; Bellarminus V, 2 s. Franzelin th. 2. 3 de sacrif. Sacrificia gentilium erant sacrificia eo modo, quo eorum cultus est generatim cultus divinus, i. e. aderant sacrificii elementa praeter objectum cultus, quod non est verum, sed existimatum tantum: eoque ipso, quanto sacrificia excellentioris cultus sunt expressio, eo majoris erant impietatis.

403. **Thesis CCXXXIV.** ***Traditionis suffragio invicte comprobatur eucharistiae celebratione verum propriumque Deo offerri sacrificium.***

Declaratio. Statuitur thesis generatim contra novatores sec. XVI., qui quamvis subinde permittant, ut eucharistiae celebratio laxiori et improprio sensu dicatur sacrificium, ut quaelibet gratiarum actio vel virtutis actus: unisone et clamoribus vere inconditis sacrificii proprie dicti dignitatem et rationem illi denegant, et hanc Ecclesiae catholicae totiusque antiquitatis fidem abominationem vocant. Cf. Oswald l. c. § 24. Contra quos concilium trid. dogma catholicum de veritate sacrificii missae sess. 22 quatuor tuetur canonibus, quorum 1. ita habet: „Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, A. S.“ Missae autem nomine intelligimus modo celebrationem eucharistiae sub utraque specie secundum ritum a Christo institutum et Ecclesiae traditum, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22, 19, quam Ecclesia pro potestate sibi tradita adjectis variis precibus et caeremoniis solemniorem reddidit.

404. Nomen autem missae illi haesit secundum aliquos ex formula: »Ite, missa i. e. missio, dimissio (coetus seu conventus) est,« qua eidem finis imponebatur (qua ratione missa pro defunctis dicitur Requiem, a voce Requiem, qua incipit): quam tamen sententiam impugnat D. Mark in progr. Ursprung und Bedeutung des Wortes missa, Brixinae 1883, in quo ostendit hoc nomen derivari a verbo mittere, quod etiam apud auctores classicos subinde significat perficere, celebrare, dicare, sacrare, offerre sacrificium. Licet autem substantivum missa primum in scriptis s. Ambrosii occurrat, potuisse illud jam prius apud fideles esse in usu in sensu sacrificii. Priorem explicationem adversus Mark iterum vindicat Rottmanner Tüb. Qltschr. 1889 IV, 531.

405. **Demonstratio.** Antequam traditionis evolvimus monumenta, vel a priori conjecturis haud spernendis suaderi potest, esse aliquod in Ecclesia verum sacrificium; quo semel concesso, jam dubium nullum amplius erit, illud esse celebrationem eucharistiae, cum de nullo alio ritu controversia ulla sit. Rationes autem congruentiae hae sunt:

1. Religionis est Deum colere. Religionis ergo perfectissimae est, Deum perfectissime colere. Atqui cultus perfectissimus est vel natura duce per sacrificia. Ergo religio perfectissima i. e. christiana cultu non carebit sacrificiali.

2. Paulo secus eadem ratio cum Bellarmino VI, 20 proponi potest: »Tanta est conjunctio inter legem seu religionem et sacrificium externum ac proprie dictum, ut omnino necesse sit, aut legem et religionem vere et proprie in Ecclesia Christi non reperiri, aut sacrificium quoque externum et proprie dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum est autem, si missam tollas. Est igitur missa sacrificium externum et proprie dictum.« Hunc vero nexum testantur divinae literae, ex quibus liquet, Dei cultum et sacrificia esse coaeva; illo florente vel collabente viguisse vel defecisse etiam sacrificiorum usum; ideoque apud omnes gentes, apud quas religionis reperitur vestigium, sacri-

ficia quoque reperiuntur. Neque mirum cum praeter sacrificium nullus sit actus cultus externi, qui ita Dei sit proprius, ut non aliis etiam (quamvis alia intentione) exhibeatur: improbabile vero est, in religione omnium perfectissima Deum carere cultu externo exclusive ipsi proprio. Sane cultum exclusive proprium exigit summa Dei majestas nulli creaturae communis, ne errori praebeatur occasio, nullum esse essentiale discrimen inter ipsum et creaturas, si non cultu saltem aliquo incommunicabili honoretur: nam recta ratio cultus externi in hoc consistit, ut per exteriores reverentiae testificationes unumquemque in suo veluti gradu collocemus. „Hoc etiam videmus, inquit ad rem s. Thomas 2. 2 q. 85 a. 2, in omni republica observari, quod summum rectorem aliquo signo singulari honorant, quod cuicunque alteri deferretur, esset crimen laesae majestatis.“ Quod argumentum bene urget Petrus ven. tr. contra Petrobrusianos (Migne 189, 789 ss.) qui inter alia (p. 793) ita disserit: „Mirum valde si praecipuus, ut jam dictum est, deitatis cultus Deo nostro tempore non defertur, qui omni ante nostra tempora tempore, summo studio, sollicita devotioue frequentabatur. Mirum si christiani a sacrificiis uni Deo offerendis arcentur, cum patriarchae, prophetae, judaei, gentiles fideles ab ipso Deo ipsi Deo sacrificare cogantur. Mirum nunc primum de mundo divina auferri sacrificia, cum nunquam mundus in retroactis generationibus suis absque sacrificiorum sacris fuerit. Nam nec in profundis ignorantiae et nequitiae suae tenebris ita a Deo periit, ut non haberet aliquos, etsi paucos, qui et per justitiam Deum colerent et per sacrificia eum se colere demonstrarent. At nunc si novam vestram doctrinam mundus exaudiat, faciet quod nunquam fecerat . . . Erit his temporibus gratiae, quod nunquam fuit nec tempore irae, ut christianis Deo sacrificare cessantibus, cultus, qui semper in mundo fuerat, omnino de mundo pereat, et qui Deum ritu suo colens Deo esse subditus probatur, cultum ejus abjiciens absque aliquo Deo prorsus esse videatur.“

3. Analogia cum synagoga in Ecclesia sacrificium aliquod exigit: nam synagoga fuit Ecclesiae typus: ergo cultui per sacrificia cultus sane perfectior per aliquod saltem sacrificium in Ecclesia respondebit; neque enim Christus omnia abrogavit, quae in synagoga servabantur, imo plura perfecit, ut praecepta moralia, nominatim vero sacramenta. Haud improbabile igitur est, quod perfecerit sacrificia substituto meliori; eoque magis quod praecipuae causae, propter quas populus hebraicus habuit sacrificia, valeant et pro christianis: nam et hi constituunt Ecclesiam visibilem; Deum cultu visibili (cf. Thomas c. gentes III, 119), communi et latreutico colere debent; indigent commemoratione et repraesentatione mortis Christi; tenentur Deo gratias agere, eum placare, novisque beneficiis opus habent etc. Cf. Oswald l. c. § 28, qui sacrificii convenientiam in religione christiana sagaciter illustrat: **a.** urget historicum, imo naturalem nexum, inter orationem (adorationem) et sacrificium, in quo illa perficitur et suum quasi attingit culmen. Tolle sacrificium et jam via sternitur ad eliminandam vel orationem; **b.** urget convivia religiosa, quae vigebant fere in omni cultu religioso gentium. Morem hunc Christus sancivit instituta in forma convivii eucharistia. Sed gentium convivia non alia erant quam sacrificialia: sacrificiale erit et convivium eucharisticum; **c.** urget sacerdotium, quo non caruerunt gentes, quarum saltem cultus religiosus erat expressior. Sacerdotum autem auctoritas fere superhumana nitebatur sacrificio. Tolle sacrificium, nulla erit ministrorum cultus auctoritas; ut historia teste ea evanuit apud protestantes. Atqui summa debet esse eorum auctori-

tas, qui pro Christo legatione funguntur, qui debent esse lux mundi, sal terrae etc. Nitetur ergo et haec dignitate sacerdotali, hinc sacrificio, quod offerunt Hebr. 5, 1 ss.; **d.** urget spiritum abnegationis, mortificationis, compassionis cum Christo, verbo spiritum sacrificii, qui universam Ecclesiam, singulos fideles informare et animare debet. Sed unde illum haurient homines ad commoda sensibilia, voluptates tam proni, nisi Christus in forma sacrificiali semper suae Ecclesiae adsit, sicut ad eam sanctificandam semper adest in suis sacramentis (n. 245.[3] 260)?

406. Sed jam ad traditionis testimonia accedamus. Possemus quidem ab iisdem afferendis abstinere, cum protestantes ipsi fateantur, primis seculis viguisse in Ecclesia hanc fidem: ad pleniorem tamen fidei catholicae defensionem et illustrationem provocamus

1. ad loquendi rationem patrum et liturgiarum a primis Ecclesiae seculis: fatente ipso Chemnitio Ex. conc. trid. II, 782, „negari non potest, veteres, quando loquuntur de celebratione coenae dominicae, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, hostiae, victimae: item uti verbis offerre, sacrificare, immolare.“ Atqui verba sunt idearum signa. Ergo loquendi usu antiquitatis communi manifestatur, fideles credidisse eucharistiae celebrationem verum esse sacrificium. Quapropter Lutherus de capt. bab. c. 1 fassus est: „Missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta ss. patrum, tot exempla tantusque usus per orbem constanter observatus.“

Plura ejusmodi effata (et inconditas novatorum voces, ut supra diximus) reperies apud Muratori diss. de rebus liturg. c. 16, ubi invicte ex liturgiis sacrificii veri dignitatem missae vindicat, sicut et Assemani in diss. de origine liturg. praemissa l. 4 cod. liturg. Ecclesiae univ. Inter protestantium confessiones pro dogmate catholico eminet illud Joan. Ernesti Grabii, qui ad Irenaei IV, 17 al. 33 adnotat: „Certum est, s. Irenaeum aliosque patres, quorum scripta habemus, tam eos, qui viderunt apostolos, quam eos, qui immediate ipsis successerunt, spectasse eucharistiam velut sacrificium novae legis, et obtulisse Deo Patri super altare panem et vinum, ante consecrationem quidem tamquam primitias creaturarum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum (sed cf. n. 513), et post consecratio nem velut corpus et sanguinem mysticum J. C., ad sic repraesentandum sacrificium cruentum, quod ipse fecit corporis et sanguinis sui in cruce, et ad obtinendos fructus mortis suae pro iis omnibus, pro quibus oblatum est. Ceterum haec doctrina non est doctrina unius ecclesiae vel peculiaris doctoris, sed erat doctrina et praxis Ecclesiae universalis; Ecclesia eam acceperat ab apostolis, apostoli a Christo. Est id, quod s. Irenaeus nos docet, quod s. Ignatius et s. Justinus nos docuerunt ante ipsum, quod Tertullianus et s. Cyprianus nos docuerunt post. Est id, quod clare continetur in ep. s. Clementis ad Corinth.« Tandem concludit: „Utinam, quoniam plures doctores protestantes cognoverunt circa hoc punctum veram doctrinam Ecclesiae apostolicae et errorem Lutheri et Calvini, omnes convenire possent ad resolutionem reddendi majestati divinae hunc supremum honorem, qui ei debetur,

et ad hoc restituerent usum sacrarum liturgiarum, quas male rejecerunt, in quibus modus patet, quo Deo offerri debet hoc sanctum sacrificium.« Cf. Döllinger die Lehre der Euchar. in den ersten drei Jahrh. pag. 79 ss.

407. **2.** Tradunt patres, Christum semetipsum in coena ultima obtulisse in sacrificium. Ex pluribus speciminis gratia audiantur

s. Cyprianus [1]): »Nam si J. Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Patri se ipsum primum obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur; et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.« — Isidorus hisp. l. 1 de officiis eccles. c. 18 n. 1: »Sacrificium, quod a christianis Deo offertur, primum Christus D. N. et Magister instituit, quando commendavit apostolis corpus et sanguinem suum . . . Quod quidem sacramentum Melchisedech rex Salem figuraliter in typum corporis et sanguinis Christi primus obtulit, primusque mysterium tanti sacrificii imaginarie idem expressit etc.« — Integrae hic referendae essent duae homiliae de Christi paschate Cyrillonae, auctoris syri sec. IV. exeuntis, quas e textu originali germanice versas primum edidit cl. Bickell [2]), in quibus ex. gr. legimus: »Dominus noster ipse, inquit, primum suum immolavit corpus, et deinde homines illud immolarunt . . . Legis acuit cultrum, quo suum corpus tamquam agnum paschalem immolaret . . . Agnus comedit agnum, pascha consumpsit pascha . . . Ipse astitit seque ipsum amore actus portavit atque proprium corpus suis portavit manibus (cf. verba similia s. Augustini supra n. 348) . . . Consecravit et benedixit seipsum, oravit et gratias egit supra corpus suum. Obtulit, immolavit seipsum, praebuit et expressit ex se sanguinem suum vivificum . . . Venite, discipuli mei, et accipite me, me in vestras tradere volo manus. Ecce, integer vere hic adsum, sed simul vos me integrum vere consumitis . . . Corpus meum manducastis, ne mei obliviscamini: sanguinem meum bibistis, recordemini mei.«

3. Docent saepe, eucharistiae celebrationem successisse sacrificiis V. T. ipsius typis. Ita passim Augustinus ut de civ. Dei XVII, 20:

»Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis V. T., quae immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Ps. 39 ejusdem mediatoris per prophetiam agnoscimus: *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi:* quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur et participantibus ministratur.« In Ps. 39 n. 12: »Antiqui, quando adhuc sacrificium verum, quod fideles norunt, in figuris praenunciaba-

---

[1]) Ep. 63 n. 14, quae tota huc spectat, opusc. t. XXI. pag. 195. Alia ejusdem testimonia cf. in praef. Marani ad ejus opera § 15.

[1]) Ausgewählte Gedichte der syrischen Kirchenväter, Kempten 1872 pag. 37 ss. Ibidem quoque (p. 19) ita fidelium excitat fiduciam: »Si infirma vestem tuam tangens, per pallium salutem accepit: quanto magis mihi salus et auxilium proveniet, cum integrum corpus tuum apprehenderim?« manibus scil., in quas olim dabatur sacra communio (cf. n. 350[1]). Quibus gemina reperies in hymno Jacobi sarugensis, auctoris sec. IV. ineuntis, in velum coram facie Moysis pag. 264 ed. Bickell cit., et in sermone Aphraatis, auctoris syri sec. IV., in pascha ed. Bickell versionis germ. (Ausgewählte Schriften der syr. KV., Kempten 1874) pag. 109. Cf. Franzelin th. 9.

tur, celebrabant figuras futurae rei . . . sacrificia ergo illa tamquam verba promissiva ablata sunt: quid est, quod datum est completivum? Corpus, quod nostis, quod non omnes nostis, quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis« etc.

4. Testantur hoc sacrificium ubique terrarum Deo offerri.

„Firmissime tene, scribit Fulgentius de fide ad Petrum c. 19 n. 60, et nullatenus dubites, ipsum unigenitum Deum Verbum carnem factum se pro nobis obtulisse sacrificium et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. 5, 2): cui cum Patre et Spiritu sancto a patriarchis, et prophetis, et sacerdotibus tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur; et cui nunc, id est tempore novi Testamenti, cum Patre et Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, sacrificium panis et vini in fide et caritate sancta catholica Ecclesia per universum orbem terrae offerre non cessat . . . In illis ergo sacrificiis, quid nobis esset donandum, figurate significabatur: in hoc autem sacrificio, quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis praenunciabatur Filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occisus.« — Et Augustinus quaest. evang. II, 33 n. 5: „Istae epulae atque festivitas (pro reditu filii prodigi) celebrantur per orbem terrarum Ecclesia dilatata atque diffusa. Vitulus enim ille in corpore et sanguine dominico et offertur Patri et pascit totam domum.«

5. Docent Christum per ministros suos seipsum offerre.

„Etsi nunc Christus, inquit Ambrosius in Ps. 88 n. 25, non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur;« et in liturgia alex. s. Gregorii (Mig. 36, 703): „Dignum me fac, ut offerantur dona ista a me peccatore et indigno servo tuo: tu es enim qui sanctificaris, qui offers et offerris, qui suscipis et susciperis, qui das et daris.«

6. Distinguunt inter hoc sacrificium et sacrificia improprie dicta, ut Gregorius naz., qui postquam multa dixit de sanctitate a Deo praescripta sacerdotibus leviticis, subjicit or. apol. § 95:

„Hoc cum nossem illudque insuper, neminem magno et Deo et sacrificio et pontifice dignum esse, nisi qui prius seipsum Deo hostiam viventem sanctam exhibuerit . . . Deoque sacrificium laudis et spiritum contritum obtulerit, quod solum sacrificium is, qui omnia dedit, a nobis exposcit: quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem?«

Quare si apologetae in suis adversus gentiles disputationibus negant christianos habere aras et similia: evidenter exclusa volunt tantum sacrificia cruenta quaeque moris essent apud idololatras, prae quibus sacrificium eucharisticum alterius est plane rationis.

408. **Thesis CCXXXV.** ***Veritas sacrificii eucharistici comprobatur praeterea Scripturae testimoniis, quibus hoc sacrificium a prophetis praedictum, a Christo promissum et institutum, et apostolorum aetate jam oblatum exhibetur.***

Demonstratio p. I. In tam splendido traditionis lumine clariora redduntur Scripturae de sacrificio missae testimonia, quae, ut in thesis enunciatione innuimus, ad quatuor revocamus classes. Ex prophetarum vaticiniis, plura afferre licet Prov. 9, 1: *Sapientia aedificavit sibi domum . . . immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam;* Is. 19, 21: *Cognoscent aegyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus;* Is. 66, 21: *Et assumam ex eis sacerdotes et levitas, dicit Dominus;* coll. Jer. 33, 17; Ps. 21, 26 ss.; Dan. 8, 11 et 12, 11, ubi antichristus dicitur ablaturus *juge sacrificium,* quod nullo modo intelligi potest sive de sacrificio mere interno, sive de sacrificio externo improprie dicto. Cf. Bellarminus V, 9. Brevitatis studio ad unum provocamus Malachiam, qui ceteris prophetis clarius praedixit hoc sacrificium, ita nomine Dei alloquens 1, 10 s. sacerdotes, quorum reprehenderat in sacrificiis offerendis Dei contemptum: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo (et quidem,* ut ex textu originali supplere possumus) *oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Jam vero

1. sermo est hoc in vaticinio de tempore messiano: nam sermo est de tempore, quo gentes agnoscent Deum non quomodocunque, sed sub ea praecise ratione, qua se manifestavit populo electo ut Jahve, quae est vis dicti *nomen meum* et qua tali *(nomini meo)* offerent oblationem. Atqui agnitio nominis Dei inter omnes gentes apud prophetas nota est et character temporis messiani. Promittitur

2. cultus novus substituendus cultui mosaico; qui cultus scil. sit **a.** ab ortu solis usque ad occasum; qua locutione designatur non sola terra israelitarum, sed orbis terrarum; **b.** cultus in gentibus, quod nomen (hebraicum) in plurali semper designat gentes, quae non sunt israelitae; cultus denique **c.** in omni loco, quae adversantur cultui mosaico, qui ratione loci, gentis, diffusionis, erat particularis.

3. Praedicitur et promittitur in hoc vaticinio cultus externus: nam **a.** opponitur cultui judaico externo, particulari abrogando: ergo alia erit forma cultus externi, sed praestantior illa priori; **b.** describitur verbis, quibus alias cultus omnino externus designatur; eo **c.** praedicitur Deus magnificandus, sicut propter sacerdotum neglectum despectus fuit: quae glorificatio innuit cultum externum (cf. Matth. 5, 16), qualem exigit vel natura humana, cui sicut non sufficit corde credere, nisi accesserit et oris confessio (Rom. 10, 10): ita nec satis est, solum interius Deum colere, nisi addatur cultus professio visibilis.

4. Cultus hic externus vero proprieque dicto sacrificio continetur: nam **a.** describitur verbis, quibus ex usu loquendi biblico constanter proprie dictum designatur sacrificium. Adhibentur enim vocabula *kitter* adolere, suffire, *niggeš* et *mincha*, quorum primum cum suis derivatis circiter centies quadragies sexies, alterum in forma Piel et Hiphil duodecies, tertium centies quinquagies quater occurrit in V. T. (et hoc ipso in loco v. 10), ad designandum sacrificium proprie dictum (ultimum praesertim pro sacrificio incruento): nunquam vero unum eorum de cultu interno vel in cultu divino externo de oblationibus aliis, quae non sint vera sacrificia. Eo magis autem **b.** haec verba debent sumi sensu sacrificiali, quod sermo est ad sacerdotes: *Ad vos, o sacerdotes* v. 6, quos Deus reprehendit de neglecto cultu sacrificiali. Ad haec **c.** cultus, de quo est sermo, opponitur qua novus substituendus sacrificiis mosaicis, et ita quidem ut appareat, non simpliciter aboleri cultum per sacrificia, sed sacrificiis mosaicis melius et mundius substitui, quod etiam a novis ministris divinitus praeparatis, tribu Levi praefiguratis 3, 3, offerendum erit. Atqui haec intelligi nequeunt de sacrificiis improprie dictis laudis bonorumque operum: ea exigunt sacrificium proprie dictum, idque distinctum a sacrificio crucis, cui non conveniunt praedicata hujus novi sacrificii. Hoc autem aliud non erit a celebratione eucharistiae. Quae illatio confirmatur splendido suffragio patrum.

Ita jam Irenaeus IV, 17 n. 5 de Christo instituente eucharistiam disserit: »Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo ei, qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in N. T., de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: *Non est mihi voluntas* etc. . . . manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur ei et hoc purum« etc. — Ita etiam Augustinus tract. adv. judaeos n. 13: »Aperite oculos tandem aliquando et videte, ab oriente sole usque in occidentem, non in uno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium christianorum, non cuilibet Deo, sed ei qui ista praedixit, Deo Israel . . . non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech.« De civit. Dei XVIII, 35 n. 3. — Ad hoc vaticinium respicit liturgia s. Cyrilli (Renaudot coll. lit. I, 40): »Gratias agimus tibi et offerimus tibi, eique (J. Christo) simul et Spiritui s., Trinitati sanctae, consubstantiali et indivisae, hoc sacrificium rationabile et hoc ministerium incruentum, quod offerunt tibi omnes populi ab ortu solis usque ad occasum, a septemtrione ad austrum, quia nomen tuum, Domine, magnum est in omnibus gentibus: et in omni loco offerunt incensum nomini tuo sancto et sacrificium purum simul cum hoc sacrificio et hac oblatione.« Citatur etiam pro sacrificio eucharistico in doctrina apostolorum c. 14 n. 1 recenter reperta, quae si non est sec. I., saltem est ineuntis sec. II.

Eadem illatio confirmatur collatione instituta inter celebrationem eucharistiae et hoc vaticinium; ex qua evidenter innotescet, celebratione

eucharistiae manifeste illud esse adimpletum. Nam **a.** cultus eucharisticus successit cultui judaico; **b.** eucharistia celebratur ab ortu solis usque ad occasum, et quidem **c.** inter omnes gentes; **d.** ejus celebratione magnificatur nomen Dei: ad eam enim congregantur undique fideles eaque est centrum totius cultus: ea **e.** mundissima est, continet enim corpus et sanguinem Christi; ea denique **f.** est vera mincha: mincha enim erat sacrificium incruentum, complectens panem et vinum, connexum quidem cum sacrificio cruento. Et quantum congruit sacrificium incruentum N. Testamento, ut significetur peracta jam per sacrificium cruentum redemptio nostra, confecta reconciliatio et pax: dum contra in V. T. ideo redundarent omnia sanguine, ut portenderetur magnum futurum sacrificium cruentum crucis. Quare evidenter praedicta est a Malachia celebratio eucharistiae et quidem qua sacrificium.

409. **Demonstratio p. II.** Ad promissionem proxime instituendi sacrificii non improbabiliter referuntur Joan. 4, 21 ss., ubi Christus mulieri samaritanae dicit: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem . . . Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Notetur enim **1.** verbum *adorare* passim designare adorationem non quamcunque, sed nobilissimam adorationis speciem, quae sacrificio continetur. Cf. Joan. 12, 20; Act. 8, 27; Gen. 22, 5; 1. Reg. 1, 3; 15, 30 etc. Christum vero **2.** de ejusmodi loqui adoratione, suadetur ex eo, quod ipse certe verbum adorare eodem accipit sensu, quo mulier samaritana; haec autem loquitur de adoratione per sacrificium, alligata scil. monti Garizim. Ad haec **3.** Christus loquitur de adoratione opposita ei, quae tunc alligata erat uni loco, deque adoratione nova, quae non amplius haberet rationem umbrae, figurae, neque esset carnalis. Atqui haec non satis bene de adoratione simpliciter dicta intelligi possunt, quae neque futura erat, cum jam olim apud multos vigeret, neque loco certo alligata, neque typica: perbelle autem intelliguntur de ea, quam praedixit Malachias (n. 408) quaeque continetur sacrificio.

410. **Demonstratio p. III.** Christum ita instituisse eucharistiam, ut esset sacramentum simul et sacrificium colligitur haud obscure

1. ex eo, quod illam instituit post coenam paschalem ut, quemadmodum canit d. Thomas, „novum pascha novae legis phase vetus terminet, vetustatem novitas, umbram fuget veritas, noctem lux eliminet.“ Atqui agnus paschalis sacrificium simul erat et sacramentum. Ergo et eucharistica coena, quae illi tamquam antitypus et veritas figurae successit. Et revera tot sunt similitudinis capita inter coenam agni paschalis et coenam eucharisticam, ut manifestum plane sit, hanc illi vere successisse et pro N. T. esse, quod illa pro vetere fuerat: eo tamen discrimine, quod illa semel tantum in anno celebraretur: haec quotidie possit celebrari. Hunc etiam nexum passim inculcant patres [1]).

---

[1]) Cf. Bellarminus l. 5 c. 7. Prae ceteris doctissime et eruditissime nexum inter coenam paschalem et eucharistiae celebrationem illustravit cl. G. Bickell in

2. Colligitur ex ipsis institutionis verbis. Christus enim illud praebet corpus, quod *pro* nobis datur (non vero quod tantum nobis datur) Luc. 22, 19, i. e. coll. Jo. 6, 52 *pro mundi vita;* quod *pro nobis frangitur* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον; dat calicem, qui *pro* nobis effunditur (τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον) Luc. 22, 20, et quidem *in remissionem peccatorum* Matth. 26, 28. Atqui haec intelligi nequeunt de sacramenti eucharistiae distributione inter fideles; obstat enim propositio *pro;* sed ea sunt verba sacrificalia, quibus et ipsum sacrificium Christi in cruce passim solet describi. Cf. Hebr. 10, 20; Tit. 2, 14; 1. Tim. 2, 6; Gal. 1, 4; Eph. 5, 2 etc. Et revera verba ‚dare corpus et sanguinem pro nobis in peccatorum remissionem' apte significant Christi pro nobis reis substitutionem ad placandum Deum et consequendam peccatorum veniam (cf. Lev. 1, 5 ss.; 3, 2 ss.; 4, 7 ss. etc.): quae substitutio victimae pro reo character est proprius sacrificii (cf. II n. 631 s.). Neque tamen haec verba immediate referenda sunt ad sacrificium crucis: obstat enim verbum κλώμενον *frangitur* [2]) 1. Cor. 11, 24, seu pro usu loquendi biblico, *in cibum paratur, apponitur,* donatur, distribuitur; neque etiam in cruce effusus fuit calix. Intelligi ergo debent haec verba de eucharistia, quae eo ipso describitur ut sacrificium. „Et in vetere quidem lege, inquit Chrysostomus in 1. Cor. h. 24 n. 2, quia imperfectiores erant, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse excipere sustinuit, ut ab illis abduceret, quod ipsum rursus erat amoris ineffabilis. Hic autem in rem horribiliorem et magnificentiorem sacerdotalem transtulit operationem ipso mutato sacrificio, et pro brutorum mactatione se ipsum jussit offerri."

3. Confirmatur ex sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech Ps. 109, 5 col. Gen. 14, 18. Si enim Christus est sacerdos, debuit sacrificium offerre (Hebr. 5, 1; 8, 3); si fuit sacerdos secundum ordinem

---

libro Messe und Pascha (Mogunt. 1872) et in fasc. Ztsch. für kath. Theol. 1880. I, 90—112, in quibus ingeniose ostendit, ritum celebrandi eucharistiam ab aetate apostolica harmonice respondere ritui celebrandi hallel post pascha penes judaeos servato, et sacram liturgiam esse quasi paraphrasim hujus hallel. Nam finito convivio paschali implebatur et miscebatur calix ultimus, super quem canebatur hallel, compositum e psalmo *Non nobis* (litania cum oratione), post quem Salvator accepit panem et calicem (oblatio), deinde e ps. *Dilexi* et *Credidi* (secreta), ps. 116 et 117 (praefatio et Sanctus). Postea canebatur cum doxologia finali ps. 125, post cujus v. 24 Jesus Christus consecrationem interposuit (canon); sequebatur doxologia ante potum calicis (oratio ante communionem), potus calicis (communio), et doxologia subsequens (postcommunio).

[1]) Verum quidem est κλώμενον in aliquot codd. vetustis non legi, in aliis tamen haud paucis et in versionibus antiquis reperiri: quare non tam facile pronunciare licet, illud non esse genuinum. Quod etiamsi defuisset in textu originali, cum verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν sint evidenter elliptica, merito suppletur vel διδόμενον ex Luc. 22, 19, vel κλώμενον ex praecedente verbo ἔκλασεν. Cf. Cornely com. in 1. ep. ad Cor. in h. l.

Melchisedech, debuit offerre sacrificium, quod ut veritas umbrae, sacrificio responderet a Melchisedech oblato. Atqui ejusmodi sacrificium est ipsa celebratio eucharistiae: quod evincit vel simplex comparatio coenae eucharisticae cum sacrificio Melchisedech Gen. 14, 18: *Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* Hoc enim Christus tamquam antitypus manifeste complevit in ultima coena: neque potest ratione sacrificii crucis dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

411. *Exceptionibus satisfit.* — Argumenti vim nituntur nonnulli elidere **1.** negando, prolationem panis et vini Melchisedechi fuisse sacrificium. Atqui Melchisedech verum obtulisse sacrificium, cum protulit panem et vinum, **a.** suadetur quod alterius sacrificii ab eo oblati nullibi mentio fit: sacrificium autem est ex omnium judicio (Hebr. 5, 1) de essentia sacerdotii; quod **b.** ratio protestantium, quare Melchisedech protulerit panem et vinum i. e. Abrahami refocillatio, est improbabilis, cum redierit patriarcha de praelio praeda onustus: et quamvis verbum hôçi' non sit verbum sacrificiale, de adductione tamen hostiae subinde adhibetur. Cf. Judic. 6, 18 s. Ceterum **c.** satis clare enunciatur prolationem illam fuisse sacrificialem cum illius reddatur ratio inciso sequenti: *Erat enim sacerdos Altissimi.* — Verum quidem est in textu originali haberi particulam vav et, quam vulgatus interpres reddit *enim;* sed passim ita verti potest et debet. Cf. Gen. 20, 3; 30, 27; Js. 64, 5 etc. Neque hoc incisum referendum est ad sequentia: *Benedixit ei* etc.; obstat enim interpunctio recepta in textum hebraicum et in versiones chaldaicam, graecam et latinam; et sacerdotium proprie non est ratio, propter quam quis possit benedicere, cum etiam qui non fuerint sacerdotes, benedixerint Jos. 8, 13; 12, 6; 2. Reg. 6, 18; 3. Reg. 8, 55 etc. Accedit **d.** pro sententia nostra splendidissimum traditionis suffragium. Quare de sacrificio panis et vini a Melchisedech oblato dubitare non licet.

2. Neque excipias Christum sacerdotem dici secundum ordinem Melchisedech propter illas praerogativas, quas recenset Paulus Hebr. 7, 1 ss., ubi fusius de Mechisedech typo Christi disserit. Nam propter has Melchisedech typus erat Christi, non vero sacerdos, hinc propter eas Christus dici nequit per excellentiam „sacerdos secundum ordinem Melchisedech." Et revera, ut bene notat Bellarminus, omnes illas praerogativas Melchisedech communes habet etiam cum aliis, soli ipsi propria atque priva est sacrificii forma, a qua demum sacerdotii ordo pendet.

3. Neque obstat Paulum in ep. ad Hebraeos recensere ea, propter quae Melchisedech figura fuerit Christi, nullam autem mentionem facere sacrificii incruenti. Nam noluit Paulus quaestionem de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech exhaurire et adaequate pertractare; ipse enim ait Hebr. 5, 11: *De quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum.* Attingit ea tantum, quae demonstrant sacerdotii Christi sacerdotio melchisedechiano praefigurati praecellentiam prae aaronico, ad quam demonstrandam nihil conducebat mentio sacrificii incruenti, cum ex eo non potuerit hanc praecellentiam illustrare. Ceterum omne dubium excludit solemnis traditio exegetica. Patres enim, etsi saepe alias quoque reddunt rationes, quare Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, hanc tamen in primis inculcant,

quod semetipsum in celebratione eucharistiae sub speciebus panis et vini in sacrificium offert. Audiatur Cyprianus ep. 63 n. 4: „Quis magis sacerdos Dei summi quam D. N. J. Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit: et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat i. e. panem et vinum, suum scil. corpus et sanguinem? . . . Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii Christi in pane et vino scil. constituta. Quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatis, veritatem praefiguratae imaginis adimplevit.“ — Et aliis omissis Augustinus c. advers. legis et proph. I, 26: „Noverunt qui legerunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham: et si jam sunt participes ejus, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.“ Cf. Petavius de incarn. XII, 12; Thomassinus de incarn. X, 15; Bellarminus V, 6. Patrum suffragio addantur verba R. Phinees in Num. 28 memorabilia, quae olim exstabant (cf. Ztschr. für kath. Theol., Oeniponti 1878 p. 767) in Beresçit Rabba: „Tempore Messiae omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis et vini non cessabit: sic dictum est Gen. 14, 18: *Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum.* Melchisedech enim i. e. rex Messias excipiet a cessatione sacrificium panis et vini, sicut dicitur Ps. 109, 5: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*“ Cf. Curti in diss. Sacrificium incruentum in thes. theol. Zachariae XI, 1—10; Franzelin th. 7 ss.

412. **Demonstratio p. IV.** Apostolorum jam tempore oblatum fuisse hoc sacrificium, si non probant, suadent saltem

1. quae act. 13, 2 legimus: *Ministrantibus* (λειτουργούντων) *autem illis* (prophetis et doctoribus antiochenis) *Domino, dixit illis Spiritus s.: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Verbum enim λειτουργέω passim significat in divinis literis (Luc. 1, 23; Phil. 2, 17; Hebr. 9, 21; 10, 11 etc.) sacrificare, et graeci inde derivant vocem technicam liturgiae, qua designent eucharistiae celebrationem, quae ipsis certissime est sacrificium; neque ea vox hic facile de alio ministerio Deo exhibito potest intelligi.

2. Suadent verba Pauli 1. Cor. 10, 16 ss.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? . . . Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* Opponit enim apostolus mensam eucharisticam altari judaeorum mensaeque i. e. conviviis sacrificialibus gentilium atque cum iis confert; confert insuper eucharistiam cum victimis judaeorum et gentilium eisque opponit. Supponit ergo haud obscure eucharistiam esse victimam et participationem eucharistiae convivium sacrificiale (n. 405[3]), ideoque eucharistiae celebrationem esse sacrificium. Hinc conc. tridentinum sess. 22 cap. 1: „Quam (oblationem a Malachia praedictam) non obscure innuit Ap. Paulus Corinthiis scribens . . . per mensam altare utrobique intelligens“.

3. Suadent verba Hebr. 13, 10: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Nam vocabulum *edere* ratione habita v. 9 et lectorum, quibus comestiones de altari in usu olim fuerant, accipi debet sensu proprio. Quod si ita, objectum comedendum aliud esse nequit quam eucharistia. Atqui illa dicitur comedenda *de altari.* Ergo mensa, in qua illa conficitur et cujus mentionem fecit apostolus 1. Cor. 10, 21, est altare, ideoque illius celebratio est sacrificialis. Neque nomine illius altaris videtur significari crux, cum non satis commode dicatur, nos de altari crucis edere eucharistiam. Quare etiam s. Ignatius M. probabiliter hunc respiciens locum mensam eucharisticam constanter vocat θυσιαστήριον ad Philad. n. 4; ad Trall. n. 7; ad Ephes. n. 5 ad Magn. n. 7. Cf. Thalhofer § 31 n. 5; de tota thesi Scheffmacher Lettres d'un Docteur Allemand, ep. 7.

413. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Tanto splendore fulget dogmatis catholici veritas, ut vix habeant adversarii, quod opponant. Opponunt

1. quae Paulus in ep. ad Hebraeos, nominatim cc. 9 et 10 inculcat de unica oblatione Christi, qua semel oblatus in sempiternum consummavit sanctificatos, adeo ut non habeat necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes V. T. hostias offerre. Ut solvatur difficultas, intelligenda est Pauli doctrina. Docet ipse, sacrificio crucis meritum redemptionis et objectivae satisfactionis esse completum, ideo nec ipsum esse saepius offerendum, nec aliud sacrificium instituendum, quo redemptio compleatur et meritum novum accedat: et sub hoc respectu sacrificium Christi semel tantum oblatum confert cum sacrificiis V. T. saepe repetitis, quibus non obstante eorum multitudine per se nulla inerat expiandi vis, sed solum expressio indigentiae et commemoratio peccatorum et typus futurae per unum illud sacrificium expiationis. Atqui eucharistiae sacrificium neque offertur ad perficiendam humani generis redemptionem, neque ad augendam satisfactionem meritumque Christi, sed ad applicandum singulis redemptionis meritum et fructum, quemadmodum hic fructus fide, sacramentis aliisque salutis mediis applicatur. Quare cum ille fuerit comparationis scopus, haec vero sit sacrificii eucharistici ratio, necessarium non fuit, ut apostolus disputaret de sacrificio applicationis, sicut non disserit de baptismo aliisque salutis mediis; eo ipso enim, quod applicatio nec semel nec simul fit, quotidie adhibenda sunt applicationis media, et si inter haec est sacrificium aliquod a Christo institutum, quotidie illud erit Deo offerendum. Doctrinam catholicam limpide exponit conc. tridentinum sess. 22 cap. 1: „Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur: sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem

rerum symbolis apostolis, quos tunc N. T. sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19), uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit.« Ceterum adversarii in suis exceptionibus supponunt de ratione sacrificii esse unice vel praecipue satisfactionem. Atqui haec accidit sacrificio, cui in primis competit ratio cultus.

2. Opponunt verba Pauli Hebr. 7, 23 s., quibus negat, Christum eo quod maneat in aeternum, habere in sacerdotio successores. Atqui subsumunt adversarii, si postquam obtulit in cruce sacrificium, cursu seculorum verum offertur in eucharistia sacrificium, habet in sacerdotio successores. Responsio obvia est: Christus ita dicitur sacerdos unicus et aeternus, quemadmodum est solus noster magister, mediator, salvator, quemadmodum etiam Deus dicitur solus potens, immortalis, unus pater noster (Matth. 23, 9 s.): scil. ad exclusionem sacerdotum, qui sint paris auctoritatis ipsique aequales, non ad exclusionem ministrorum, qui ejus vices gerant, pro ipso legatione fungantur, potestate ab ipso derivata ejusque nomine sacrificent: sicut ipsius magisterium non excludit magistros ejus vice, nomine, auctoritate docentes.

3. Excipiunt idem esse non posse simul sacramentum et sacrificium, illo enim aliquid homini communicatur; per hoc Deo aliquid offertur. Resp. nequit idem esse sacramentum simul et sacrificium, sub eodem respectu, transeat; sub diverso respectu, nego: neque enim repugnat, ut unum idemque et cedat in Dei honorem et simul in nostram utilitatem et salutem; imo nihil ab homine fit in Dei obsequium, quin simul redundet in ipsius commodum. Hinc et judaei de quorundam sacrificiorum victimis participare poterant, et agnus paschalis sacrificium simul erat et sacramentum. Cf. Becanus de tripl. sacrif. III, 7.

Articulus II.

De essentia sacrificii missae.

414. Eo ipso, quod proponitur credendum, eucharistiae celebrationem esse verum propriumque sacrificium, credendum est etiam, omnia ei inesse elementa, quae sacrificii constituunt essentiam, etiamsi non satis nobis constet, quae singulae notae sint sacrificio essentiales, vel in quo proprie sacrificii eucharistici essentia consistat. Quare ex dissensu theologorum catholicorum inter se de essentia sacrificii sive in genere, sive in specie quoad sacrificium eucharisticum, immerito infertur, neque de ipso constare dogmate, quo profitemur, missam esse sacrificium. Cf. Franzelin th. 14. Conabimur tamen patribus et celebrioribus theologis ducibus, quadamtenus saltem hujus sacrificii indagare essentiam.

415. **Thesis CCXXXVI.** ***Sacrificii eucharistici essentia in utriusque speciei consecratione consistit.***

Demonstratio. Doctrinam de sacrificii eucharistici essentia distinctis propositionibus gradatim proponemus.

I. *Consecratio est de essentia hujus sacrificii*, Quod ita probatur: **1.** sacrificium continetur aliqua actione; hujus vero sacrificii sacerdos

principalis est Christus (cf. n. 422). Ea ergo actione sacrificii hujus essentia continetur, quam sacerdos nomine et vice Christi peragit. Atqui in consecratione maxime sacerdos suam exuit personam atque personam induit Christi. Ergo in hac inprimis consistet actio sacrificialis.

2. Sacrificium missae repetitio est sacrificii coenae, secundum illud: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22, 19 col. 1. Cor. 11, 25. Atqui praeter consecrationem non constat aliam a Christo adhibitam fuisse actionem, in qua consistere possit sacrificii ratio.

3. Constat via excludente, cum nulla alia assignari queat actio ex iis, quae in celebratione eucharistiae adhiberi solent, cui adeo sacrificii essentia competat sicut consecrationi: cui etiam nil deesse videtur eorum, quae de sacrificii essentia sunt, ut mox videbimus. Neque enim hujus sacrificii essentia in communione consistit, quae unica est actio, de qua cum aliqua veri similitudine posset dubitari: nam communionem sacerdos neque nomine recipit Christi, qui est principalis offerens, neque vi potestatis ordinis, cui soli innititur potestas sacrificandi; actio autem sacrificialis functio esse debet potestatis ordinis, qua sola sacerdos constituitur par ad sacrificandum: communionem autem accipiunt et laici, imo quondam sibi ipsi poterant ministrare. Ad haec, repugnare videtur „ut dicatur aliquid offerri Deo per eam actionem, qua non Deo datur, sed homini et in propriam utilitatem ab eo consumitur (Billot).“

4. Sententiae huic favent et patres. Ita Irenaeus scribit IV, 17: Christus „dicens hoc est corpus meum . . . docuit novam N. T. oblationem:“ Chrysostomus de prod. Judae h. 1 n. 6; „Haec vox (hoc est corpus meum) semel prolata ad unamquamque mensam ab illo usque ad hodiernum tempus et usque ad adventum ejus sacrificium perfectum efficit.“ Quare jam communi suffragio theologi hanc assertionem tuentur.

416. Quaeritur autem, utrum essentia sacrificii eucharistici consistat in sola consecratione, an de ejus essentia sit etiam communio. Plures cum Bellarmino de missa I, 27; de Lugo disp. 19 s. 5 statuunt, communionem sacerdotis spectare ad substantiam et integritatem sacrificii, nam per eam adhuc magis consumitur eucharistica victima, sicut olim in holocausto per combustionem victima jam immolata penitus destruebatur. Suarez verosimilius censet d. 75 s. 5 n. 11, »sumptionem sacerdotis non esse institutam, ut sit de essentia hujus sacrificii, atque adeo totam essentiam positam esse in consecratione.« Quam sententiam et nos ut praeferendam amplectimur, hinc statuimus propositionem:

II. *Sacrificii eucharistici essentia consistit in sola consecratione:* quod argumenta n. 415 allata satis videntur probare. Unde communio spectat quidem ad integritatem ritus quem Christus instituit, non tamen ad sacrificii substantiam. Quare non licet omittere in celebratione eucharistiae communionem. Hinc conc. toletanum XII. (a. 681) c. 6 reprehendit

sacerdotes, qui eodem die saepius sacrificium celebrabant, et nonnisi in ultima celebratione communionem accipiebant, „quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis D. N. J. Christi immolatio facta constiterit . . . nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?“

417. **III.** *Eucharistiae celebratio ita est sacrificium, ut simul esse debeat commemoratio sacrificii crucis,* ideoque sacrificium relativum. Quod **1.** colligitur ex 1. Cor. 11, 25: *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Idem docet **2.** concilium trid. sess. 22 cap. 1 statuens, Christum reliquisse „sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur ejusque memoria in finem usque seculi permaneret;“ et Ecclesia cum profitetur (in or. secr. dom. IX. post Pentec.): „Quoties hujus hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur.“

3. Hoc docent patres; ita Cyprianus ep. 63 n. 9: „Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni.“

Ita Gaudentius brix. serm. 2 ad neophytos: »A Christo instituti sacrificii coelestis causam rationemque noscamus ... Voluit beneficia sua manere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo sanctificari per imaginem propriae passionis, et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis ecclesias celebrari.« — Isidorus hisp. hom. de corp. et sang. Chr. (Mig. 30, 272): »Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris et sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret, ut coleretur vel jugiter jure per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, et perennis illa victima viveret in memoria, et praesens semper esset in gratia.«

4. Suadet analogia: sicut enim judaei indigebant sacrificiis, quae praefigurarent redemptionis sacrificium cruentum, ita christiani indigent ejusdem jugi commemoratione. „Hebraei, inquit Augustinus c. Faustum XX, 18, in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit, unde christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi.“ Cf. n. 407[4]; Algerus I, 17 et de sacr. missae n. 1 opusc. XXIII; Franzelin th. 15.

418. **IV.** *Haec commemoratio continetur consecratione distincta panis et vini,* quod demonstratione non eget: ea enim repraesentatur effusio

sanguinis, qua in primis continetur ratio sacrificii cruenti. Huc spectant pulcherrima illa Gregorii naz. ep. 171 ad Amphilochium verba: „Nec cuncteris et orare et legatione fungi pro nobis, quando Verbum attrahis, quando incruenta sectione secas corpus et sanguinem dominicum vocem adhibens pro gladio.“ Neque obstat, in eucharistia non haberi realem sanguinis effusionem et separationem (juxta dicta th. 228), sed hujus tantum repraesentationem: nam eucharistia non est sacrificium cruentum, sed sacrificii cruenti commemoratio, ad quam sufficit sanguinis effusi repraesentatio.

419. *Variae sententiae de essentia sacrificii missae.* — Cum vero pluribus theologis videatur, forte non immerito, sacrificii cruenti repraesentatio, quamvis vivida ea sit et expressa, quamvis in ea habeatur mystica, ut ajunt, sanguinis effusio, imo realiter adsit ipsa victima seu Christus, qui sacrificio cruento crucis semetipsum obtulit, nondum verum propriumque sacrificium, nisi aliquid accedat; hinc sollerter inquirunt in illud, quo distincta panis atque vini consecratio constituatur sacrificium, inque varias abeunt sententias. Cf. Vacant Histoire de la Conception du sacrifice de la Messe dans l'Eglise latine, Parisiis 1894.

Ex his sententiis aliae sunt minoris momenti, antiquatae et falsae, ut ex. gr. sacrificium consistere in oblatione vocali, quae antecedit vel consequitur consecrationem, vel in communione, qua species consumuntur; vel in transubstantiatione, quatenus per eam panis substantia cessat seu quadamtenus destruitur. Succedunt sententiae plus minusve probabiles, quas graves tuentur theologi.

1. Secundum Vasquez in 3. p. disp. 222 sacrificium nihil aliud est quam nota exsistens in re (h. e. signum non solum vocale, sed reale, re ipsa expressum), qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis. Quare si sine reali rei oblatae immutatione reipsa denotari et coli potest Deus ut auctor vitae et mortis, verum habebitur sacrificium. Quo posito distinguit inter sacrificium absolutum et relativum. Ad illud quidem requirit victimae destructionem, non vero ad relativum. Atqui in eucharistia vi consecrationis corpus et sanguis Christi ita fit praesens, ut repraesentetur sacrificium in cruce oblatum ejusque sit commemoratio, et hoc ipso denotetur Deus auctor vitae et mortis, ac si tunc Christus in honorem Dei reipsa occideretur. Ergo celebratio eucharistiae est sacrificium non quidem absolutum, sed relativum. Quae theoria placuit et Perrone de euch. p. 2 c. 1 pr. 1.

2. Secundum Lessium de div. perf. XII, 13 consecratio est vere sacrificativa, quia ea vi verborum separatur corpus a sanguine; quamvis enim per concomitantiam sit idem sub utraque specie, hoc est per accidens: nam verba, quantum est de se, separant corpus a sanguine et instar gladii mystici dissolvunt illud compositum (cf. Gregorii naz. verba n. 418) atque ideo sacramentaliter seu immolatione non quidem reali, sed mystica mactant et ponunt in altari tamquam victimam occisam et mactatam. Hanc sententiam plurimi theologi tuentur, ut Gonet, Billuart etc., nostra aetate Oswald, Knittel in fol. trim. tüb. 59, 530. Ab ea non multum distare videtur explicatio

P. Billot, qui in suo tr. de sacr. th. 54 reponit „formalem rationem sacrificii missae in mactatione mystica secundum se i. e. in sacramentali separatione corporis a sanguine, non praecise quia et in quantum repraesentat oblationem crucis, ad sensum Vasquezii; multo minus quia et in quantum foret ex sese occisiva Christi, nisi impediretur per aliam causam, ut dicit Lessius; sed quia et in quantum sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, ac per hoc nata est non secus ac realis destructio victimae in propria specie vere ac realiter subjectare significationem symbolicam, quae sacrificio propria est juxta declarata superius in prol. § 1 ass. 3.“ Hanc explicationem inde colligit, quod eucharistiae celebratio debeat esse passionis imago, tum ex verbis institutionis, quae formalem rationem sacrificii declarant. Nam corpus Christi in eucharistia pro hominibus dari seu frangi et sanguinem ejus pro iisdem effundi, nihil aliud est quam offerri Deo corpus et sanguinem sacramentaliter separata: quatenus loquendo de re oblata, secundum quod per species et verba sensibus subjicitur, vere est ex una parte solum corpus sub specie frangibili panis, ex altera vero, solus sanguis in habitu effusionis sub liquida specie vini.

3. Suarez notat, in sacrificio requiri quidem immutationem aliquam, non tamen necessario destructione rei principalis oblatae, quae fuit propria sacrificiorum V. T.: in nostro sacrificio eam fieri productione rei principaliter oblatae in honorem Dei facta, destructionem solum esse panis et vini veluti termini a quo. Sicut sacrificium incensi non tam in combustione thuris, quam in productione suavissimi odoris illa effecta consistebat. Respondet autem duplex haec immutatio characteri proprio utriusque Testamenti. A Suarez non multum dissentire videtur Scheeben Myst. des Christenth. § 72.

4. Aliam init viam card. Cienfuegos de vita abscond. d. 5 s. 2, secundum quem Christus, dum praesens fit consecratione, primum exercet aliquos actus vitae sensitivae modo non quidem per se connaturali statui sacramentali, sed quia humanitas elevatur virtute divina ad tales actus exercendos. Tum vero Christus ipse hanc vitam suspendit, donec in commixtione specierum panis ac vini tamquam imagine resurrectionis eos actus iterum resumit. In hac sacrificatione vitae sensitivae reponit ipse rationem formalem nostri sacrificii.

Ex his variis opinionibus sententia Vasquezii est jejuna et insufficiens; sententia Lessii obvia et communiter recepta; sententia Suarii nobilis tantoque ingenio digna; sententia card. Cienfuegos singularis. Cf. harum opinionum censuram apud Lugo disp. 19 sect. 4, Franzelin th. 16 et Thalhofer das Opfer des A. u. N. B. § 32, qui sacrificii nostri rationem

5. ita explicat: censet nimirum sacrificii cruenti veluti formam fuisse internum Christi actum, quo se totum ex obedientia Deo impendit et immolavit; hujus formam externam, qua haec interna oblatio actuata fuit et exterius se prodidit, fuisse mortem in cruce, qua Christus vitam suam Deo impendit omnemque sanguinem in ejus honorem fudit. Jam vero hanc interiorem oblationem et immolationem seu hunc internum voluntatis actum Christus conservat, continuat: ejusque exterior forma et expressio est sicut quondam in cruce actualis effusio sanguinis, ita modo distincta utriusque speciei concecratio [1]).

---

[1]) „In der Consecration, ita ille l. c. n. 12, tritt nun der himmlische Hohepriester und mit ihm sein himmlisches Opfer in die irdische Zeiträumlichkeit und dadurch in das irdische Nach- und Nebeneinandersein; während er beim Aussprechen der Wand-

419. **6.** Quamvis hae sententiae satis bene, si forte primam et quartam excipias, rationem sacrificii eucharistici explicent, hisce alii nondum sunt contenti, plenius, subtilius, ingeniosius nituntur illam illustrare ut Lugo l. c. s. 5, praeprimis Franzelin th. 16 et Stentrup th. 95 etc., quorum sententia ad haec revocari potest capita: **a.** Ad sacrificii rationem revera aliqua requiritur rei destructio: in omnibus enim sacrificiis haec reperitur forma. Haec tamen **b.** destructio non debet esse semper physica; sufficit aequivalens, moralis, ita scil. ut vi actionis sacrificialis hostia ponatur in statu decliviori et humano modo desinat, ut vinum effusione in libationibus. Unde **c.** liquet, inquit Lugo, „quomodo consecratione ipsa sacrificetur corpus Christi: nam licet consecratione non destruatur substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum decliviorem et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per modum cibi; quare humano modo idem est ac si fieret verus panis et aptaretur ac condiretur in cibum: quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium; fieri enim comestibile illud, quod non erat comestibile, et ita fieri comestibile, ut jam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi [1]), major mutatio est, quam aliae, quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium.“ Et revera **d.** in eo videtur reponenda essentia sacrificii missae, quod efficitur consecratione: ostendimus enim consecratione perfici sacrificium n. 415. Atqui vi consecrationis non solum ponuntur corpus et sanguis Christi distinctim sub

---

lungsworte in Form der Trennung, in forma sacrificii sich auf dem Altare gegenwärtig setzt, vollzieht er auf dem Altare, also zeiträumlich, dem Wesen nach ganz denselben Opferact, welchen er einst am Kreuze vollzog und welchen er jenseits im himmlischen Opfer vollzieht. Es ist derselbe Opferpriester wie am Kreuze, dasselbe Opferobject, nämlich seine hl. Menschheit nach Seele und Leib, dieselbe Opferthat actuell festgehalten und beziehungsweise reproduzirt. Im Moment der Consecration ist Jesu Seele von dem wesentlich gleichen Opfergehorsam und Entsagungsgeiste bewegt wie damals, als der Heiland am Kreuze hing und im sinnfälligen Blutvergiessen seinen Opfergehorsam bethätigte und manifestirte: dessgleichen ist im Momente der Consecration jede Faser des Leibes Jesu von der wesentlich gleichen Opferliebe durchglüht, welche als brennender Schmerz in allen Fibern des am Kreuze hängenden Opferleibes glühte und brannte. Und um den Gläubigen zu verbürgen und soweit möglich für die Sinne darzustellen, dass in der Consecration dem Wesen nach das Gleiche geschehe wie damals, wo der Heiland sein Blut vergoss, wird er in der Consecration nicht etwa blos unter der Brodgestalt, sondern wird er in der Form der Trennung gegenwärtig.“ Quam sententiam probant quoque Simar Lehrb. der Dogmatik § 155 et Bickell Zeitschr. für kath. Theologie 1880 pag. 109 s., fuse vero refellit Stentrup de Verbo incarn. p. II. th. 93.

[1]) Quod ita enunciat, dignius forte, em. card. Franzelin th. 16: „Internam sacrificii formam in eo esse, quod Christus magnus sacerdos per ministerium sacerdotum ejus nomine offerentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quandam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus exsistendi connaturalibus exinanitionem ad statum cibi ac potus.“

speciebus panis et vini, sed etiam per modum cibi et potus, ut possint in animae refectionem sumi. Quam sententiam **e.** patres innuunt, cum immolationem distinguunt a manducatione et participatione sacrificii, ita ut immolatio praecedat tamquam praeparatio cibi hujus divini ac potus: manducatio cibi immolatione praeparati sequatur tamquam victimae participatio: atque ideo victima immolata ordinetur ad manducationem ac potionem.

Ita Hieronymus ep. 21 n. 26: „Vitulus saginatus, qui ad poenitentis immolatur salutem, ipse est Salvator, cujus quotidie carne pascimur, cruore potamur.“ — In primis Gregorius nyss., qui citato Joan. 10, 18: *Nemo tollit animam meam a me* etc., ita de resur. or. 1 prosequitur: „Qui potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non judaeorum quasi praedonum impetum, non iniquam Pilati sententiam exspectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa: sed consilio suo antevertit et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat seipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul exsistens et agnus Dei ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte ostendit Agni sacrificium jam esse perfectum; non enim esset corpus sacrificii ut comederetur idoneum, si animatum esset. Quando ergo corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam ineffabili et inaspectabili ratione corpus erat immolatum, sicut potestati ipsius mysterium peragentis collibuerat.“ — Gaudentius brix. serm. 2 in Ex. ad neophytos: „In hac veritate, qua sumus (comparate ad umbras V. T.), unus pro omnibus mortuus est, et idem per singulas ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus.“ — Gregorius M. (n. 431); P. Radbertus de corp. et sang. D. c. 9.

420. **Scholion.** *Quaestiones reliquae.* — Ad accuratiorem hujus sacrificii cognitionem nonnulla sunt addenda:

1. Victima et res primo et per se oblata est Christi Domini corpus et sanguis ac consequenter totus Christus, non quidem in specie propria, sed quatenus constituitur sub speciebus panis et vini.

2. Species ipsae non sunt res, quae per se offeruntur, sed per quas corpus et sanguis Christi seu victima fit sacrificium visibile.

3. Substantia panis (et vini) pertinet ad hoc sacrificium ut materia sine qua non potest perfici seu ut terminus a quo, plane necessarius ut prodeat sacrificium veluti e sinu Ecclesiae, ut significetur cooblatio corporis Christi mystici, quod panis symbolice repraesentat, cum vero Christi corpore, in quod ille transit actione sacrificiali, ut qua victima constituatur sub ejusdem speciebus: atque ita sunt intelligendi patres, quando docent in eucharistia primitias ex creaturis panem et vinum Deo offerri.

4. Quamvis in consecratione unius speciei reperiatur sufficiens aptitudo, ut in sacrificium institui potuisset (cf. n. 419), ex dictis tamen n. 417

col. n. 402 infertur, sacrificio a Christo instituto essentialem esse distinctam panis et vini consecrationem. Hinc non desunt theologi, qui cum Lugo d. 19 s. 8 putent, consecrationem unius speciei exclusa intentione consecrandi alteram fore invalidam, eo quod Christus dederit consecrandi potestatem tantum in ordine ad sacrificandum; sacrificium autem modo consistat essentialiter in consecratione utriusque speciei [1]).

5. Propter identitatem rei oblatae et principis sacerdotis in sacrificio crucis et sacrificio missae dici forte potest, idem esse quadamtenus sacrificium utrumque [2]), diversum autem secundum quid: est enim diversitas **a.** in modo offerendi; **b.** in offerente: nam in ara crucis solus offerens Christus fuit; in missa est ipse quidem sacerdos principalis, sed per hominem, qui est sacerdos verus, etsi subordinatus et ministerialis, et cooffe-rentes sunt omnes, qui ad Ecclesiam pertinent, aliter tamen atque aliter; est et **c.** diversitas in re oblata: „quatenus in missa secus ac in cruce, mysticum corpus Ecclesiae, sin minus physice, at certe affectu et significatione, pertinet ad id quod offertur. Quisquis enim in sacrificio offert victimam, offert eam ut vicariam sui intendens exprimere interiorem submissionem atque absolutam devotionem, qua vult ipsemet spiritualiter in Dei honorem consumi. Si ergo, ut dictum est, Ecclesia in missa se habet ut offerens, pariter se habet ut oblata, utique in unione cum capite suo [3])". Est et **d.** diversitas in effectu, qui illic est meritum et satisfactio pro toto mundo, in hoc sola meriti satisfactionisque applicatio pro iis, qui sunt de Ecclesia. Cum vero distinctio desumatur in primis ex oblationis forma, sacrificium missae a sacrificio crucis specie differre affirmare licet.

6. Cum distinctio numerica sacrificii desumatur potius a multiplicatione actionis sacrificialis quam a victimarum distinctione, sacrificium

---

[1]) De quaestione, num consecratio utriusque speciei sit de valore hujus sacrificii, cf. Schmid Zeitschr. für kath. Theol. 1892 XVI, 97—119.

[2]) Chrysostomus hom. 17 in ep. ad Hebr. n. 3: „Eundem enim semper offerimus, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eandem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem: alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus, et non multa corpora: ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui obtulit hostiam, quae nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus, quod tunc factum est: *Hoc enim facite*, inquit, *in meam commemorationem* (Luc. 22, 18). Non aliam hostiam, sicut pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem.' Cf. Becanus de triplici sacrificio III, 2. Suarez disp. 75. 76; Stentrup th. 89.

[3]) Billot de sacr. in praeamb. ad 3 p. q. 82. 83 § 3. Qua de re egregie disserit Scheeben Mysterien § 72. Saepe etiam s. Augustinus ad hanc cooblationem corporis Christi mystici in sacrificio missae respicit, ut de civ. Dei X, 20 etc.

crucis, coena et altaris, et quotidianae oblationes simplicitur numero dici debent sacrificia distincta, non autem sacrificium numero unum, nisi cum addito, ratione victimae et principis sacerdotis.

421. **Corollarium.** *De missis privatis.* — Cum ex dictis liqueat, populi participationem de victima nullatenus ad sacrificii pertinere essentiam, praxi vero Ecclesiae jam veteris constet, eucharistiae sacrificium fuisse celebratum, etsi non semper adstantes de victima participarent: non est cur adversarii damnent qua illicitas vel etiam invalidas eas missas, in quibus nemo est, qui praeter sacerdotem sacramentaliter communicet. Ceterum concilium trid. etsi s. 22 cap. 6 optat, »ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret;« ib. tamen adversus Lutherum, qui maxime in missas, quas privatas dicunt, invectus est, can. 8 statuit: »Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas, A. S.« Cum vero et synodus pistoriensis prop. 28 videretur reprobare missas, in quibus nemo communicat, declaravit Pius VI: »Propositio synodi, qua postquam statuit, ‚victimae participationem esse partem sacrificio essentialem', subjungit, ‚non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant; ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo'; quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet: falsa, erronea, de haeresi suspecta eamque sapiens.« Porro missa dici privata potest ratione loci, temporis, finis, paucitatis adstantium, ad oppositionem missae sive conventualis sive solemnis, quod nullus communicet etc.; verum ea semper characterem quendam publicum retinet, quatenus a ministro publico, nomine Ecclesiae et pro omnibus fidelibus, qui ad eam pertinent, offertur.

422. **Thesis CCXXXVII.** ***Christus est in eucharistiae sacrificio sacerdos offerens principalis: secundarius vero et ministerialis est solus et omnis sacerdos legitime ordinatus.***

Declaratio p. I. Christum in sacrificio missae offerentem esse principalem, docet concilium trid. sess. 22 cap. 2. Ut vero dici possit offerens principalis, non sufficit, quod ipse vel hoc sacrificium instituerit, vel jusserit illud offerre, vel ad consecrationem, qua sacrificii essentia continetur, physice concurrat, vel quod illius vis et efficacia in ipsius meritis fundetur: sed requiritur, ut sacerdos illud conficiat in persona Christi et tamquam legatus ipsum repraesentans: et ut Christus ipse concurrat actu voluntatis suae, quo vult de praesenti, ut verba consecrationis, quae sacerdos in ipsius persona pronunciat, id operentur, quod significant. Cf. Suarez d. 77 s. 1; Stentrup th. 88.

422ª. **Demonstratio p. I. 1.** Probatur vero assertio ex Christi sacerdotio aeterno secundum ordinem Melchisedech. Si enim qua sacerdos

secundum ordinem Melchisedech sacrificium eucharisticum obtulit; qua sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, illud usque ad seculi consummationem (cf. t. II n. 669 s.) offeret. **2.** Sacrificii eucharistici essentia consistit in consecratione (n. 416). Atqui in consecratione, maxime sacerdos minister propriam exuit personam atque personam induit Christi dicens: *Hoc est corpus meum,* quibus consecratio perficitur (n. 445 s.). Hinc **3.** patres testantur, Christum seipsum in hoc offerre sacrificio (n. 407 [5]). Accedit **4.** analogia cum sacramentis, in quibus princeps est minister (n. 260) et ipsa sacerdotii in Ecclesia indoles. Sunt quidem homines sacerdotes, sed simul ministri, vices Christi gerentes et pro ipso fungentes legatione. Quare ipse Christus princeps est sacerdos.

423. **Demonstratio. p. II.** Solos sacerdotes posse hoc sacrificium offerre, enunciatur in professione fidei ab Innocentio III. waldensibus praescriptae: „Firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter a visibili tangibili episcopo regulariter ordinatus . . . Ideo firmiter credimus et fatemur, quod quicunque sine praecedenti ordinatione episcopali credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiae facere, haereticus et perditionis Core et suorum complicum est particeps atque consors et ab omni sancta romana Ecclesia segregandus [1])."

1. Colligitur haec veritas ex nexu inter sacrificium et sacerdotium; quorum unum alterum supponit (cf. t. II. n. 639);

2. ex luculenta Ecclesiae doctrina et praxi, quae ministros presbyteris inferiores a missae oblatione vel in necessitate gravissima arcet.

Ita in can. 8 conc. nicaeni legimus: „Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus presbyteris gratiam sacrae communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec consuetudo tradit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, corpus Christi accipiant." Cum Athanasius ab arianis accusaretur sacrilegii, quod eo instigante, cum Ischyras sacrificium celebraret, confractus fuerit calix, omnis dissipata fuit accusatio semel ac constitit, Ischyram non fuisse presbyterum: qua de re ita apud Hilarium legimus [2]): „Reus (Athanasius ab arianis) presbyteri sui impetu disturbati altaris in ipso sacrificiorum tempore, ubi Scyrus presbyter assistebat, arguitur. Scyrus presbyter negatur et criminis falsitas

---

[1]) Cf. etiam conc. lateranense IV. cap. 1 „Firmiter"; Eugenius IV. in instruct. pro armenis; conc. tridentinum sess. 22 can. 2.

[2]) In fragmento 2 n. 16. Cf. etiam ep. concilii alexandrini apud Athanasium apol. 2 contra arianos. Cf. de Augustinis p. 2 a. 5 th. 11; in primis vere Petavius in diatriba, de potestate consecrandi et sacrificandi sacerdotibus a Deo concessa, in qua refellit H. Grotium, qui in diss. edita 1637 contenderat, consecrandi dominici corporis potestatem ex aequo christianis omnibus a Christo esse concessam, sed ita, ut laici extra necessitatis casum eam minime usurpent.

cum auctore damnatur. Porro autem sacrificii opus sine presbytero esse non potuit.« — Ita etiam Hieronymus adversus luciferianos: »Hilarius, inquit n. 21, cum diaconus de Ecclesia recesserit . . . neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens.« Neque tam facile fideles eucharistiam secum domum tulissent, si et laici potuissent consecrare.

3. Probatur ex ordinationibus ministrorum Ecclesiae; nulli enim ministrorum sacerdotibus inferiori tribuitur haec potestas, sed solum ministrandi munus in confectione tanti mysterii. Cf. Schanz § 32.

Articulus III.

De sacrificii missae efficientia.

424. **Thesis CCXXXVIII.** ***Sacrificium missae non tantum latreuticum est et eucharisticum, verum etiam propitiatorium et impetratorium.***

Demonstratio pp. I, II et **III.** Sacrificium missae esse latreuticum patet ex sacrificii notione (n. 400; t. II n. 631); esse eucharisticum ex ipso nomine et haud aegre concedent protestantes. Praecipua controversia inter eos et catholicos est, sitne etiam propitiatorium. Quam diremit concilium trid. sess. 22 can. 3: „Si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, A. S.“ Est autem propitiatorium, quatenus per ipsum satisfactio sacrificii crucis iis applicatur, pro quibus illud offertur, ad obtinendam peccatorum poenarumque remissionem: seu quatenus per ipsum fit, docente eodem concilio cap. 2, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. „Cujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.“

425. **1.** Probatur ex eo doctrinae capite, quod hoc sacrificium successerit sacrificiis V. T. Quocirca, ut ait s. Leo serm. 58 (cf. n. 407[3]), „omnem differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis complet oblatio.“ Atqui sacrificia V. T. in primis pro peccatis offerebantur. Ergo oblatio eucharistica erit propitiatoria; eoque magis quod in genere N. T. praecellat vetus, et in specie corpus Christi quamlibet animalium victimam. „Illis sacrificiis, inquit Augustinus in Levit. q. 57, quae pro peccatis offerebantur, unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.“

2. Secundum Hebr. 5, 1 sacerdotis est offerre sacrificia pro peccatis. Atqui in N. T. verum est sacrificium; veri sunt sacerdotes. Ergo Christus

‚cum oblatus est et quotidie in suis sacramentis offertur, remissionem praestat praeteritorum et praesentium peccatorum," teste M. Mercatore l. subnotat. c. 8 n. 23; hinc Christus ipse testatur, calicem eucharisticum effundi *in remissionem peccatorum* Luc. 22, 20.

3. Accedit solemnis fides non solum theoretica, sed et practica totius antiquitatis. Finis enim, propter quem antiquitas sacrificium obtulit, colligi debet ex liturgiis, in quibus clarissime offerentis intentio exprimitur. Atqui nulla est liturgia, in qua non haec vel gemina legantur: „Offerimus tibi hoc incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi," ut in liturgia s. Jacobi et Chrysostomi.

Ita instruit Cyrillus hieros. cat. mystag. 5 n. 10 recens baptizatos: »Deinde et pro defunctis ss. patribus et episcopis et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt (oramus); maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio detertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. Hujus rei fidem vobis ab exemplo facere volo. Novi enim multos ita dicere: Quid juvat animam ex hoc mundo in peccatis seu sine peccatis decedentem, si ejus in oratione mentio fit? An vero si rex quispiam viros, a quibus offensus fuerit, relegavit in exsilium; posteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerint: nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis (defunctis), tum pro nobis demereri et propitiare satagentes.« Unde colligimus, sacrificium hoc propitiatorium esse non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis. — Praeclare etiam Gregorius M. hom. 37 in Evang. n. 7: »Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis et benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur, quia is, qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per haec in suo mysterio pro nobis patitur. Nam quoties ei hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.« Cf. infra n. 431. — Pulcherrime characterem propitiatorium, qui eucharistiae inest, expressit Cyrillonas in hymno in festum omnium sanctorum (c. a. 396) ed. Bickell p. 21: »Parce virgae, nam tecum sum unitus: si caedis, te ipsum percutis. Corpus enim tuum in me est, ne permittas ut injuria afficiatur: mysteria tua me sunt ingressa, ne eis illudatur, velis.« Et in hymno panegyrico in triticum hoc ei tribuit elogium: »Sine ipso (tritico) vacua essent altaria; sine ipso Spiritus s. non posset descendere; sine ipso sacerdos non posset offerre sacrificium propitiatorium, imo sine ipso nullus hominum par esset placandae divinitati (ib. pag. 59).« — Et Isaac antioch. carm. 20: »Haec (gratia) medica vidit, medicamentum vitulorum, quod ad remissionem peccatorum dederat, aegrotos peccatores non sanare, ideoque tandem dedit medicinam eucharistiae, quae infirmos sanat, mortuos vivificat, vulnera curat. Quamquam per vitulos debitum non dimittebatur, per eucharistiam manducatores justificantur. Aegroti, nolite abstinere a medicina spirituum. Corpus vivum non est tale sacrificium, quod manducantibus molestiam afferat, sed est medicamentum morbo nostro salutiferum a vero medico nobis donatum. Sacrificia nos non expiaverunt, nec hirci nos justificaverunt, sed hoc pro illis nos justificat.« Ita in edit. op. omnium

cur. Bickell Giessae 1877 p. II pag. 31. Cf. carm. 35 ib. p. 215; Bellarminus VI, 1 ss.; Franzelin th. 12.

426. **Demonstratio p. IV.** Iisdem fere argumentis probatur, hoc sacrificium impetratorium quoque esse: scil. tum ex sacrificiis V. T., inter quae fuere impetratoria; tum ex liturgiis, ex quibus liquet, vere testari Cyrillum ib. n. 8: „Super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, pro his, qui afflictionibus premuntur; et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus.“ Idem infertur a fortiori; si enim sacrificium hoc Dei inimicis impetrat remissionem peccatorum, a fortiori impetrabit Dei amicis, quod est minus, varia quibus indigent beneficia.

427. **Scholion I.** Quaestio *de efficacia et fructu sacrificii missae* haud parum est implexa[1]): distinguere enim possumus **a.** ejus valorem seu pretium et effectum; **b.** varios offerentes, scil. Christum, Ecclesiam, sacerdotem ministrum, fideles adstantes et aliquo modo ad sacrificium concurrentes; **c.** efficaciam ex opere operantis et ex opere operato[1]); **d.** fructum propitiationis et impetrationis; et denique **e.** alia atque alia subjecta, quibus sacrificium applicari potest. Quibus praemissis in genere affirmare licet hoc sacrificio jugiter continuari et adimpleri quod cecinerunt angeli occasione nativitatis Christi: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. 2, 14). Pro multiplici tamen distinctione, quam innuimus, aliae atque aliae enunciari possunt propositiones speciales. Ut ergo ordine procedamus,

1. statuimus sacrificium hoc esse in primis actum cultus, qui, quatenus consideratur Christus offerens, aestimationis est infinitae: repetitur enim eo adoratio et laus semel exhibita in cruce divinae majestati condigna: quatenus vero considerantur homines offerentes pariter ratione rei

---

[1]) Fuse hoc argumentum qq. 1347 prosequitur Pasqualigo in op. de sacrificio N. L. quaestiones theologicae, morales, juridicae, Lugduni 1630.

[2]) Bene notat Billot de sacr. in praeambulis ad q. 82. 83 § 2, locutionem „ex opere operato“ aliter adhiberi quoad sacramenta et quoad sacrificium. Recte quippe dicitur sacramenta conferre, operari etc. gratiam (n. 258[2]), „de sacrificio autem loquens, non recte quaereres, utrum aliquid efficiat ex opere operato, sed melius, utrum valorem habeat latreuticum vel impetratorium ratione tantum habita devotionis hominum offerentium, an etiam independenter a devotione illa ex hoc solo, quod valide peragitur conforme ad legem institutionis suae“. In hac praerogativa ratione principalis offerentis et victimae pretiosissimae quam maxime distinguitur sacrificium missae a sacrificiis V. T. Hinc docet conc. tridentinum sess. 22 cap. 1: „Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest“.

oblatae aestimationis est supremae. Unde homines hoc sacrificio plenissime et condigne satisfacere possunt suo d e b i t o adorandi et colendi Deum eique gratias referendi: quod vel solum nobilissimus summique pretii est fructus hujus sacrificii. Eo ipso autem quod hoc sacrificio nobilissimus Deoque gratissimus exhibetur cultus, erit illud

2. utilissimum hominibus: fons enim exsistit uberrimus gratiarum et benedictionum pro genere humano, ut vel exinde luculentissime patet, quod hujus sacrificii victima cedit fidelibus in cibum vitam aeternam elargientem estque sacramentum omnium praestantissimum gratiis redundans: hinc mediante sacramento causa est omnium effectuum, qui eucharistiae sacramento competunt. Hic duplex fructus non satis inculcari solet, cum sermo est de sacrificii missae fructibus.

3. Statuimus hoc sacrificium ex parte Christi modo non esse meritorium et satisfactorium, cum ipse non amplius sit in statu viae; verum per illud totam satisfactionem meritumque crucis sacrificio consummatum valoris infiniti renovata oblatione Deo Patri repraesentat et exhibet atque hominibus a p p l i c a t.

4. Sacrificium missae, quatenus ab Ecclesia per sacerdotes offertur, non quidem satisfactorium vel meritorium est, sed i m p e t r a t o r i u m semperque acceptatur a Deo in odorem suavitatis: et quia haec impetratio independens est a qualitate morali ministri, sub hoc respectu dici poterit quadamtenus ex opere operato; in quantum vero refertur ad Ecclesiam offerentem, quamvis specialem vim trahat ex dignitate victimae qua nititur, dici debet ex opere operantis.

5. Sacrificium missae tam ex parte sacerdotis quam etiam adstantium et cooperantium est meritorium et satisfactorium ex opere operantis (si debitae adsint conditiones). Et sane justi si quolibet bono opere merere et satisfacere possunt, eo efficacius id poterunt, quo praestantius est opus cui incumbunt. Atqui praestantissimum opus est oblatio sacrificii et oblatio talis sacrificii.

6. Hoc sacrificium ex parte sacerdotis et adstantium est speciali modo impetratorium ut patet ex dictis n. 426 et ex rei natura. Si enim jam oratio fidelium est impetratoria: quanto magis si adjunctam habet victimam Deo adeo gratam eique innititur. Quod vero vim impetrandi attinet, prae oculis habeantur quae sagaciter statuit S u a r e z disp. 79 s. 2. Modus enim efficaciae seu impetrationis et effectus inde proveniens multis modis differt a causalitate et effectu ex opere operato: nam **a.** haec oritur ex speciali promissione et institutione Christi; specialis vero illa impetrandi vis veluti ex rei natura, ex sanctitate scil. et praestantia sacrificii; **b.** illa est determinata ad certum effectum, haec infinite patet et ab offerente pendet ad quem effectum impetrandum sacrificium offerre velit:

illa **c.** est infallibilis: impetratio vero etsi sacrificio missae suffulta non infallibiliter semper obtinet id, quod homo impetrare nititur; **d.** causalitas sacramentorum est independens ab intentione ministri: impetratio vero si homo nihil impetrandum sibi proponat, est nulla.

428. **II.** Quaeritur num sacrificio missae competat effectus seu fructus aliquis ex opere operato. Respondendum est affirmative. Hoc enim **a.** supponit conc. tridentinum specialem tribuens efficaciam et virtutem sacrificio missae. Idem exigit **b.** sensus Ecclesiae, quae tenet illius efficaciam independentem esse a meritis sacerdotis, quamvis et hujus devotio ipsius fructum possit augere. Idem **c.** inde probatur, quod alioquin indifferens esset pro aliquo offerre communionem aliaque bona opera vel missam: neque magis fructuosum esset reipsa hoc sacrificium offerre quam privata devotione sacrificium crucis mentaliter recolere et pro aliis offerre, quod est contra omnem fidelium sensum.

Quod si quaeras, quinam sit is effectus seu fructus ex opere operato, cavendum est, ne sacrificium hoc aequiparemus sacramentis, neque enim ipsius effectus est immediate et ex opere operato remittere peccata gravia ideoque infundere gratiam primam. Quare propitiatorium dicitur efficientia tantum mediata justificationis, quatenus scil. Deus hac oblatione placatus gratiam poenitentiae concedit, ut hunc effectum explicat conc. tridentinum (n. 424), atque etiam catechismus tridentinus hisce verbis (p. 2 c. 4 q. 55 n. 1): „Eucharistia instituta est, ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, et coelestis Pater, sceleribus nostris saepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justae animadversionis severitate ad clementiam traduceretur."

Quomodo autem ratio propitiationis, quam huic sacrificio adscribit concilium l. c., differat ab impetratione eidem propria, hunc in modum praeclare explicat Franzelin th. 13: „Peccata scil. ... causa sunt, cur justitia divina uberiores gratias subtrahat, quas, nisi peccata obstarent, divina bonitas concedere vellet. Jam per sacrificium, quo satisfactio in cruce consummata pro determinatis peccatoribus divino conspectui exhibetur, et ita eis specialiter applicatur, haec justa ira Dei placatur, ne poenam inferat subtractionis gratiarum, quam proinde placationem consequitur divina misericordia et liberalitas in concedendis gratiis abundantioribus, et per has ulterius, accedente hominis cooperatione, perficitur poenitentia et justificatio. Propitiatio igitur respicit directe placandam divinam justitiam, ne poenam inferat: impetratio divinam bonitatem ac misericordiam, ut beneficia concedat [1])." Per se autem patet, quo plura sunt peccatoris scelera, quo minor ejus dispositio, eo magis commendari, ut sacrificii pro eo oblatio multiplicetur. Propitiatio autem pro

---

[1]) Cf. Lugo disp. 19 s. 9; Becanum c. 25 q. 10 ss.; Lessium XII, 14; Specht, die Wirkungen des eucharistischen Opfers: Gihr das hl. Messopfer § 17 s.; Stentrup de Verbo incarn. II. thes. 111 ss.

peccatis gravibus est quidem ex opere operato: sed considerato ultimo, ad quem tendit termino, qui est actualis peccatoris conversio et justificatio, minime est infallibilis.

Circa culpas veniales idem videtur tenendum, sacrificium scil. missae ex opere operato ad eorum remissionem non immediate, sed mediate per placationem divinae justitiae conferre, ne scil. in earum poenam uberiores gratias neget, sed concedat eas, quibuscum homo cooperans poenitentia earum remissionem consequatur. Etsi vero ex sese neque peccata delet neque gratiam sanctificantem infundit, tenendum tamen est, illo poenas peccatis debitas, supposito statu gratiae et si non obest obex, immediate ex opere operato remitti exhibita Deo satisfactione Christi. Quo gradu autem eas remittat, definire non possumus.

429. **III.** Quaeritur *num effectus sacrificii missae*, qui, quatenus illud est impetratorium et satisfactionis applicatio, actu et in se est finitus, saltem *extensive sit infinitus,* ita scil. ut effectus non dividatur, sed multiplicetur pro numero eorum, pro quibus offertur, adeo ut singuli eundem consequantur fructum, quem unus accipit, pro quo offertur: quemadmodum sol ex aequo omnes illuminat sive pauci sive multi adsunt. Nonnulli tuentur cum Vasquez in 3. p. d. 231 c. 3, effectum missae multiplicari pro numero eorum, pro quibus ea offertur, quicunque is demum sit, nec minui fructum unius ex aliorum consortio; alii negant, quam sententiam Lugo vocat communiorem et veriorem; Scotus distinguit quodl. 20 duplicem fructum: primarium, qui speciali intentione sacerdotis applicatur, et hunc dicit limitatum dividique inter plures; et secundarium, independentem a sacerdotis applicatione, quem illimitatum censet. Melius tamen distinguit Suarez inter offerentes et eos, pro quibus offertur, atque has statuit d. 79 s. 12 propositiones:

„Dico **1.** quando plures offerentes concurrunt cum sacerdote ad idem numero sacrificium, omnes et singuli, quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, non minorem, quam si unus tantum esset offerens; unde in hoc sensu fructus hujus sacrificii potest quodammodo dici infinitus vel potius augmentabilis in infinitum extensive.“ Quae assertio videtur evidens, alioquin dicendum foret, concursum adstantium, qui sane cedit in majorem Dei gloriam, cedere in ipsorum damnum.

„Dico **2.** effectus sacrificii respondens oblationi sacerdotis, ut sic, quem ipse potest pro aliis offerre, finitus est et unus tantum. Unde si pro multis offeratur . . . . minuetur fructus in singulis.“ Haec assertio pariter videtur evidens. Si enim tantum prodesset sacrificium singulis ex multis, quantum uni soli, pro quo offertur, male agerent sacerdotes, si illud offerrent pro uno tantum; nec esset ratio, quare non possent unico missae sacrificio innumeris satisfacere obligationibus, quibus tenentur vel ex obedientia vel ex justitia pro determinatis personis sacrificium missae offerre.

Addimus **3.** haud immerito statui, adstantes eo plus sacrificii fructus reddi participes, quo magis intentione, spiritu et fervore se in offerendo adjungunt Christo sacerdoti principi et sacerdoti ministro seque ipsos reddunt hostiam viventem, sanctam, Deo placentem Rom. 12, 1. Cf. n. 431.

430. *Triplex missae fructus.* — Ex dictis liquet, non inanem esse theologorum distinctionem, qua triplicem hujus sacrificii fructum distinguunt, nimirum generalem, specialem, specialissimum. Generalem post Scotum theologi illum nominant, qui respondet sacrificio eucharistico, ut offertur ab Ecclesia seu a sacerdote nomine Ecclesiae. Nam sacrificium cedit non solum in honorem Dei, sed et in utilitatem offerentis, praesertim si eam intendit. Quare oblationi sacrificii eucharistici, quatenus offertur a sacerdote nomine Ecclesiae, respondebit fructus, qui in utilitatem cedet ipsius Ecclesiae seu fidelium. — Fructus vero ille, qui sacrificio respondet eucharistico, quatenus speciatim pro determinatis personis ad determinata bona obtinenda pro more Ecclesiae a sacerdote offertur, specialis vel etiam medius appellatur. Hujus distributio vel applicatio pendet a sacerdotis arbitrio, cui sacrificii oblatio speciatim est commissa. — Demum et fructus respondebit ipsi sacerdoti, cum ipse solus proprie offerat, qui neque communis est, neque communicabilis censetur, hinc merito specialissimus dicitur.

431. Absolvamus jucundissimum hoc argumentum gravibus s. Gregorii M. verbis dial. IV, 58, 59: „Debemus itaque praesens seculum, vel quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis ejus et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur et mors ei ultra non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo J. Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed necesse est, ut cum haec agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus.«

432. **Scholion practicum.** Post tam praeclara ss. patrum testimonia de eucharistiae praestantia deesse non poterit materia concionis de hoc ss. sacramento. Quare sufficiet quaedam tantum innuisse.

I. Huic sacramento accommodari possunt Ps. 110, 4. 5: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Est enim **1.** eucharistia memoria mirabilium divinorum, splendidissima perfectionum divinarum manifestatio:

a. charitatis: *Cum dilexisset suos ... in finem dilexit eos* Joan. 13, 1, institutione hujus sacramenti supremum charitatis gradum (finem) attigit: quid enim se praestantius potuit dare: seque dedit cum tanta sui exinanitione, cum tanta eum ex parte nostra accipiendi facilitate (n. 349):

b. providentiae erga nos paternae magis quam miraculosa largitione manna in deserto: *Non Moyses dedit vobis panem de coelo: sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum ... Patres vestri manducaverunt manna in deserto*

et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur Jo. 6, 32. 49. 50 (n. 389 a.). Hoc cibo suffulti securi perveniemus ad terram promissionum.

c. Sapientiae, quae per illam invenit modum, quo semper possit esse nobiscum, quin fidei meritum minuatur, imo potius augeatur: et ita adimplere promissum Zach. 2, 10: *Lauda et laetare filia Sion: quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus:*

d. omnipotentiae, est enim eucharistiae sacramentum mirabilium seu miraculorum summa, ut patet ex n. 348. 363[3].

2. Eucharistia mirabilium est memoria **a.** ob miram analogiam inter ipsam et incarnationis mysterium, ut pluribus ostendimus n. 327;

b. quia per illud incarnatio quadamtenus continuatur, ut ib. diximus;

c. quia Christus opus, quod visibilis in terris degens inter judaeos egit, in ea quoad singulos continuat; per illam enim ad singulos venit, singulos solatur, roborat, adjuvat, se singulis Salvatorem exhibet (n. 328);

d. quia speciatim est commemoratio sacrificii cruenti Christi in cruce: et quidem tam mirabilis et efficax, ut per ipsam fructuum illius fiat applicatio n. 428; alatur in Ecclesia spiritus sacrificii n. 389. 405[3].

433. **II.** Quod est cor in corpore pro vita humana, est hoc sacramentum in corpore Christi mystico pro vita supernaturali. Sicut enim ex corde redundat in singula corporis membra sanguis, quo ea foventur, vivificantur, aluntur: ita ex hoc sacramento alitur vita supernaturalis et christiana. Et quotuplici modo fovet hoc sacramentum vitam supernaturalem? Proderit haec expendisse, ut liqueat, quomodo et in hoc sacramento constituerit Christus fontem aquae salientis in vitam aeternam Jo. 4, 14, ut hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris Is. 12, 3. Fovet hoc sacramentum vitam supernaturalem eam tuendo, augendo, explicando.

1. Tuendo quatenus **a.** praeservat a peccatis, morte spirituali, instar illius ligni vitae positi in paradiso, de quo si sumpsisset Adam, vixisset in aeternum Gen. 3, 22 (t. II. n. 335). Hinc illa Christi verba Jo. 6, 54: *Nisi manducaveritis ... non habebitis vitam* n. 387; **b.** protegendo a daemonum insidiis instar sanguinis agni paschalis, quo viso in aedibus israelitarum transiit angelus, qui aegyptiorum primogenita interfecit Ex. 12, 13 n. 350[a]. 387; **c.** alliciendo in nostram tutelam angelos.

2. Fovet eucharistia vitam gratiae eam **a.** augendo quoties digne suscipitur; aucta gratia **b.** intenduntur virtutes, quae eam consequuntur, multiplicantur gratiae auxilia; neque mirum **c.** cum arctius semper per eam uniamur ut palmites cum Christo vite, ut membra cum Christo capite, ex quo omnis virtus dimanat n. 335[4]; atque ita **d.** crescimus ac confortamur in Domino, non secus ac cibis homines secundum corpus crescunt et roborantur, magisque semper **c.** transformabimur in Christum secundum Augustini verba n. 387[2].

3. Fovet eucharistia vitam gratiae eam excitando ut ventus flammam ignis, ut se evolvat et explicet exercitio virtutum, nam sponte sua provocat **a.** ad exercitium fidei, est enim eucharistia vere mysterium fidei n. 352, quam probat, acuit, illuminat n. 327[7]; roborat **b.** ad strenue subeunda certamina pro fidei professione, imo vel ad martyrium n. 389; alit **c.** spem: si enim Christus per eucharistiam totum se nobis tradit, quomodo non etiam omnia quibus ad salutem indigemus, in ea et per eam nobis donabit Rom. 8, 32?

et hinc merito dicitur pignus futurae gloriae n. 389 atque gloriosae resurrectionis n. 355[6]. 390; accendit **d.** ut per se patet cordialem erga Christum charitatem n. 349; 387[3], atque **e.** promovet charitatem fraternam ib.; provocat **f.** ad opera misericordiae et omnis generis sacrificia n. 389; animat **g.** cultum tum privatum, tum publicum. Tolle enim ex templis altaris sacramentum et illico cessabit illorum per diem frequentia: quid enim quavis hora, imo per diem et noctem attrahit magnetis instar tot animas devotas ad invisendas ecclesias quam Jesus in ss. sacramento? languescet orationis et meditationis studium; familiaris cum Deo conversatio tepescet. Tolle ex Ecclesia altaris sacrificium, ad nihilum redigetur cultus Dei publicus, cum ad illius celebrationem non solum diebus dominicis et festis, sed et per hebdomadam frequens accurrat populus ad Deum colendum n. 408[4]; non amplius erigentur tam splendida templa, non amplius certabunt artes in Dei honorem n. 325[2]; ad hominum cultum, naenias vel fabulas mythologicas repraesentandas vel glorificandas etc. deficient. Excitat **h.** ad fovendam puritatem, nam tantum puri a peccato gravi sacramentum illud recipere possunt; ad sanctitatem, nam ‚sancta sanctis' n. 350. 385; ad colendam virginitatem, est enim eucharistia *frumentum electorum et vinum germinans virgines* Zach. 9 17. Provocat **i.** ad tot aliarum virtutum imitationem, quarum tam illustre specimen in hoc ipso sacramento Christus nobis exhibet. Merito ergo dixit Christus: *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me* Jo. 6, 58.

434. **III.** Quod si eucharistia consideratur ut sacrificium, illius praestantia commendari potest ex quadruplici capite, ut satis innuimus n. 328[10], cui adde et quintum momentum, illius principem ministrum esse ipsum Christum n. 422. Quare nobis magnopere est laetandum, quod Deum colere, placare et ei pro acceptis beneficiis gratias agere possumus sacrificio ei condigno. Obtinet et hic illud „tibi sine te placere non possumus" (n. 316). Cf. n. 405. 424—27.

Sectio IV.

De sacramento poenitentiae.

435. De illo jam agendum est sacramento, quod praefiguratum in sacerdotum de lepra judicio (Lev. 14 s.); adumbratum in resuscitatione Lazari, quem Christus divina quidem virtute suscitavit [1]), a vinculis vero solvendum tradidit apostolis Jo. 14, 44; institutum demum fuit, cum Christus a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Jo. 20, 22 etc.). Ut vero doctrina catholica de sacramento poenitentiae conc. tridentini sess. 14 comprehensa plene tradatur, necesse est

1. comprobare, Christum Ecclesiae suae contulisse potestatem remittendi retinendique peccata fidelium post baptismum contracta;

---

[1]) De adumbratione hujus sacramenti in mundatione leprosorum et mortuorum resuscitatione praeclare disserit Wiseman Abhandl. über verschiedene Gegenstände I, 177 ss.

2. hanc potestatem Ecclesiam exercere non posse, nisi triplex a peccatore ponatur actus: scilicet cordis contritio de peccatis, oris confessio, operis satisfactio re praestita vel saltem proposito;

3. ritum, qui hinc quidem absolutione sacerdotis, inde vero poenitentis contritione, confessione et satisfactione continetur, veri nominis esse sacramentum peccatori baptizato ad salutem necessarium.

4. His addenda sunt, quae ex praescripto doctrinae catholicae spectant ad ministrum, formam ac materiam hujus sacramenti. Denique

5. appendicis loco adjiciemus disputationem de indulgentiis.

Caput I.

De potestate remittendi retinendique baptizatorum peccata Ecclesiae a Christo collata.

436. **Thesis CCXXXIX.** ***Contulit Christus Dominus Ecclesiae suae potestatem remittendi retinendique peccata, distinctam tum a munere baptizandi, tum ab auctoritate annunciandi promulgandique a Deo remitti peccata credentibus et poenitentibus, non credentibus autem et non poenitentibus eadem retineri.***

Demonstratio p. I. Thesis est de fide, ut patet ex sess. 14 concilii trid. can. 2. 3: „Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum s.: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt:* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, A. S.“ Prior autem pars, quatenus hanc potestatem accuratius nondum determinat, difficultatem non habet, et probatur

1. ex verbis Christi in canone adductis Jo. 20, 22 s., quibus citatis ita prosequitur P. Chrysologus serm. 84: „Ubi sunt, qui per homines hominibus peccata remitti non posse praescribunt? qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt, ne se erigant? qui languoribus curam, vulneribus crudeli spiritu subtrahunt negantque medicinam? qui peccatoribus redeundi desperationem impie insultant? Remittit Petrus peccata et toto cum gaudio suscipit poenitentes atque omnibus sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem etc.“ „Ergo Christus homo, infert Hugo a s. Victore de sacr. II, 14 c. 1, discipulis suis vicem ejus agentibus in terra potestatem dedit dimittendi peccata.“

2. Ex verbis aequipollentibus Matth. 16, 19: *Et tibi dabo claves regni coelorum: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis;* et geminis ad omnes apostolos ib. 18, 18, quibus confertur etiam (non solum) potestas

remittendi peccata; quae propterea partialiter sunt parallela Joan. 20, 22 s., ut patet **a.** ex ipsa verborum amplissima potestate ratione habita contextus; **b.** ex dogmatica interpretatione veteris Ecclesiae. Patres enim disserentes contra montanistas et novatianos de Ecclesiae potestate remittendi peccata promiscue ad haec tria testimonia provocant [1]). **c.** Ex symbolo clavium, quo patres ad potestatem remittendi peccata designandam saepe utuntur. Atqui claves traduntur Petro Matth. 16, 19. Ibidem ergo eam potestatem traditam fuisse censent. Hinc Augustinus serm. 149 n. 7: „Non sunt istae claves in Ecclesia, ubi quotidie peccata dimittuntur?“ Ad testimonia aequipollentia spectat 2. Cor. 5, 18: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis*, non solum annunciandae, sed etiam efficiendae, ut patet ex baptismo. Cum ergo et fideles in peccatum grave lapsi indigeant reconciliatione: haec vero supponat peccatorum remissionem, etiam hanc ministri reconciliationis seu Ecclesiae ministri concedere poterunt.

3. Probatur ex celebri controversia catholicos inter et montanistas ac novatianos seculi II—IV., qui vel omnem potestatem remittendi fidelium peccata Ecclesiae ministris denegabant, vel ea utcunque admissa dissidebant a catholicis circa ejusdem amplitudinem: ideoque habiti sunt haeretici. Ergo jam sec. II. fides fuit Ecclesiae, hanc sibi competere potestatem [2]). Patrum testimonia omittimus, nam fere in singulis thesibus aliqua afferemus. Sufficiant interim Paciani verba ep. 3 ad Sympr. de hac controversia n. 1: „Tractatus omnis novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, hoc continet: Quod post baptismum poenitere non liceat, quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, imo quod ipsa pereat recipiendo peccantes.“

437. **Demonstratio p. II.** Iisdem fere argumentis probatur hujus potestatis distinctio a munere baptizandi Ecclesiae collato. Sane

1. nulla controversia erat inter catholicos et montanistas de eo, num

---

[1]) Cf. Tertullianus impugnans catholicorum argumenta pro hac potestate de pudic. c. 21: Firmilianus ep. ad Cyprianum, in qua relatis Matth. 16, 19 et Joan. 20, 23 infert: „Potestas ergo remittendorum peccatorum apostolis data est et ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt:“ Cyprianus ep. synod. 55 n. 1 (opusc. XXI, 124) ad Cornel.; Pacianus ep. 1 et 3 (opusc. XXXVII.); Ambrosius de poenit. l. 1 n. 7 et 33; in Ps. 38 n. 37; constitutiones apost. II, 11; Chrysostomus de sacerd. III, 5; Augustinus serm. 295 n. 2; Fulgentius de remiss. pecc. l. 1 c. 23 ss.; Gregorius M. h. 26 in Evang. n. 5. 6; Maximus taurin. hom. 68; Athanasius (vel alius auctor antiquus) hom. in illud: *Transeuntes in pagum;* Cyrillus al. in Luc. 5, 24; liturgia coptica s. Basilii (Migne patrol. graecae 31, 1659) etc. Cf. Morinus, commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenit. etc. I, 4 s.; Palmieri de poenit th. 8.

[2]) Cf. Frank, die Bussdisciplin in der Kirche c. 3 § 1; Oswald, die dogm. Lehre von den h. Sacramenten p. 5 § 2.

possint peccatores gravissimis etsi obnoxii peccatis, dummodo sint dispositi, ad baptismum admitti; sed de eo, possitne Ecclesia fidelibus jam baptizatis, peccata post baptismum commissa revera remittere. Catholici affirmabant et quidem nulla facta distinctione inter peccata et peccata, haeretici vero vel negabant vel tantum facta distinctione inter peccata capitalia et venialia. Omnibus ergo persuasum erat, potestate clavium aliam designari distinctam a munere baptizandi.

2. Ea testimonia nequeunt de eadem intelligi potestate, quae neque grammatice, neque logice sunt parallela vel aequipollentia. Atqui verba Matth. 28, 19: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.; et Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* neque logice neque grammatice sunt parallela vel aequipollentia testimoniis p. praecedenti prolatis. Hisce ergo alia tribuitur potestas distincta a munere baptizandi. Et sane potestas baptizandi versatur circa baptismi collationem, non complectitur potestatem retinendi peccata, ipse vero baptismus rationem habet regenerationis, quae vel ex sua notione, multo magis secundum traditionem, semel tantum fieri potest: dum contra potestas, de qua agimus, sub symbolo repraesentatur clavium, quarum usus est frequens, quoties scil. aliquid est clausum: eaque bifariam patet et immediate attingit peccata. Alia ergo est potestas.

3. Dato non concesso, haec testimonia intelligi posse de potestate remittendi infidelium peccata per baptismum [1]): a pari, imo a fortiori intelligi poterunt de potestate remittendi fidelium quoque peccata. A pari, quia verba: *quodcunque, quaecunque, quorum,* infinite patent; neque etiam ex contextu ad peccata infidelium tantum coarctantur. A fortiori: rite enim ita argumentatur Pacianus ep. 3 ad Sympr. n. 11: „Quod si ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam, multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit vel ligari, qui non habuit vinculum: quanto magis ille, quem fidei jura tenuerunt.“ Scil. si Ecclesia ex adversariorum concessione (quod haec verba intelligenda sint de nondum baptizatis) potest solvere et ligare (quo proprie jurisdictionis potestas exprimitur) eos, qui adhuc extra eam sunt,

---

[1]) Nonnulli patres, ut Cyrillus alex. l. 12 in Joan. 20, 22 s.; Augustinus de bapt. l. 3 n. 22 s.; Firmilianus ep. ad Cypr. n. 16; Rupertus tuit. in h. l., verba apud Joannem revera intelligunt etiam de potestate remittendi peccata baptismo. Verum haec verba proprie de baptismo intelligi nequeunt. His enim conceditur potestas, quae exercenda sit forma judiciali, ut infra videbimus. Cum ergo in baptismo neque proprie dictum judicium, neque retinendi seu ligandi potestas (n. 440) exerceatur: referri ea debent ad potestatem remittendi peccata, quae baptismum consequuntur, peccata scil. jam fidelium, qui Ecclesiae sunt obnoxii. Quare patres illi sensu quodam generico seu per quandam extensionem ea verba ad baptismum retulisse censendi sunt.

ideoque jurisdictioni suae nondum subjectos: a fortiori poterit judicare, ideoque ligare et solvere fideles ejus jurisdictioni plane obnoxios.

4. Denique id vel a priori suadetur. Cum enim Christus tot praerogativas et remedia in fidelium utilitatem Ecclesiae concesserit ipsiusque curae eorum concrediderit salutem: vix credibile est, Ecclesiam destitui potestate remittendi peccata membrorum suorum, quae distinguatur a baptismo, qui semel collatus iterari nequit; praesertim cum ipsa pro Christo legatione reconciliationisque ministerio fungi debeat missionisque Christi sit particeps, qui venit peccatores omnes salvos facere.

438. **Demonstratio p. III.** Hanc vero potestatem remittendi fidelium peccata seu, ut brevius dicamus, hanc clavium potestatem Ecclesiae a Christo concessam non esse meram potestatem annunciandi peccatorum remissionem vel facultatem declarandi peccata vere credentibus et poenitentibus esse remissa, quae est protestantium jejuna opinio [1]), sed esse potestatem vere remittendi peccata non minus ac per baptismum, multiplici comprobatur argumento. Sane

1. hoc colligitur ex ipsis collationis Joan. 20, 22 s. verbis. De ea enim peccatorum remissione est sermo, cujus **a.** auctor est ipse Spiritus s. [2]); quocirca praemisit Christus ipsius collationi verba: *Accipite Spiritum s.;* ad quam **b.** hominibus impertiendam missus est Christus; nam praemisit et haec verba: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* quae **c.** designatur eodem remittendi vocabulo, quo alias significatur ea remissio peccatorum, quam Deus sive immediate sive mediate concedit; quae **d.** respondet indoli N. T., in quo sicut futura promittitur (cf. Jer. 31, 33 col. Hebr. 10, 16 etc.) vera gratia et justificatio, sane per ministros conferenda, ita et vera peccatorum remissio per eosdem efficienda; quaeque **e.** respondet solemnitati collationis: qua nihil novi, nullum singulare beneficium collatum fuisset in adversariorum hypothesi, cum et prophetae V. T. annunciare potuerint vere poenitentibus remitti peccata, et quilibet fidelis id possit. Neque ea verba de sola poenarum relaxatione possunt intelligi; haec enim non conceditur non remissa culpa.

---

[1]) Ita conf. Helv. II. c. 14: „Rite et efficaciter ministri absolvunt, dum Evangelium Christi et in hoc remissionem peccatorum, quae singulis promittitur fidelibus, sicuti et singuli sunt baptizati, praedicant et ad singulos peculiariter pertinere testantur.“ Cf. Winer p. 181.

[2]) Ad rem Augustinus l. 2 contra ep. Parmeniani c. 11 n. 24: „Cum interpositum est: *Hoc cum dixisset, insufflavit et ait illis: Accipite Spiritum s.*, et deinde illatum per eos vel remissionem vel retentionem fieri peccatorum, satis ostenditur, non ipsos (homines) id agere, sed per eos utique Spiritum s.“ Ceterum s. doctoris doctrinam de poenitentiae sacramento accurate expositam reperies a Schanz Tüb. Qtlschr. 1895 p. 448 ss.

Egregie jam Richardus a s. Victore in antecessum refutavit jejunum protestantium commentarium de potestate ligandi atque solvendi c. 12: „Exstat quorundam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola, ut ridenda potius videatur, quam refellenda. Putant enim et praedicant, sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dicit: Quodcunque ligatum ostenderis erit ligatum, et quodcunque solutum ostenderis erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat. *Quorum remiseritis*, inquit, *peccata,* non quorum remissa ostenderitis, *remittuntur eis.*“ Praeclare item Werner abb., qui inter alia notat: „Nos verissime profitemur sacerdotes Dei in Ecclesia potestatem habere ligandi atque solvendi, non perfunctorie inusitato quodam genere loquendi significatam, sed veraciter a Deo concessam, quibus dictum est: *Quorum remiseritis* etc. Sed forte quis opponet, quia sacerdotes multos ligant in Ecclesia, qui apud Deum non ligantur; itemque multos solvunt, qui apud Deum ligati permanent. Sed saepe et innocentes ligant, et in reatu permanentes absolvunt, et sic iterum non erit: *Quorum remiseritis* etc. Sed sciendum est quod sacra Scriptura sic de re aliqua loquitur, ut quid inde venturum sit pronunciare videatur, et tamen virtutem ejus magis quam eventum exprimat, quia non quid evenire debeat, sed quid evenire possit ostendat. Verbi gratia dicit quodam loco Scriptura: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (Marc. 16, 16); et tamen scimus, quia multi credentes baptismum accipiunt, qui postea culpis suis exigentibus reprobati ad salutem aeternam non pertingunt [1].“

2. Idem colligitur ad evidentiam usque ex controversia catholicorum cum montanistis et novatianis sec. II. et deinceps. Neque enim **a.** ulla controversia erat, num Ecclesia peccatorum remissionem credentibus et poenitentibus annunciare, sed num eam possit concedere seu efficere. Affirmabant catholici, negabant haeretici vel absolute vel secundum quid, et ideo habiti sunt haeretici. Ergo sec. jam II. credendum erat, Ecclesiam non solum posse annunciare, sed etiam concedere fidelibus peccatorum remissionem. Quod **b.** confirmatur praecipuo haereticorum argumento, qui ideo negabant vel coarctabant potestatem clavium, quod solius Dei sit remittere peccata in ipsum commissa. Controversia ergo non erat de potestate tantum declarativa, sed de ea, quae efficeret remissionem peccatorum. Confirmatur **c.** ex catholicorum responsione, quae adeo splendida est atque decretoria, ut nullum de dogmate possit esse dubium.

Respondebant enim, Ecclesiae ministros id non ex se, sed potestate sibi commissa posse. „Solus hoc, inquies, Deus potorit,“ ita Pacianus ep. 1 ad Sympronianum novatianum n. 6. „Verum est, reponit, sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est.“ Atque iterum ep. 3 n. 7: „Ceterum quod

---

[1]) In deflor. ss. patrum l. 2 in dom. 19 post Pentec. (Migne 167, 1185) quae leguntur etiam apud Hugonem a s. Victore de sacr. l. 2 p. 14 c. 8. Mig. 176, 566. 568. Cf. Nat. Alexander diss. 14 in sec. XIII. et XIV. § 1; Morinus VIII, 6.

ego facio, id non meo jure, sed Domini: *Dei sumus adjutores,* inquit (1. Cor. 3, 9)... Quare sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus seu veniam petentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.« — Ita et Ambrosius de poenit. l. 1 c. 8 n. 34: »Vult Dominus plurimum posse discipulos suos: vult a servulis suis ea fieri in nomine suo, quae faciebat ipse positus in terris. Denique ait: *Et majora his facietis* (Joan. 14, 12). Dedit, ut mortuos suscitarent: et cum ipse Saulo reddere posset usum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum suum misit, ut ejus benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiserat... Dedit etiam discipulis, ut lux mundi essent per gratiam, qui erat ipse lux mundi ... Omnia denique donavit discipulis suis ... Omnia ergo dedit, sed nulla in his hominis potestas est, ubi divini muneris gratia viget.« Hinc eos refellunt ex baptismo. Ita iterum Ambrosius ib. n. 36: »Cur ergo manus imponitis et benedictionis opus creditis, si quis forte revaluerit aegrotus? Cur praesumitis aliquos a colluvione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum per poenitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam: ubi vultis, repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiae, non sancti timoris est: ut fastidio vobis sint, qui volunt agere poenitentiam.« Imo eos violati praecepti divini arguit n. 6: »Sed ajunt, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum detinueritis detenta erunt;* quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet: haeresis in altero immitis, in altero inobediens; vult ligare, quod non resolvat: non vult solvere quod ligavit; in quo se sua damnat sententia.«

3. Accedit argumentum ex sensu totius antiquitatis, qui colligitur ex tot patrum effatis, quibus disputationis decursu utemur. Nam **a.** conferunt hanc potestatem quoad effectum cum potestate remittendi peccata per baptismum (cf. th. 252); docent **b.** Ecclesiae ministros praecellere sacerdotibus leviticis, quod hi judicare tantum potuerint inter lepram et lepram, illi vero efficere possint mundos seu sanare a lepra peccati. „Corporis lepram purgare, ita Chrysostomus de sacerd. III, 5, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, judaeorum sacerdotibus licebat ... Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt.“ Affirmant **c.** fieri posse, ut peccatores ex defectu absolutionis vi hujus potestatis concessae pereant (n. 477[3]). Quare potestatem hanc censent non tantum esse declarativam, sed ad ipsa remittenda peccata efficacem.

439. **Scholion I.** *Protestantium opinio.* — Haud pauci e protestantibus censent, formulam solvere et ligare secundum usum loquendi talmudicum nihil aliud significare apud Matthaeum, quam aliquid licitum vel illicitum declarare, permittere vel prohibere aut praecipere. Qua significatione admissa jam nullum esset argumentum nostrum inde derivatum. Verum hisce non designari solum jus permittendi et prohibendi, sed, ut statuit Bengel in l. Gnomon in h. l., denotari „totum munus Petri, adeo ut ligandi et solvendi verbis comprehendantur omnia ea, quae Petrus apostolica auctoritate gessit docendo, convincendo, hortando, permittendo, consolando, remittendo, puniendo etc.," pluribus probatur. Nam

1. usus ille loquendi, ad quem provocant adversarii, erat privatus, technicus et scholarum schammaeanae et hillelianae proprius. Vix autem credibile est, Christum ad eum sua exegisse verba; neque adeo verum rabbinis hanc formulam significasse jus tantum declarandi et prohibendi.

2. Pluribus exemplis, quae eruditi collegerunt, constat, jugatum usum verborum δέειν et λύειν graecis haud esse insolitum; eoque autem illos uti, ut priori significent non solum interdicere, verum etiam reum declarare, culpa devinctum judicare, poenae obnoxium pronunciare; posteriori vero, non tantum permittere, sed etiam delicti veniam facere, poenam remittere atque a crimine liberum pronunciare.

3. Explicatio illa adeo jejuna plane inaudita est in antiquitate christiana, quae de horum verborum genuina interpretatione admodum erat sollicita;

4. eaque non satis bene cohaeret cum subjecta materia: nam Christus non instituit meram scholam et academiam, sed coetum ad perfectae societatis formam redactum (cf. t. I th. 37. 41); neque cohaeret cum antecedentibus Matth. 16, 18 s. (cf. t. I n. 354), neque cum Matth. 18, 18, ubi sermo est de Ecclesia, ad quam deferendae sint fidelium causae; neque cum loco parallelo Jo. 20, 22 s., cujus invicta est vis (n. 436[2]); neque cum aliis locis similibus, ut Is. 22, 22, ubi describitur potestas Eliacim templi praeposito tradita: *Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat;* Apoc. 3, 7: *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David; qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit;* Job 42, 9 sec. LXX et Is. 40, 2, ubi formula λύειν ἁμαρτίαν certe significat peccata remittere.

440. **Scholion II.** *De potestate ligandi.* — Ex ipsis verbis, quibus Christus contulit Ecclesiae hanc potestatem, patet eam bifariam patere, i. e. duplicem diversamque complecti functionem. Neque enim idem est solvere et ligare, remittere et retinere. Quod si quaeras, quid verbis ligare et retinere significetur, respondemus, exprimi non tantum meram actus solvendi omissionem, sed etiam actum positivum jurisdictionis, quo authentice denegatur peccatorum remissio et praescribuntur conditiones, sub quibus remissio peccatorum possit obtineri: quo ergo ligantur seu obligantur peccatores ad satisfactionem praestandam etc. Quod colligitur **1.** ex ipsa potestate verborum: quae quomodocunque explicentur, actum positivum significant: neque enim ligare est tantum non solvere; **2.** ex usu loquendi tam sacro quam profano n. 439; **3.** ex collatione cum

aliis locis, in quibus Christus aliquam confert potestatem: nunquam enim subdit, se dare etiam jus potestatis illius exercitium omittendi: nam hoc per se intelligitur; **4.** ex interpretatione practica Ecclesiae, quae ex hac potestate ligandi jus sibi vindicavit authentice praescribendi peccatoribus conditiones ad consequendam veniam imponendique satisfactiones, quam illationem etiam conc. tridentinum comprobavit sess. 14 cap. 8 et can. 15.

Cf. Pacianus ep. 3 n. 7; Ambrosius de poenit. I, 2; II, 4; Rich. a s. Victore de potest. lig. c. 11: »Quod ad Petrum Dominus dicit, idem valet ac si aliis verbis diceret, quod ligatum aut solutum fuerit a te, ligatum vel solutum erit et apud me. Qui a te debitae satisfactionis injunctione constringitur, apud me ejusdem satisfactionis debitor tenetur; et qui a te peccatorum suorum absolutionem meruit, ex meo judicio pro hac parte arctari non poterit.«

441. **Corollarium I.** *Duplici* ergo *salutis medio instructa est Ecclesia ad remittenda peccata:* alterum, cujus subjectum, cui applicatur, sunt infideles, et quo delentur peccata baptismum praecedentia; alterum concessum in utilitatem jam baptizatorum, quo delentur peccata baptismum consequentia. Omnia autem suadent, ritum, quo hoc alterum administratur, esse sacramentum, sicut ritus, quo prius applicatur i. e. baptismus (cf. th. 252). Cf. Thomas c. gentes IV, 72.

442. **Corollarium II.** *Potestatem clavium esse ministerialem*, quam scilicet Ecclesia exercere non potest pro lubitu sed secundum Christi Domini voluntatem statutasque ab eo leges, patet ex ipso Ecclesiae munere, quae non est domina, sed dispensatrix tantum mysteriorum Dei; pro Christo legatione fungitur ejusque vices gerit. Hinc Ecclesia nunquam pro arbitrio usa est hac potestate, imo in innumeris conciliis quamplurimos edidit canones, quibus nil aliud intendit, quam interpretari voluntatem Christi, ad cujus normam ea potestas sit exercenda. Qua de re legendae sunt epistolae s. Cypriani et Ecclesiae romanae ad eundem in causa lapsorum tempore persecutionis. Etsi vero ea potestas est ministerialis, ratione tamen auctoris et effectus est divina; ejus enim judicium ratum habetur in foro divino, ipsosque animos attingit delens peccata; qua de praeclare Chrysostomus de sacerd. III, 5 s

443. **Thesis CCXL.** ***Potestas remittendi retinendique peccata Ecclesiae facta judicialis est, ideoque exerceri nequit incognita causa cum peccantium tum peccatorum.***

Demonstratio. Potestatem, de qua agimus, judicialem esse, quae scil. incognita causa exerceri nequeat, eruimus

1. ex controversia catholicorum cum montanistis et novatianis. Utrique enim sedulo peccata in varias species distinguebant. Illi, ut ex praescripto Christi pro varietate peccatorum majores minoresve imponerent satisfactiones; isti, ut pro varietate peccatorum veniam vel concederent vel negarent. Consentiebant ergo utrique, non cognita causa potestatem hanc exerceri legitime non posse.

2. Ea potestas est judicialis, quae versatur circa peccata, aliter tamen atque aliter pro eorum varietate et gravitate, et qua pro delicti qualitate est imponenda satisfactio. Ejusmodi vero est haec potestas, ut patet ex praxi Ecclesiae antiquae.

Ita statuit conc. laodicenum (a. 343—381) can. 2: »Eos, qui in diversis delictis peccant et in oratione confessionis et poenitentiae perseverant et se a malis perfecte convertunt, tempore poenitentiae eis pro delicti proportione dato propter Dei miserationes et bonitatem offerri communioni.« — Conc. carthaginense III. (a. 397) c. 31: »Ut poenitentibus secundum peccatorum differentiam episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur.« — Gregorius M. hom. 26 in Evang. 4. 5: »Ecce . . . principatum superni judicii sortiuntur (discipuli), ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent . . . Horum profecto in Ecclesia episcopi locum tenent . . . Grandis honor, sed grave pondus . . . Causae pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas excercenda. Videndum, quae culpa praecesserit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat;« et iterum (vel alius auctor antiquus l. 3 in Reg. n. 13): »Afflictio poenitentiae ad delenda peccata tum demum idonea est, cum sacerdotis judicio fuerit imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis onus ei decernitur afflictionis.«

3. Hac de causa sacerdotes clavium potestate instructi judices, potestatis exercitium a patribus judicium dicuntur.

Modo a Gregorio M.; ita a Chrysostomo de sac. III, 5. 6; a Theodoreto in Ex. q. 15: »Sicut sacerdos lepram dijudicat, ita oportet ipsum et judicem esse peccatorum animae;« ab Ambrosio, qui explanans verba Ps. 38, 14: *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam eam et amplius non ero,* scribit n. 37: »H. e. hic mihi remitte, ubi peccavi. Nisi hic mihi remiseris, ibi remissionis requiem invenire non potero; quod enim in terra ligatum manserit, ligatum manebit et in coelo; quod solutum in terra fuerit, solutum erit in coelo. Propheta enim et praedicator Ecclesiae congregandae evangelico spiritu indulgentias Domini praevidebat et praecipienda apostolis ei Dominus revelabat; imo haec erat vetus sententia, ut qui se ligasset in terris, vinctus migraret a corpore. Ideo Dominus, quod ante erat judicii sui dedit apostolis peccata remittendi aequitate solvenda (scil. remittendi peccata, quae solvere i. e. remittere aequum foret), ne cito solvenda diu ligata manerent. Denique audi dicentem: *Tibi dabo claves regni coelorum* etc. *Tibi,* inquit, *dabo claves regni coelorum,* ut et solvas et liges. Hoc Novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit; ideo ille in lapsu, nos in remissione: ille in impoenitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio . . . Merito ergo David remitti sibi postulat, quod sciebat non esse iis, qui secundum Aaron erant sacerdotibus, attributum, sed Evangelio servabatur. Cui ergo non remittitur, in exsilio est, in peregrinationis injuria perseverat etc.;« ita constitutiones apost. l. 2 c. 11: »In ecclesia sede (episcope) sermonem faciens, ut qui potestatem habeas judicandi eos, qui peccarunt. Quoniam vobis episcopis dictum est: *Quodcunque ligaveritis* etc. Judica igitur, episcope, potestate fretus tamquam Deus« etc.

4. Idem colligitur ex ipsa potestatis indole, quae **a.** est ministerialis, non pro arbitrio, sed secundum Christi voluntatem exercenda; eaque **b.** versatur circa peccata et peccatores, ac **c.** duas sibi invicem oppositas complectitur functiones ligandi atque solvendi. Atqui talis potestas nequit exerceri, quin discernatur inter peccata et peccata, peccatores et peccatores, quin cognoscatur causa, quin ejus exercitium determinetur per judicium. Quare Hieronymus disserens de sacerdotibus leviticis discernentibus inter lepram et lepram in Matth. 16, 19: „Sic et hic (in N.T.) alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos, qui insontes vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quive solvendus."

444. **Thesis CCXLI.** ***Clavium potestas se ad omnia fidelium peccata extendit, adeo ut nullum sit peccatum, quod ea rite dispositis remitti nequeat.***

I. Demonstratio. Ea potestatis clavium amplitudo, quam statuimus

1. colligitur ex verbis collationis (n. 436), quae latissime patent. Hinc Pacianus ep. 3 n. 12: *„Quaecunque solveritis,* inquit, omnino nihil excepit. *Quaecunque,* inquit, vel magna vel modica;" et Hadrianus II. ep. 5 (Migne 122, 1265): „In *quibuscunque* omnia sunt, quantacunque et qualiacunque sunt;" quae desumpta videntur ex Gelasii tr. de anathematis vinculo n. 5, quibus similia habent Hilarius in Matth. 18 n. 10; Zachaeus christianus l. 2 consult. c. 18 (Migne 20, 1142); Ambrosius de poenit. I, 5. 10; conc. romanum a. 495.

2. Idem colligitur ex damnatione montanistarum et novatianorum, qui tuebantur, quaedam peccata ab Ecclesia remitti non posse. Quare Fulgentius de remiss. pecc. l. 1 c. 23: „qui non credit intra Ecclesiam catholicam cuncta relaxari posse peccata, ipse sibi remissionem peccatorum denegat, si de hoc seculo in eadem impoenitentis cordis duritia perseverans alienatus ab ecclesiastica societate discedat;" et Joannes XIX. ep. 17: „Nullum, in Ecclesia catholica majus potest esse nefas, quam existimare alicujus naevum criminis praecipue poenitentis, quod non queat dissolvere concessa Petro a Domino clavis."

3. Christus antequam Joan. 20, 23 hanc contulit potestatem, dixit: *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos.* Atqui Christus a Patre coelesti ad omnes missus est peccatores, nullo excepto. Ergo et Ecclesia omnium peccatorum peccata remittere potest. Quae illustrantur eo doctrinae capite, quod Ecclesia hic in terris vices gerat Christi et Christus opus a se inchoatum in ea et per eam continuet (th. 40).

4. Patet ex praxi Ecclesiae, quae omnia peccata rite dispositis remisit (th. 243). Sufficiat provocare ad Paulum, qui incestuosum, reum peccati secundum adversarios irremissibilis, venia donavit n. 453[b].

445. **Thesis CCXLII.** ***Distinctioni peccatorum in remissibilia et irremissibilia neque Scripturae, neque patrum suffragantur effata.***

Demonstratio p. I. In antecessum jam monemus pleraque testimonia, quae contra assertam universalitatem potestatis clavium objici solebant, non esse ad rem, tum quia **a.** derivantur ex V. T.; tum quia **b.** nimis probant, scil. esse quaedam peccata, quae neque a Deo remittantur vel saltem neque baptismo remitti possint; tum quia **c.** in sensu ab adversariis intento adversantur aliis manifestis Scripturae effatis. Porro potiora testimonia, quibus adversarii fidunt, haec sunt:

1. Verba Heli 1. Reg. 2, 25 ita alloquentis filios: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Quae quidem ex divina inspiratione sunt scripta, num etiam ex ea sint dicta, est dubium. De iis sufficiant, quae statuit Ambrosius de poenit. I, 9: »Scriptum enim non est, nullus orabit pro eo, sed quis orabit? hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quaeritur, non excluditur . . . *quis orabit pro eo,* h. e. singularis vitae aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum. Quo major culpa, eo majora sunt quaerenda suffragia.«

2. Prov. 1, 24 ss.: *Tunc invocabunt me, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient me* etc. Sermo hic est de iis, qui moriuntur impoenitentes (cf. Sap. 5, 1 ss.); quare verba non sunt ad rem.

3. Jer. 14, 11 s.: *Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum. Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum; et si obtulerint holocautomata et victimas, non suscipiam ea: quoniam gladio et fame et peste consumam eos.* Sermo non est de peccatorum remissione, sed de poenis temporalibus, quas Deus, deprecantibus etiam sanctis, non semper condonat.

4. 2. Machab. 9, 13: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Verum Antiochus orabat pro liberatione a morbo, pro sanitate, Dominum, *a quo non esset misericordiam* i. e. hoc beneficium, hanc gratiam consecuturus; non autem rogabat pro peccatorum venia; textus ergo non est ad rem.

446. **5.** Difficultatem majorem facessunt Christi verba Matth. 12, 31: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur.* Duplex jam oritur quaestio: altera, quodnam peccatum dicatur Spiritus blasphemia; altera, quo sensu illud a Domino irremissibile pronuncietur. Diversae sunt de priori theologorum interpretumque sententiae. »Plerique, inquit Ambrosius in Luc. VII, 121, illud tenent, ut eam blasphemiam dicant non esse veniabilem, si quis Christum dicat in Beelzebub ejicere daemonia, non potestate divina.« — Cui consentiens Pacianus scribit ep. 3 ad Sympr. n. 15: »Habes supra scriptum, cum Dominus daemonia verbo fugaret et virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse pharisaeos: Hic non expellit daemonia nisi in Beelzebub principe daemoniorum, hoc est in Spiritum s. deliquisse, in ea blasphemasse, quae per Spiritum s. gerebantur. In ceteris quippe peccatis aut errore labimur aut metu frangimur aut carnis infirmitate superamur. Haec coecitas est, non videre quod videas, et s. Spiritus opera diabolo deputare eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur, reliqua bonis poeni-

tentibus donantur.« Sat clarum scil. est, nomine blasphemiae Spiritus illud significari atrocissimum peccatum, quo opera manifesto divina in hominum salutem facta daemoni adscribuntur, ideoque veritati manifestae mentis oculi pertinaciter occluduntur.

Si vero quaeras, quo sensu hoc peccatum dicatur irremissibile, egregie id explicat Thomas 2. 2 q. 14 a. 3: »Dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur. Et hoc dupliciter, uno modo quantum ad poenam. Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur. Qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelata, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat, et sic minorem poenam merebatur: sed qui in ipsam divinitatem blasphemabat opera Spiritus sancti diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus poena diminueretur ... Alio modo potest intelligi quoad culpam, sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod potest morbus curari; puta cum morbus tollit virtutem naturae vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare; ita et peccatum in Spiritum s. dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.« Cf. etiam lect. 1 in ep. ad Rom. c. 2.

Quare hoc peccatum irremissibile dicitur non absolute et simpliciter, sed tantum quadamtenus et secundum quid, quatenus scil. difficile est, de illo ut oportet poenitentiam agere illiusque consequi veniam propter mentis excoecationem cordisque indurationem, cujus peccatum illud nefandum causa esse solet. Et revera Christum difficultatem tantum, non impossibilitatem veniae consequendae inculcare, colligitur vel ex more Scripturae quo passim in secundo membro propositionis aliquid affirmatur vel negatur non simpliciter, sed comparate cum eo, quod in membro priori statuitur, adeo ut negatio alterius membri circumscribi debeat particulis »non ita sicut« vel simili ratione. Et sane hoc ipse exigit contextus. Sicut enim dicit, Spiritus blasphemiam non remitti, ita affirmat: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei.* Atqui non omne peccatum in Filium hominis dimittitur. Ergo, ne falsa sint Veritatis verba, iis significatur non factum, sed facilitas veniae consequendae. Quod si verba: *Omne peccatum in Filium hominis remittetur ei,* significant facilitatem consequendae remissionis, propositio opposita: *Spiritus blasphemia non remittetur*, non impossibilitatem, sed difficultatem tantum veniae obtinendae exprimet, cujus difficultatis specialis rationem reddit s. Thomas verbis supra allatis, quibus similia habet s. Athanasius ep. 4 ad Serap. n. 15: »Quidam humana spectantes, Dominum vident sitientem vel laborantem vel patientem, et Salvatori velut homini obtrectant: magnopere quidem peccant, possunt tamen celeriter poenitentiam agendo veniam consequi, cum habeant pro excusatione imbecillitatem corporis ... Cum autem rursus quidam divinitatis opera considerantes, dubitaverint de corporis natura, ipsi quoque maxime peccant, quod, licet eum videant comedentem et patientem, phantasma nihilominus ipsum arbitrentur: verum illis item cito resipiscentibus veniam Christus donare potest: quod et ipsi pro excusatione habeant

magnitudinem operum hominis potestatem excedentium. Verum postea quam utrorumque inscitiam et coecitatem supergressi, qui videntur habere legis scientiam (quales tunc erant pharisaei), in insaniam versi fuerint, et quod in corpore est Verbum, omnino negaverint aut divinitatis opera diabolo ejusque daemonibus attribuerint, merito pro tali impietate indeprecabili sunt supplicio obnoxii«. Hinc Chrysostomus in Matth. hom. 41 n. 3: »Blasphemia Spiritus non remittitur, ne poenitentibus quidem? Et qua ratione stare possit illud? Nam et hoc peccatum poenitentibus remissum fuit. Multi enim illorum, qui talia dixerunt, postea crediderunt omniaque ipsis remissa sunt. Quid igitur hic dixit? Peccatum hoc ceteris multo minus esse ignoscibile.« Cf. et Ambrosium de poenit. II, 4; de Spir. s. I, 3; Corn. a Lapide h. l.; Gerbert in disquisit. de peccato in Spiritum s.; Richardus a s. Victore in l. de spiritu blasphemiae rem ita explicat (Mig. 196, 1190): »Bene ergo dicitur de eo, qui blasphemaverit in Spiritum s., quod non habet remissionem in aeternum: quoniam si poenitet, nihil ei de plenitudine districtissimae expiationis; si non poenitet, nihil ei remittitur de plenitudine districtissimae damnationis:« dum contra in aliis peccatis, quia aliquid excusationis admittunt, aliquid relaxatur ive in expiatione vel satisfactione sive in gravitate damnationis.

447. **6.** Testimonium aliud sat difficile legitur Hebr. 6, 4 ss.: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati* (i. e. baptizati), *gustaverunt etiam donum coeleste* (eucharistiam) *et participes facti sunt Spiritus sancti* (per confirmationem), *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* etc. Ad hoc in primis novatiani provocabant, ut suum tuerentur errorem, et hinc quia non omni caret difficultate, factum etiam est, ut quondam de hujus epistolae authentia haud pauci latinorum dubitaverint, vel saltem ea rarius sint usi, teste Philastrio haer. 89 (cf. t. I. n. 173[5] a.). Porro duplex est hujus loci apud patres et theologos explicatio. Alii enim censent, Paulum negare baptismum posse iterari; alii, eum inculcare tantum difficultatem, quam impotentiam moralem vocant, veniae obtinendae in casu apostasiae: quae quidem difficultas non oriatur ex eo, quod potestas clavium limitibus sit circumscripta, sed ex indispositione apostatarum propria, quam vel ipsa experientia et historia ecclesiastica comprobat. Rari enim admodum sunt, qui post plenam a religione catholica apostasiam sincera acta poenitentia redierint ad Ecclesiam. Fatendum tamen est priorem sententiam communiorem esse apud patres. Ita Athanasius ib. n. 13: »Hebraeis autem scripsit (apostolus), et ne illi poenitentiae obtentu existimarent juxta legis consuetudinem multa esse et quotidiana baptismata, ideo eos ad poenitentiam hortatur, unamque esse per baptismum renovationem, nec secundam superesse affirmat. Neque ait (apostolus), impossibile est poenitere, sed impossibile est obtentu poenitentiae nos renovare. Est autem ingens inter haec dicta discrimen. Is enim, quem poenitet, peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem et renovatur superne genitus Spiritus gratia.« — Ita et Chrysostomus hom. 9 in h. l. n. 3: »Quid ergo? ejecta est poenitentia? Non poenitentia, absit! Sed quae rursum fit per lavacrum renovatio! . . . Novos enim facere, solius est lavacri . . . Poenitentiae autem est, eos, qui novi facti sunt ac deinde a peccatis inveteraverunt, a vestutate liberare novosque reddere: ad illum autem splendorem non licet reducere; illic enim totum erat gratia.« — Quod bene illustrat s. Epiphanius hac

comparatione haer. 59 n. 2: „Ut enim is, qui virginitatem amisit, quod ad corpus attinet, repraesentare illam non potest, cum id minime natura patiatur: ita qui post baptismum in majora quaedam crimina prolapsus est, perinde ac qui virginitate excidit, secundum habet in continentia commendationis gradum: sic ille post baptismum graviore obstrictus scelere secundum habet sanitatis genus. Quod tamen si cum tanta, quanta prius, virtute minime conjunctum sit, non est tamen a consequenda vitae spe ac salutis alienum. Igitur eorum, qui in capessenda poenitentia laborant, fructum ac praemium divinus sermo non rejicit.“ Cf. Thomas 3. p. q. 84 a. 10 ad 1; Morinus l. 3 c. 7; pro altera sententia Corn. a Lapide in h. l.

7. Objicitur Hebr. 10, 26: *Voluntarie enim peccantibus* (peccato apostasiae, ut patet ex v. praeced. *deserentes collectionem nostram*) *nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quaedam exspectatio judicii* etc. Horum verborum sensus est, apostatae a fide christiana ad judaismum (in sensu composito) nullam plane superesse hostiam pro peccatis seu medium salutis; non legale, cum sacrificia legalia jam sint abolita; non medium legis christianae quam deseruit et sprevit. Non tamen propterea negat, eum redire posse ad fidem christianam atque ita in ea et per eam obtinere iterum salutem, imo ut ejusmodi in fide sive dubios sive jam lapsos revocet, scripsit hanc epistolam.

8. Hebr. 12, 16 s.: *Ne quis* (sit) *fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim, quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Hic textus non est ad rem, sensus enim est: neque precibus neque lacrymis impetrasse Esau, ut Isaac benedictionis Jacobo datae poeniteret. Ideo vero Paulus ad hoc factum provocat, ut terreat peccatores impoenitentes ostensa inutilitate poenitentiae, quae elapso tempore pro consequenda venia suscipitur.

448. **9.** Demum objicitur 1. Joan. 5, 16: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* In hisce verbis nomine *peccati ad mortem* non intelligitur peccatum quodcunque mortale: nam et peccatum *non ad mortem* mortale esse potest, cum intuitu orationis fidelium detur peccanti non ad mortem vita: amiserat ergo illam peccato etsi non ad mortem. Quare nomine peccati ad mortem intelligitur peccatum aliquod gravissimum, in quo definiendo dissentiunt inter se theologi. De hoc vero non affirmatur irremissibilitas relate ad clavium potestatem, sed tantum difficultas impetrandae ab aliis gratiae conversionis peccatori talis sceleris reo. Bene s. Thomas in 2. dist. 43 (in fine): „Si *peccatum ad mortem* intelligatur peccatum in Spiritum s. prout peccatum in Spiritum s. requirit finalem impoenitentiam secundum unam opinionem, sic intelligendum est, ut nullus oret: quia qui usque ad mortem in peccato mortali perdurat, postmodum orationibus non juvatur. Si autem sumatur pro peccato in Spiritum s. secundum aliam opinionem, prout non requirit finalem impoenitentiam: sic intelligendum est, ut non oret pro eo *quis* i. e. quicunque, quia talium conversio quasi miraculosa est. Unde sicut pro faciendis miraculis non quilibet orat, sed magni et sancti viri: ita nec pro talium conversione. Tamen secundum formam verborum non prohibetur oratio pro eo fieri; sed ostenditur quod praeceptum de orando pro proximis fidelibus non se extendit ad tales peccatores: quia propter

sui peccati enormitatem hoc merentur, ut a fidelibus relinquantur sicut ethnici et publicani.« Cf. de malo q. 3 a. 15 ad 3; supra n. 445 [1]; prae primis Ambrosius, qui de poenit l. 1 c. 10, praeclare de hoc testimonio disputat.

449. **Demonstratio p. II.** Quod patres attinet, quorum verba objici solent, memineris: **1.** eos saepe loqui verbis Scripturae; ideoque eodem modo esse eorum verba explicanda ac Scripturae testimonia; vel **2.** eos historice referre quaedam peccata de facto non remitti, non ex defectu potestatis clavium, sed propter dispositionis defectum, qui plerumque ejusmodi peccata consequi solet; vel **3.** eos affirmare, peccata quaedam esse irremissibilia merito i. e. ex se nullam merere veniam, quod nullo pacto possint excusari; non tamen propterea negant ea misericorditer remitti a Deo, cujus misericordia omnem vincit malitiam: alioquin sequeretur, juxta patres illa neque baptismo remitti, quod inauditum; vel **4.** patres nonnunquam more oratoribus haud inusitato veniae consequendae exaggerare difficultatem, non vero tueri impossibilitatem [1]); vel **5.** eos loqui ad hominem, dilata interim quaestione, qua ratione peccatum in Spiritum s. dicatur irremissibile, ostendentes, adversarios vel sibi non constare, vel consectaria eorum erroris certis doctrinae revelatae capitibus plane adversari [2]). Ceterum eo ipso quod patres vel inter se dissentiunt vel dubii haerent in determinando peccato in Spiritum s., manifestum est, nullum certum peccatum per se esse irremissibile: de hoc enim Ecclesiae constare debet, ne illud remittere audeat. Itaque si quod peccatum patribus est irremissibile, hoc oritur ex voluntaria peccantis indispositione.

450. De Athanasio, cujus verba praecipuam faciunt difficultatem, scias eum et theoretice et practice inhaesisse doctrinae catholicae. Et theoretice, cum statuat in fragm. in Matth. (Mig. 27, 1286): »Observandum porro est, non dixisse Christum, blasphemanti ac postea poenitenti remissionem dandam non esse: sed blasphemanti et in blasphemia perseveranti, siquidem condigna poenitentia peccata omnia eluit« (quae leguntur etiam in l. de communi essentia n. 49); practice vero receptis arianis, blasphemis etiam in Spiritum s., dummodo poenitentiam agerent, in communionem, ut patet ex synodo alexandrina a. 362 et ep. 3 ad Serapionem n. 7.

451. **Thesis CCXLIII.** ***Primis aerae christianae seculis nullum omnino fuit peccatum, cujus remissio lege universali in Ecclesia catholica poenitentibus fuerit denegata.***

Demonstratio. Concedimus quidem exstitisse episcopos nonnullos sec. II., qui veniam non esse dandam cuidam peccatorum generi censuerint, ut diserte testatur Cyprianus; ex ejus tamen verbis simul colligitur, consuetudinem eam fuisse quoad locum et personas particularem. Ita enim scribit ep. 52 ad Anton. n. 21: »Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis isthic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt, et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt. Non tamen a

---

[1]) Cf. praeclarum Chrysostomi monitum hom. 31 in ep. ad Hebr. 12, 17; et Isidori Pelusiotae ep. IV, 14.

[2]) Ita Pacianus ep. 3 ad Sympron. n. 15 opusc. XXXVII; Hieronymus ep. 42 ad Marcellam et Athanasius ep. 4 ad Serapionem. Cf. Collet p. 2 c. 1 et 2 a. 1; Palmieri th. 8.

coëpiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicae Ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur.« Verum contendimus contra plures etiam primi ordinis theologos, ut Bernaldum [1]), Petavium [2]), Sirmondum [3]), Albaspinaeum [4]), Duguet [5]), card. d'Aguirre [6]), Christ. Lupum [7]), Martene, editores maurinos opp. s. Ambrosii [8]), Hagemann [9]), Funk [10]) etc., nunquam obtinuisse in Ecclesia universali consuetudinem, ut uni vel pluribus peccatorum speciebus denegaretur absolutio.

452. Quod in primis argumentis generalibus probamus:

1. ex controversia cum montanistis et novatianis, qui pro suo tuendo errore, quo Ecclesiae denegabant jus certis quibusdam criminibus concedendae veniae, non provocabant ad hanc praxim, ut supponitur, universalem et apostolici fere aevi, quod certo non omisissent, cum ea validissime suam doctrinam vel saltem disciplinam tueri potuissent: immeritoque accusati fuissent inhumanitatis, si eorum praxis expressa fuisset ad praxim antiquioris Ecclesiae. Ad rem de novatianorum schismate refert Eusebius H. E. VI, 43: „Ob quam rem, cum Romae congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero multo plures convenerunt, cumque in provinciis antistites, quid agendum esset, seorsim consultassent, hujusmodi decretum a cunctis promulgatum est: Novatum quidem et eos, qui cum ipso insolentius sese extulerant, et quicunque inhumanissimae a fraterna caritate alienae ejus opinioni praesumpserant consentire, alienos ab Ecclesia esse habendos.“

2. probatur ex can. 13 conc. nicaeni: „De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc antiqua et canonica lex servetur, ut si quis egreditur de corpore, ultimo et maxime necessario viatico [11]) non privetur, quod si desperatus aliquis accepta communione supervixerit, sit inter illos, qui in oratione sola communicant, donec statutum tempus compleatur. Generatim vero et nullo excepto, quolibet excedente et eucharistiam flagitante, episcopus cum probatione impertiatur.“ Supponunt dein

---

[1]) Scriptor sec. XII. apud Migne 148, 1184 ss.

[2]) In notis ad Epiph. haer. 59; de poenit. VI, 6.

[3]) Hist. poenit. publ. c. 1. [4]) Comm. in can. 47 conc. elib.

[5]) Diss. 16. [6]) Comm. in can. 47 conc. elib.

[7]) In Tert. de praescr. c. 30; de gall. eccl. appell. c. 17; de pecc. ac satisf. indulg.

[8]) In praef. ad l. de lapsu virg.

[9]) Die röm. Kirche und ihr Einfluss pag. 53 ss.

[10]) Tüb. Qtlschr. 1884 pag. 268 ss.; Kirchenlex. II, 1562; quam tamen sententiam temperat negans hanc praxim fuisse universalem Tüb. Qtlschr. 1891 p. 625.

[11]) Viatici nomine esse intelligendam eucharistiam pluribus probat Pelliccia de eccles. polit. diss. 2 t. 3 pag. 90; Frank Bussdisciplin V, 8.

3. alterius sententiae patroni mitiorem prius viguisse disciplinam, quae gradatim austerior facta demum in summum illum rigorem abierit. Ejusmodi vero mutatio induci non potuit sine aliqua saltem fidelium commotione, poenitentium turbis et querelis, ut constat ex causa lapsorum tempore Cypriani; magnas enim excitaverunt turbas propter solam reconciliationis dilationem. Atqui nulla comparent turbarum vestigia propter negatam veniam et disciplinae mutationem. Nunquam ergo facta est talis disciplinae in summum rigorem immutatio.

453. Ut invicte assertionem nostram probemus, percurramus ecclesias praecipuas, apostolicas praesertim, ex quibus Ecclesia universalis coalescit, atque investigemus praxim in illis vigentem.

a. Exordiamur ab Ecclesia principe i. e. romana. Testis adest nobis s. Clemens, omni peccato locum poenitentiae fuisse concessum, ita corinthiis 1. ep. n. 7. 8 scribens: „Animum intendamus in sanguinem Christi cernamusque, quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam obtulit. Recurramus ad omnes generationes discamusque, quod in generatione et generatione poenitentiae locum Dominus dedit volentibus ad ipsum converti:« ergo etiam Ecclesia. Supponere enim non licet disciplinam Ecclesiae, quae pro Christo legatione fungitur nominatim in reconciliationis ministerio (2. Cor. 5, 18 ss.), tam aperte dissidere ab expressa Dei voluntate. Testis Hermae pastor mand. 4, cujus auctoritate usi sunt catholici contra montanistas, ut constat ex Tertulliano de pud. cc. 10. 20; testis Zephyrinus vel Callixtus papa, cujus edictum refert Tertullianus l. c. c. 2: „Audio, etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex maximus, episcopus episcoporum dicit: ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia defunctis dimitto [1]).« Testis poenitentia Marcionis gravissimi criminis rei Romae acta [2]), necnon poenitentia et reconciliatio Natalis, qui pecunia corruptus se in haereticorum episcopum permiserat consecrari, ut refert Eusebius H. E. V, 28.

b. Eandem praxim obtinuisse in ecclesia corinthiaca, constat tum ex facto Pauli, qui incestuoso veniam dedit 2. Cor. 2, 6 ss. col. 1 ep. 5, 1 ss., tum ex 2. Cor. 12, 21: *Timeo . . . ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt et non egerunt poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia, quam egerunt:* quibus verbis hanc in rem usi sunt jam sec. II. catholici teste Tertulliano de pudic. c. 15 et adversus novatianos Cyprianus ep. 52 n. 24; Epipha-

---

[1]) De hoc edicto ejusque auctore, cum illum Tertullianus accuratius non designet, multum ad nostram usque aetatem disputant eruditi. Cf. Frank Tüb. Qtlschr. 1867 p. 397 ss., Katholik 1876, 113 ss. Non desunt, qui illud Zephyrino abjudicent, ut Tillemont, Collet de poenis p. 2 a. 5 post sect. 3 diss. hist. n. 510; B. Jungmann diss. sel. in hist. eccl. I, 201 et Funk KL. II, 1562, qui illud tribuunt Callixto. Adjuncta vero interna et externa ejus genuinitatem saltem suadent, illudque directum fuisse videtur adversus eos episcopos, quorum s. Cyprianus (cf. supra n. 451) mentionem facit. Mesnart in sua editione (a. 1545) legit: „Ego et moechiae et fornicationis funes dimitto«.

[2]) Cf. Tertullianus de praescr. c. 30; Epiphanius haer. 42 n. 1.

nius haer. 59 n. 5; Theodoretus, qui in h. l. scribit: „Manifeste reprehendit doctrina apostolica Novati (lege Novatiani) arrogantiam;“ haer. fab. V, 28; auctor qq. in V. et N. T. q. 102; Primasius et Ambrosiaster in h. l., qui inde probant, fornicationis peccatum, cui secundum theologos illos in Ecclesia antiqua venia fuit denegata, ab apostolo poenitentiam agentibus fuisse remissum. Eandem praxim in illa ecclesia perdurasse colligimus ex s. Clementis epistola ad illam ecclesiam (supra lit. **a.**), quae teste Dionysio corinthiorum episcopo (fl. c. a. 170) in illa ecclesia publice legi solebat, ideoque normae instar et fidei et morum habebatur; tum ex epistola ipsius Dionysii ad episcopos Ponti, in qua „multa de nuptiis et castitate eis praecipit et cunctos, qui a quovis lapsu sive delicto sive etiam ab haeretica pravitate desiliunt, benigne suscipi jubet,“ ut refert Eusebius H. E. IV, 23.

c. De praxi ecclesiarum Asiae minoris judicare licet ex Apoc. 2 s., ad quae etiam catholici provocabant, ut contra montanistas et novatianos veniam omnibus, etiam gravissimorum criminum reis, esse dandam evincerent, testibus Tertulliano de pudic. c. 19; de poenit. c. 6 s.; Cypriano ep. 52 ad Anton. n. 22; Paciano ep. 3 ad Sympron.; n. 8; Ambrosio de poenit l. 1 n. 46; Hieronymo dial. c. lucifer. n. 24; auctore qq. in V. et N. T. q. 102. Huc spectant quae Clemens al. de s. Joanne ap. refert in l. quis dives salvetur n. 42, et ex eo Eusebius H. E. III, 23. Hic enim juvenem quendam sceleribus atque latrociniis famosum ad poenitentiam adduxit, „nec prius abscessit, quam illum Ecclesiae restituisset magnumque sincerae poenitentiae exemplum et iteratae regenerationis ingens documentum et conspicuae resurrectionis tropaeum omnibus ostendisset.“

d. De ecclesia antiochena judicetur ex epist. s. Ignatii ad philadelphienses, in qua n. 3 scribit: „Omnibus igitur poenitentibus remittit Deus, si se convertant ad unionem cum Deo et ad communionem cum episcopo“: remittit autem profecto per eos, qui pro ipso legatione funguntur; ex can. apost. 52: „Si quis episcopus aut presbyter eum, qui se convertit a peccato, non receperit, sed ejecerit, deponatur, quia contristat Christum dicentem (Luc. 15, 10); *Gaudium oritur in coelo super uno peccatore poenitentiam agente:*“ quae desumpta sunt ex constitut. apostolicis (sec. IV.), quarum magna fuit in Oriente, praesertim in Syria, auctoritas. Cf. II, 12 s., ubi inter alia episcopus monetur (c. 14): „Igitur poenitentem recipe, nec te ullatenus dubitare faciant aut a proposito retrahant, qui immisericorditer dicunt, non oportere cum hujusmodi coinquinari, neque vel sermone communicare. Haec quippe consilia Deum divinamque providentiam ignorantium sunt et judicium ratione carentium et immanium belluarum.“

e. Alexandrinae ecclesiae praxis colligitur ex l. Hermae pastoris, cujus summa in illa ecclesia fuit auctoritas; ex Origene, qui c. Celsum III, 51 scribit: „Quam severa est disciplina erga peccantes, praecipue contaminatos libidine, quos e sua republica nostri ejiciunt, et tamen resipiscentes haud secus quam redivivos recipiunt post longiorem melioris mentis approbationem.“ Quod si unquam horrida illa praxis in universa viguisset Ecclesia, ad hanc potius provocasset pro demonstranda severitate nostrae disciplinae. Colligitur nostra assertio ex s. Dionysio alex., qui in ep. ad Canonem (cf. Eusebius H. E. VI, 42. 44; Pitra juris eccli. gr. I, 546): „Qui vero sub exitum vitae adducti, si indigeant venia eamque precibus exposcant concedi . . . sane eos dimitti liberos Dei digna suadet agendi ratio et humanitas.“

f. Eandem disciplinam viguisse in Gallia patet ex iis, quae narrat Irenaeus I, 13 de mulieribus mente et corpore corruptis a Marco haeresiarcha, quae confessione crimen suum expiarunt; tum ex insigni epistola ecclesiae viennensis et lugdunensis ad ecclesias Asiae, qua relata subjungit Eusebius V, 3: „Atque haec de beatorum illorum affectu erga eos fratres hic posita sint propter eos, qui inhumano quodam et truci animo praediti, inclementer adversus Christi membra postmodum saevierunt.«

Denique **g.** de ecclesia africana constat ex l. Tertulliani de poenitentia, quo sicut omnes hortatur ad poenitentiam, ita omnibus spem veniae facit; in primis ex aurea ep. 52 s. Cypriani ad Antonianum. Cf. Orsi in diss. hist., qua ostenditur, catholicam Ecclesiam tribus prioribus seculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse, Mediolani 1730; Collet l. c.; Morinus I, 20 ss.; Frank Bussdisciplim IV, 1; V, 7; Palmieri thes. 9.

454. **Thesis CCXLIV.** ***Ecclesiae nullatenus concedi potest jus et arbitrium denegandae veniae reis cujuscunque tandem criminis, si rite sint dispositi.***

Demonstratio. Ostendimus nunquam viguisse in universa Ecclesia rigidam illam disciplinam, qua quasi a priori denegata fuerit certis quibusdam criminibus venia. Jam contendimus, quo efficacius adversariorum opinionem excludamus, Ecclesiam ne potuisse quidem ejusmodi sancire disciplinam. Cujus assertionis veritas colligitur

1. ex concilii trid. sess. 21, in qua synodus docet, Ecclesiam idcirco posse justis de causis fidelibus subtrahere communionem sub specie vini, quod ea ad salutem non sit necessaria; supponit ergo, Ecclesiam id non posse, si ad salutem foret necessaria. Atqui absolutio a peccatis gravissimis ad salutem est prorsus necessaria. Ergo eam Ecclesia nunquam rite dispositis denegare poterit. Ideoque

2. doctrina concilii pistoriensis (pr. 38), qua, postquam synodus professa est, ‚se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae (ut ait) ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam', subjungit, ‚per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent', pronunciatur a Pio VI. „contraria can. 13 conc. nicaeni I. (n. 452[2]), decretali Innocentii I. ad Exsuperium tolos., tum et decretali Coelestini I. ad episc. vien. et narbon., redolens pravitatem, quam in ea decretali s. Pontifex exhorret.“ Jam vero si tali censura notatur praxis, quae unicam saltem concedit reconciliationem, quid de illa dicendum, quae omnem denegat? poteritne universa Ecclesia eam unquam sancire disciplinam, cum synodus pistoriensis, quae mitiorem solum laudavit, damnata fuerit?

3. Ecclesia nequit eam sancire disciplinam, qua omnis poenitentia exstinguitur et desperatio inducitur. Atqui patres uno ore contra montanistas et novatianos disserentes docent et inculcant, disciplina ea, secundum quam aliquibus venia negetur, poenitentiam auferri hominesque ad desperationem adduci. „Quis non reflectat gradum, inquit Ambrosius serm. 16 in Ps. 118 n. 43, quando audiat, sibi superiora omnia peccata donari? Propter hoc enim plerique a conversionis studio revocari solebant, quod delictorum suorum conscii nullam spem veniae praesumerent, et Ecclesiae quanto sanctiora praecepta, tanto sine venia putarent esse peccata."

Cf. infra n. 457 et auctor anonymus (Cyprianus vel Cornelius) l. contra Novatianum; Cyprianus ep. 52 ad Anton. n. 28; Tertullianus de poenit. c. 6 s.; Ambrosius, qui egregie hunc rigorem refellit de poenit. l. 1 c. 1 n. 4; c. 2; c. 3 n. 11; c. 4 et 16 n. 88 s.; c. 17; l. 2 c. 3 n. 19. 20 (opusc. V.); l. 7 in Luc. n. 236; Bachiarius de reparat. lapsi n. 4. 15 (Mig. 20, 103 ss.); Chrysostomus l. 1 ad Theod. lapsum n. 18; auctor qq. in V. et N. T. q. 102; Gregorius naz. or. 39 n. 18. 19 etc.

4. Patres consone omnino montanistarum et novatianorum praxim, secundum quam peccatores quidem ad poenitentiam invitabantur, sed excludebantur a venia, judicant ‚crudelem, duram, contra fidem Scripturarum, misericordiae hostem, poenitentiae interfectricem, divinae pietatis et salutis fraternae inimicam, impiissimam, clementissimum D. N. J. Christum quasi implacabilem calumniantem, inhumanam duritiam, ob quam ratio reddenda erit in die judicii, haereticae praesumptionis durissimam pravitatem, ferocem censuram' etc. Atqui Ecclesia, quae omnium languentium et periclitantium pientissima esse debet mater, ejusmodi disciplinam nunquam potest sancire.

Consulantur s. Cyprianus passim et ut in ep. 52. 54. 57 n. 3, ep. 67; cui consentiunt auctor coaevus tract. de lapsis ad Novatianum (Mig. 3, 1205 ss.) n. 1. 13, ubi eam dicit ‚Cainam haeresim', quae nonnisi tantum occidere gestit; Pacianus ep. 3 ad Sympron. n. 5; Dionysius alex. ad Dionysium rom. apud Eusebium H. E. VII, 8 col. VI, 42; Hilarius in Ps. 137 n. 8, qui eam dicit „insolentem professionem eorum, qui humanae naturae et infirmitatis immemores et immisericordem Deum praedicantes peccatis poenitentium veniam et solatium non relinquunt." — Belle Gillebertus abbas serm. 31 in cantica n. 5 (Mig. 184, 164) comparationem instituens inter Novatianum et Pelagium illius errorem ita notat: „Novatianus non habet mammam veniae, nec Pelagius gratiae . . . Ille (Pelagius), ut sic dicam, revocat petentes, hic non suscipit poenitentes. Vetustatem ille propinat, hic austeritatem. Non habet ejus doctrina gratiae lacteam novitatem, nec hujus dulcedinem . . . Pelagius dives est, non eget hac dulcedine, innascitur ei, non paratur; Pelagius dicit: Non indiges; et Novatianus: Non indulgeo. Alter praedives est, alter praedurus" etc. — Quam ob rem Augustinus ep. 93 ad Vincentium rogatistam n. 43: „Si autem, quod veritas habet et quod Ec-

clesia merito tenet, recte poenitentibus adulteris pax dabatur, illi, qui in totum locum poenitentiae contra adulteros claudebant, impie utique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, et claves Ecclesiae pulsantibus subtrahebant et misericordissimae patientiae Dei, quae illos propterea sinebat vivere, ut poenitendo sanarentur sacrificio contriti cordis oblato, dura crudelitate contradicebant.« Nam, ut egregie notat serm. 352 n. 9: „Fuerunt qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam poenitentiam et exclusi sunt de Ecclesia et haeretici facti sunt. In quibuscunque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia.«

5. Denique ejusmodi disciplina plus minusque fuisset laesum sigillum sacramentale. Quare Ecclesia pro sua prudentia lege universali ejusmodi disciplinam sancire non potuit. Quibus omnibus expensis non nimis audax videri debet assertio, quam cl. Palmieri th. 9 ita enunciat: „Si Ecclesia veniam negavit idololatris, moechis, homicidis etiam poenitentibus et quamtumvis poenitentibus, ea vel ab enormi inobedientia erga Christi legem vel ab errore in fide nequit liberari: atqui id absurdum," ut per se patet. Illud quoque sane absurdum est fingere, ut cum Deus dicat et juret: *Nolo mortem impii* (Ex. 3, 11): Ecclesia ejus vicaria et pro ipso legatione fungens nolit eum absolvere. „Ergo evidentissime, concludimus cum Ambrosio de poenit. l. 2 n. 18, Domini praedicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti coelestis refundendam gratiam."

455. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Non diffitemur esse testimonia aliqua, quae immani illi rigori, quem plures theologi Ecclesiae primorum seculorum adscribunt, favere videantur. Provocant adversarii

1. ad Tertullianum, qui in l. de pudic. passim supponit, catholicos homicidis et lapsis in idololatriam veniam negasse; quocirca eos arguit inconstantiae et acceptationis personarum, quod adulteris pacem concederent. Ita enim ex. gr. c. 5 scribit: „Adsistit idololatra, adsistit homicida, in medio eorum adsistit moechus: pariter de poenitentiae officio sedent in sacco et cinere inhorrescunt. Eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, invocant eandem matrem. Quid agis mollissima et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis (beati enim pacifici), aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis, idololatrae successorem, homicidae antecessorem, utriusque collegam. Personae acceptatio est.« Cf. cc. 9. 12. 19. 22. Nonnulli respondent, Tertullianum more haereticorum non sincere exhibere Ecclesiae praxim, eique adscribere per calumniam disciplinam, quam non professa sit. Ita Natalis Alexander diss. 7 in sec. III. prop 3; Morinus IX, 19; Binterim Denkwürdigkeiten t. 5 p. 2 pag. 263. — Marano praef. ad op. s. Cypr. § 9 videtur Tertullianus agere non adversus catholicos, sed contra adversarium, quem sibi fingit quemque jam convictum supponit, veniam concedi non posse homicidae et lapso in crimen idololatriae: inde ulterius progredi, ut idem circa peccatum moechiae evincat. Utraque tamen responsio non

videtur sufficiens. Quare dicimus **a.** Ecclesiae disciplinam potius discendam esse a Tertulliano catholico, quam ab eo montanista: potius ex fontibus sinceris, quam ex libro haeretico: **b.** ostendi posse pluribus documentis, et etiam e Tertulliani l. de poenitentia, quem adhuc catholicus scripsit, omnibus criminibus datam fuisse veniam. Fatendum esse **c.** ut pluribus exemplis constat, Tertullianum haeresi infectum doctrinam catholicam saepe male exponere vel interpretari, quo facilius eam impugnet. Hinc **d.** probabile esse, Tertullianum argumentari ex particulari quorundam episcoporum agendi ratione (n. 451), quam per exaggerationem universae adscribat Ecclesiae.

2. Provocant ad epist. 2 cleri romani ad Cyprianum et ad ep. Cypriani 52 ad Anton. n. 6, in quibus fit mentio temperamenti statuti in causa lapsorum, »ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo, quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti seculum gentiliter viverent: nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu poenitentia« etc. Atqui hoc temperamentum fuit decretum medium inter nimium rigorem, quo lapsis omnis denegabatur venia, et nimis facilem indulgentiam. Ergo, inferunt, exstitit quondam praxis denegandi lapsis pacem. Verum ipse Cyprianus diserte in eadem ep. n. 21 ss. testatur, ejusmodi praxim rigidam nunquam in universa Ecclesia viguisse, nec potuisse vigere, sed esse quorundam obstinatorum etc. (n. 451); clerus romanus profitetur, se nihil innovare; innovasset vero quam maxime pristinam disciplinam, si tam horrendus prius viguisset rigor. Quare illud temperamentum non est necessario referendum ad quandam rigidiorem Ecclesiae praxim, quae prius viguerit: sed vel significare potest quodcunque placitum, statutum, quo dirimatur, decidatur lapsorum causa; vel refertur ad duas extremas factiones schismaticas, quae tunc Ecclesiam turbabant: quarum una crudeliter nimis pacem lapsis negabat, altera nimis temere et inconsiderate lapsis, licet congruam nondum egissent poenitentiam, pacem dabat.

3. Provocant ad canones conc. illiberitani (probabiliter c. a. 306), in quibus passim peccatoribus gravium criminum reis negatur vel in fine vitae communio. Atqui nomine communionis, inquiunt hi theologi, designatur reconciliatio. Ergo denegabatur quibusdam peccatis omnis venia. Verum nomine communionis intelligi debet eucharistia; dicitur enim can. 3 et 78 dominica; can. 76 laica; dicuntur quidam peccatores ab ea debere se abstinere can. 50 et 61, arceri can. 30. 40. 67. 78; reconciliari communioni can. 79; quam etiam diaconi dare possunt can. 32. Quare concedi potest, illis canonibus negari quidem quibusdam peccatoribus viaticum: inde tamen non sequitur denegatam fuisse etiam absolutionem. Quae praxis ut rite intelligatur et plures difficultates solvantur, haec notentur: **a.** communionem ecclesiasticam pluribus contineri bonis, ut participatione publicarum precum, jure interveniendi synaxi, in ea faciendi oblationem, jure ad suffragia, in primis eucharistiae participatione. Atqui **b.** propter quaedam peccata gravia omnibus hisce bonis et juribus privabantur fideles ac gradatim tantum in eorum usum restituebantur: unde ortae sunt notissimae poenitentium stationes. Duplex autem **c.** reconciliatio distinguatur: altera imperfecta, quae continebatur absolutione a peccatis, negata adhuc plena communione et eucharistia, qua ea consummabatur; altera perfecta, qua omnia bona et jura communionis ecclesiasticae restituebantur, quae dicebatur κοινωνία μετὰ

προσφορᾶς, τέλειον, absolutissima reconciliatio μέθεξις ἁγιασμῶν, reconciliatio altaris, legitima communio, communio et pax simpliciter, quae complectebatur indulgentiam plenariam. Cf. Petavius in diatribe ad Synesium. Ita hujus duplicis reconciliationis mentio fit in conc. ancyrani (a. 314) can. 7: »De his, qui diebus festis gentilium in remotis eorum locis convivia celebrarunt cibosque proprios deferentes ibidem comederunt: placuit post poenitentiam biennii eos suscipi. Utrum vero cum oblatione (μετὰ προσφορᾶς quacum conjunctum eras jus ad eucharistiam), singuli episcoporum, probantes vitam eorum et singulos actus, examinent.« Cf. can. 1; Hefele Conciliengesch. in h. c.; Morinus VI, 21. Quare **d.** si in aliquo antiquitatis monumento legimus, negatam fuisse alicui peccatori vel in articulo mortis communionem, pacem, reconciliationem etc., non licet statim inferre, negatam fuisse etiam absolutionem a peccatis, sed tantum eucharistiam, quae erat reconciliationis perfectio et consummatio, vel plenariam indulgentiam seu remissionem omnis poenae. Ceterum **c.** cum in synodi hujus decretis alia sat singularia habeantur, praxis vero hic statuta peremptorie a conc. nicaeno reprobetur (n. 452[2]), non tanta censeri debet ejus auctoritas.

456. **4.** Hinc solvitur exceptio, quae petitur ex Innocentii I. ep. 6 ad Exsuperium n. 6 verbis: »De his (qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti in extremo fine vitae suae reconciliationem exposcunt) observatio prior, durior: posterior, interveniente misericordia, inclinatior. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur: et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum poenitentia extrema communio: ut homines hujusmodi vel in supremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur.« Testatur enim **a.** Innocentius, hisce miseris fuisse concessam saltem poenitentiam; sed non solebat Ecclesia poenitentiam imponere, quin faceret spem veniae (cf. n. 454[3]. 457 s.). Imponere poenitentiam denegata spe veniae est pura putidaque praxis novatiana, quam consuetudinis instar in Ecclesia ubique viguisse quis unquam dixerit? Testatur **b.** negatam fuisse communionem, sed concessam poenitentiam, ne totum penitus negaretur, ideoque remissionem fuisse duriorem. Atqui negata venia et absolutione totum fuisset denegatum, nulla concessa remissio. Quid enim prodest ligare, si non sequitur solutio; cum omnes crederent secundum Christi verba, quae authentice essent ligata in terris, ligata fore et in coelis, quamdiu non essent soluta? Neque obstat **c.** ratio, quam reddit pontifex mitioris disciplinae (ne Novatiani . . . duritiam sequi videamur): nam negare poenitentibus in articulo mortis perfectam pacem, plenam absolutionem, integram communionem non est quidem praxis novatiana, sed ad eam accedit, eam propemodum sapit: et quia Ecclesia vel umbram praxis haereticae cavere debet, merito et hanc consuetudinem abrogavit. Neque obstant **d.** verba, quibus mitioris disciplinae finis significatur, ‚ut homines hujusmodi . . . a perpetuo exitio vindicentur', cum supponere non liceat, Ecclesiam sequendo consuetu-

dinem, cujus meminit Innocentius (et quam illi theologi universalem fuisse contendunt), liberationem a perpetuo exitio data quasi opera neglexisse. Quare horum verborum sensus est: ut hujusmodi homines omni, quo possunt, subsidio et salutis medio a perpetuo exitio vindicentur; quod fiet eo efficacius et securius, quo pluribus sacramentis juvantur, quamvis vel unum sufficiat. Ad summum concedi potest, Innocentium respicere consuetudinem seu potius abusum, qui contra canonem conc. nicaeni aliquibus in ecclesiis particularibus, non in Ecclesia universali (quod saltem probari nequit, cf. Collet l. c. concl. II.), invaluit denegandi veniam clinicis (iis scil. qui ad mortem usque poenitentiam differebant), quod dubitaretur de sinceritate poenitentiae, sine qua nulla est peccatorum remissio, ‚quia rogare illos non delicti poenitentia, sed morbi urgentis admonitio compellit', ut loquitur s. Cyprianus hujus praxis (sed tantum circa lapsos) fautor (ep. 52). Dicimus ad summum hoc posse concedi, neque enim certum est, s. Cyprianum clinicis denegasse absolutionem a peccatis: forte negavit tantum reconciliationem perfectam, ideoque communionem, quam pontifex omnino dandam esse inculcat. Ingens vero fit contra omnes logicae regulas saltus, si ex hac praxi infertur thesis, Ecclesiam primis seculis lege universali quorundam criminum reis nulla habita ratione dispositionis quasi a priori veniam denegasse, quod tamen contendere videntur plures alioquin eruditi theologi.

457. **5.** Provocant nonnulli theologi pro sua sententia ad patrum doctrinam *de unitate poenitentiae* lapsis in peccatum post baptismum permissae, ut inde inferant, relapsis saltem in gravia crimina iteratam a peccatis absolutionem fuisse denegatam. Hanc poenitentia unitatem testantur jam Hermae Pastor l. 2 mand. 4: »Post vocationem illam magnam et sanctam (per baptismum), si quis tentatus fuerit a diabolo et peccaverit, unam poenitentiam habet.« Clemens alex. l. 2 Stromat.; Origenes hom. 15 in Levit., Tertullianus de poenit. c. 7. 9; Ambrosius de poenit. l. 2 c. 10 n. 95: »Merito reprehenduntur, qui saepius agendam poenitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent poenitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut unum baptisma, ita una poenitentia, quae tamen publice agitur etc.« Cf. Morinus V, 27 s.; Frank V, 7 § 2. Verum

a. effata haec non de quacunque poenitentia, qualis in Ecclesia agitur quaeque remissionis peccatorum beneficio donatur, sunt intelligenda, sequerentur enim gravissima absurda: sed de singulari aliqua scil. de publica et solemni; ejusque unitas est tantum juris seu potius consuetudinis ecclesiasticae, ne ea poenitentiae forma vilesceret.

b. Ex hac praxi inferre non licet, causam peccatorum, qui peracta semel poenitentia solemni in eadem vel graviora incidissent peccata, fuisse desperatam; nam poterant iterum illorum remissionem consequi.

c. Quaero enim num ejusmodi peccatores in peccata gravia relapsi non potuerint dolere de suis peccatis ac poenitentiam agere? Non solum poterant, sed et debebant, imo ad poenitentiam erant cohortandi, incitandi, cogendi. Quilibet enim peccator jure divino, ipso jure naturae ad poenitentiam agendam tenetur. Atqui omnibus erat persuasum α. eam tantum poenitentiam Deo esse gratam, acceptam et fructuosam, quae in Ecclesia ageretur, »cum Dominus legem tulerit, ut ligata in terris et in coelis ligata essent, solvi autem illic

possent, quae hic prius in Ecclesia solverentur,« ut scribit s. Cyprianus in ep. syn. 54 ad Cornelium. Persuasum deinde β. omnibus et axiomatis instar erat, neminem posse poenitentiam agere, nisi spe veniae consequendae sustentaretur. En argumentum iuvictum, quo catholici, teste Tertulliano de pudic. c. 3, contra montanistas utebantur. »Si enim, inquiunt (catholici), aliqua poenitentia caret venia, jam nec in totum tibi agenda est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur poenitentia, si caret venia. Omnis autem poenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur, quia non erit agenda, si frustra agatur.« Cf. n. 454[3]. Ergo nisi dicere velimus, peccatores in pristina peccata relapsos a praecepto agendae poenitentiae solùtos fuisse, vel potestati clavium non amplius subjectos: tenendum est, ipsis, si rite essent dispositi, veniam nunquam fuisse negatam. Et revera

d. nihil disciplina contraria perniciosius. »Si clauderetur, inquit ad rem Augustinus serm. 352 n. 9, aditus poenitentiae, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi: Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniae nullus est locus, poenitentia infructuosa est, damnandus sum: quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hic saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam? Ibi mihi locus omnis clausus est: hic quidquid non fecero, perdo, quia vita, quae post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam et saturem? et faciam quidquid non licet, sed libet?« etc. Disciplinam talium fructuum naturaliter feracem sancietne Ecclesia? Quare

e. patres unanimes statuunt, neminem posse ab agenda poenitentia hujusque fructu i. e. peccatorum remissione excludi. »Neminem putamus, scribit s. Cyprianus ep. 52 n. 27, a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam poenitentiam peccatores (profecto etiam relapsos) redigi, et veniam atque indulgentiam poenitentibus non denegari.« — Et aliis omissis s. Coelestinus in ep. ad ep. prov. vien. et narb. n. 3: »Agnovimus poenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad poenitentiam, sic promittat: *Peccator,* inquit, *quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei* (Ez. 33, 15); et iterum: *Nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur et vivat* (ib. 18, 23). Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis praeteriti tempore poenitentiam (forte: mortis tempore praeteriti poenitentiam) denegarit. Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit.« Quapropter vel Natalis Alexander, quamvis statuerit patrum effatis de unitate poenitentiae innixus propositionem diss. 10 in sec. III: »Iis qui acta publice poenitentia in eadem vel nova crimina relabebantur, ob quae agenda publice poenitentia esset, secundum Ecclesiae leges nedum publicae, verum etiam privatae poenitentiae praecludebatur aditus,« quam tuentur etiam

Albaspinaeus[1]), Morinus[2]), Petavius[3]), Witasse[4]), Hefele[5]); mox tamen alteram subjicit: »Peccantibus, qui peracta publice poenitentia, eadem vel aeque gravia crimina perpetraverant, privata poenitentia et absolutio in morte non denegabatur,« quod probant etiam Collet[6]) et Tournely[7]) verbis Siricii papae, qui consultus de iis, qui acta poenitentia in gravia peccata relapsi erant, respondet ep. 1 ad Himer. c. 5: »De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a dominicae autem mensae convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.«

f. Neve contra nostram sententiam excipias, meliorem ergo fuisse conditionem peccatorum post relapsum, cum ipsis non amplius fuerit agenda poenitentia publica, sed tantum privata: nam tanti aestimabatur poenitentia solemnis, ut secundi baptismi loco haberetur: relabentium vero poenitentia plus minusve suspecta videbatur; quocirca eorum plena reconciliatio saepe differebatur ad mortem usque. Illustrari haec non inepte possent ex modo, quo patres, graeci praesertim, de matrimonio scribunt. Ita enim inculcant et extollunt matrimonii unitatem, ut secundas et tertias nuptias fornicationi vel incontinentiae damnabili fere aequiparent: cum tamen et posteriores nuptiae sint permissae et licitae, quamvis inferioris meriti. Ita patres extollunt poenitentiam publicam et solemnem, ut privatam de peccatis saltem gravioribus spernere fere videantur. Et sicut Ecclesia primo tantum matrimonio benedictionem impertit solemnem, nuptiis vero secundis adjunxit notam irregularitatis relate ad ordines: ita unicam tantum concessit poenitentiam solemnem: non tamen sprevit secundam privatam. Cf. Francolini veteris Ecclesiae severitas vindicata l. 1 disp. 5; Faure in annot. ad s. Augustini Enchiridion n. 64 ss.

Caput III.

De contritione ad peccatorum remissionem per clavium potestatem obtinendam necessaria.

458. *Poenitentiam* seu animi dolorem detestationemque peccatorum saltem aliquam *esse necessariam*[8]) ad remissionem peccatorum per pote-

---

[1]) L. 2 observ. 5. [2]) L. 5 c. 29. [3]) Ad Epiph. haer. 59.
[4]) De sacr. poen. p. 1 s. 4 ass. 1. 2. [5]) L. c. I, 409 ed. 2.
[6]) L. c. a. 6 concl. 2. [7]) De poen. p. 8 a. 5 concl. 2.
[8]) Hac occasione distinguunt theologi inter sacramentum poenitentiae et poenitentiae virtutem deque hac ex ordine statuunt:

1. Poenitentiam prouti est dolor detestatioque peccati cum proposito non peccandi de cetero esse virtutem: est enim objectum praecepti: praecepta vero dantur de actibus virtutum; eaque etiam omnia complectitur, quae sunt de ratione vitutis.

statem clavium obtinendam adeo est evidens, ut demonstratione non indigeat. Id enim colligitur

1. ex tot exhortationibus, quibus Deus peccatores ad poenitentiam excitat ita quidem, ut sine ea veniam obtinere nequeant Luc. 13, 3: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis;* Eccli. 2, 22; Apoc. 2, 5: quae exhortationes instituta clavium potestate vim suam non amiserunt.

2. Colligitur ex verbis Petri, qui ad peccatorum remissionem baptismo obtinendam exegit poenitentiam Act. 2, 38: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum . . . in remissionem peccatorum.*

3. Colligitur ex traditione theoretica, patrum scil. scriptis, sermonibus, homiliis etc., quibus haec inculcatur necessitas; et practica ex praxi scil. Ecclesiae, quae poenitentibus tantum remissionis beneficium indulsit[1]); colligitur

4. ex rei natura: nam ad impetrandam offensae veniam ab offenso necesse est, ut offensor, quantum est in se, illud removeat, quod merito offensi provocat iram i. e. culpam seu offensam. Cum vero offensor injuriam reddere nequeat infectam, necesse est, ut eam aequivalenter tollat; quod fit, dum ei renunciat, eam aversatur, rectractat, odio prosequitur, actibus oppositis emendare nititur, verbo necesse est, ut de ea agat poenitentiam. Ad rem Augustinus de duab. anim. c. Manich. n. 32: „Potest aliquis dicere, non se peccare, non autem sibi esse, si peccaverit, poenitendum, nulla barbaries dicere audebit.“ Ideoque concilium trid. docet

---

2. Actum poenitentiae formalis elici posse ex pluribus motivis diversarum virtutum, quae non sunt formaliter poenitentia, ex. gr. ex motivo proprio vel caritatis vel spei vel timoris vel religionis vel obedientiae vel gratitudinis. Quod si actus poenitentiae ex ejusmodi motivis elicitur, tunc erit actus elicitus illius virtutis ex cujus motivo proprio elicitur: eaque virtus prout actum illum elicit, poterit sub eo respectu poenitentia denominari.

3. Poenitentiam esse etiam virtutem specialem, cujus motivum formale, quo ab aliis virtutibus distinguitur, est honestas, quae reperitur in expiatione injuriae Deo illatae adeoque in compensatione, quantum fieri potest, juris divini per peccatum laesi: unde ea revocatur ad justitiam tamquam hujus pars potestativa (cf. s. Thomas 3. p. q. 85 a. 3).

4. Objectum materiale poenitentiae, ut ea est actus fugae, esse primo quodvis peccatum a poenitente commissum et ex consequenti id, quod in futuro ipse committere potest, non vero peccatum originale et alienum. Ut vero poenitentia est actus prosecutionis in emendationem offensae, objectum materiale esse ea omnia, quae a poenitente assumi possunt in compensationem injuriae. Cf. Palmieri th. 1 ss., ex quo haec decerpsimus, et de Augustinis l. 3 p. 1 a. 3.

[1]) Cf. Tertullianus de poenit., Ambrosius ll. 2 de poenit., Cyprianus de lapsis n. 15. 16. 22 s. 26. 29 s. 32 ss. (opusc. t. V.) et in epistolis de causa lapsorum (opusc. XXI.); Thomas c. gentes III, 158 praesertim arg. 1. Praetermittimus quaestionem, num Deus possit condonare peccata absque peccatoris retractatione et poenitentia, quam Ripalda de ente supern. disp. ult. s. 24 ss. affirmative resolvit.

sess. 14 c. 1. 4: „Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius."

459. Sed jam de poenitentia ad remissionem peccatorum per potestatem clavium obtinendam necessaria accuratius est agendum. Ea complectitur tres actus: contritionem cordis, confessionem oris et satisfactionem operis. Incipiemus a cordis contritione, quae distinguitur in perfectam et imperfectam. Ratio discriminis petitur ex motivo, in primis vero ex effectu: ea enim dicitur perfecta, quae se sola sufficit ad impetrandam peccatorum veniam; imperfecta ea est, cujus virtus compleri debet ipso usu alicujus sacramenti. De contritione perfecta sit

Thesis CCXLV. ***Contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat, priusquam per potestatem clavium absolvatur.***

Declaratio. Concilium trid. sess. 14 c. 4 contritionem generatim definit: „animi dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero." Est ergo dolor animi, non corporis; de peccato, non de malo physico; de peccato proprio, non de alieno; de commisso (libere), non de contracto; detestatio de praeterito, hinc cum proposito de futuro cavendo: quare contritio est vera animi inversio et conversio. Porro contritio tunc dicitur caritate perfecta seu formata, si caritate formae instar perficitur, si peccator de peccatis dolet ex motivo caritatis Dei super omnia, quod scil. peccatum offensa est Dei summe boni summeque amabilis. Quod si contritio ex tali elicitur motivo, tantae est praestantiae, ut ea hominem Deo reconciliet, antequam ad clavium potestatem recurrit, non tamen sine hujus recursus voto: et quidem non solum in casu necessitatis, sed toties quoties contingit contritionem caritate esse perfectam. Quod tenendum est contra Lutherum, Bajum, cujus damnatae sunt prop. 31. 32. 33. 70. 71, quae ita habet: „Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipendi sacramenti conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione sacramenti; et etiam contra quosdam theologos catholicos vetustiores et recentiores. Thesis non quidem est de fide, doctrinam tamen complectitur catholicam.

460. **Demonstratio. 1.** Veritatem hanc disertis verbis proponit l. c. concilium trid.: „Docet praeterea (s. synodus), etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam." Imo teste Pallavicino H. C. XII, 10 n. 27, „canon quoque paratus fuerat, ubi damnabatur quisquis negaret, contritione, qua poenitens divina gratia per Christum cooperante dolet de pec-

catis propter Deum cum proposito confitendi et satisfaciendi, remitti peccata."

2. Probatur ex damnatione propositionum Baji, quas indicavimus;

3. ex Scripturis, in quibus promittitur dilectioni et poenitentiae sincerae remissio peccatorum: Prov. 8, 17: *Ego diligentes me diligo;* Jo. 14, 21: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum;* v. 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;* 1. Jo. 4, 7. 16: *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;* Luc. 7, 47: *Remittuntur ei* (mulieri peccatrici) *peccata multa, quoniam dilexit multum;* Ez. 18, 21: 33, 12: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua;* Zach. 1, 3: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos* etc. Ex quibus ita argumentamur: In V. Testamento sane adultus poterat obtinere peccatorum remissionem, alioquin nullus potuisset salvari. Atqui non ex opere operato per efficaciam alicujus sacramenti (n. 278). Ergo ex opere operantis seu aliquo ipsius actu. Quod si poterat impetrare aliquo actu peccatorum remissionem seu ad eam se disponere, certe id poterat actu omnium nobilissimo, qualis est caritas perfecta et poenitentia caritate formata. Ergo in V. T. saltem caritas perfecta erat dispositio proxima et sufficiens ad impetrandam (de congruo) remissionem peccatorum. Atqui dignitas et meritum actuum in N. T. non mutatur, nec institutione sacramenti aucta est difficultas obtinendae veniae, quin potius imminuta: cum mediante sacramento sufficiat dispositio, quae per se non sufficeret in V. T. Ergo etiam modo immediate cum contritione perfecta juncta erit remissio peccatorum.

Neque obstat, similia de fide affirmari, etsi sola fides non justificat. Discrimen enim est inter fidem et caritatem: haec fidem praesupponit, imo et plures alios actus salutares; ipsa est dispositionis apex et consummatio tantaeque perfectionis, ut ea melior non sit eaque cum peccato gravi consistere nequeat; contra fides est dispositionis inchoatio, cum peccato consistere potest, sola ad justificationem non sufficit (th. 197), ut diserte s. Jacobus 2, 24 testatur: quod de caritate nunquam affirmatur; quae imo dicitur Rom. 13, 10 *plenitudo legis* et Coloss. 3, 14 *vinculum perfectionis* i. e. vinculum, quo colligante perfectio habetur, vel quo perfecte inter nos, imo et cum Christo unimur.

4. Eadem est doctrina patrum. Ita s. Leo M. ep. 108: „Misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas moras patitur veniae vera conversio, dicente spiritu Dei per prophetam: *Cum ingemueris, tunc salvus eris* Is. 30, 15 sec. LXX; Fulgentius ep. 7 n. 3: „Caritas, ubi habitare coeperit, non permittit dominari peccatum, sed cooperit multitudinem peccatorum; nec solum praesentia peccata facit vitari, quin etiam praeterita facit omnia relaxari."

5. In eandem sententiam conspirant scholae theologi, ut de Lugo dicat d. 5 s. 8 n. 116, „quod sit sententia (Silvii) contra theologos omnes, clarius est, quam ut probatione vel inductione indigeat.“ Nota sunt verba s. Thomae in 4 d. 17 q. 2 a. 5: „Quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.“

6. Neque deest ratio congruentiae. Supposita enim reconciliatione per Christum, conveniens est, ut si homo gratia adjutus quantum est ex se perversitatem peccato inductam rectificat seque perfecte ad Deum convertat, Deus veniam illico elargiatur, cum et in ordine naturae dispositionem perfectam consequatur sua forma. Ita enim adimpletur illud: *Convertimini ad me . . . et convertar ad vos* (Zach. 1, 3).

461. *Exceptionibus satisfit.* — **1.** Provocant adversarii ad Luc. 7, 48, unde sic arguunt: Profecto Magdalena perfectam habuit contritionem, dilexit enim *multum*. Atqui non ante remissa ei fuere peccata, quam Christus diceret: *Remittuntur ei peccata multa.* Ergo contritio caritate formata per se non justificat. Resp. verba Christi semper vera esse, etiamsi jam fuerint peccata virtute contritionis remissa, cum contineant remissionis authenticam declarationem et confirmationem. Ea revera hoc sensu posse accipi, patet inde, quod Christus bis ea verba protulit. Cf. Marc. 5, 34. Ceterum Christus usus est verbo temporis praeteriti ἀφέωνται. Hinc nulla difficultas.

2. Neque aliquid probat Ananiam dixisse Paulo jam virtute contritionis justificato Act. 22, 16: *Exsurge et baptizare et ablue peccata tua.* Respondere enim licet, vel Ananiam ignorasse Pauli perfectam contritionem et justificationem, vel illa verba continere baptismi descriptionem a Paulo suscipiendi, licet jam esset virtute contritionis perfectae justificatus.

3. Verum quidem est s. Augustinum valde urgere susceptionem baptismi etiam quoad eos, qui caritate flagrant. Ita tract. 13 in Joan. n. 7: „Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum.“ Sed Augustinus ejusmodi prae oculis habet catechumenos, qui etsi occasionem habebant suscipiendi baptismi, illum differebant, negligebant, fere contemnebant; quorum caritas idcirco merito suspecta erat. Ita enim ib. n. 6 scribit: „Quare oportebat, ut Dominus baptizaretur? Quia multi contempturi erant baptismum, eo quod jam majore gratia praediti viderentur, quam viderent alios fideles. Verbi gratia jam continenter vivens catechumenus contemneret conjugatum et diceret se meliorem quam ille sit fidelis. Ille catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est baptismum accipere, ut hoc habeam, quod et iste, quo jam melior sum?“

462. **Scholion I.** Contritio ut justificet ante sacramenti susceptionem, includere debet sacramenti votum (saltem implicitum), ut diserte statuit supra concilium. Hinc damnata fuit a. 1479 a Sixto IV. Petri oxumensis prop. 1: „Peccata mortalia quantum ad culpam et poenam alterius seculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.“ Ratio est, quia ut videbimus, in praesenti rerum oeconomia recursus ad claves necessarius est ad obtinendam peccatorum remissionem non minus ac baptismus. Si ergo Deus intuitu caritatis peccata remittit,

antequam quis se ad clavium receperit potestatem, id eatenus facit, quatenus caritas est plenitudo legis firmumque includit propositum adimplendi praeceptum de recursu ad potestatem clavium: quod si illud non includeret, jam non esset vera caritas. Acceptat ergo Deus tam bonam voluntatem interim pro opere.

463. **Scholion II.** *De recursu ad claves non obstante contritione.* — Quaeres, quare is, qui virtute contritionis caritate perfectae remissionem consecutus est peccatorum ante susceptum sacramentum, adhuc obligetur recurrere ad potestatem clavium et confiteri peccata jam remissa. Hujus obligationis ratio est multiplex. Obligatur

1. ratione voti seu propositi confitendi, cum contritio caritate perfecta non sine sacramenti voto hominem Deo reconciliet. Tenetur ergo illud exsequi (obligatione non duplici, sed ea, quae oritur ex ipso praecepto confessionis), ne in negotio tanti momenti Deo illusisse videatur. Obligatur

2. ratione satisfactionis Deo exhibendae. Fideles enim pro peccatis gravibus post baptismum commissis satisfacere tenentur secundum judicium eorum, quibus concredita est potestas clavium, quae non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum data est. Hinc s. Thomas ad quaestionem, quare peccata ex oblivione in confessione omissa, sed virtute absolutionis remissa, clavibus sint postea subjicienda, si eorum recordemur, respondet suppl. q. 10 a. 5 ad 1: »Dicendum quod in confessione sacramentali non solum requiritur absolutio, sed judicium sacerdotis satisfactionem imponentis exspectatur; et quamvis iste absolutione sit functus, tamen tenetur confiteri, ut suppleatur, quod defuit sacramentali confessioni.«

3. Obligatur ratione ordinis et disciplinae. Vult enim Deus, ut quae praeter ordinem a se statutum via quasi extraordinaria benignus confert, rata veluti habeantur ab Ecclesia: non quod sine hujus approbatione irrita forent, sed quod eam vicariam constituit suam nosque ab illa ut filios a matre voluit pendere, ut spiritu privato viam praecluderet, illusiones illius, qui se in angelum transfigurat lucis, praepediret, obedientiamque foveret et humilitatem. Ideoque ipse Christus quos a lepra sanaverat ad sacerdotes misit Luc. 17, 14; et Paulum, quem vel conversionis momento vel saltem illo triduo, quod totum in jejunio et oratione transegit, justificatum fuisse vix possumus dubitare, ad Ananiam ire jussit Act. 9, 7, ut ab eo baptizaretur; idemque Paulus etsi *apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum* Gal. 1, 1, ascendit *secundum revelationem* (ib. 1, 2) Jerosolymam, ut conferret cum iis, qui videbantur aliquid esse, Evangelium suum, *ne in vacuum curreret aut cucurrisset;* et Cornelius qui »audiens et credens quod praedicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem baptismum cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus s. (Augustinus q. 33 in Num. n. 9),« ab apostolorum tamen principe baptizatus fuit. Cui rationi illa s. Thomae suppl. q. 8 a. 2 ad 3 affinis est, quod scil. qui jam virtute contritionis Deo est reconciliatus, reconciliandus est etiam Ecclesiae potestate clavium.

4. Obligatur ratione boni communis, alioquin potestas clavium frustraretur, cum quilibet facile se contritum esse sibi persuaderet eaque repeteret, quae merito reprehendit Augustinus s. 392 (nonnihil dubii) n. 3: »Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago (poenitentiam): novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis*

in terra, soluta erunt in coelo? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi?«

5. Obligatur ratione securitatis, nam »aliquis, inquit Thomas suppl. q. 5 a. 2 ad 1, non potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem poenae et culpae et ideo tenetur confiteri et satisfacere, maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum: quod debet ad effectum reduci etiam propter praeceptum, quod est de confessione datum.« Damnanda ergo prop. 7 Wicleffi: »Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.«

464. Sed esto eum, qui virtute contritionis Deo jam est reconciliatus, teneri peccata confiteri remissa, poteritne is rite absolvi, an non erit sacerdotalis absolutio vel falsa vel saltem inefficax et inutilis? Nulla ratione, nam, ut docet Suarez in 3 p. t. 4 d. 19 s. 2, »quamvis verbum *absolvo* solum videatur significare vinculi solutionem, tamen quia non dissolvitur nisi per informationem gratiae, ideo juxta subjectam materiam, ex vi ejusdem verbi significatur gratiae infusio ordinata ad peccati remissionem.« Cum vero sacramenta conferant gratiam non ponenti obicem ex opere operato, contritus autem nullum ponat obicem gratiae, absolutione conferetur contrito gratia ad delendum peccatum destinata: quae, si peccata jam sint deleta, non faciet quidem ex injusto justum, sed ex justo magis justum, augens gratiam illam, quae inhaesione sua omnem peccati lethalis maculam excludit. Quod alia ratione exprimi potest: cum nimirum illi, qui contritionis virtute peccatorum jam consecutus est remissionem, absolutionis beneficium impertitur, peccata iterum remittuntur novo scil. titulo, collata gratia, quae peccata, si qua invenit, delet; sed si jam sunt remissa, amplius lavat hominem Deo reconciliatum ab iniquitate sua aucta ejus munditie. Quare absolutio hoc in casu non est nuda declaratio remissionis jam obtentae, sed ejusdem confirmatio efficax, realis, novum conferens titulum realem novoque ditans beneficio hominem jam reconciliatum. Sicut lucis est expellere tenebras: iis vero luce jam exclusis, lucis augmentum exclusionem confirmat ac roborat augetque claritatem.

465. **Scholion III.** *Num requiratur contritionis intensio.* — Ut doctrina catholica thesi praecedenti exposita melius intelligatur, nonnulla sunt addenda. Ex iisdem fontibus colligimus

1. non requiri ad peccati remissionem extra sacramentum, ut contritio habeat certum quendam intensionis gradum, sed sufficit, ut sit appretiative summa. Hinc s. Alph. Liguori theol. mor. l. 16 tr. 4 de poenit. n. 441 non dubitat affirmare: „Dolor omnis peccati, qui proficiscitur ex amore Dei praedominante super omnia etiam remisso, est justificans hominem extra sacramentum, ut communiter docent doctores.“ Contrarium plures affirmarunt ut Estius, Le Drou diss. 4 de contrit. et attrit. c. 1, Jueninus, Billuart in tract. de contrit. etc.

Amare autem aliquid appretiative significat, amare illud secundum judicium aestimationemque intellectus de pretio objectivo rei amatae: ideoque talis amor a nonnullis dicitur amor intellectualis. Quare si voluntas amando Deum creaturis theoretice et practice praefert secundum judicium intellectus, qui judicat majorem inesse Deo bonitatem, quam reliquis omnibus rebus, ejus

amor appretiative erit summus. Intensio vero actus alicujus v. g. amoris, supponit eum jam in suo genere constitutum, estque nonnisi quaedam amoris qualitas et affectio, orta ex vehementiori facultatis ad objectum applicatione et hujus in illam influxu. Cum autem objecta sensibilia magis moveant, quam spiritualia, facultatesque etiam sensitivae vehementius applicari possint suis objectis, quam rationales: nil mirum si amor vel dolor sensibilis intensior esse soleat amore rationali et spirituali. »Vires inferiores, inquit s. Thomas supplem. q. 3 a. 1, moventur vehementius ab objectis propriis, quam ex redundantia superiorum virium: et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tanto magis sequuntur eorum motum: et ideo major dolor est in sensitiva parte ex laesione sensibili, quam sit ille, qui in ipsam redundat ex ratione; similiter major, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato non est major dolor aliis doloribus, qui in ipsa sunt; et similiter nec dolor, qui est voluntarie assumptus, quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut tanta et talis passio sequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat superior.« Quamobrem fieri potest **a.** ut amor sit appretiative summus, et tamen non adsit intensio sensibilis; **b.** ut aliquis amor Dei sit admodum intensus (sensibilis nimirum ex vehementi concione obortus), quin sit appretiative summus; **c.** ut homines magis afficiantur et secundum affectum sensibilem magis commoveantur amore rerum creatarum earumque amissione quam amore Dei ejusque offensa, et tamen Deum super omnia appretiative ament. Quare **d.** intensio sensibilis fallax est criterium, quo de sinceritate veri amoris et doloris judicetur. Neque **e.** intensio sensibilis est praecepta, cum plerumque non sit in nostra potestate, et quamvis subinde Dei sit donum, saepe tamen pendet a naturali hominis dispositione. — Distingui etiam potest duplex intensio: essentialis et objectiva, quae tunc habetur, cum actus omnia essentialia complectitur, ut in se suoque genere sit perfectus; altera accidentalis, ea scilicet, de qua locuti sumus quaeque in vehementiori facultatis applicatione consistit. Illa, non haec requiritur, ut contritio justificet. Ceterum ad solvendas difficultates distinguatur remissio culpae a remissione culpae et totius poenae etiam temporalis; item simplex culpae remissio a conversione, quae sit stabilis deinceps, constans adversus tentationes, ad finem usque perseverans. Ad hanc, non ad priorem, necessaria dici poterit contritio non quaelibet, sed intensa et fervida. Cf. Michl in discuss. theol. 4 de contr. et attrit.

466. Frustra vero provocant, qui exigunt certum quendam intensionis gradum in contritione, ad dilectionis praeceptum Deut. 6, 4 et Matth. 25, 37, quo praecipitur ut Deum diligamus ex *toto* corde, ex *tota* anima, ex *tota* virtute, ex *omnibus* viribus; sive ad Joelis verba 2, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis et in fletu et in planctu* etc. Hisce enim non significatur Deum esse diligendum omnibus viribus intensive, quo sensu praeceptum esset vel impossibile, vel durum et occasio innumerarum anxietatum: sed extensive seu appretiative: ita scil., ut Deus praeferatur omnibus nullusque amor deliberatus admittatur, qui sit contrarius amori divino, omnisque amor alterius rei, ut pa-

rentum, bonorum temporalium etc. sit ei subordinatus. Ita enim amor Dei dominabitur in corde illudque totum occupabit. Aliis verbis, sermo est non de totalitate intensionis, sed de ea, quae opponitur duplicitati, divisioni cordis inter Deum et aliud objectum Deo non subordinatum, sed ipsi oppositum.

Ad rem s. Thomas 2. 2 q. 44 a. 4 ad 2: „Dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere: uno quidem modo in actu, i. e. ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, et ista est perfectio patriae; alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scil. quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat; et haec est perfectio viae, cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum caritatis, cum non tendat in oppositum objectum, sed solum impedit caritatis usum.“ Cf. a. 5; q. 24 a. 8. — Et s. Bonaventura in 3. d. 27 a. 2 q. ult.: „In praecepto diligendi Deum ex toto corde duplex totalitas cordis indicatur: una quae excludit omnes affectus contrarios amori Dei, ita ut nihil diligatur supra Deum, et ad hunc modum diligendi Deum tenemur in via vi istius praecepti.“ Cf. in 4. d. 16 p. 1 a. 2 q. 1. — Jam Theodoretus praeceptum dilectionis q. 3 in Deuter. explicans scribit: „Manifeste nos docuit Dominus, neminem posse duobus dominis servire. Et hoc igitur loco docemur, dilectionem non partiri inter Deum et aurum, Deum et uxorem, inter Deum et liberos, inter Deum et amicos: sed totam dilectionis vim Deo creatori consecrare, deinde post creatorem quae unicuique conveniant tribuere, et parentibus et uxori et liberis et fratribus et amicis. Siquidem pertinet ad dilectionem Dei haec etiam praestare. *Qui enim diligit me,* inquit (Joan. 14, 15), *mandata mea servabit.* Mandata vero Dei ista praecipiunt.“ Cf. etiam in Joel 2, 12; Basilius in Ps. 44, 2. — Ipse Christus passim veram Dei dilectionem in eo consistere docet, ut nihil ei praeferatur Matth. 10, 37; Luc. 14, 26 etc., et in praeceptorum observatione Joan. 14, 21; 15, 10; ita et Joannes 1 ep. 2, 5; 3, 14. 24; 5, 3.

467. 2. Colligimus ex iisdem fontibus, non requiri, ut contritio perfecta extra sacramentum justificet, *certam quandam temporis durationem.* Quare s. Thomas 3 p. q. 84 a. 8 ad 1 docet: „Homo in primo instanti verae poenitentiae remissionem consequitur praeteritorum.“ Quod patres passim inculcant occasione eorum, quae legimus 2. Reg. 12, 13. Vix enim David post patratum adulterium et homicidium audita prophetae Nathan correptione dixit: *Peccavi Domino*, audivit ex ejusdem ore: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Ideoque ait Ps. 31, 5: *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Quem in l. Gregorius M. (vel alius auctor): „Attende, quanta sit indulgentiae vitalis velocitas, quanta misericordiae Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat poenitentia: ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat.“ Ez. 33, 12: *Justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit: et impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Sicut ergo momento peccator a Deo averti potest,

ita momento quoque conversione perfecta eidem poterit reconciliari. Cf. s. Coelestini verba n. 457e. Falsum ergo est quod scribit Juenius in comment. historico dogm. diss. 6 q. 9 c. 4: „Toti antiquitati fuisse persuasum, contritionem non esse unius diei opus, sed multorum mensium, imo et nonnunquam annorum.“ Cf. Collet p. 2 c. 4 a. 1.

468. **3.** Quaeritur *quaenam caritas ad contritionem perfectam requiratur.* Responderi solet, requiri amorem amicitiae et benevolentiae, quod verissimum est. Si ulterius quaeris, quodnam sit hujus caritatis motivum formale, non eadem est theologorum responsio. Plures respondent, requiri, ut Deus ametur propter bonitatem absolutam: non sufficere ut ametur propter suam bonitatem relativam seu ut est summum bonum nostrum. Optaremus tamen praeter assertiones et nomina theologorum, qui pro hac sententia stant, audire vel unum argumentum theologicum convincens. Hinc non desunt alii theologi qui contendant, toties amorem esse perfectum, ideoque justificantem extra sacramentum, quoties motivum et ratio amandi Deum est indistincta a Deo, hinc etiam si Deus ametur ut summum bonum et beatitudo nostra seu propter bonitatem respectivam: nam et haec est perfectio indistincta a Deo: si ergo propter eam amatur Deus, amatur propter se [1]).

Et sane **a.** vix reperitur in divinis literis expressio perfectae sinceraeque caritatis erga Deum, quae non feratur in ipsum ut est summum bonum nostrum: bonitatis vero absolutae Dei tamquam motivi necessarii nunquam fit mentio. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei* Ps. 41, 2 s. *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum ... Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo: multo magis melius* Phil. 1, 21 s. Cf. 1. Jo. 4, 19; Gal. 2, 20 etc. Hoc motivum passim proponit Augustinus, cum de perfecta, imo ferventissima Dei caritate disserit. Ita in Ps. 85 n. 8: „Invoca Deum tamquam Deum; ama Deum tamquam Deum. Illo melius nihil est: ipsum desidera, ipsum concupisce. Vide invocantem Deum in alio Psalmo: *Unam petii a Domino, hanc requiram* (Ps. 26, 4). Quid est quod petit? Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Ut quid hoc? ut contempler delectationem Domini. Si ergo amator Dei esse vis, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo jucundius nihil invenis, quo me-

---

[1]) Cf. Pallavicini, del Bene l. 1 p. 2 c. 4. 5, qui id egregie illustrat similitudine; Faure in annot. ad s. Augustini enchiridion n. 8 et 120. Notetur hoc criterium discernendi inter caritatem theologicam, perfectam, justificantem et amorem Dei imperfectum: Si motivum amandi Deum est extra ipsum situm, amor est imperfectus, mercenarius etc.; si motivum est in Deo, indistinctum, amor perfectus est et justificans (dummodo sit simul appretiative summus). Quare duplex potest distingui amor imperfectus seu initialis vel **1.** ratione motivi, si Deus diligitur propter motivum ab ipso distinctum, vel **2.** ratione gradus: si Deus diligitur quidem propter motivum ab ipso indistinctum, sed nondum appretiative super omnia.

lius, quo laetius, quo diuturnius [1]).« Et sane cum s. Franciscus seraphicus exclamaret: »Deus meus et omnia,« actum perfectissimae elicuit caritatis: et tamen Deum consideravit, quatenus sibi erat omnia i. e. summum suum bonum.

Quod **b.** illustrari potest ex castissimo amore, quo sponsa sponsum, amicus amicum, filius patrem prosequitur, quocum caritas Dei perfecta a patribus libenter conferri solet: notio enim amici, sponsi et patris bonitatem non tam absolutam, quam potius respectivam prae se ferre videtur.

c. Tantum abest, ut hic amor sit imperfectus, ut quam maxime sit perfectus cedens in immensam dilecti gloriam: testimonium enim est, eum tantae esse bonitatis, ut sufficiat ad alios beandos. Hinc non desunt theologi, qui verbis quidem alteri sententiae patrocinantur, demum tamen in hanc nostram relabuntur.

469. **Thesis CCXLVI.** ***Ad remissionem peccatorum virtute potestatis clavium obtinendam non requiritur contritio caritate perfecta.***

Demonstratio. Thesis statuitur contra plures theologos antiquiores et recentiores, atque etiam contra prop. 36 synodi pistoriensis, quam damnavit Pius VI., eaque est fidei proxima. Colligitur vero

1. ex damnatione prop. 58 Baji: „Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur;“ unde consequitur, doctrinam esse catholicam, ministerio sacerdotis absolventis vivificari peccatores poenitentes. Atqui si contritio perfecta ad absolutionem praerequiritur, nunquam peccatores virtute absolutionis vivificantur, utpote jam virtute contritionis vivi. Ergo contritio perfecta non requiritur.

2. Juxta doctrinam concilii trid. et patrum (th. 247) absolutio peccatori adeo est necessaria, ut hic ex ejus defectu perire possit. Atqui nullus unquam periret ex absolutionis defectu, si ad eam valide recipiendam semper necessaria esset contritio perfecta. Vel enim moribundus habet contritionem, et tunc etiam sine absolutione salvabitur; vel ea caret, et tunc nulla absolutio proderit, cum desit debitus dolor sine quo valide absolvi non posset.

---

[1]) Cf. in Ps. 53 n. 10; in Ps. 55 n. 17; in Ps. 90 serm. 2 n. 13; in Ps. 77 n. 21; in Ps. 79 n. 14; in Ps. 86 n. 1; serm. 165 n. 4 et serm. 15 n. 4 in PP. bibl. nova ed. Mai. Hugo a s. Victore de sacr. l. 2 p. 13 c. 8 acriter in eos invehitur, quibus amor Dei ut est summum bonum nostrum, amor purus et perfectus non videtur: »Audite homines sapientes. Diligimus, inquiunt, ipsum, sed non quaerimus ipsum. Hoc est dicere: diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a vobis . . . Quomodo, inquiunt, mercenarii non sumus, si Deum propter hoc diligimus, ut praemium ab eo accipiamus? Non est gratis hoc amare, neque amor iste filialis, sed mercenarii et servi, qui pretium quaerit pro servitute sua. Qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non intelligunt. Quid est enim diligere, nisi ipsum velle habere? Non aliud ab ipso sed ipsum, hoc est gratis. Si aliud quaereres ab ipso, gratis non amares« etc. Cf. Palmieri th. 22 ss. et speciatim de hac quaestione auctores plures citatos in nostro Nomenclatore literario III², 531 ss.

3. Denique clavium potestas Ecclesiae concessa fuit ad reconciliandos Deo peccatores; atqui hunc fructum nunquam assequitur, si ad absolutionem necessaria semper est contritio perfecta, quae ante absolutionem jam peccatorem Deo reconciliat. Quare contritio non est necessaria ad peccatorum remissionem virtute clavium obtinendam.

470. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Opponi potest patrum auctoritas, qui reconciliationem peccatoris conferunt cum Lazari resuscitatione. Cf. Morinus I, 7. Unde inferunt adversarii: sicut apostoli non Lazarum mortuum, sed jam a Christo resuscitatum solverunt Jo. 11, 44: ita sacerdotes illos tantum possunt absolvere, quos Deus gratia sua jam a morte excitavit, seu jam vivos. Atqui peccator contritione perfecta destitutus adhuc est mortuus. Ergo absolvi non poterit. Quare ad absolutionem validam requiritur contritio perfecta, qua jam antea vivificetur. Verum facile solvitur difficultas, distinguendo inter vitam habitualem, perfectam, quae gratia sanctificante continetur: et imperfectam, initialem, quae consistit in actibus salutaribus ex gratia actuali et cooperatione liberi arbitrii profectis, et quibus homo aspirat et disponitur ad vitam habitualem. Hanc duplicem vitam bene distinguit Augustinus serm. 89 c. 6 et in Ps. 102 serm. 2 n. 3. Huc spectat prop. 64 Baji damnata: „Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.“ Atqui vita initialis, non vero vita perfecta, ad absolutionem praerequiritur, et hujus auctor est etiam Deus. Nisi enim Deus peccatori inclamet: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* Ephes. 5, 14, peccator ad remissionem peccatorum consequendam se disponere non posset.

471. Opponi praeterea potest auctoritas plurium theologorum scholae per tria secula, qui contritionem exigebant pro obtinenda absolutione. Verum post concilium trid. horum opinio est deserenda. Ceterum hic theologorum numerus exaggeratur: nam ante conc. tridentinum sat communis fuit sententia s. Thomae et Scoti sacerdotis absolutione deleri peccata, ut liquet vel ex Lutheri dicteriis. Ex iis vero, ad quos adversarii provocant, alii vel negant virtutem principalem remittendi peccata, non vero ministerialem (cf. s. Thomas in 4. d. 18 q. 1 a. 3 sol. 1 ad 1), et aliis in locis haud obscure docent sacramento poenitentiae deleri peccata, etiamsi quis non sit contritus; alii non satis inter se consentiunt. Immerito autem adversarii ad hos theologos provocant, cum hi tueantur cum Ecclesia catholica contritionem caritate formatam justificare extra sacramentum, quod ipsi negare solent.

Neque ad hos theologos provocare possunt protestantes ad confirmandum suum figmentum de potestate clavium, quae tantum sit declarativa. Omnes enim **a.** admittebant poenitentiam verum esse sacramentum ad salutem necessarium; **b.** confessionem esse jure divino ad salutem necessariam; **c.** contritionem eatenus tantum remittere peccata, quatenus votum complectitur recurrendi ad clavium potestatem; **d.** clavium potestatem non esse tantum theoreticam et inefficacem, sed omnino practicam: docebant enim vi hujus potestatis habere sacerdotes jus α. imponendi satisfactiones, β. remittendi saltem reatum poenae vel aeternae (ita Hugo a s. Victore de sacr. l. 2 p. 14 c. 8) vel tem-

poralis (ita Richardus a s. Victore de potest. lig. et solv. c. 6; Alexander hal.), γ. conferendi gratiae augmentum (ita Biel), aut gratiam actualem, qua peccator non satis dispositus reddatur dispositus, seu ‚ex attrito fiat contritus', ut solent loqui theologi scholae. Ita s. Bonaventura in 4. d. 17 p. 2 a. 1 q. 4; Henricus gandav. quodlib. q. 32 etc.; vel δ. ipsam remissionem peccatorum, si poenitens non esset satis contritus: ita Guilelmus paris. de sacr. poenit. c. 4; vel aliquem ornatum exigentem gratiam (cf. n. 267 [1]). Quod si quaeras, quomodo quis ex attrito fiat contritus: respondemus, fieri id posse vel successione actuum seu motivorum, cum dolori imperfecto attritionis succedit dolor ex caritate perfecta; vel aequivalenter cum quis attritus mediante sacramento consequitur justificationis gratiam: tunc enim re idem consequitur, ac si fuisset contritus. Hoc modo hanc loquendi formulam explicat Tapper in defens. art. 4, qui est de contrit. contra Lutherum: „Id enim intelligimus ex attrito fieri contritum, gratiam et sanctificationem consequi virtute sacramenti, perinde ac si vere esset contritus: non autem ac si inesse incipiat actus aliquis, qui est proprie contritio ex Dei super omnia dilecti amore procedens." Ita etiam Canus relect. de poenit. p. 6. Atqui haec doctrinae capita adversantur protestantium erroribus. [1]).

472. *De attritione.* — Cum ergo ad peccatorum remissionem obtinendam requiratur aliquis dolor, et quidem in praesenti ordine supernaturalis, non autem contritio perfecta: sequitur corollarii modo, sufficere contritionem imperfectam, quae jam a pluribus seculis attritio [2]) dici solet. Discrimen vero inter contritionem perfectam et attritionem non satis bene explicant theologi illi, qui contendunt, attritionem a contritione distare gradu tantum et intensione [3]); differunt enim specie, scil. motivo. Toties habetur attritio, quoties de peccatis dolemus ex motivo supernaturali sed distincto a perfecta caritate: conveniunt vero secundum concilium trid. sess. 14 c. 4 in eo, quod utraque est „animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero."

473. Jam quaeritur *num quaevis attritio supernaturalis* ex quocunque demum motivo concepta *ad sacramentum poenitentiae sufficiat;* quod nobis omnino affirmandum videtur post concilium tridentinum. Nam

1. secundum conc. c. 3 contritio est unus ex illis actibus, qui cum absolutione sacramentum constituunt. Atqui eam contritionem definit synodus c. 4 „animi dolorem ac detestationem de peccato cum proposito non peccandi de cetero," nulla facta mentione motivi. Ergo quodcunque demum sit motivum contritionis, dummodo ea sit supernaturalis animi

---

[1]) Cf. Suarez in 3, p. t. 4 d. 19 s. 2: Palmieri th. 25 s.; in primis Schäzler die Lehre von der Wirksamkeit der Sacr. § 14 ss.

[2]) Hoc nomen non primus induxit Alexander halensis († 1245), ut censet Morinus: sed ut jam notum adhibetur ab Alano ab Insulis († 1203) in reg. theol. c. 85 (Mig. 210, 618).

[3]) Varias de hoc discrimine sententias cf. apud Collet de poenit. p. 3 c. 4 a. 2 § 1, aliasque de attritione quaestiones et opiniones ib. a. 4.

dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ad sacramentum poenitentiae sufficiet. Unde sponte sua consequitur, attritionem illam sufficere, quae „vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludit cum spe veniae [1])."

2. Eoque magis, quod conc. illi eam disponendi vim ad justificationem tribuit in sacramento, qua caret extra illud. Atqui extra sacramentum ea est dispositio remota. Ergo in sacramento est proxima, quae scil. cum eo sufficit ad peccatorum remissionem obtinendam.

3. Deinde concilium eam speciei instar complectitur sub illa contritione, quam initio capitis definierat, quamque cap. 3 dixerat partem sacramenti. Atqui quod valet de genere valet et de specie. Ergo ad validam absolutionem sufficit ejusmodi attritio.

4. Ad haec, ut sacramenta operentur, sufficit remotio obicis. Atqui obex in sacramento poenitentiae, qui est adhaesio ad peccatum, sufficienter removetur attritione, quae est animi dolor et detestatio de peccato cum proposito non peccandi de cetero, etiamsi haec eliciatur ex timore gehennae. Ergo talis attritio sufficiet.

474. Multa tamen sunt, quae huic opponuntur illationi. Sunt qui ipsum gehennae timorem carpant damnentque, quod solum cohibeat manum a pravo opere, non vero cor a pravo affectu. Ita non tantum lutherani, sed et janseniani et quesnelliani. Quod prorsus est falsum, alioquin Scripturae et patres non adeo commendarent bonitatem, utilitatem, efficaciam timoris gehennae. Ideoque etiam Ecclesia saepius illum errorem damnavit, ut in concilio tridentino sess. 6 can. 8 et sess. 14 c. 4 et can. 5; proscriptione prop. Quesnelli 60—67 et prop. 25 synodi pistoriensis, qua Pius VI. paucis complectitur doctrinam catholicam: „Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet ‚dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum': quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem justitiae: falsa, temeraria, perniciosa,

---

[1]) Omnia attritionis motiva ad ea, quae his verbis concilium recenset, revocari possunt. Nam cum in peccato non sint nisi culpa et poena, peccatum detestatur homo vel ratione culpae vel ratione poenae. Si ipsum detestatur ratione culpae, motivum detestationis erit turpitudo peccati, quae detestatio a pluribus virtutibus, quibus peccatum opponitur, elici aut imperari potest, et si eliciatur aut imperetur a caritate, erit contritio: si ab alia virtute, erit saltem attritio. Si vero detestetur homo peccatum ratione mali, quod inducit, hoc est vel privatio beatitudinis vel poena positiva a Deo inflicta aeterna aut temporalis; ideoque motivum ejus erit vel spes seu desiderium vel timor. Ita Palmieri thes. 21.

divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinae concilii trid., tum et communi patrum sententiae, ‚opus esse', juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam, ‚ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas' ex s. Augustino in 1. Jo. 4 tr. 9 etc."

475. *Exceptionibus satisfit.* — Ad solvenda sophismata memineris **1.** multas esse timoris species juxta s. Thomam 2. 2 q. 19 a. 2. Alius est naturalis, quo natura duce mala naturae reformidamus; alius mundanus seu humanus, quo quis ita mala et damna ab hominibus inferenda metuit, ut ad ea vitanda Deum offendere non refugiat; alius servilis, cum quis gehennae poenarumque a Deo infligendarum metu divinam exsequitur legem deque peccatis dolet. Quod si is non solum manum, sed et voluntatem cohibet a peccato, simpliciter servilis dicitur: si vero manum tantum cohibet metu poenae, quin reprimat peccandi desiderium, dicitur serviliter servilis. Alius est filialis seu castus, qui Deum ut patrem amantissimum reveretur: alius dicitur initialis seu mixtus, cum quis culpam timet et propter offensam Dei et propter poenae metum. Controversia nulla est de timore filiali et initiali, quem omnes bonum esse concedunt; neque de timore mundano et serviliter servili, qui certo malus est, sed de timore simpliciter servili. Quare praecipites sunt, qui ex eo, quod patres aliquem poenae timorem damnant, omnem esse malum inferunt.

2. Inepte nonnulli timorem poenae calumniantur, quod semper adjunctam habeat voluntatem quandam interpretativam peccandi, nisi poena immineret. Non enim vident, pari ratione omnes fere actus vel sanctissimos simili calumniae esse obnoxios: nam aeque calumniari possemus illum, qui cum psalmista Ps. 118, 112 dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Neque vident, quod si haec voluntas peccandi esset deliberata ideoque verum peccatum, ab ipso sincero et genuino inferni timore excluditur, cum propter illam incurritur infernus, quem hic timor refugit. Ad rem Chrysostomus hom. 15 de statuis, in qua praeclare de utilitate timoris poenarum disserit: „Sicuti in domo, inquit n. 1, stante milite semper armato non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit; sic et metu animos nostros occupante illiberalium nulla perturbationum facile nos subrepit, sed omnes fugiunt et pelluntur timoris imperio undique exacti." — Et s. Thomas in Ps. 18, 8: „Dicitur *convertens* (lex convertens animas) non tantum exteriores actus, sed et animas. Sed lex vetus hoc faciebat imperfecte, lex nova perfecte: quia lex vetus cohibebat per poenas temporales, sed lex nova cohibet per poenas aeternas, quae coërcent cor."

3. Frustra nos terrent inimici timoris servilis, cum dicunt, eum oriri ex amore proprio, ex fonte scilicet vitioso. Amor enim proprius, si inter debitos se continet limites, non solum non est malus, sed bonus; alioquin neque creator illum naturis inseruisset, neque Salvator normae instar proponeret, ad quem exigendus sit amor proximi supernaturalis. Neque inordinatum est propter poenam vitare culpam, cum ideo Deus intentet poenam, ut vitetur culpa. Qui ergo ex hoc motivo culpam cavet, agit secundum Dei voluntatem, hinc certe non inordinate; neque necessario comparationem instituit inter malum poenae et malum culpae illudque huic praeponit; neque timens ob poenae ti-

morem culpam positive excludit nobilius motivum, sed praecisive se habet: solent enim homines ab ejusmodi praescindere comparationibus, quae non sunt praeceptae, nedum consulendae. Cf. Thomas 2. 2 q. 125 a. 1; q. 7 a. 1 et in 4. dist. 17 q. 2 a. 3 qcl. 1 ad 4, ubi postquam subtiliter inquisivit, num culpa magis quam poena poenitenti odio sit habenda, prudentissime monet: „Sciendum est etiam, quod quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non tamen de his tentandus est; quia homo affectus suos non de facili mensurare potest; et quandoque illud quod minus displicet, videtur magis displicere, quia est propinquius sensibili nocumento, quod magis est nobis notum.“ Idem instantius inculcat quodl. 1 a. 9. Melius facerent hi moderni ascetae, si cessarent ab impugnando tam salutari poenarum infernalium metu timerentque ipsi secundum s. Spiritus consilium hanc tremendam peccati poenam. Hac sua ascesi tantum daemonem juvant, cujus praecipuum est studium eliminare ex hominum corde poenarum timorem, prout id vel in protoparentibus attentavit (*nequaquam morte moriemini* Gen. 3, 4). Eliminato siquidem poenarum metu facile inducet peccandi licentiam. Quare merito ejusmodi ascetis applicantur illa Clementis al. Strom. II, 7: „Qui timorem accusant, legem insectantur: quod si legem, clarum est, quod illum quoque qui legem dedit Deum.“

4. Quod Augustinum attinet, certum est **a.** eum passim laudare timorem servilem ut salutarem, bonum, etc. En praeclarum ejusdem testimonium in Ps. 127 n. 7: „Alius non in hac terra pati timet, sed gehennam timet. Unde terruit et Dominus. Audistis, cum Evangelium legeretur: *Ubi vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur* (Marc. 9, 45). Audiunt haec homines, et quia vere futura sunt impiis, timent et continent se a peccatis . . . Timent quidem, sed non amant. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiae, et incipit quod durum erat amari et dulcescit Deus, et jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet poenas, sed quia amat aeternitatem. Exclusus est ergo timor a caritate, sed successit timor castus.“ Cf. tr. 9 in ep. Jo. n. 4 (opusc. XVI, 168 a.). Apud s. doctorem **b.** formulae negantes vel formulae his aequivalentes, ut ‚sine amore, sine caritate‘ etc. (sicut etiam in Scripturis), saepe designant non simplicem omissionem actus amoris vel absentiam motivi caritatis, sed actum habitumque plane oppositum odii, aversionis etc.: accipiuntur scil. in sensu contrario. Praeterea **c.** nomen caritatis multiplicis est significationis apud Augustinum, ut notavimus n. 51[2]. Saepe **d.** loquitur s. doctor de timore poenae naturali, pelagiano, qui passim inter judaeos non ex defectu gratiae, sed ob perversam eorum voluntatem dominabatur; vel quandoque **e.** extenuat bonitatem timoris poenae prae efficacia caritatis, vel **f.** vult significare, solum timorem non sufficere ad justitiae perfectionem vel in ea perseverantiam. Cf. Faure in Aug. enchir. n. 121.

476. Acris est inter theologos controversia, *num ad attritionem* sufficientem pro obtinendo beneficio absolutionis, necessario *requiratur initialis* aliqua *dilectio*. Nolumus ingredi controversiam, quae satis soluta censeri potest ex dictis n. 473, et ex Alexandri VII. decreto, quo praecipit cunctis et singulis fidelibus, ut „non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata

attritione (sufficiente ad valide recipiendum poenitentiae sacramentum) ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum." Atqui profecto Ecclesia non posset permittere sententiam initialis amoris necessitatem negantem, si non certum vel saltem probabilius esset, initialem amorem non requiri ad validam absolutionem, ne poenitentiae sacramentum exponeret cum damno tot animarum nullitatis periculo: nam damnavit Innocentius XI. prop. 1: „Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi etc." Eoque minus volumus ingredi hanc controversiam, quod

1. practice ea non tanti videtur momenti, ut a multis habetur; neque enim poenitentes de hac initiali dilectione anxie interrogandi sunt, quam potius de sinceritate doloris: et in praxi animarum pastori sollicite est satagendum, ut poenitentes quo meliori fieri possit modo ad reconciliationem sint parati. Si vero ea theoretice spectatur,

2. ea est difficilis, quod vix definiri potest, quae dilectio et quo in gradu requiratur. Quam ob rem vix ulla est amoris species ullusque gradus in tota dilectionis scala, quae suos non habeat patronos; et quod est consequens, argumenta, quibus singuli suam tuentur sententiam, plerumque nimium vel nihil probant.

Provocant enim ad testimonia Scripturae et patrum, quae agunt, vel de caritate habituali, vel actuali sed perfecta, vel de necessitate caritatis ad meritum vitae aeternae, aut ad perfectam conversionem et perseverantiam in ea, vel de necessitate illius amoris, qui non distinguitur a qualibet pia et salutari voluntatis motione. Neque plus probat princeps eorum argumentum ex conc. trid. sess. 6 c. 6, ubi concilium ad justificationem baptismo consequendam exigit, ut peccatores incipiant diligere Deum, ut justitiae fontem: ex quo inferunt, si jam ad justificationem baptismo obtinendam initialis requiritur dilectio, a fortiori ea requiritur ad justificationem poenitentiae sacramento consequendam. Verum probandum esset, concilium recensere ibi actus omnes, qui ad justificationem absolute necessarii sunt: quod probari nequit, recensetur enim et actus timoris. Probandum deinde foret, concilium loqui de dispositione ad justificationem per baptismum actu susceptum consequendam. Atqui concilium loquitur de ea dispositione, quae ad justificationem etiam cum solo voto baptismi sufficit [1]), ut liquet ex collatione cum c. 4, 6. 7; ad hanc autem sane requiritur Dei dilectio. Quare argumentum hoc vacillat.

---

[1]) Hoc argumentis externis internisque probat Benaglio in op. erudito et docto dell' attrizione t. 2 c. 2 ss. Quae interpretatio cum adversetur explicationi apud auctores obviae, qui verba sess. 6 cap. 6 non de caritate perfecta, sed de initiali dilectione intelligunt, juverit saltem potiores ejus theses hic apponere;

1. »Doctrina de contritione parte essentiali sacramenti poenitentiae proposita a concilio tridentino exclusive hauriri debet ex sess. 14.« Qua thesi nil verius, cum

3. Denique haec quaestio relate ad plures theologos videtur quaestio magis de nomine quam de re. Si enim amoris initialis nomine eum intelligunt, qui implicite latet, et ut ita dicam, imbibitur in attritione, quatenus attritio est **a.** actus salutaris voluntatisque pia motio, omnis autem pia motio modo loquendi Augustini caritas dici potest: quatenus **b.** attritio ex gratia proficiscitur, quae finaliter ad caritatem aspirat; quatenus **c.** removet obicem caritatis i. e. peccatum et propositum includit servandi Dei mandata, inter quae est illud de diligendo Deo; quatenus **d.** odium peccati complectitur et spem veniae, quae implicite oriuntur ex amore beatitudinis et pacis cum Deo etc.: si hoc, inquam, sensu necessitatem tuentur amoris initialis, nullus erit attritionistarum, qui non in eandem conspiret sententiam.

Cf. Viva in propos. 15 ab Alexandro VIII. damnatam, qui ita scribit n. 26: „Quis enim neget voluntatem adhibendi media ad reconciliationem cum aliquo esse aliqualem illius amorem? Includitur etiam in proposito servandi in posterum Dei mandata et non amplius peccandi: constat enim hujusmodi propositum esse pariter aliqualem et inchoatum Dei amorem, cum enim inter praecepta detur praeceptum dilectionis, qui proponit servare praecepta, inchoate et in causa diligit. Praeterea in ipso odio peccati quamvis ex motivo poenarum concepto includitur etiam aliqualis dilectio et caritas inchoata. Qui enim odit alicujus malum, aliqualiter illum amat amore veluti negativo, nolendi scil. illi malum: esto non velit illi positive bonum condistinctum a carentia talis mali.“ Liberius a Jesu t. 4 tract. 5 de poenit. disp. 3 a. 1 decem et septem rationibus nititur ostendere, attritionem ex metu gehennae posse dici Dei dilectionem inchoative et in radice. Cf. Palmieri th. 25 ss.

---

concilium testetur in prooemio illius sessionis, se velle tradere definitionem exactiorem et pleniorem de sacramento poenitentiae.

2. „Opinio de necessitate alicujus amoris ad suscipiendum baptismi sacramentum ignota fuit patribus concilii.“ Quod colligit ex actis sess. 14. Nemo enim patrum, qui putabant ad contritionem pro poenitentiae sacramento sufficientem necessarium esse aliquem dilectionis actum, provocabat ad sess. 6 cap. 6.

3. „Adversariorum explicatio c. 6 sess. 6 adversatur agendi modo concilii nolentis definire controversias scholasticas.“ Hinc card. Pallavicini illam ignoravit et tamen ipse nihil omittit eorum, quae suae favent opinioni de necessitate dilectionis initialis ad sacramentum poenitentiae.

4. Haec explicatio adversatur concilii intentioni, quod intendit docere praeparationis modum ad justificationem in genere sive extra, sive intra sacramentum.

5. „Ex antithesi lutheranorum liquet verba ‚incipiunt diligere‘, esse accipienda de dilectione perfecta:“ et ex Thoma 3. q. 85 a. 5, unde conc. decretum derivavit.

6. Huic expositioni non adversantur verba concilii ejusdem capitis: „Per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet.“ Haec enim apposita sunt, non ut significetur poenitentia, quae cum actuali baptismi susceptione sufficiat, sed ut distinguatur ab ea, quae requiritur ad sacramentum poenitentiae.

7. Explicationi propositae suffragatur catechismus romanus p. 2 c. 5 n. 8; suffragantur et theologi concilio coaevi eique suppares ad finem usque seculi XVI. Cf. etiam Suarez de incarn. disp. 4 sect. 8.

Caput III.

De confessione deque ejus ad remissionis peccatorum beneficium obtinendum necessitate.

477. **Thesis CCXLVII.** ***Ad remissionem peccatorum letalium post baptismum commissorum obtinendam tenentur fideles ad clavium potestatem recurrere.***

Demonstratio. Thesis est de fide, ut colligitur ex concilii trid. sess. 14 can. 6: „Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino . . . A. S.“ Quamvis autem hoc canone directe definita sit confessionis necessitas, indirecte et implicite omnino definita censeri debet necessitas recursus ad ministros clavium, quibus facienda est confessio ad obtinendam absolutionem. Cf. can. 7 n. 480; cap. 2 et sess. 6 can. 29. Probatur

1. tum ex verbis, quibus haec potestas collata fuit (n. 436), tum ex verbis Pauli 2. Cor. 5, 18 s.: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis . . . . Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo,* ex quibus sic licet argumentari: Reconciliatio peccatoribus etiam jam baptizatis est necessaria. Atqui hanc Christus concredidit Ecclesiae ministris, ut liquet **a.** ex Pauli verbis; **b.** ex collata clavium potestate; **c.** ex potestate retinendi peccata, quae frustranea esset, si independenter ab Ecclesiae ministris pateret reconciliationis via; **d.** ex analogia cum baptismo. Sicut ergo recursus ad ministros baptismi re vel voto est necessarius: ita necessarius erit et recursus pro peccatoribus jam baptizatis ad potestatem clavium: neque enim ulla ratio discriminis potest indicari. Hinc etiam patres poenitentiam, quae in Ecclesia agitur, alterum vocant baptismum, secundam post naufragium tabulam, et potestatem clavium exhibent parallelam baptismo, ut infra videbimus n. 514[b].

Quare apposite s. Leo ep. 108 c. 2: »Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Jesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.«

478. Neve opponantur quaedam Augustini effata, quibus videtur favere protestantium errori, baptismi recordatione deleri peccata post illius receptionem commissa ut ep. 185; l. 2 de gratia et pecc. orig. c. 39 s.; l. 3

contra duas ep. pelag. c. 3; l. 6 contra Jul. c. 13 s. et l. 1 de nuptiis et concup. c. 33 n. 38, ubi scribit: „Eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundantur atque sanantur; non solum peccata, quae nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.“ Manifestum enim est, s. doctorem refundere in baptismum subsequentium peccatorum remissionem ut in radicem necessario praesuppositam subsequentibus salutis subsidiis, non vero ut in causam proximam et seclusis aliis mediis per se sufficientem. Ideoque l. c. mox subjicit: „Quid enim prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet?“ etc.

479. **2.** Thesis evidenter probatur ex controversia cum montanistis et novatianis: ex qua constat, catholicis fuisse persuasum, poenitentes ad desperationem adduci, si eis venia ab Ecclesia negaretur (n. 454[3]). Atqui nulla fuisset desperandi ratio, si independenter ab Ecclesia posset obtineri peccatorum venia. Verbo tota controversia cum illis haereticis universaque praxis poenitentialis per plura secula tam rigida sensu et ratione carent, si semel supponatur, necessarium non esse pro impetranda letalium criminum remissione ad hanc recurrere potestatem; neque etiam potuisset Ecclesia simpliciter excludere a pace et eucharistia gravium criminum reos, qui citra poenitentiam in ea et secundum ejus normam actam ad s. communionem voluissent accedere.

3. Accedunt luculenta patrum effata. Ita Augustinus ep. 228 n. 8 hanc reddit rationem, quare Ecclesiae ministris non liceat fugere tempore invasionis hostilis: „An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt vel ligati? ... Si autem ministri adsint ... omnibus subvenitur, illi baptizantur, alii reconciliantur.“ — Victor vitensis de persec. vand. II, 11 inducit fideles exsilium episcoporum et presbyterorum ita plorantes: „Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquae perennis? Qui nobis poenitentiae munus collaturi sunt et reconciliationis indulgentia obstrictos vinculis peccatorum soluturi, quia vobis dictum est: *Quaecunque solveritis* etc.?“ — „Soli enim illi (i. e. Ecclesiae catholicae), inquit Fulgentius de remiss. pecc. 1, 24, Dominus ligandi solvendique tribuit potestatem dicens: *Tibi dabo claves regni coelorum* etc. Quod ergo sancta Ecclesia in hoc seculo non solverit, ita insolubile permanet, ut etiam in futuro solvi nullatenus possit. Ligatus est autem omnis homo, quem ista non solverit, nec consequetur aliquod solutionis beneficium, qui non conversus ad poenitentiam in Ecclesia sibi dandam speraverit indulgentiam peccatorum.“ Cf. aurea verba s. Cypriani ep. 54 ad Cornel.

n. 1 et 4 opusc. XXI; s. Coelestini n. 457[d], aliaque n. 438[2] et 514[b]; Palmieri th. 10.

480. **Thesis CCXLVIII.** ***Fidelibus peccatoribus jure divino officium incumbit confitendi omnia et singula peccata gravia post baptismum patrata.***

Declaratio. Confessionis [1]) necessitatem negant in primis novatores sec. XVI., quorum tamen nonnulli illius concedunt utilitatem et etiam factum, quod ea fuerit quondam in usu in Ecclesia. Quare contra illos probandum est, confessionem esse institutionis divinae et ad peccatorum gravium remissionem obtinendam necessariam: quod sanxit conc. tridentinum sess. 14 can. 7: „Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia, A. S.“ Can. 6 cf. n. 477. Cum vero exigimus confessionem peccatorum gravium remittendorum, per se patet, sufficere confessionem hic et nunc poenitenti moraliter possibilem, versamur enim in re morali et humana. Atqui haec moralis possibilitas alia atque alia est pro diversitate poenitentium et adjunctorum. Quare non eadem exigenda est confessio a rudi quae ab erudito, a puero quae ab adulto, a moribundo quae a sano. Poterit ergo in casu necessitatis pro exercitio hujus potestatis in utilitatem poenitentium Ecclesiae collatae a Deo, qui non vult mortem peccatoris sed ut vivat (Ez. 33, 11), sufficere confessio, quae tantum sit in genere. Ceterum alias quaestiones practicas de hujus confessionis proprietatibus pro singularibus casibus relinquimus theologiae morali.

---

[1]) Quaedam hic adnotabimus de voce ἐξομολόγησις, qua scriptores graeci confessionem designant, latini vero passim alia atque alia utuntur significatione. Significat enim apud hos vel orationem poenitentialem, vel processionem seu solemnem supplicationem eo institutam fine, ut Deus delictis miseratus indulgeat, vel poenitentiam publicam (cf. Irenaeum l. 1 c. 9), in primis secundum Petavium in diatribe ad haer. 59 Epiphanii actionem poenitentiae in stadio substratorum, quae maxime erat luctuosa, quamque ita describit Tertullianus de poenit. n. 9: „Is actus, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, quo delictum nostrum Domino confitemur non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiae illicem; de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare“ etc. A qua significatione non multum differt ea, cujus meminit Benedictus XIV. de syn. dioec. l. 7 c. 16 n. 6, secundum quem designat „ritum ultimum seu actum externum, qui totius publicae poenitentiae clausula erat et complementum, cum nimirum publice poenitentes humi substrati flentes atque ingemiscentes seipsos incusabant, veniam exposcebant et Ecclesiae tandem reconciliari atque iterum ad sacramenta admitti poscebant.“ Cf. Morinus II, 2.

481. **Demonstratio. 1.** Thesis probatur ex ipsa potestatis divinitus collatae indole. Potestas enim judicialis exerceri nequit causa non cognita, ut inductione omnium judiciorum liquet: adeo ut illud judicium temerarium dicatur, quod causa incognita fertur. Atqui potestas clavium est judicialis (th. 240), versatur immediate circa peccata, ut ea remittat vel retineat, non tamen pro arbitrio, sed secundum voluntatem Christi pro conditione rei; neque ita versatur circa peccata (gravia), ut unum sine altero remittere possit. Ergo peccata, circa quae remittenda vel retinenda versatur, cognosci debent. Ea vero cognosci nequeunt nisi peccatoris confessione.

Neve dicas potestatem hanc non magis esse judicialem, quam ministerium baptizandi, quod etiam exercere non licet absque judicio, quo admittantur dispositi, indispositi arceantur. Negamus enim paritatem, nam **a.** munus baptizandi immediate refertur ad ritum sacramentalem baptismi, quo mediante delentur peccata: quare baptizans cognoscere tantum debet, adsintne debitae dispositiones pro conferendo baptismo; exercitium vero potestatis clavium immediate consistit in ipsa remissione vel retentione peccatorum: nam Christus dixit: *Quorum remiseritis peccata* etc.; debet ergo cognoscere suum objectum, circa quod versatur, sicut sacerdos consecrans debet cognoscere materiam, quam consecrare intendit. Ad haec **b.** potestas clavium ita est judicialis, ut etiam secundum peccatorum mensuram imponenda sit sactisfactio. Praeterea **c.** concessa etiam quadam analogia, differt judicium utriusque potestatis; in exercitio muneris baptizandi sicut in quovis usu omnis potestatis ministerialis exercetur judicium prúdentiae, in nostro casu judicium jurisdictionis. Objectum judicii illius sunt dispositiones, quae certe cognosci debent, ut judicium ferri possit: hinc manifestandae sunt, et in dubio catechumenus de eis est interrogandus et examinandus: judicii autem a potestate clavium ferendi objectum sunt non solum dispositiones, sed ipsa etiam peccata, circa quae immediate versatur et quae pro varietate judicii remittenda vel retinenda sunt: hinc non minus cognosci debent quam illae dispositiones, juxta quas discernitur quis admittendus sit ad baptismum et quis arcendus.

2. Probatur ex consensu ecclesiae graecae schismaticae, quae se seculo IX. ab Ecclesia latina separavit, et sectarum Orientis, quae jam sec. V. Ecclesiam reliquerunt[1]). Ita synodus hierosolymitana a. 1672 cap. 15 recensens septem Ecclesiae sacramenta sexto loco ponit sacramentum poenitentiae, „in quo et secreta includitur confessio.“ Affirmari autem nequit, schismaticos hanc hausisse doctrinam a latinis vel latinos ab illis facta jam separatione. Ergo singuli coetus eam hauserunt ex fonte communi, ex Ecclesia nimirum, in qua ante schisma unitate fidei

---

[1]) De hoc consensu cf. Perpétuité de la foi t. 5 l. 3 c. 3 s.; Denzinger, ritus orient. t. 1. Synodus armena in urbe Dovin habita n. 527 can. 20 anathema dicit sacerdoti, qui confessionis sigillum laedit. Cf. Hefelé Conciliengesch. II, 518.

in unum corpus redigebantur: ideoque ab Ecclesia universali seculi IX., imo V. et IV. Quod si Ecclesia universalis sec. V. et IV. jam professa est hanc doctrinam, ea censeri debet apostolicae, imo divinae originis. Huc referri possunt omnia, quae de hoc praescriptionis argumento plane invicto diximus n. 297 s.

483. **3.** Probatur ex patrum testimoniis, quorum alii confessionis factum et usum, alii ejusdem testantur necessitatem. Cum vero ea plures collegerint [1]), paucis erimus contenti, quae ad quasdam revocabimus classes. Testes doctrinae catholicae sunt patres, quoties

a. clavium ministros vocant judices, potestatis exercitium judicium, exiguntque, ut pro delicti qualitate satisfactionis mensura determinetur (n. 443); quoties

b. conferunt clavium ministros medicis, peccatores infirmis, peccata morbis. Quare sicuti infirmi recurrere debent pro sanitate consequenda ad medicos, iis aperire morbos non solum in genere, sed et in specie, etsi secretos et turpes, nisi vitae discrimen subire velint: ita debent peccatores ad clavium ministros recurrere, iisque peccata aperire confessione, non solum in genere, sed et in specie, etsi secreta, etsi turpia. Horum nihil est, quod patres non docent.

Ita Aphraates, scriptor syrus sec. IV: »Non pudet, inquit in tr. de poenit., in proelio vulneratum manifestare ac tradere sese medico sapienti ... eodem modo homo a diabolo superatus minime erubescat, peccatum suum confiteri et derelinquere atque poenitentiae medicinam sibi exorare ... Nec potest sanari, qui hoc erubescit, quia vulnera sua non vult monstrare medico, qui duos denarios accepit (Luc. 10, 35), quibus cunctis sauciatis medeatur. O medici, discipuli illius Medici nostri sanctissimi, monstranti vulnus medicinam concedite poenitentiae; eum autem, qui ob pudorem haesitat, quominus vobis morbum suum manifestet, serio monete, ne illud vos celet.« — Ita s. Basilius in reg. brev. 229 (cf. et 110): »In peccatorum confessione eadem ratio est, quae etiam in aperitione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temerarie homines aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea curare possunt.« Quinam autem hi sint, indicat regula 288: »Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.« — Asterius amasenus in hom. adv. eos, qui

---

[1]) Ita M. Victor Reatinus de sacr. confessionis seu poenitentiae historia ex ss. patribus in thes. theol. Zachariae t. 11; N. Alexander diss. 14 in sec. XIV; Dionys. de Sainte-Marthe (Sanmarthanus) Traité de la confession; Scheffmacher Lettres d'un docteur allemand ... à un gentilhomme et à un magistrat protestant, ep. 4 (utrumque opus prostat in Perpétuité de la foi t. 4 ed. Migne 1841); Muzzarelli, il buon uso della logica opusc. 13: Confessione auriculare; Klee die Beicht, Frankfurt 1828; Bickell zur Geschichte der Beicht im Orient in Zeitschrift für kath. Theologie I, 410 ss. etc.

alios acerbius judicant: „Audacter ostende sacerdoti, quae sunt recondita animi arcana, tamquam occulta vulnera medico detege; ipse honoris et valetudinis tuae rationem habebit . . . Tu vero, cujus animus aeger est, cur non ad medicum properas, cur non ei morbum tuum ostendis confitendo?“ Ante hos jam Origenes hom. 2 in Ps. 37 n. 6 confert peccatum cibo indigesto vel humori noxio, qui ejiciendus est, ut animus relevetur; dein ita prosequitur: „Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas peccatum confiteri. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere . . . Si intellexerit et praeviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum [1]).“ Hunc vero medicum sacerdotem Domini esse hom. 2 in Lev. n. 4 dicit. Et in verba, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes,* ita disserit hom. 17 in Luc. 2, 35: „Unde et nos, si peccaverimus, debemus dicere: *Peccatum meum notum tibi feci, et iniquitatem meam non abscondi. Dixi: annunciabo injustitiam meam contra me Domino* (Ps. 31, 5). Si enim hoc fecerimus et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his, qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: *Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas et sicut caliginem peccata tua* (Is. 44, 22).“ — Hieronymus in Eccl. 10, 11: „Si quem serpens diabolus occulte momorderit et nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister et frater, qui linguam habent ad curandum, facile ei prodesse non poterunt. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.“ Huc spectat collatio cum leprosis V. T., qui secundum patres figura sunt peccatorum. Sicut enim illi se sistere debebant judicio sacerdotum, quo declararentur mundi: ita peccatores fideles se exhibere debent sacerdotibus N. T., ut a peccatorum lepra mundentur (n. 438[3]).

c. Testes sunt quoties peccatores deterrent ne pudore seducti crimina quaedam celent. Ita Ambrosius in Luc. VII, 225: „Frustra autem velis occultare, quem nihil fallat, et sine periculo prodas, quod scias jam esse cognitum: confitere magis, ut interveniat pro te Christus, quem advocatum habemus apud Patrem, roget pro te Ecclesia et illacrimet populus.“ — Et Pacianus paraen. ad poenit. n. 6. 8: „Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam contegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Peccator erubescet perpetuam vitam praesenti pudore mercari . . . an sic illi melius est perire?“

d. Accedunt diserta testimonia et facta luculenta. Ita scribit s. Leo ep. 148 ad episcopos Campaniae: „Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: de poenitentia videlicet, quae ita a fidelibus postulatur, ut de singulorum peccatorum genere libellis scripta

---

[1]) Verum quidem est, hujus homiliae exstare tantum Rufini versionem, sed nulla est ratio suspicandi, quod eam hoc in loco interpolaverit. Quod si eam etiam interpolasset, haberemus testimonium sec. exeuntis IV. vel ineuntis V., cum Rufinus obierit a. 410. De Origenis doctrina cf. Katholik 1865. I, 415. Cf. Augustinus serm. 171. 172 in bibl. N. PP. ed. Mai I, 386.

professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta.« — Cyprianus lapsos n. 29 ita hortatur: »Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.« — Quare Theodoretus carpit haer. fab. IV, 10 audianos, »quod vera peccata (in poenitentia) celarent, cum parva peccata et gravia sacerdoti aperienda sint;« nam, ut inquit Sozomenus H. E. VII, 16, »in petenda venia peccatum necessario confiteri oportet.« Cf. infra n. 492 s.

Quod facta vero attinet, refert Irenaeus I, 6 et 13 n. 6. 7 de mulieribus a Marco haeresiarcha corruptis: »Hae saepissime conversae ad Ecclesiam Dei confessae sunt et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine et inflammatas valde illum se dilexisse;« et de ejus discipulis: »Multas seduxerunt mulieres, quae cauterizatas conscientias habentes, quaedam quidem etiam manifesto exomologesin faciunt: quaedam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei; quaedam quidem in totum abscesserunt, quaedam autem inter utrumque dubitant etc.« — De s. Ambrosio narrat Paulinus ejus notarius in ipsius vita n. 39: »Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus, siquidem, quotiescunque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret: videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quae ille confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.« — Quibus similia legimus in vita s. Hilarii arelat. ab ejusdem conscripta discipulo c. 13: »Quotiescunque poenitentiam dedit, saepe die dominico ad eum turba varia confluebat; volabat ad ejus castigationem quicunque adesse volebat, lacrymarum se imbribus eluebat, coelestibus judiciis territus promissisque succensus tanti gemitus, tanti fletus astantibus nascebantur, ut vitae praesentis horreret habitaculum.« — Notanda item sunt, quae Maximus taur. hom. 104 refert de quibusdam haereticis: »Praepositi eorum quos presbyteros vocant, dicuntur tale habere mandatum, ut si quis laicorum fassus fuerit crimen admissum, non dicat illi: Age poenitentiam, deplora facta tua, defle peccata; sed dicat: Da tantum mihi et indulgentur tibi.« — In concilio germanico I. a. 742 statuitur: »Unusquisque praefectus (militum) unum presbyterum (secum habeat), qui hominibus peccata confitentibus judicare et poenitentiam indicare possit:« quae denuo inculcantur in concilio moguntino a. 813 can. 2.

e. Neque negligantur ea patrum effata, in quibus nulla sacerdotis facta mentione simpliciter de confessionis necessitate loquuntur: ea enim intelligenda sunt de confessione clavium ministro facienda. Loquuntur enim de confessione fidelibus jam nota, quae scil. pars est poenitentiae in Ecclesia agendae, quamque alii patres et ipsi alibi accuratius describentes sacerdoti faciendam esse statuunt (n. 492).

Itaque provocare possumus ad verba Clementis rom. (vel alterius auctoris antiqui) ep. 2 ad Cor. n. 8: »Quamdiu sumus in hoc mundo, peccatorum, quae in carne gessimus, ex toto corde poenitentiam agamus, ut a Domino salvemur, dum poenitentiae tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri aut poenitentiam agere;« ad

verba Lactantii notatu digna instit. IV, 30 col. 17: »Sciendum est, illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio et poenitentia;« et Gregorii nyss. or. 2 c. Eunom.: »Si sanctae Trinitatis confessio est inutilis, inutiles sunt Ecclesiae ritus. In his autem ritibus est sigillum, deprecatio, baptisma, peccatorum confessio.«

484. **4.** Accedit ratio duplex theologica haud spernenda. Prior ita potest proponi: Supponimus Ecclesiam esse perennem, visibilem, infallibilem. Ergo ante controversiam de confessionis necessitate seculo XVI. obortam exstitit alicubi vera Christi Ecclesia visibilis et infallibilis. Atqui a sec. XII. usque ad XVI. nullus fuit coetus, qui aliqua veri specie veram se dixerit Ecclesiam, qui non etiam confessionis necessitatem profitereretur. Ergo cum inter illos diversos coetus unus fuerit vera Christi Ecclesia, etiam vera Christi Ecclesia infallibilis eandem tenuit. Ergo haec doctrina est vera et revelata.

Altera ratio petitur ex ipso confessionis praecepto, quod expensis omnibus adjunctis humana auctoritate non potuit imponi; est ergo institutionis divinae. Quae illatio triplici modo confirmatur.

a. Omnis innovationis humanae in Ecclesia alicujus momenti scimus parentes, patriam, annum natalem etc. Atqui hujus innovationis, qua fideles dicuntur privati libertate evangelica et facti obnoxii jugo tyrannico atque carnificinae confessionis, nec auctor, nec patria, nec annus natalis assignari potest, quamvis sit res admodum practica; ridendus enim foret, qui serio ejus auctorem diceret Innocentium III., cum is necessitate confessionis supposita tamquam ab omnibus admissa, tempus tantum determinaverit, quo saltem ei esset satisfaciendum. Legantur Alcuini ep. 112; opusc. 7 et Damiani serm. 58, ubi data opera de confessionis proprietatibus deque causis confessionis sinceritatem impedientibus graviter disserunt [1]), ut appareat, quantae necessitatis crederetur confessio jam diu ante Innocentium III.

b. Si immutata fuisset disciplina, praesertim in re tam gravi, et privatus fidelium populus libertate evangelica, ortae essent certo in Ecclesia turbae, ut ex plurimis factis constat. Atqui in tota antiquitate nullum reperitur turbarum propter inductam confessionis necessitatem vestigium, quae tamen ortae sunt propter solam absolutionis dilationem. Ergo nulla facta fuit hac in re innovatio.

c. Ea, quae sunt institutionis humanae vel etiam ecclesiasticae, temporum cursu solent mutari, abrogari, in iis locum habet dispensatio. Etsi autem in disciplina poenitentiali multiplex facta est immutatio, dispensatio etc., haec tamen nunquam attigit confessionis substantiam. Disciplina ergo poenitentialis plus minusve est institutionis ecclesiasticae, confessio divinae.

485. *Singulorum peccatorum confessio.* — Quod si speciatim quaeras, quomodo probetur, singula peccata gravia in confessione esse ape-

---

[1]) Cf. etiam Jo. Climacus scala parad. gr. 4; Radulphus Ardens (fl. sec. XI.) hom. 40 in evang. et ep. domin.; Theobaldus stampensis (fl. sec. XII.) ep. 1 (Mig. 163, 759); Hugo a s. Victore de sacr. l. 2 p. 14 c. 1; Alanus ab Insulis de sex alis Cher. (Mig. 210, 265 ss.).

rienda, respondemus, id satis quidem colligi ex dictis, breviter tamen argumentorum velut capita indicabimus. Id colligitur

1. ex indole potestatis, quae est judicialis et cujus materies sunt singula peccata gravia post baptismum commissa: judicium autem est mancum incognito integro objecto, circa quod versari debet.

2. ex comparatione, qua patres conferunt peccata morbis et vulneribus, sacerdotes medicis: nam infirmus singula vulnera ostendere debet, si velit curari; peccata autem gravia nequeunt seorsim remitti.

3. Hinc hortantur patres, ut fideles vel secretissima aperiant peccata caveantque pudorem, si eorum velint consequi remissionem.

4. Accedit quod semper creditum fuit, sacerdotis esse poenitentibus imponere pro ratione peccatorum satisfactionem, ideoque saepe singulis peccatis a conciliis sua statuta erat satisfactio. Ut ea ergo possit imponi, necesse est, peccatorum gravium et species et numerus aperiatur.

486. Ex iisdem capitibus probatur confessionis necessitas ex jure divino. Ea enim colligitur inde quod sacerdotes sunt judices, medici, ministri reconciliationis, ut pro Christo legatione fungantur. Atqui hoc sunt jure divino. Hinc patres nunquam provocant ad praeceptum ecclesiasticum, sed ad haec munera, ad verba Christi, ad satisfactionis necessitatem, quae est juris divini, ut patet ex testimoniis allatis.

487. *Confessionis convenientia.* — Ceterum confessio admodum consentanea est **1.** naturae humanae. Sicut enim natura organica humores pravos, venenum, cibum indigestum ejicere nititur, et ejectione levatur: ita confessione peccatum ex animi latebris egeritur magna conscientiae relevatione et consolatione, ut experientia ipsa testatur.

2. Consentanea est confessio ipsi peccatori christiano, qui ejus necessitate excitatur e sommo peccati; obligatur ad scrutandam conscientiam et examinandum statum animae suae, quo procuret salutem suam, fugiat occasiones, adhibeat salutis media et resipiscat a peccatis, quorum tam facile magno suo damno obliviscitur. Quare sicut cultus externus fovet internum, ita confessio contritionem.

3. Consentanea est justitiae divinae: omne enim peccatum includit quandam inobedientiam et superbiam; superbiae medetur confessionis humilitas, inobedientiam reparat prompta subjectio sub sacerdotis judicio. Quam ob rem nulla satisfactio confessione est melior, nil adeo placat offensum, quam humilis culpae agnitio et confessio. Hinc Deus ad veniam pronus, provocavit Adam ad peccati confessionem Gen. 3, 9; et Prov. 28, 13 legimus: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Belle Petrus bless. op. 3 Compend. in Job c. 1 (Mig. 207, 812): „Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus, ego illud operio (Ps. 31, 5): si agnoscis, ignosco; si accusas, excuso; si te judicas et condemnas, te nec judico, nec condemno. Quod si vosmetipsos judicaretis, dicit Apostolus (1. Cor. 11, 31), non utique judicaremini. David adulter, homicida et proditor arguente Nathan propheta, qui peccatum suum humiliter recognovit, audire meruit: *Transtulit a te Dominus peccatum tuum* (2. Reg. 12, 13). Saul vero, qui Samueli ipsum arguenti superbe respondit, audivit: Transtulit a te Dominus regnum tuum (1. Reg. 15, 23). Ab altero peccatum, ab altero translatum est regnum.“

4. Consentanea est missioni et fini Ecclesiae, cujus est docere non solum integras nationes, sed et singulos promovere in via salutis et perfectionis. Eo vero melius aliquis discipulum poterit instituere, quo penitius eum cognoverit, quo magis erit expertus et dono discretionis spirituum praeditus. Atqui accuratam animae cognitionem acquirit sacerdos sincera peccatoris confessione: ideoque pastor animarum oves sibi commissas opportune de singulis pro rerum adjunctis instruere poterit; ex saepe auditis confessionibus acquiret animorum dirigendorum peritiam donumque discretionis spirituum. Per confessionem Ecclesia quoque auctoritatem exercet salutarem simul et efficacem in fidelium animos independentem prorsus a quavis potestate civili.

5. Consentanea est confessio ipsi societati humanae, cujus bonum admodum promovere potest prudens confessarius componendo lites et dissidia, reconciliando inimicos, procurando bonorum ablatorum restitutionem, impediendo et reparando scandala [1]) etc.

6. Denique confessionis usu inculcatur illa omnium coram Deo judice aequalitas et ab eo dependentia neminemque in terris esse, licet potentissimum, qui immunis sit a reddenda suorum factorum ratione. Quare mirum esse non debet, si non desint viri docti vel ex protestantibus [2]), qui confessionis institutum et praxim admodum commendent.

---

[1]) Ita Oswald § 11; Nicolas Philosoph. Studien über das Christenthum t. 3 c. 16; Wilmers Lehrbuch der Religion t. 3 Von der Busse § 8—10.

[2]) Praeclarissima ejusmodi testimonia cf. in op. Beleuchtung der Vorurtheile wider die kath. Kirche von einem protestantischen Laien Zürichs. Luzern 1844 t. 2 p. 1 pag. 84 ss. Cf. Horion der Triumph der Beicht, Graecii 1852; Stark, Entretiens philosophiques pag. 28, Parisiis 1818; Bergier dictionnaire de théologie, art. Confession; De Maistre du Pape l. 3 c. 3 § 1; Esslinger der Gegner der Kirche widerlegt durch die Geschichte und die Ansichten der geistreichsten Protestanten, Aug. V. 1838 pag. 117 ss.; effata vero speciatim anglicanorum Katholik 1884. II, 655—63. Horum 483 ecclesiastici petierunt a. 1868 a parlamento, ut confessio iterum induceretur, et a. 1877 in quodam eorum conventu declaratum fuit, 800 esse paratos ejus usum in suis parochiis iterum inducere. Hinc ut legimus in evang. Kirchenzt. ed. Stöcker 3. Nov. 1894 Frid. Guilelmus III Borussiae rex fassus est: Der evangelischen Kirche konnte keine tiefere Wunde geschlagen werden als dadurch geschehen ist, dass man die Specialbeichte abschaffte und an deren Stelle die freilich für beide Theile bequeme allgemeine Beicht setzte.

Unus audiatur Leibnitius in syst. theologico ed. mogunt. 1825 pag. 264: »Totum hoc institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in christiana religione praeclarum et laudabile est, quod et sinenses et japonenses sunt admirati: nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat; et adeo puto pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem: prodest enim consilium ejus ad regendos affectus . . . ad omnia denique animae mala aut tollenda aut mitiganda: et cum fideli amico vix quidquam in rebus humanis praestantius reperiatur, quanti est, eum ipsa sacramenti divini inviolabili religione ad fidem servandam opemque ferendam adstringi?« Hinc explicatur, quare confessionis praxis reperiatur apud plures veteres populos (cf. Weiss Apologie des Christenth. II diss. 18 n. 10), quod scil. ea est adeo naturae humanae consentanea; ejusque apud judaeos praxis quibusdam saltem in casibus colligitur ex Lev. 5, 18; 6, 6; Num. 5, 7.

488. **Corollarium.** *De peccatorum venialium confessione.* — Et si clavium potestas se in primis ad ea extendit peccata, quae coelum nobis claudunt, peccata scil. mortalia: cum adeo late pateat, se ad peccata quoque venialia, quae ingressum in coelum remorantur, extendet; quare et horum confessio, quamvis non necessaria, utilis tamen erit. Cum vero eorum confessio olim minus frequens, nunc a pluribus seculis in Ecclesia vigeat, temerarium est, hanc carpere praxim. Idcirco Pius VI. de prop. 39 synodi pistoriensis statuit: „Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones; temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a s. conc. tridentino (sess. 14 c. 5) probatae contraria.“ Cf. Acta SS. IX, 722: Jungmann diss. in H. E. II, 163 ss.

489. **Thesis CCXLIX.** ***Doctrinae catholicae de confessionis institutione divina et necessitate nullatenus adversantur 1. apostolorum silentium sive de praecepto, sive de usu confessionis; 2. verba Pauli 1. Cor. 11, 28; 3. historia expuncti per Nectarium presbyteri poenitentiarii; 4. repetita patrum, Chrysostomi praesertim effata, sufficere peccata Deo, soli Deo confiteri; 5. doctrina nonnullorum veterum, qui praeter confessionem alia media obtinendae remissionis peccatorum recensent; 6. canon 33. concilii cabilonensis II.***

Demonstratio p. I. Primum quod opponitur argumentum, silentium scil. s. Scripturae sive de praecepto sive de confessionis usu, est **1.** negans, cui nulla inest vis contra argumenta affirmantia, quae ex divinis literis necessitatem et institutionem confessionis comprobant.

2. Innititur falso supposito: credenda agendaque a fidelibus omnia contineri Scripturis. Ceterum neque adeo certum est, quod confidenter pronunciant adversarii. Facti enim vestigia sat clara habentur Act. 19, 13 ss. Narratur ibi mira Dei ultio in quosdam judaeos, qui praesumpserant in nomine Jesu (in quem non credebant) expellere daemones. Punitionis fructus narratur v. 18: *Multique credentium* (τῶν πεπιστευκότων) *veniebant confitentes et an-*

nunciantes actus suos (ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν), non utique bonos, ut patet ex sequentibus: *Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus;* et patet etiam ex hujus confessionis causa vel occasione, quae fuit *timor*, qui propter mirum illud factum *cecidit super omnes*[1]). — Praeceptum vero, vel saltem exhortationem ad confessionem plures[2]) reperiunt Jac. 5, 16: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Neque excipiatur, ex his verbis sequi, cuilibet fieri posse peccatorum confessionem. Nam illud *alterutrum* non semper significat alternationem mutuam, ut patet ex Eph. 5, 21; Rom. 15, 7 col. 1; 1. Petr. 4, 9. Egregius est in h. l. commentarius Werneri abb. († 1126) deflorat. ss. patrum l. 1 dominica 3. (Mig. 157, 882 ss.), in quo inter alia scribit: „Dicis fortassis: Quare non similiter Christus praeceptum dedit hominibus peccata sua confitendi, sicut discipulis potestatem dedit confitentium peccata dimittendi (Joan. 20, 22 s.)? Audi quare: voluit Christus, ut a temetipso surgeres, ut non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua. Idcirco quod ad se pertinuit, officium suum discipulis suis peragendum injunxit, ut medicorum more aegros ad se venientes exciperent et sanarent. Medicis dixit, ut curarent; sed infirmis non dixit, ut ad medicos curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod aegri libenter salutem quaererent, et se curandos offerrent, si medicos invenirent. Propterea solos medicos monuit. Infirmum enim suus morbus sufficienter admonet, neque opus praecepto hoc, si dolet. Tamen ipsi medici postea, quia negligentes in curatione sua aegros invenerunt, eos ad salutem quaerendam et admonitione sua excitaverunt et praecepto attraxerunt; *Confitemini,* inquit apostolus Jacobus, *alterutrum peccata vestra et orate pro invicem ut salvemini.* Quid est alterutrum? . . . Non tamen unusquisque unicuique, sed alterutrum, hoc est inter vos homines hominibus, oves pastoribus, subjecti praelatis, hi, qui peccata habent, his, qui peccata dimittere potestatem habent . . . Propterea ergo confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem. Ad quid? *Ut salvemini: confitemini, ut salvemini.* Quid est *confitemini, ut salvemini?* Hoc est, non salvamini, nisi confiteamini. Haec fortassis tu audire noluisti, qui latebras quaeris et abscondis scelera tua ut non justificeris. Non tibi placet, quod dicitur, quia hi, qui nolunt confiteri peccata sua, salvari non possunt. Propterea fortassis conaris ad aliud dictum apostoli intorquere, ut intelligatur confitentibus quidem promisisse salvationem, tamen non confitentibus non negasse justificationem. Audi ergo, Augustinus dicit: ‚Non potest quis justificari a peccato, nisi confessus fuerit ante peccatum' etc.;" quae leguntur etiam apud Hugonem a s. Victore de sacr. l. 2 p. 14 c. 1.

490. **Demonstratio p. II.** Paulus 1. Cor. 11, 28 scribit quidem: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat:* sed propterea non negat necessitatem confessionis, si quis probatione praemissa reum se gravis criminis deprehenderit, sicut neque excludit poenitentiae alicujus

---

[1]) Vel protestantes hic confessionis factum agnoscunt, ut Hansen in solida consid. doctrinae evangelico-luth. de confessione c. 9, Lubecae 1737.

[2]) Ad haec verba provocant conc. cabilonense II. c. 33 (n. 495); v. Beda et s. Martinus legion. (Mig. 209, 212) in h. l.; Smaragdus in diademate monachorum c. 16 (Mig. 102, 613); Theodolfus in capitulari (ib. 105, 217); Jonas aurelian. de instit. laicali l. 1 c. 15; Rabanus Maurus hom. p. 2 hom. 42 (Migne 110, 323); Haymo halberstad. hom. 19 (Migne 118, 141); Hildebertus cenoman. serm. 40 (ib. 171, 485); Bernardus Carthusiae prior ep. 3 (ib. 153, 900).

praemittendae necessitatem. Neque enim sola probatio est sufficiens dispositio post gravia crimina, ut absque alio statim dignus quis sit eucharistia; sed ideo est praemittenda, ut cognita sua indignitate peccator ea seligat media, quae eum dignum reddant. Atqui inter haec est poenitentia, qualem Christus instituit, ut jam noverant corinthii: proinde de hoc monendi non erant. Et revera hoc medium esse poenitentiam, patet ex praxi antiquae Ecclesiae, quae peccatores, nisi prius egissent poenitentiam, qualis in ipsa agi solebat, quae ergo complecteretur confessionem, ad sacram mensam non admittebat. Graphice hanc probationem describit s. Augustinus serm. 351 n. 7, ubi loquens de poenitentiae actione pro peccatis contra decalogi praecepta ita disserit: »Constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini: ut qui separari a regno coelorum timet per ultimam sententiam summi judicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento coelestis panis interim separetur . . . (n. 9). Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate . . . et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur et tamquam bonus jam incipiens filius, maternorum membrorum ordine constituto, a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum« etc. Ceterum jam διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων exigit ante eucharistiae perceptionem confessionem; ita et Cyprianus de lapsis n. 15. 16; ep. 9. Hinc legimus in confessione s. Fulgentio adscripta, quae habetur in sacramentario s. Gregorii: »Ego corpus Domini et sanguinem ejus polluto corde et corpore sine confessione et poenitentia sciens indignus accepi.« Eadem habentur in ll. poenitentialibus Alcuini et Egberti, in sacramentario turonensi apud Morinum in append. p. 43, cujus judicio illud saltem est seculi IX, in quo legimus inter alia peccata: »Confiteor, quia corpus et sanguinem D. N. J. Christi indignus et pollutus et immundus et sine confessione communicavi, tetigi, portavi etc., et in quadragesima, sicut constitutum est, confessus non fui, nec poenitentiam de praeteritis omnibus egi.« Quare auctor l. de salutaribus documentis (inter opp. s. Augustini, forte Paulini aquilej.) diserte statuit: »Unusquisque antequam corpus et sanguinem D. N. J. Christi accipiat, seipsum probet . . . Quando enim illud accipere debemus, antea ad confessionem et poenitentiam recurrere debemus et omnes actus nostros curiosius discutere, et peccata obnoxia, si in nobis comperimus, cito festinemus per confessionem et veram poenitentiam abluere, ne cum Juda proditore diabolum intra nos celantes pereamus.« Cf. Gennadius de dogm. eccles. c. 53; Herveus ven. († 1150) in h. l.; Honorius augustod. Eucharisticon c. 7 (Mig. 172, 1251) etc. Cf. Frank II, 5.

491. **Demonstratio p. III.** Praecipua difficultas, quam urgent protestantes, petitur ex facto, quod narrant Socrates H. E. V, 19 et Sozomenus H. E. VII, 16 de expuncto per Nectarium († 397) presbytero poenitentiario occasione confessionis, qua proditum est grave diaconi crimen; unde inferunt, abrogatam fuisse ipsam confessionem, ideoque eam institutionis esse ecclesiasticae. Quibusdam fides Socratis et Sozomeni nonnihil est suspecta, eoque magis quod hujus facti altum apud

alios scriptores coaevos et patres est silentium, nemoque ejusmodi reprehendit abrogationem. Verum eruditi communiter factum admittunt: ex ipso autem aliorum silentio merito inferunt, minus fuisse abrogatum quam adversarii jactant vel putant. Illud scilicet **1.** fuit abrogatum, quod fuit causa scandali, ut patet ex ipsa facti historia. Atqui hoc fuit neque poenitentia publica pro peccatis publicis, neque confessio secreta; haec ergo abrogata non fuit. Ad haec **2.** quod fuit abrogatum, cessavit in toto Oriente. Confessio vero secreta nunquam cessavit. — Quid ergo fuit abrogatum? Non una est theologorum sententia, secundum quos abrogata fuit vel poenitentia publica pro peccatis occultis, vel praxis confitendi quaedam peccata publice secundum nutum confessarii (n. 483[b]), vel species cujusdam tribunalis poenitentialis, ad quod deferebantur fratrum crimina, cujus erat in delinquentes inquirere, poenitentiam publicam moderari, ad hanc etiam adigere, poenitentibus invigilare etc.: quae sententia videtur praeferenda. Illud enim fuit abrogatum, quod post Nectarium im Oriente cessavit, quod secundum Socratem inductum fuerat tempore persecutionis decianae, quod Sozomenus tamquam Romae vigens ibidem describit: hoc autem est tribunal et institutum illud poenitentiale cum suis muneribus, solemnitatibus et stationibus. Cf. Palmieri th. 34; Jungmann diss. select. in H. E. t. 2 d. 8.

492. **Demonstratio p. IV.** Non negamus, patres de poenitentia deque peccatorum confessione disserentes hinc inde docere, peccata esse confitenda Deo, imo soli Deo nulla facta mentione sacerdotis; exinde tamen minime sequitur, eos confessionis necessitatem, quam catholica tuetur Ecclesia, ignorasse vel etiam rejecisse. Quis enim

1. ignoret, saepe et persaepe aliquid de Deo deque Deo solo affirmari, quin propterea interventus causarum secundarum vel eorum, qui pro Deo legatione funguntur, excludatur?

Legimus Deum producere in montibus foenum et herbam, dare jumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum Ps. 146, 8 s.; Matth. 6, 26 ss.: num propterea immediate haec praestat seclusa creaturarum cooperatione? Profitemur solius Dei esse remittere peccata, num propterea non ea delet baptismo, vel non remittit per eos, quibus dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* Audimus Christum Matth. 10, 20 dicentem: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis:* num propterea martyres fidem Christi professi non sunt coram tribunalibus? Testatur Petrus Ananiae (Act. 5, 4): *Non es mentitus hominibus, sed Deo:* non est ergo Ananias mentitus Petro? Soli Deo offerendum est sacrificium; num idcirco ab omnibus promiscue offerri poterit citra illius ministerium, qui *pro omnibus constituitur . . . ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Hebr. 5, 1)? Si ergo patres Deo solique Deo confitenda esse peccata affirment, non excludunt ministerium sacerdotum, per quos confessio in Deum dirigitur et Deo, ut eam acceptet, offertur.

2. Quare nisi vel subjecta materia, vel orationis adjuncta, vel doctrina aliunde certa evidenter sacerdotum interventum ac ministerium excludant, ex ejusmodi patrum dictis nihil legitime contra confessionis necessitatem excipi poterit. Sed tantum abest, ut majores nostri a confessione Deo facienda relegaverint sacerdotes, ut multiplici potius ratione peccatorum confessionem per sacerdotes et ministros Christi docuerint esse Deo faciendam, ut supra vidimus. Sane patres loquuntur de confessione, quae pars sit illius poenitentiae, ad quam fideles gravium criminum reos adeo hortantur; haec autem est poenitentia in Ecclesia agenda et confessio sacerdoti facienda.

Quare Hildebertus cenom. serm. 30: „Erubescite peccata vestra et confitemini ea sacerdoti. Sunt quidam, qui dicunt se posse poenitere sine ministro Ecclesiae; sed hoc nullus audet praesumere. Non omnibus data est potestas solvendi, sed solis apostolis et vicariis eorum, quibus dictum est: *Quodcunque ligaveritis* etc.“ Colligitur etiam ex scopo confessionis hujus Deo faciendae, quem Tertullianus indicat de poenit. n. 9: „Delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur etc.“ Confessio ergo normae instar erat, secundum quam satisfactio disponebatur et imponebatur; atqui satisfactionem imponebant Ecclesiae ministri, quibus data est potestas sicut solvendi ita et ligandi. His igitur facienda erat confessio. Cf. verba s. Augustini n. 463[4] et Origenis n. 483[6].

3. Si ergo patres peccatores fideles hortantur, ut confiteantur Deo peccata sua, intelligendi vel exponendi sunt eo sensu, quem plures veterum, qui clarius loquuntur, hisce subjiciunt verbis.

„Confitere, inquit Anastasius sinaita († 599) de s. synaxi (ap. Combefisium Auct. ed. paris. I, 890), peccata tua Christo per sacerdotem.“ Egbertus eboracensis († 767) praescribit: „Confiteatur Deo malefacta sua, ut sacerdos sciat, quam poenitentiam ipsi imponere debeat (Mansi XII, 235).“ In celeberrimo apud graecos libello poenitentiali, qui Joanni jejunatori patriarchae CP. († 585) tribui solet (apud Morinum ant. poenit. p. 77 s.), injungitur sacerdoti, ut ita peccatorem alloquatur: „Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et praecipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit et per nostram vocem horum remissionem dispensat et largitur . . . Revela igitur et declara coram sanctis angelis, nihilque me cela eorum, quae a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris etc.“ — Similis exhortatio reperitur ib. p. 38 in poenitentiali andegavensi sec. XI: „Cum dixeris vero sacerdoti peccata tua, non sacerdoti sed Christo, qui est verus sacerdos. Ideo debes, carissime frater vel carissima soror, compunctione et gemitu cordis peccata tua Deo confiteri et sacerdoti tuo, qui vice Christi officium gerit, et non debes quidquam celare de infirmitate animae tuae, ut possis sanari.“ — „Mox eum suavi voce interroget, ita in Euchologio graeco (apud Martene de ant. Eccl. rit. p. 2 l. 1 c. 6 a. 7 ord. 20), frater, ut quid ad Deum et ad me accessisti? Ne verearis: non enim mihi, sed Deo,

coram quo stas, peccata tua enuncias.« — Et Godefridus abbas vindocinensis et cardinalis († 1129), postquam quatuor crimina graviora publica confessione aperienda excepit, scribit. l. 5 ep. 16: »Cetera vero vitia, sicut dicis, per semetipsum Dominus sanat et corrigit. Licet enim omnia, quaecunque sanantur, Dominus sanet et corrigat, quaedam tamen per semetipsum sanare atque corrigere perhibetur, ea videlicet, quae sibi privata confessione revelantur. Sibi dico, quia illi, qui in ejus loco esse dignoscitur. Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confessione indigere et poenitentia.«

4. Quod si sunt patrum dicta, quae excludant sacerdotis praesentiam a confessione, ea vel de confessione peccatorum venialium sunt intelligenda; vel de peccatis potestate clavium jam remissis, quae etiam atque etiam deflere oportet secundum Sapientis consilium: *De propitiato peccato noli esse sine metu* (Eccli. 5, 5); vel denique de ea confessione, qua coram Deo peccata nostra recognoscentes ea detestamur ac lugemus, et ita nos ad illam disponimus confessionem, quae hujus est fructus, quaeque clavium potestate remissionem impetrat peccatorum. Ad rem s. Anselmus in medit. supra Miserere: „Interim non parcam ori meo, sed ibo et sacerdotibus me ostendam, quatenus fiat et mihi, ut dum vixero, fiam mundatus; quia animae meae lepram non possum vere ostendere sacerdoti, nisi prius tibi eam ostendero et tu mihi. Certum est enim nonnisi in Ecclesia obtineri posse peccatorum remissionem (in bibl. PP. ed. Mai I, 509 n. 9).“ — „Ipsa namque proprie, inquit s. Augustinus Enchir. n. 65, Spiritus s. pignus accepit, sine quo non remittuntur peccata, ita ut quibus dimittuntur, vitam consequantur aeternam.“

493. Adversarii nominatim ad Chrysostomum provocant, qui passim ita loquitur hom. 5 de Incompreh. n. 7: »Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera, et ab eo medicamenta postula: ostende non exprobranti, sed curanti; licet enim taceas, ipse novit omnia.« Non diffitemur haec gravem facessere difficultatem, si per se et seorsim spectantur et non considerantur in lumine traditionis coaevae practicae et theoreticae. Ad eam solvendam dicimus **a.** vix esse credibile, Chrysostomum hac in re aliis adversari patribus, quibuscum in eadem Ecclesia, ideoque in eadem fide vivebat, et qui confessionis necessitatem tuebantur; alioquin dissensionis vestigium appareret. Vix credibile est **b.** s. doctorem sibi ipsi contradicere, nam confessionis necessitatem alibi docet saltem aequivalenter, ut de Sacerd. III, 5 (n. 438[3] et 514([b])[d]) et diserte ut hom. 3 de statuis n. 5: »Haec et medici faciunt saepius, qui difficiles aegrotos habent, deosculantes rogantes persuadent salutarem sumere medicinam, ita tu quoque fac; sacerdoti vulnus manifesta: hoc est curantis, hoc providentis, hoc consulentis.« Accedit **c.** quod inter alia accusationis capita ipsi in conciliabulo ad Quercum habito a. 403 objecta et illud fuisse legimus (cf. Socrates H. E. VI, 21; Photius cod. 59): »Quod licentiam peccantibus praebeat sic docens: Si iterum peccasti, poeniteat iterum: et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo.« Cum ergo

ipse veniam pollicitus sit peccatoribus, sed non sine sacerdotis ministerio: sacerdotalis vero potestas peccatores sanandi secundum s. doctorem sit judicialis, quae sine causae discussione exseri nequeat: credi vix potest, eum haec omnia aliis in locis penitus ignorasse, et non potius in hac suppositione esse locutum, ea scil. supponens, quae ex vulgatissima disciplina erant auditoribus jam nota. Circa plura testimonia praeterea **d.** dixeris s. doctorem vel prae oculis habere peccata quotidiana aut alias jam remissa, de quibus tamen semper poenitentia est agenda; vel loqui de confessione Deo primum facienda, cujus fructus sit eligere media pro peccatorum remissione impetranda, inter quae est etiam, si peccata sint gravia, recursus ad clavium potestatem et confessio; vel loqui de confessione Deo, sed per sacerdotem facienda, in oppositione ad confessionem, quam rei coram judicibus facere debent, quae solis hominibus et quidem pluribus cum magno rei ipsius damno et pudore facienda est.

494. **Demonstratio p. V.** Concedimus quidem, patres hinc inde plura, quandoque sex, septem, octo praeter confessionem recensere media [1]), quibus peccatores criminum suorum veniam consequi possint, ut eleemosynas, condonationem injuriarum etc. Inde tamen non sequitur, confessionem esse tantum utilem vel de consilio, ut utiles v. gr. sunt eleemosynae etc. Nam **1.** inter ejusmodi remedia recensent patres etiam baptismum: propterea vero nemo inferet, illos baptismi necessitatem negasse. Ergo a pari, ex eo quod confessionem adnumerant illis mediis, quae non adeo necessaria sunt, non sequitur, illos confessionis negasse necessitatem. Quare **2.** dicendum est, eos recensere media illa, quae vel mediate vel immediate, directe vel indirecte ut dispositiones ad remissionem peccatorum conducunt, quaeque vel necessaria vel admodum opportuna ad eam sunt. Praeterea **3.** loquuntur de mediis ad consequendam peccatorum remissionem intensive et extensive perfectam: extensive, qua remittantur etiam peccata venialia; intensive perfectam, qua sanentur vel reliquiae peccatorum, ut habitus pravi, et relaxentur omnes poenae temporales. Atqui ad ejusmodi remissionem plurima media una cum baptismo et confessione conducunt.

495. **Demonstratio p. VI.** Canon 33 concilii cabilonensis (Châlons) II. a. 813 ita habet: „Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent. Quod utrumque non sine magno fructru intra s. Ecclesiam fit, ita dumtaxat, ut et Deo, qui re-

---

[1]) Ita Origenes hom. 2 in Levit. recenset media septem obtinendae remissionis peccatorum, quem sequitur Jonas aurelianensis de instit. laicali l. 1 c. 5 (Migne 105, 130) et Theodolfus cap. 36 (Migne 105, 203); sex Chrysostomus hom. 4 in 2. Cor. n. 6; octo Cassiodorus praef. in Ps. 6 adjiciens: „Inveniuntur et alii fortasse modi remissionis;“ quinque auctor scholii 6 in gradum 9 scalae paradisi Climaci; duodecim s. Caesarius (vel quivis alius auctor) hom. 13 (Migne 67, 1075); plura etiam Pinufius apud Cassianum coll. 20 c. 8, quem sequitur Rabanus Maurus de modo poenit. c. 23 etc.

missor est peccatorum, confiteamur peccata nostra .... et secundum institutionem apostoli (Jac. 5, 16) confiteamur alterutrum peccata nostra .... Confessio itaque, quae Deo fit, purgat peccata: ea vero, quae sacerdoti fit, docet qualiter purgentur ipsa peccata. Deus namque salutis et sanitatis auctor et largitor plerumque hanc praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque medicorum operatione.« Verum **1.** vix credibile est, hunc canonem adversari praecedenti, quo confessionis integritas inculcatur: »Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam cum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciant. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri in ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio. Ut scilicet ea confiteantur, quae per corpus gesta sunt, et ea, quibus sola cogitatione delinquitur etc.« Quare dicendum est **2.** hoc canone commendari quidem utilitatem confessionis Deo faciendae, non tamen negari confessionis sacerdoti faciendae necessitatem. Imo **3.** sat clare docet utramque esse conjungendam, quo nihil verius. Quod si **4.** eos non damnat, qui affirmabant Deo solummodo esse confitendum, ratio videtur, vel quod esset quaestio potius de nomine, vel quod ii, qui errabant, non tam contumacia quam simplicitate seu ignorantia errarent: atque ita potius instructione indigerent, quam anathemate essent damnandi. Deum autem **5.** salutis esse auctorem et hanc praebere suae potentiae invisibili administratione praesertim iis, qui sunt vere contriti, ideoque etiam dispositi ad servanda omnia, quaecunque sunt praecepta, incolumi dogmate catholico affirmari potest.

Caput IV.

De satisfactione.

496. In hac quaestione satisfactionis nomine designatur voluntaria poenae alicujus toleratio tum ad compensandam injuriam Deo peccato illatam, tum ad redimendam poenam temporalem post remissum peccatum reliquam. Peccatores fideles teneri ad satisfaciendum Deo sponte sua sequitur ex conceptu sincerae poenitentiae, quae sine aliqua satisfactione offenso exhibita cogitari nequit, hinc saepe per opera satisfactoria describitur (cf. Job 42, 3. 6); et ex dogmate de purgatorio, nec non ex universali perennique Ecclesiae praxi, quae nunquam sine satisfactione vel saltem ejus proposito quemquam absolvendum censuit. Hinc ne censura evangelica solveretur, Romae et Carthagine negata fuit venia lapsis, qui nullam adhuc exhibuerant satisfactionem, quamvis martyres pro ipsis intercessissent, ut testis est Cyprianus passim in suis epistolis [1]) et in libello de lapsis; eademque de causa patres poenitentiam appellabant baptismum laboriosum, difficilem, baptismum lacrymarum, quod sci-

[1]) Cf. ep. 9 n. 2; 40 n. 2. 3; 52 n. 6; 55 n. 12. 13 etc. Imo satisfactionis necessitas colligitur vel ex sensu generis humani, de quo cf. Weiss Apologie II d. 21. Cf. s. Thomas c. gentes III, 158.

licet satisfactione magna opus esset ad reconciliationis gratiam impetrandam. Hinc cum Isidoro hisp. Etymol. VI, 71 docent: „Poenitentia appellata est, quasi punitentia, eo quod ipse homo in se puniat poenitendo, quod male admisit;“ vel cum Augustino serm. 20 n. 2: „Impunitum non potest esse peccatum, impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo.“ Merito ergo concilium tridentinum inter actus ad perfectam peccatorum remissionem consequendam necessarios etiam satisfactionem numerat sess. 14 cc. 2. 3. 8 et can. 4. Quibus de satisfactione in genere praemissis quasdam subjiciemus quae huc spectant propositiones.

497. **Propositio I.** *Non semper tota poena simul cum culpa remittitur,* sed sublata virtute clavium culpa poenaque aeterna, plerumque exsolvenda manet adhuc poena temporalis. Hoc tenendum est contra protestantes, secundum quos poenae, quae post dimissam culpam manent, non sunt vindicativae, sed praeservativae tantum, ne in posterum peccemus. Assertio est de fide, ut colligitur ex concilii tridentini sess. 14 can. 12: „Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, A. S.“ Probatur ex factis in s. Scriptura relatis. Ita Moyses et Aaron prohibiti sunt ingredi terram promissam Num. 20, 10 ss.; cf. 14, 19 ss.; Deut. 32, 49, profecto non ut a peccato praeservarentur, sed in poenam et vindictam suae diffidentiae. Ita David obtenta jam venia sui peccati audiit 2 Reg. 12, 14: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Dei propter verbum* (scelus) *hoc, filius, qui natus est tibi, morietur.* Ipse Adam jam obtenta venia non obtinuit remissionem poenarum temporalium, quas incurrit, *quia* comedit de fructu vetito. Praeterea colligitur haec veritas ex praxi universae antiquitatis, quae idcirco tam graves exigebat poenitentias a fidelibus peccatoribus, quod credebat, non eadem facilitate remitti peccata ante et post baptismum commissa: haec scil. non dimitti, quin aliqua poena temporalis sive ante absolutionem, sive post illam exsolvatur, qua divinae justitiae satisfieret. „Sane, inquit ad rem conc. tridentinum sess. 14 c. 8, et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati et accepto Spiritus s. dono scienter templum Dei violare et Spiritum s. contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes veluti injurii et contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die irae. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant

et quodam freno coërcent hac satisfactoriae poenae cautioresque et vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.“ Quibus praeter satisfactionem pro peccatis alii fines innuuntur poenarum temporalium.

498. **Propositio II.** Haec *poena temporalis potest bonis operibus redimi,* sed non semper: interdum enim Deus illam absolute vult infligere, nulla pro ea accepta satisfactione, ut patet ex poena Davidi etiam post veniam concessam illata (n. 497). Probatur assertio

1. ex divinis literis 2. Paral. 7, 13; Jer. 18, 7; Ez. 18, 21 ss.; Joel 2, 12 ss.; Dan. 4, 24 etc., in quibus hortatur Deus peccatores, ut operibus satisfactoriis remissionem impetrent culpae poenaeque aeternae. Quod si peccatores operibus satisfactoriis impetrare possunt remissionem culpae poenaeque aeternae, a fortiori poterunt justi bonis operibus poenam redimere temporalem. Idem confirmatur

2. suffragio patrum, de quibus Chemnitius in Exam. conc. tr. p. 4: „Nec vero nescius sum, veteres aliquando nimis largiter et verbis nimium magnificis disciplinam canonicam commendare, ut quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari; Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, sanari et judicem placari; Ambrosius, poenas gehennae illis compensari; Augustinus, Deum illis de peccatis praeteritis propitiari.“ Pariter Flaccus Illyricus ingenue fatetur, patres fere omnes agnoscere satisfactionem. Ita centuria III. c. 4 et 10 citat Tertullianum, Origenem, Cyprianum; cent. IV. c. 10 Hilarium, Gregorium naz., Ambrosium, Lactantium, Hieronymum, Theophilum alex., Antonium ab.; cent. V. c. 4 et 10 Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Prosperum, Maximum, Paulinum, Cassianum, Hesychium; cent. seqq. Cassiodorum, Gregorium M., Isidorum, Bedam et alios, quos omnes reprehendit, quod eadem docuerint de satisfactione ac catholici.

3. Justi possunt bonis operibus vitam merere aeternam ejusque augmentum aeternum (n. 235). Poterunt ergo a fortiori satisfaciendo redimere poenam temporalem. Merito ergo damnata fuit prop. 77 inter bajanas: „Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam;“ et error protestantium in conc. tridentino sess. 14 can. 13: „Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote injunctis sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, A. S.“

499. **Propositio III.** *Ministri potestatis clavium et jus et officium habent imponendi opportunas satisfactiones* peccatoribus sibi confitentibus. Quod sicut non obscure colligitur ex ipsa potestate ligandi (cf. n. 440), ita ex constanti persuasione practica Ecclesiae etiam a montanistis et novatianis admissa comprobatur: imponebant enim hi poenitentias etiam iis, quorum peccata non remittebant. Hinc statuit concilium tridentinum sess. 14 can. 15: „Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi et fictionem esse, quod virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat, A. S.“

500. **Propositio IV.** *Non requiritur, ut satisfactio opere praestita antecedat absolutionem per clavium potestatem.* Propositio statuitur contra Petrum oxumensem, cujus propos. 5 damnata est: „Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia eis injuncta;“ contra Arnaldum, ex cujus opere de frequenti communione desumptae sunt propos. ab Alexandro VIII. damnatae 16. 17: „Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus;“ 18; contra Quesnelli propos. 87: „Modus plenus sapientia, lumine et caritate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur;“ 88. 89; contra syn. pistor. cujus damnatur prop. 35, „quatenus innuit, poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem; falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.“

501. **1.** Propositionis veritas colligitur ex Ecclesiae universalis praxi, quae jam per plura secula viget. Atqui, inquit Augustinus ep. 118 c. 5, „si quid totum per orbem frequentat Ecclesia . . . quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est.“ Colligitur

2. vel ex praxi antiquissimae Ecclesiae, ad quam adeo libenter provocant adversarii. Certum enim est, pluribus saltem in casibus ante exhibitam satisfactionem datam fuisse absolutionem, ut moribundis, poenitentibus imminente nova persecutione, vel si quod specimen eximiae virtutis edidissent, vel si ex dilata absolutione merito timeretur schisma, vel si ex absolutione mox concessa spes affulgeret magni lucri (spiritualis). Ergo Ecclesia antiqua non censuit sive ex rei natura, sive ex jure divino necessario praemittendam esse absolutioni satisfactionem. Quare Ecclesia sicut quondam justis de causis saepe praeexigebat satisfactionem [1]),

[1]) Hoc dicimus in hypothesi, si vera sit sententia communiter a theologis recepta, absolutionem a peccatis olim plerumque datam non fuisse nisi in fine diu-

ita poterit modo contenta solo poenitentis proposito ante satisfactionem concedere absolutionem. Qua in praxi

3. Ecclesia imitatur Deum, qui contentus solo proposito satisfaciendi perfecte contritis peccata condonat.

502. **Scholion.** *Quaestiones de satisfactione.* — Plura de satisfactione quaeri solent, quae paucis expediemus. Quaeritur

1. quaenam sint conditiones necessariae tum ex parte operis, tum ex parte operantis ad satisfactionem. Respondent theologi, easdem generatim requiri, quae ad meritum (n. 226 ss.); insuper, si sermo est de satisfactione pro poena seu de redemptione poenae, exigi, ut opus sit aliquo modo poenale. Nam hac satisfactione praevenimus judicem et voluntarie punimus in nobis peccatum, pro quo alioquin Deus nos punivisset.

2. Quaeritur, quibus praesertim operibus satisfieri possit. Respondet conc. tridentinum sess. 14 cap. 9: „Docet praeterea s. synodus, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis (cf. Job 42, 6; 2. Reg. 12, 16 s.; 3. Reg. 21, 27), aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.“ Cf. can. 13 n. 498[3]. Inter opera satisfactoria eminent jejunium, oratio et eleemosyna: cujus asserti a theologis plures redduntur rationes. „Una est, inquit Bellarminus IV, 6, quod debemus satisfacere per ea bona, quae nostra sunt, quoad ejus fieri potest. Habemus autem tria genera bonorum: animi, quae Deo damus per orationem; corporis, quae Deo damus per jejunium; et fortunae, quae Deo damus per eleemosynam. — Altera ratio est, quod omnia vitia revocantur ad illa tria, quae s. Joannes posuit 1. ep. 2, 15, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae. Jejunium comprimit concupiscentiam carnis, eleemosyna concupiscentiam oculorum i. e. avaritiam, oratio superbiam vitae.“ — Tertiam

---

turnae poenitentiae vel prope finem ex. gr. post absolutam tertiam stationem substrationis. Verum haec sententia nullatenus videtur posse probari. Quis enim putet, absolutionem pluribus annis fuisse sejunctam a peccatorum confessione; et nisi statuere velimus poenitentem obligatum fuisse bis eadem confiteri peccata, quod inauditum, quomodo potuisset sacerdos absolvere poenitentem, qui ante aliquot annos sibi confessus fuit? Quid si sacerdos, cui poenitens sua confessus est peccata, interim moreretur? Quare illa absolutio et reconciliatio, quae finita poenitentia solemni dabatur, fuit tantum caeremonialis: nam illam dare solebat episcopus, qui certe non omnium lapsorum audierat confessiones, eamque saepe dabat pluribus simul. Quare probabile admodum videtur, semper viguisse praxim illam, quam inculcat s. Bonifatius in concilio leptinensi (a. 743) stat. 31: „Curet unusquisque presbyter statim post acceptam confessionem poenitentium singulos data oratione reconciliari.“ Hanc porro sententiam pluribus tuetur Frank die Bussdisciplin der Kirche V, 6, praeeunte Amort, Wiseman die vornehmsten Lehren und Gebräuche der kath. Kirche pag. 443; eandem sequuntur Palmieri in app. de indulg. § 2; Schmitz Katholik 1885 I, 349 ss.; Wildt Kirchenlex. II, 1608. Cf. de ipsa prop. Nat. Alexander diss. 9 in sec. 3; Morinus I, 19; VI, 24; IX, 6 ss.

addit Suarez de poenit. d. 37 s. 3: »Homo satisfaciendo privat se vel aliquo bono utili, et hoc fit per eleemosynam; vel bono delectabili, et hoc fit per jejunium; vel acquirit cum aliquo labore bonum honestum, et hoc fit per orationem. Ad haec homo peccando Deum offendit, se et proximum laedit; hinc castigat se per jejunium; subvenit proximo per eleemosynam, Deum honorat per orationem.« Cf. Thomas suppl. qq. 12 ss.; Collet p. 2 c. 6 a. 1; Palmieri th. 36 ss.; Ripalda d. 98.

3. Quaeritur, qua virtute satisfaciendi praedita sint opera poenalia peccatorum et justorum. Dicendum est, peccatores operibus suis quadamtenus satisfacere de congruo pro culpa poenaque aeterna, quatenus ejusmodi opera eos disponunt ad culpae poenaeque remissionem impetrandam. Hoc enim patrum testimonia comprobant (n. 498). Justi vero operibus suis pro poena temporali satisfaciunt de condigno, ea nimirum condignitate, quae Deum inter et homines locum habere potest. Hoc sicut colligitur ex eo, quod justi condigne merent vitam aeternam, ita etiam ex prop. 59 et 77 inter bajanas damnatis (cf. ib.). Docent autem theologi, satisfactioni sacramentali, cum sit pars sacramenti poenitentiae instituti ad remissionem peccatorum, causalitatem etiam aliquam ex opere operato respondere: non circa peccatorum remissionem, cum haec ante exhibitam satisfactionem absolutione jam sint deleta; ergo saltem circa relaxationem poenae temporalis, quae luenda manet dimissa jam virtute absolutionis culpa poenaque aeterna.

4. Quaeritur, qua ratione concilientur satisfactiones nostrae cum dogmate de superabundanti satisfactione Christi pro peccatis nostris exhibita. Cui quaestioni satis respondet conc. tridentinum sess. 14 c. 8. Memineris scilicet **a.** Christum abundanter Deo Patri satisfecisse; nulli vero hanc satisfactionem prodesse, nisi ei applicetur. Voluisse autem **b.** Deum, ut adultis fructus satisfactionis Christi non communicetur citra eorum cooperationem et conditiones ab ipsis servandas, inter quas est etiam aliqua poenitentis satisfactio, praesertim si relaxationem poenae temporalis post dimissam culpam poenamque aeternam reliquae impetrare intendant; ideoque **c.** satisfactiones justorum praesupponere meritum satisfactionemque Christi, quatenus α. supponunt Deum hominibus placatum, reconciliatum, paratum ad peccatorum poenarumque remissionem: quae Dei humanitas fructus est satisfactionis Christi; quatenus β. ad eas requiritur gratia, quae fructus est sanguinis Christi; quatenus γ. Christus promeruit, ut opera poenalia a Deo acceptentur in poenarum relaxationem. Satisfactiones ergo justorum ex satisfactione Christi totam suam mutuantur vim eamque maxime commendant.

503. Frustra protestantes contra doctrinam catholicam de satisfactione urgent verba Ezech. 33, 12: *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit.* Nam negamus **a.** suppositum, satisfactiones nocere peccatori converso. **b.** Verbis illis excluditur damnum aeternum, damnum spirituale, damnum in ordine ad amicitiam, non vero damnum temporale cedens in spirituale bonum, ut vel ex quotidiana experientia constat. Denique **c.** ea verissima sunt in adversariorum sensu de prima conversione per baptismum: pro peccatis enim ante baptismum commissis nulla remanet poena temporalis; et subinde etiam de perfecta conversione a peccatis post baptismum, cum Deus contentus sit ea satisfactione, quam poenitentia perfecta includit.

Caput V.

De absolutione, de ministro potestatis clavium deque aliis ad poenitentiae sacramentum spectantibus.

504. *De absolutione.* — Quae de absolutione tenenda sunt, ad quaedam capita revocabimus, quae facile ex jam demonstratis derivantur:

1. Absolutio actus proprius est hujus potestatis, quae ad remittenda peccata fuit concessa, eique subordinata est retinendi ligandique facultas: quae propterea non est aeque principalis atque illa.

2. Ea exterius proferri debet, ut constat **a.** ex instructione Eugenii IV. pro armenis: „Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert cum dicit, ego te absolvo etc.;“ **b.** ex collatione cum aliis sacramentis. Neque mirum **c.** cum id exigat Ecclesiae visibilitas, nec non et conditio humanae naturae. Si quaeras, sufficiatne absolutio nutibus, scripto etc., an necessario requirantur verba ore prolata, respondemus: cum agatur de actu juridico, actus autem juridicus tunc tantum valeat, quando expressus est ad normam authenticam, Ecclesia vero et theoretice et practice declararit, absolutionem verbis omnino esse proferendam, statuendum est, ad absolutionis valorem verba requiri ore prolata.

3. Absolutio dari potest praesenti tantum, ut liquet ex praxi Ecclesiae, ex forma ore proferenda, quae ad praesentem dirigitur, et declaratione Clementis VIII. data 19 Julii a. 1602, qua propositionem, „licere per literas seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere,“ ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit: quod decretum Paulus V. de 14 Jul. 1605 in congregatione s. Officii declaravit, etiam in sensu diviso h. e. de confessione vel de absolutione seorsim valere. Clemens vero VIII. vivae vocis oraculo enunciavit, se non intendere casum, quo moribundus sensibus destitutus, quem adstantes absolutionem antea petiisse testarentur, absolvendus esset. Quamvis autem poenitentiae sacramentum per modum judicii sit institutum, non tamen in omnibus hujus naturam sequitur; in quibus illud imitetur, ex praxi colligi debet. Cf. Collet c. 5 n. 575 ss. Hinc absolutio per telephonium impertita (saltem ex ratione n. 504[2] allata) non videtur valida. Cf. Eschbach La confession par téléphon, Tournay 1888.

4. Absolutio non est declarativa tantum, sed efficax ipsius remissionis peccatorum, ut definit conc. tridentinum sess. 14 c. 6 et can. 9: „Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti modo tantum credat, se esse absolutum . . . A. S.“ Hoc colligitur clare ex dictis n. 438. Hinc etiam patres ad absolutionis efficaciam significandam eam dicunt remissionem peccatorum, concessionem, abolitionem delictorum, mundationem, reconciliationem, pacem etc., ut patet ex testimoniis, quae collegit Morinus VIII, 4 ss.

505. *De absolutionis forma.* — Multum disputant theologi, possitne absolutionis forma esse deprecatoria, an necessario debeat esse indicativa. Ad quam quaestionem paucis respondemus: **1.** Quaestionem de absolutionis forma, cum agatur de re positiva, quae pendeat a Christi voluntate, non a priori esse dirimendam: quare **2.** si vel semel in Ecclesia obtinuit forma

absolvendi deprecativa, indubitanter tenendum est, eam tunc saltem valuisse, sicut valet ea formâ, qua nunc utitur Ecclesia graeca, etsi diversa a forma absolutionis Ecclesiae latinae. Jam vero **3.** in Ecclesia latina per plura secula viguisse videtur [1]) absolutio forma deprecativa expressa; et teste Denzinger ritus or. de poenit. § 2, »forma absolutionis apud orientales, si armenos excipias, deprecativa est.« Tamen **4.** cum jam a pluribus seculis Ecclesia occidentalis forma utatur indicativa hujusque usum solemniter omnibus praescripserit: merito de valore formae deprecativae, si modo auctoritate privata adhiberetur, dubitare licebit ob rationem n. 504 [2] assignatam. Ceterum **5.** quamvis forma indicativa magis conveniat potestati clavium, quatenus est judicialis, deprecativa tamen exprimit characterem potius ministerialem. Nec officit deprecatio efficaciae ex opere operato, ut patet ex forma sacramenti extremae unctionis.

506. **Thesis CCLI.** ***Soli sacerdotes ministri sunt potestatis remittendi retinendique peccata.***

Declaratio. Thesis statuitur contra waldenses et wicleffitas asserentes, laicos quoque bonos a peccatis absolvere posse. Hinc ex mandato Martini V. interrogandus est is, qui errorum Wicleffi est suspectus n. 20: »Utrum credat, quod christianus ultra contritionem cordis habita copia sacerdotis idonei soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis quantumcunque bonis et devotis.« Statuitur etiam contra novatores seculi XVI., quorum doctrinam damnavit conc. tridentinum sess. 14 c. 6 et can. 10: »Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quaecunque ligaveritis* etc.; et: *Quorum remiseritis peccata* etc.: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, A. S.«

507. **Demonstratio. 1.** Probatur ex verbis, quibus ea potestas collata fuit (n. 436). Confertur enim haec potestas apostolis, quatenus distinguuntur ut legati authentici, judices et praesides a subditis et ab iis, ad quos sunt missi. Non est ergo ipsis communis cum reliquis fidelibus. Atqui haec potestas, ut ex toto tractatu constat, perennis est in Ecclesia. Ergo sic traditur apostolis, ut in ipsis et per ipsos collata fuerit etiam iis, qui ipsis in munere apostolico temporum cursu successuri sunt. Ex universa vero traditione constat, apostolorum successores, quatenus fuerunt legati, pastores, judices, primo gradu esse episcopos, altero presbyteros. Ergo sacerdotes sunt hujus potestatis ministri.

2. Accedit traditionis suffragium, ex quo liquet, solos sacerdotes hujus potestatis esse ministros. Nam **a.** monumenta antiquitatis, praeser-

---

[1]) Cf. Morinus VIII, 8 ss.; Frank V, 5, qui admodum urget s. Augustini testimonium s. 99 n. 8 ss. Urgeri etiam potest ep. anonymi sec. XI. Migne 156, 693 ss. Cf. Palmieri th. 12 ss.

tim libri poenitentiales, praeter sacerdotes nullos alios exhibent hac potestate instructos. Ita in poenitentiali romano secundum excerpta Regionis (apud Morinum in fine operis) legimus: „Sicut sacrificium offerre non debent, nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni coelorum traditae sunt, sic nec poenitentium judicia alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit et presbyter non fuerit praesens, diaconus suscipiat poenitentem ad sanctam communionem.“ Alia testimonia passim prostant in hoc tractatu cf. n. 436. 438. 443. 477. 479. 483[6]. 492[3]. Imo **b.** eam diserte his solis vindicant, ut Ambrosius de poenit. l. 1 n. 7: „Jus hoc (solvendi) solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet: haeresis vindicare non potest, quae sacerdotes Dei non habet.“ Sacerdotum autem nomine intelligendos esse non solum episcopos, sed etiam presbyteros, inde liquet, quod patres, cum discrimen inter utrosque assignant (th. 257), hujus praerogativae non faciunt mentionem. Ex hac praerogativa **c.** patres probant praestantiam sacerdotii N. T. tum in se spectati, tum prae aaronico, cujus tantum erat declarare qui purgati essent a lepra (n. 438[3]). Suffragii hujus vis crescit **d.** si notetur, patres, quamvis doceant ordinarios baptismi ministros esse sacerdotes, simul tamen affirmare, in casu necessitatis alios praeter sacerdotes valide baptizare posse (n. 311); non vero concedere, ut alii praeter sacerdotes valide a peccatis possint absolvere. Credebant ergo, sacerdotes non solum esse ministros ordinarios, sed et solos hujus potestatis. Rationem diversitatis inter utriusque sacramenti ministrum non immerito repetit s. Thomas suppl. q. 8 a. 1 ex diversitate necessitatis: nam longe universalior baptismi est necessitas, ac plurimis in casibus nullo alio potest suppleri medio, cum tamen absolutio plerumque suppleri possit contritione perfecta (th. 245).

508. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Haud levis tamen difficultas oritur ex verbis Cypriani ep. 12 ad clerum in lapsorum causa: „Quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum esse, et jam aestatem coepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcunque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis desideraverunt.“ Ex quibus similibusque aliis effatis, recentioris tamen aetatis, infert Morinus VIII, 22 cum Rigaltio in adnot. in h. ep., potuisse antiquitus diaconos in casu necessitatis poenitentes a peccatis absolvere. Haec tamen verba non cogunt, ut hunc Cypriano adscribamus errorem. Cum enim nullum proferri possit factum diaconi sacramentaliter absolventis a peccatis, nullum quoque exstet disertum antiquitatis testimonium, quo haec potestas saltem in casu necessitatis diaconis vindicetur (quae enim

proferuntur, sunt vel sequioris aetatis, vel agunt de excipienda morientium petitione, imponenda vel relaxanda poenitentia canonica, administranda eucharistia etc., ad quae per se clavium potestas non requiritur): non videtur probabile, solum Cyprianum tam singularem tenuisse sententiam: quae eo minus ipsi est tribuenda, quod verba sat commode possint aliter intelligi. Et in primis si supponimus, poenitentibus mox post confessionem datam fuisse absolutionem (n. 501[2] a.), omnis sublata est difficultas. Ea non supposita, dicimus, Cyprianum permittere illis in angustiis, ut diaconi ea ratione hos peccatores reconciliarent, qua poterant. Poterant autem eos recipere inter poenitentes, reconciliare cum Ecclesia ex episcopi delegatione, nam cuidam excommunicationi erant obnoxii, utpote Ecclesiae communione plus minusve privati: ideoque etiam tribuere intuitu intercessionis martyrum relaxationem reliquae poenitentiae peragendae seu indulgentiam (cf. infra n. 526). Ita reconciliati poterant admitti ad sacram eucharistiam (n. 507[2]), cum possent in tanta salutis necessitate supponi contriti et hinc sufficienter dispositi: sicut sacerdos peccati licet gravis reus nonnullis in adjunctis potest contritus absque praevia absolutione sacrum celebrare. Haec vero reconcilitatio multum conferebat lapsis, ut cum pace migrarent ad Dominum, cum scirent extra Ecclesiam non esse salutem. Poterant diaconi etiam indirecte aliquid conferre ad reconciliationem ipsam cum Deo, monitis scil. et consiliis, quibus illi poenitentes ad perfectam contritionem disponerentur.

509. Alia difficultas inde petitur, quod a sec. saltem VIII. et deinceps theologi docuerunt et fideles crediderunt, utile, imo in casu necessitatis ad salutem esse necessarium, si nullus adesset sacerdos, laico confiteri. Cf. Morinus VIII, 24; Martene de ant. Eccl. ritibus l. 1 c. 6 a. 6. Ita ex. gr. habet Bonaventura serm. 8 in diebus Rogat.: „In necessitate laico confitendum, si sacerdos haberi non possit. Augustinus (de vera et falsa poenitentia c. 10 n. 25): ‚Fit dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio.‘ Si autem nec laicum habere possis, confitearis Domino confessori summo.“ Cf. Thomas supplem. q. 8 a. 2. 4; Benedictus XIV. de syn. dioeces. l. 7 c. 16; Frank l. 2 c. 3 § 8. Quid de hac confessione sit tenendum, paucis dicemus. Ideo scilicet **a.** theologi statuerunt, peccatorem illo in casu teneri ad confessionem laico faciendam, quod quilibet in ejusmodi statu in quo agitur de salute aeterna, tenetur facere quidquid potest. Atqui sacerdote absente, praesente vero laico, moribundus huic saltem confiteri potest. Tamen **b.** docent, confessionem hanc non esse sacramentalem, neque laicum posse absolvere. Verum **c.** addunt, sacerdotem invisibilem, Christum, tali in casu ob sincerum confitendi sacerdoti desiderium absolutionem impertiri. Ita tamen **d.** ut peccator periculum elapsus teneatur eadem peccata sacerdoti confiteri. Recentiores vero theologi censent, nunc temporis illicitum esse laico confiteri, ne videamur favere novatorum errori (n. 506).

510. **Scholion II.** *De jurisdictione.* — Ut tamen sacerdos valide possit absolvere, praeter potestatem ordinis praeditus esse debet potestate jurisdictionis in foro interno.

Multiplex est discrimen inter potestatem ordinis et jurisdictionis: Illa **a.** est principium effectus sacramentalis ad ordinem gratiae spectantis: haec potestas dirigendi et efficaciter urgendi actiones fidelium in finem supernaturalem; hinc illa refertur immediate ad fidelium sanctificationem, haec ad

eorundem directionem: adeoque consistit in quadam superioritate, vi cujus quis potest praecipere, prohibere, obligare etc., illius effectus spectat ad ordinem ontologicum, hujus ad ordinem moralem; illa **b.** supponit subjectum idoneum: haec subditum; illa **c.** confertur immediate a Deo, sacramento quidem: haec extra et praeter sacramentum ab Ecclesia, si pontificem excipias, qui eam immediate a Deo accipit; illa **d.** utpote cum charactere connexa est inamissibilis, et in omnibus ejusdem ordinis aequalis: haec amissibilis et alia in aliis. Porro potestas jurisdictionis duplex est pro duplici foro: altera nimirum in foro externo, altera in foro interno. Utraque quidem consistit in quadam superioritate et obligat in conscientia: sed illa refertur ad communitatem seu ad fideles, quatenus constituunt coetum visibilem, ideoque est legifera, judicialis, coactiva: haec ad individua; illa respicit actiones fidelium prout referuntur (immediate) ad societatem ecclesiasticam, haec prout referuntur ad Deum seu ut sunt offensa Dei [1]).

511. Quaeritur ergo, utrum sacerdos ita ordinatione potestatem accipiat remittendi peccata, ut absque conditione ulla omnes rite dispositos valide possit absolvere: an potius ita ut ea effectum suum non sortiatur, nisi Ecclesiae rector ipsi materiae instar subditos assignet, in quos suam exserat potestatem, seu conferat jurisdictionem. Hoc posterius tenendum est contra plures theologos jansenismi erroribus infectos, ut colligitur ex prop. 37 synodi pistoriensis a Pio VI. damnata, et ex conc. tridentino, quod sess. 14 cap. 7 hanc reddit rationem: „Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti eam esse absolutionem debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.“ Hoc jam antea declaravit Eugenius IV. in instr. pro armenis et synodus lateranensis IV. cap. 21: „Si quis alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere et ligare.“ Idem non obscure colligitur ex Joan. 20, 21: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sicut enim posterioribus verbis designatur potestas ordinis, ita prioribus authentica missio, qua assignatur terminus, respectu cujus formaliter apostoli sint legati authentici,

---

[1]) Cf. de discrimine utriusque potestatis em. card. Tarquini in juris eccles. publici institutionum l. 2 c. 1, ubi potestatem jurisdictionis dicit esse „potestatem pascendi seu gregem Christi regendi tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium, quo in tota mediorum oeconomia fideles dirigantur, ita ut ipsa quoque sacramentorum dispensatio ad ejusmodi potestatis officium pertineat.“ Cf. Thomas 2. 2 q. 39 a. 3; Suarez def. fid. cath. l. 3 c. 6; Salmeron in Evang. opp. t. XII. tr. 63. 74.

seu subjectum, in quod collata auctoritas possit exerceri, hinc jurisdictio. Cf. s. Thomas quodlib. 12 a. 30.

512. **Corollarium.** *De casuum reservatione.* — Merito ergo infert conc. tridentinum l. c. et can. 11, episcopos habere potestatem reservandi sibi quaedam peccata, a quibus sacerdotes extra mortis articulum valide nequeant absolvere. Sane reservatio aliud non est, quam jurisdictionis circumscriptio circa quaedam peccata vel personas, quae inferioris judicis judicio subtrahuntur. Atqui ejusdem est jurisdictionem circumscribere limitibus, cujus est illam concedere vel negare, et cujus jurisdictioni inferioris jurisdictio est obnoxia. Hinc passim Ecclesia hanc sibi asseruit potestatem, ut patet ex damnatione prop. 45 et 46 synodi pistoriensis et ex conciliis saltem 17 synodo tridentina anterioribus, quae recenset auctor op. Sermoni istruttivi d'un vecchio parocco del Toscana al suo populo, Vercelli 1796 serm. 9. Hanc illationem vidit vel Leibnitius in suo syst. theologico scribens: „Id ipsum enim de jure divino est, ut absolutionem non consequatur, qui Ecclesiae judicium contemnit, et quas illa conditiones sive in confitendo exigit sive post confessionem imponit, negligere audeat. Hinc etiam in pontifice maximo et episcopo potestas est statuendi casus reservatos, qui a quovis sacerdote remitti non possunt nisi in periculo mortis, et praescribendi canones poenitentiales .... quibus a confitente neglectis .... irrita absolutio esset.“ Cf. s. Thomas suppl. q. 20; Perrone c. 5 pr. 4.

513. **Scholion III.** *De sigillo.* — Per se liquet sepositoetiam Ecclesiae praecepto sacerdotes teneri sigilli lege circa confessionis objectum. Hujus obligationis rationes paucis exponit s. Thomas in 4. dist. 21 q. 3 a. 1 sol. 3: „In sacramentis ea, quae exterius geruntur, sunt figura rerum, quae interius contingunt: et ideo confessio, qua quis sacerdotio se subjicit, signum est interioris, qua quis Deo subjicitur. Deus autem peccatum illius, qui se sibi subjicit per poenitentiam, tegit; unde et hoc oportet in sacramento poenitentiae significari; et ideo de necessitate sacramenti est, quod quis confessionem celet; et tamquam violator sacramenti peccat qui revelat; et praeter hoc sunt aliae utilitates hujus celationis, quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur et simplicius peccata confitentur.“

514ª. **Thesis CCLII.** ***Ritus, qui contritione, confessione et satisfactione peccatoris, nec non sacerdotis absolutione continetur, verum credi debet novae legis sacramentum a baptismo distinctum.***

Demonstratio. Hac thesi fructum totius tractatus colligimus: ea enim corollarium est omnium, quae hucusque statuimus. Est porro assertio nostra de fide, ut patet ex concilii tridentini sess. 14 can. 1: „Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, A. S.“ Quod saepius jam antea sancitum fuit, ut ab Eugenio IV. instr. pro armenis; a Clemente IV. in professione fidei Michaeli Palaeologo proposita; decreto Lucii III. contra albingenses l. 5 decr. tit. 7 c. 9.

1. Probatur thesis corollarii modo: Sacramentum generatim definiri potest ritus efficax gratiae, qui Christum habet auctorem. Atqui ritus,

quem descripsimus, Christum habet auctorem estque gratiae efficax. Efficit enim peccatorum remissionem, qua homo ex peccatore fit justus, quod sine infusione gratiae fieri nequit: est ergo sacramentum.

2. Probatur ex patribus, qui passim de poenitentia, qualis in Ecclesia agitur, disserentes, omnia ei adscribunt, quae ad sacramenti rationem sufficiunt: ritum scil. visibilem, efficaciam in ordine salutis ideoque institutionem divinam. Ita ex. gr. Innocentius I. ep. 25 ad Decentium n. 10: „Ceterum de pondere aestimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam.“ Expendantur praeterea verba Cypriani de lapsis n. 29 (supra n. 483[d]); Leonis M. ep. 108 (n. 477) etc.

514[b]. **3.** Probatur ex collatione, quam patres baptismum inter et poenitentiam instituunt: quae cum efficax praebeat argumentum et omnia, quae hucusque diximus, novo perfundat lumine atque confirmet, ea accuratius est evolvenda.

a. Iisdem nominibus baptismus et poenitentia a patribus designantur; vocatur enim poenitentia comparate ad baptismum poenitentia secunda a Tertulliano[1]) et Clemente[2]) alex.; subsidia secunda, altera pharus salutis (vel ut mavult Rigaltius planca i. e. tabula salutis) ab eodem Tertulliano[3]); gratia secunda a Bachiario[4]); baptismus, laboriosus quidem, a Gregorio[5]) naz., Philastrio[6]), Jo. Damasceno[7]). „Per has duas portas baptismi et poenitentiae, inquit Hieronymus[8]), in Jerusalem i. e. in Ecclesiam Dei vel introitus vel reditus est.“ Alter partus a Theodoreto[9]) et a Clemente[10]) alex.; κλῆσις δευτέρα ab Epiphanio[11]).

b. Docent patres, poenitentiam non minus quam baptisma medium, praesidium esse salutis divinitus concessum, hoc tamen discrimine, quod baptismus institutus sit ad delenda peccata infidelium, poenitentia vero in remissionem peccatorum jam baptizatorum.

Ita Augustinus de conjugiis adulterinis II, 16: „Si a catechumeno factum est (homicidium) baptismo abluitur; si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur;“ etc. 28 n. 35: „Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet Ecclesia;“ et saepe alibi ut I, 7; II, 17; serm. 71. 393 (dubio); c. ep. Parmen.

---

[1]) De poenit. c. 7. [2]) Strom. l. 2 n. 12. [3]) L. c. c. 12.
[4]) In prol. fidei Mig. 20, 1033. [5]) Or. 39 n. 17; or. 40 n. 8.
[6]) Haer. 89. [7]) F. O. IV, 9. [8]) In Soph. 1, 10.
[9]) In Gal. 4, 19. [10]) In l. quis dives salvatur n. 42.
[11]) Haer. 59 n. 9; et saepius ib., cf. c. 17. l. 1 c. 7.

II, 16 n. 35. De natura boni n. 48 disputationem hisce absolvit verbis: „Praesta nobis (Domine misericors), dona nobis, ut per nostrum ministerium, quo exsecrabilem et nimis horribilem hunc errorem (manichaeorum) redargui voluisti, sicuti jam multi liberati sunt, et alii liberentur, et sive per sacramentum sancti baptismi tui, sive per sacrificium contribulati spiritus et cordis contriti et humiliati in dolore poenitentiae remissionem peccatorum et blasphemiarum suarum, quibus per ignorantiam te offenderunt, accipere mereantur. Tantum enim valet praepollens misericordia et potestas tua et veritas baptismi tui clavesque regni coelorum in s. Ecclesia tua, ut nec de illis desperandum sit“ etc. — Ambrosius de poenit. I, 8; ep. 41 n. 42 belle: „Unde suam mundaret (pharisaeus Luc. 7, 44) conscientiam, qui aquam non susceperat Christi? Ecclesia autem et aquam habet et lacrymas, aquam baptismi et lacrymas poenitentiae;“ et aliis patribus praetermissis s. Hieroymus, dial. 1 adv. pelag. n. 33 docet peccata redimi i. e. remitti „sanguine Salvatoris aut in dono baptismatis aut in poenitentia, quae imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris.“ Et l. 2 n. 7: „Quod autem scriptum est: „Et sanguis Jesu Filii ejus mundat nos ab omni peccato (1. Joan. 1, 7), tam in confessione baptismatis, quam in clementia poenitudinis accipiendum est.“

Quare **c.** poenitentiae administrationem non minus quam baptismi Ecclesiae ministris concreditam censebant: ut patet evidenter ex disputatione cum montanistis et novatianis.

Hinc peccatores hortatur Augustinus serm. 351 n. 9: „Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat et vivit? .... Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiae, quibus solvatur in terra ut sit solutus in coelo, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur salutem aliquam polliceri? ... Judicet ergo se ipsum homo ... veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus jam incipiens esse filius ... a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum.“ Cf. alia testimonia supra n. 438[2]. 477.

d. Exhibent patres ministros Ecclesiae duplici divinitus instructos munere remittendi peccata, baptismo scil. et reconciliatione.

Quod quidem evidenter ex dictis sequitur, sed aliis quoque effatis comprobari potest. Ita s. Pacianus ep. 1 n. 6: „Solus hoc (ignoscere poenitenti), inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod apostolis dicit: *Quae ligaveritis in terris* etc.? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum s. dare solis et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quam apostolis imperatum est .... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi etc.“ — Praeclarissima vero sunt verba Chrysostomi de hac potestate, quam praeter jus baptizandi habent sacerdotes, de sacerd. III, 5. 6: „(Sacerdotes) qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quae in coelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt,, quam neque an-

gelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: *Quaecunque ligaveritis* etc. Habent quidem ii, qui in terra imperant potestatem ligandi, verum corpora solum: hoc autem vinculum ipsam attingit animam coelosque transcendit: ac quaecunque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem coelestium potestatem? Nam *quorum*, inquit, *peccata remiseritis* etc. Quae major hac potestas fuerit? *Omne judicium dedit Pater Filio* (Jo. 5, 22); videoque ipsum omne ipsis traditum a Filio esse . . . Insania manifesta est tantum principatum despicere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus . . . Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, judaeorum sacerdotibus licebat . . . Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt.« Hinc praxis obtinuit, ut eadem die scil. in coena Domini diaconus ante offertorium ad episcopum adduceret tum catechumenos tum poenitentes, illi ut baptizarentur, hi ut plene Deo et Ecclesiae reconciliarentur (absolutione, quae compleret et consummaret absolutionem jam antea a peccatis datam): qua occasione hisce pulcherrimis utebatur verbis, quae passim legimus in antiquis ll. poenitentialibus (apud Morinum), ut in l. poenitentiali Egberti: Augemur regenerandis, crescimus reversis: lavant aquae, lavant lacrymae«; et de s. Simplicio refertur in vitis rom. pontif. (Migne 128, 363), eum constituisse presbyteros in tribus basilicis »propter poenitentes et baptismum.«

e. Neque minorem virtutem atque efficaciam patres absolutioni quam ipsi baptismo vindicant. Quod colligitur manifesto ex controversia cum novatianis. Non enim de eo controversia erat, possetne Ecclesia quacunque demum ratione peccata fidelibus condonare, sed num ea ita posset remittere, ut haec remissio valida esset coram Deo. Negabant novatiani; affirmabant catholici, ut patet ex n. 438[2].

Quibus adde illud s. Athanasii contra novat. (Migne patrol. gr. 25, XIII): »Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus Spiritus s. gratia illuminatur, ita qui confitetur in poenitentia, per sacerdotem Christi gratia remissionem accipit.« In constitutionibus apost. II, 44 legimus: »Ut ethnicum baptismo lotum post doctrinam admittis, sic hunc (peccatorem) ut poenitentia purgatum per manus impositionem cunctis pro eo deprecantibus in antiqua pascua restitues eritque ei loco lavacri manus impositio (qua scil. reconciliationis beneficium conferebatur).«

f. Mirum hinc non est, eos docuisse, reconciliationem ita peccatoribus fidelibus esse necessariam ut catechumenis baptismum. Quapropter ut hanc necessitatem imagine quadam repraesentent, poenitentiam alteram post naufragium salutis tabulam vocant.

Gravissimis etiam verbis illam inculcant. »Agnosce, scribit Cassianus VI, 18 ad Nestorium, sacramenta salutis tuae, per quae renatus es. Non minus tibi nunc opus sunt, quam tunc fuerunt: ut te per poenitentiam nunc regenerent, quae per fontem generarunt.« — »Unde vos, inquit s. Caesarius serm. 61, frequenter admonui, fratres carissimi, iterum atque iterum admoneo et contestor, ut qui se cognoscit de litore continentiae tempestate libidinis in

pelagum luxuriae fuisse jactatum et castitatis incurrisse naufragium, peccatorum confessionem velut tabulam confractae navis velociter apprehendat: ut per ipsam de abysso ac profundo luxuriae possit evadere, et ad portum poenitentiae pervenire, ubi jam tutiori loco spei ancoram figere, et salutem perditam valeat reparare.« — Hinc fidelium sollicitudo recurrendi ad Ecclesiae ministros, ut moribundis vel baptismus conferatur vel reconciliationis beneficium (n. 479), cujus nobis iterum testis est Augustinus, qui ita de civ. Dei XX, 9 probat defunctorum animas non separari ab Ecclesia: »Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi, nec aliquid prodesset ad ejus in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur haec vita, nec ad reconciliationem, si forte per poenitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles, etiam defuncti, membra ejus sunt?« Hinc patrum querelae de iis, de quibus Ambrosius in Luc. VII, 221 scribit: »Scio quosdam dicere, quod ad mortem sibi lavacri gratiam vel poenitentiam reservent.«

515. Quae cum ita sint, merito inferimus, vel baptismum non esse novae legis sacramentum, vel, si baptismus est, non minus verum propriumque sacramentum esse poenitentiam, quae in Ecclesia agitur. Iisdem enim baptismus et haec poenitentia designantur nominibus, idem Spiritus s. in utroque operatur ritu, eadem utriusque est efficacia ac virtus, par ad salutem necessitas, eandem in ministro missionem delegationemque divinam supponunt, ejusdem misericordiae, quae non vult mortem peccatoris, sed ut vivat, salutis sunt praesidia ac canales gratiae abluentis maculas. Si differunt, ea differunt ratione, ut haec differentia vim argumenti confirmet. Differunt enim ordine, cum baptismum poenitentia excipiat tamquam baptismus alter; differunt subjecto, cum baptismus infidelium, absolutio vero peccata deleat fidelium; differunt modo remissionis, cum in baptismo peccata modo ablutionis deleantur: in poenitentia judiciali absolutione praesuppositis contritione, confessione et congrua satisfactione, unde ea baptismus difficilis dicitur et laboriosus.

516. **4.** Omisso argumento valido ex consensu Ecclesiae graecae et sectarum Orientis, haud spernenda accedit ratio theologica: Ex doctrina Scripturae et patrum Ecclesia est dispensatrix mysteriorum Dei, pro Christo legatione fungitur, et opus ab eo inchoatum continuat. Atqui inter mysteria Dei, inter functiones potestatis salvantis Christi est remissio non solum peccatorum ante baptismum commissorum, sed eorum quae post baptismum contraximus. Ergo non solum illorum, sed et horum remissionem dispensat Ecclesia, largitur Christus per Ecclesiam. Sed profecto ritu visibili, ut suadet analogia cum baptismo, exigit conditio Ecclesiae visibilis ipsiusque humanae naturae. Ergo admitti debet in Ecclesia ritus visibilis, cujus auctor sit Christus, efficax remissionis peccatorum post baptismum commissorum, efficax hinc gratiae, seu aliis verbis sacramentum poenitentiae.

517. **Scholion.** *De materia sacramenti poenitentiae.* — Certum est secundum omnes, contritionem, confessionem et satisfactionem „ad integritatem sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri et hac ratione poenitentiae partes dici", ut docet concilium trid. sess. 14 c. 3. Verum controversia est, num hi actus sint materia ex qua sacramentum constituitur, non secus atque in baptismo aqua seu ablutio per aquam. Affirmant plerique theologi, quibus favet catechismus trid. de sacr. poenitentiae n. 10: „In eo maxime hoc sacramentum ab aliis differt, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis vel arte effecta: sacramenti vero poenitentiae quasi materia sunt actus poenitentis, nempe confessio etc. . . Neque vero hi actus quasi materia a s. synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant: sed quia ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione." Negant scotistae praeeunte Scoto in 4. dist. 16 q. 1, secundum quos absolutio, quatenus ritus est sensibilis, rationem habet materiae: formae vero rationem, quatenus significat sacramenti effectum. Quam ob rem definiunt poenitentiae sacramentum: „est absolutio hominis poenitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis a sacerdote jurisdictionem habente et ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animae a peccatis." Maldonatus de poenit. p. 3 q. 3 ad th. 7 hanc sententiam veriorem censet, quamvis fateatur alteram esse communiorem.

518. Praeferenda videtur prior sententia, non solum quia communior, verum etiam **1.** conciliis florentino et tridentino magis conformis. Tenendum enim est **a.** sacramenta omnia materia constare et forma; **b.** absolutionem esse formam sacramenti poenitentiae; **c.** poenitentis actus requiri ad integritatem sacramenti, esse partes sacramenti et quasi materiam. Atqui nunquam actus disponentes ad aliorum sacramentorum receptionem dicuntur eorum partes seu quasi materia; neque concilia aliam sacramenti poenitentiae materiam assignant. Quare concludendum videtur, actus poenitentis revera in hoc sacramento materiae habere rationem; idcirco vero a concilio appellari quasi materiam (cum prius in schemate actus dicerentur esse pro materia), quod non sint aliquid materiale, sicut materia in aliis sacramentis, etsi hujus vices gerant. Ideo etiam **2.** vocatur hoc sacramentum poenitentiae vel confessionis sacramentum, sicut baptismus dicitur sacramentum ablutionis etc.: quae appellandi ratio non esset accurata, si poenitentis actus non essent materia ipsi interna et essentialis. Accedit **3.** concilium dicere sess. 14 cap. 3, vim hujus sacramenti praecipue in forma seu in verbis illis: Ego te absolvo etc. esse sitam. Ergo absolutio non est integrum sacramentum. Quam sententiam **4.** confirmat em. card. Franzelin hunc in modum: „Dum enim Christus instituit potestatem in ministris non simpliciter absolvendi peccata, sed absolvendi et retinendi per modum judicii: eo ipso instituit tamquam partem hujus sacramentalis judicii submissionem poenitentem culparum, quantum a peccatore moraliter fieri potest, et satisfactionem sub potestate judicum ab-

solventium ac retinentium, adeo ut sine hac poenitente submissione non solum absolutio effectum non consequatur, sed neque sit ad modum judicii a Christo instituti, atque ideo neque sacramentum. Jam vero ex duplici hoc constitutivo judicii sacramentalis poenitens submissio culparum sub potestate judicis supponitur ut res determinanda et perficienda, verba absolutionis determinant et perficiunt signum efficax sacramentale; illa ergo se habet ad modum materiae, haec sunt forma sacramenti. Porro ubi sunt plures partes materiae, non necessario omnes sunt essentiales ad esse rei simpliciter, sed possunt aliquae esse solum integrantes. Ita in praesenti pars materialis integrans sacramenti est satisfactio, quae tamen utpote pars sacramentalis in sua morali unione cum forma, cum actu scilicet judiciali retentionis et absolutionis, vim etiam habet sacramentalem satisfaciendi ex opere operato.« De sacr. in gen. th. 4. Cf. Thomas 3. p. q. 90 a. 2; Palmieri th. 14.

Caput VI.

De indulgentiis.

519. Ut ab initio manifestum sit, quid Ecclesia catholica indulgentiarum nomine intelligat, juverit illius notionem ex authenticis Ecclesiae monumentis et decretis eruere. Quibus consultis [1]) colligimus: **1.** Fontem indulgentiarum esse Ecclesiae thesaurum, qui coalescit ex satisfactionibus Christi et sanctorum; **2.** Ecclesiam i. e. summum pontificem primo gradu, altero episcopos fidelibus applicare posse has satisfactiones; **3.** hac applicatione fidelibus jam justificatis remitti non solum poenitentias canonicas, sed et poenas temporales, quae dimissa culpa poenaque aeterna ex divinae justitiae decreto luendae adhuc sint; et quidem **4.** ita ut haec remissio valida sit in foro divino; **5.** in hac remissione consistere indulgentiam, quae **6.** etiam suffragii modo applicari possit defunctis. Quare indulgentiae sunt: remissio extrasacramentalis poenae temporalis dimissa culpa peccatis debitae, coram Deo valida, applicatione thesauri Ecclesiae a superiore legitimo facta. Notandum tamen est, duo tantum secundum conc. tridentinum sess. 25 esse de fide, scil. Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias harumque usum populo christiano esse salutarem. Reliqua, quae supra statuimus, non quidem

---

[1]) Potiora documenta sunt art. 12 Wicleffi damnatus a conc. constantiensi; art. 26. 27. 28, de quibus errorum Wicleffi et Huss suspecti ex mandato Martini V. interrogandi sunt; prop. 6 Petri oxumensis a Sixto IV. damnata; errores Lutheri 18—22 a Leone X. damnati; concilii trid. sess. 25 decr. de indulgentiis; prof. trid.; prop. 60 Baji, 16 Molinos, syn. pist. 40—43 damnatae, quae reperies in enchiridio symb. et definit. ed. Denzinger. Potiora decursu disputationis dabimus. Quibus adde constitutionem Clementis VI. a. 1349 apud Raynaldum ad. a. 1349 n. 11 et intra Extravag. communes l. 5 tit. 9 c. ‚Unigenitus' 2; cf. n. 520. Cf. Palmieri de poenit. append. de indulg. § 1.

sunt de fide, spectant tamen omnino ad doctrinam catholicam [1]), quam propositionibus aliquot vindicabimus.

520. **Propositio I.** *Admitti debet thesaurus satisfactionum Christi.* Nomine thesauri intelligitur vel ipsa res pretiosa contenta vel ipsum continens. Qua posteriori significatione thesaurus satisfactionum Christi est Dei memoria, amor, justitia et providentia supernaturalis, in quibus velut reconditae sunt satisfactiones Christi, nunquam oblivioni tradendae, ut suis temporibus hominibus applicentur. Altera significatione thesaurus ille consistit in satisfactionibus Christi, quarum virtus et efficacia nondum est exhausta. Ejusmodi thesaurum esse admittendum, patet ex prop. 17 Lutheri damnata: „Thesauri Ecclesiae, unde papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum;“ et ex prop. 41 synodi pistoriensis damnata: „Item in eo, quod subditur, scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum; quasi thesauri Ecclesiae, unde papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum [2]): falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata.“ Facile autem probatur assertio. Christi enim satisfactio, personam si spectes, fuit infinita; si debitum, fuit superabundans; si intentionem offerentis, ea oblata fuit pro omni debito viatorum; si amorem justitiam-

---

[1]) Quare minus bene et accurate scribit Holden in analysi fidei l. 2 § 3 c. 6: „Cetera omnia (praeter illa, quae diximus de fide esse) dubia sunt et a theologis in utramque partem agitata: nimirum, an sit thesaurus aliquis meritorum et satisfactionum in Ecclesia, cujus dispensatores sint romani pontifices et reliqui Ecclesiae pastores; an poena, quae ex natura rei et coram Deo solvenda sit pro peccato sive publico, sive secreto, possit ab alio quocunque impleri, quam ab ipsomet peccatore... De poenis autem purgatorii solvendis majori longe incertitudine disputantur hae quaestiones, adeo ut ex fide divina et catholica non constet, an per quascunque indulgentias aut levari aut remitti possint hujusmodi poenae, quae coram Deo et ex natura rei debentur peccato. Incertum est etiam an per indulgentias remittantur solummodo poenae ab Ecclesia injunctae, an aliquid etiam earum, quae peccato debitae sunt ex natura rei.“

[2]) Satisfactio, si proprie loquimur, distinguitur a merito (cf. t. II. n. 648): illa enim refertur ad exstinguendum debitum, hoc ad consequendum praemium. Porro Christus pro nobis satisfecit et nobis meruit: quare exstat thesaurus et satisfactionum et meritorum Christi. Cum vero indulgentiae consistant in relaxatione debiti: ideo ea conceditur applicatione satisfactionum Christi. Atqui passim nomina satisfactionis et meriti promiscue adhibentur, nam eadem opera solent esse meritoria simul et satisfactoria, et propter quandam analogiam inter satisfactionem et meritum: ideo etiam dici solet, indulgentias conferri applicatione meritorum Christi et sanctorum. Thesauri nomine primi usi videntur Alexander hal. p. 4 summae q. 23 n. 3. 6 et Albertus M. in 4. dist. 20 a. 16. Cf. Oswald die dogm. Lehre von den h. Sacramenten p. 5 § 16; Perrone praelect. theolog. t. 8 de indulgentiis prop. 3.

que Patris coelestis, ea semper est pretiosa vigetque in ejus conspectu. Ergo ex data definitione thesaurus inexhaustus satisfactionum Christi debet admitti. Eum deinde supponunt omnia sacramenta, quae totidem illius sunt canales et quorum virtus inexhausta illi innititur. Hanc doctrinam praeclare expressit Clemens VI. in constitutione supra cit., in qua, postquam descripsit infinitam Christi satisfactionem (supra t. II. n. 651), ita prosequitur: „Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per b. Petrum coeli clavigerum ejusque successores suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum et propriis et rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum b. Dei genitricis et omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur."

521. **Propositio II.** *Ad hunc thesaurum pertinent etiam supereffluentes sanctorum satisfactiones:* ut mox audivimus a Clemente VI. Quod ut probetur, scias **1.** omni operi bono justorum duplicem inesse valorem, meritorium et satisfactorium; **2.** supereffluentes satisfactiones illas dici, quas sancti praestiterunt supra debitum divinae justitiae pro suis peccatis solvendum; eas vero **3.** non adjungi thesauro satisfactionum Christi, quasi hae sint insufficientes, sed ne illae sint inanes et congruo honore priventur. Atqui negari nequit, exstitisse sanctos, qui plus sint passi, quam necessarium fuerit ad redimendam poenam temporalem pro peccatis sibi dimissis reliquam, ut s. Joan. Baptistam, martyres; nam quaelibet mors cruenta pro Christo tolerata sufficit ad exstinguendum vel maximum poenae temporalis debitum; in primis vero b. Mariam V., quae nullum ejusmodi habuit debitum: unde damnatae fuere Baji prop. 72 et 73: „Nemo praeter Christum est absque peccato originali: hinc b. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum omnesque ejus afflictiones in hac vita sicut et aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis." Infinita vero Dei bonitas non patietur, has satisfactiones oblivioni tradi ac fructu privari. Semper ergo in ejus vivent conspectu, ut aliis saltem prosint.

522. Neve dicas, has satisfactiones fructu non privari, cum justi si nullum eis sit luendum debitum, eo majus adepturi sint praemium: ideoque immerito dici eas thesauro Ecclesiae asservari. Notamus enim **1.** valorem satisfactorium prorsus distingui a meritorio, adeo ut nullatenus confundi debeant; **2.** idem opus posse esse meritorium, quatenus cedit in alterius honorem, et satisfactorium, quatenus est poenale; Deum **3.** tantae esse bonitatis, ut eadem opera nostra bona pro utroque acceptet valore, ut evidens est ex divinis literis.

Quocirca **4.** justorum opera, quatenus sunt meritoria, superabundanti recompensat praemio: quatenus vero sunt satisfactoria, acceptat ad delendum eorum debitum; quod si hoc excedant, non praemio illa compensat, cum satisfactio non referatur ad praemium et eorum valori meritorio cumulatissime sit satisfactum: sed ea asservat, ut aliorum exstinguendo inserviant debito, cum hoc **a.** eorum valori magis conveniat; **b.** in majorem ipsius justi gloriam et honorem cedat, si ejus satisfactiones aliis prosint; et **c.** mirum Ecclesiae seu corporis Christi mystici organismum sanctorumque commendet communionem. Unde conjeceris eo minus esse luendum a sontibus, quo magis satisfecerint insontes: et divina sapientia ordinante fieri, ut in fine temporum nullae amplius supersint supereffluentes sanctorum satisfactiones, quae non fuerint impensae ad exstinguendum debitum, quod subductis propriis justificatorum satisfactionibus, his solvendum adhuc fuisset.

523. **Propositio III.** *Satisfactiones Christi et sanctorum supereffluentes in alios,* qui divinae justitiae sunt debitores, *derivari possunt.* Et quidem quod attinet Christi satisfactiones, id plane est evidens, cum eae quotidie sacramentis baptismi et poenitentiae, necnon et sacrificio missae applicentur. Sanctorum autem satisfactiones in eos, qui obnoxii sunt poenae temporali, revera derivari, probatur

1. ex symboli articulo de sanctorum communione, de quo infra; ex martyrum actis, ex quibus colligitur, illorum passiones profuisse lapsis, ut eorum poenitentia contraheretur, qua de re mox n. 526 **g.** plura.

2. Huc spectant Joannis apostoli ad latronem verba apud Eusebium H. E. III, 24: „Ego pro te satisfaciam, adhuc tibi superest spes salutis, tua causa mortem libenter excipiam, quemadmodum Dominus pro nobis mori sustinuit, animam meam pro te vicariam dabo.“ Cf. n. 453 **c.**

3. Frequenter legimus in divinis literis ut Jos. 7, 1 ss.; 22, 20; 2. Reg. 24, 1 ss. etc., Deum propter peccata unius in hujus consanguineos, imo in civitates et gentes integras justitiae suae vindictam derivasse. Aliunde autem novimus, Deum magis esse paratum ad misericordiam, quam ad ultionem. Quare congruum omnino est, ut superabundantes satisfactiones unius in alios caritate ei conjunctos deriventur, quo a poenis temporalibus liberentur. Ita paratus erat Deus propter decem justos, si tot reperti fuissent Sodomis, perditissimae huic genti parcere Gen. 18, 32; propter David servum suum pepercit urbi Jerusalem jam ab hostibus expugnandae (4. Reg. 20, 6).

4. Denique hoc colligas ex prop. 60 Baji damnata: „Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem caritatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.“

524. **Thesis CCLIII.** ***Ecclesiae facta est divinitus potestas concedendi indulgentias.***

Demonstratio. Thesis est de fide ex conc. tridentini sess. 25, in qua anathema dicitur omnibus, qui „indulgentias concedendi in Ecclesia potestatem esse negant." Potest autem Ecclesia indulgentias concedere applicatione satisfactionum Christi et sanctorum, de quibus egimus n. 520 s.: quod quidem non est de fide, sed ad accuratiorem dogmatis explicationem spectat. Probatur thesis

1. ex Matth. 16, 19: *Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis:* quibus verbis **a.** amplissima confertur Petro potestas relaxandi quodlibet vinculum, quod ingressum in coelum impediat. Inter haec vincula **b.** jure merito refertur etiam poena temporalis post dimissam culpam exsolvenda. Quare **c.** ea potestas etiam ad hoc vinculum legitima ex causa relaxandum porrigitur. Sane **d.** si ea solvi potest reatus culpae gravis poenaeque aeternae, videtur consonum, ea solvi etiam posse justa de causa reatum poenae temporalis. Verum **e.** sicut culpa poenaque aeterna dimitti nequit sine applicatione satisfactionum Christi, quibus pro illa satisfactum est divinae justitiae: ita non poterit relaxari poena temporalis divinae justitiae debita, nisi nova applicatione satisfactionum, quae substituantur veluti satisfactionibus, quas homo praestare debuisset. Poterit ergo pontifex per claves nova satisfactionum thesauro Ecclesiae contentarum applicatione justa de causa poenae temporalis relaxare debitum, et quia ad hoc non est opus infusione gratiae, relaxare poterit illud extra sacramentum.

Neque dicatur, regnum coelorum hic designare Ecclesiam non triumphantem, sed militantem, in terris degentem, cum hujus claves Petrus acceperit, non illius: itaque argumentum non valere. Resp. quamvis Petrus et in Petro ejus successores acceperint claves i. e. primatum jurisdictionis in Ecclesiam militantem, eum acceperunt in ordine ad Ecclesiam triumphantem, scil. ut perducant fideles ad illam seu ad regnum coelorum, quod in Ecclesia incipit quidem sicut vita aeterna per gratiam, perficietur vero et cosummabitur per gloriam in Ecclesia triumphante. Merito ergo infertur ex amplissima clavium potestate, eam referri ad omne vinculum, quod gloriam impedit, sive id sit peccatum sive poena.

2. Probatur ex facto Pauli 2. Cor. 2, 6 ss. Sane **a.** Apostolus relaxavit seu donavit (graece ἐγὼ ὃ κεχάρισμαι) peccatori incestuoso poenitenti partem poenitentiae admodum gravis, quam **b.** incestuosus ille debebat in foro divino ad satisfaciendum divinae justitiae pro impetranda venia, ut colligitur ex 1. Cor. 5, 3 s.: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens eum, qui sic operatus est: in nomine D. N. J. Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute D. N. Jesu, tradere hujusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. Christi.* Illam vero **c.** apostolus relaxavit in *persona Christi*,

ut minister Christi pro Christo legatione fungens, hinc ea potestate praeditus, cujus sententia rata habetur a Deo. Ad rem Ambrosiaster in 2. Cor. 2, 10: „Et ut ratum ei, cui donavit, ostenderet apud Deum, ait, *in persona Christi* se donasse, quod donavit, h. e. accepto tulisse Christum, cujus legatione fungebatur, ut factum apostoli factum sit Christi, sicut dixit: *Quaecunque solveritis* etc.," quem sequitur Rabanus Maurus et Herveus in h. l., qui illud ‚in persona Christi' ita explicat: „i. e. ac si ipse Christus illi condonaret;" et iterum: „vice Christi, qui ait: *Quorum remiseritis peccata*" etc.; s. Thomas op. 23 de forma absol.: „In persona Christi i. e. ac si ipse Christus condonaret." Veram ergo apostolus indulgentiam concessit.

525. **3.** Probatur ex praxi Ecclesiae. Contendit Chemnitius quidem in p. 4 ex. conc. trid.: „Non posse (catholicos) vel ulla patrum testimonia, vel ulla veteris Ecclesiae exempla proferre, quod talis doctrina vel usus talium indulgentiarum ullo unquam tempore usque ad annos post natum Christum 1200 in veteri Ecclesia fuerit." Verum ascendendo a seculo XII. usque ad I. ostendi potest, Ecclesiam semper alia quidem forma concessisse indulgentias [1]). Provocamus tantum ad duplicem pra-

---

[1]) Quod Schoofs die Lehre vom kirchl. Ablasse, Münster 1867, c. 2 fuse ostendit, qui indulgentiarum praxim et usum in quinque distinguit periodos. In prima periodo ad a. usque 325 indulgentiae concedebantur, quatenus episcopi pro potestate divinitus accepta graves poenitentias coram Deo luendas justa de causa, intuitu praesertim intercessionis martyrum, ex parte saltem relaxabant. In altera periodo a concilio nicaeno I. ad II. (325—787) praxis non multum differebat a praxi prioris periodi: nam et in hac episcopi pro sua potestate poenitentibus pro ratione fervoris et dispositionis contrahere poterant stadia seu tempora poenitentiae ideoque ejus relaxare partem. Tertia periodus complectitur tempus a conc. nicaeno II. ad conc. claromontanum (787—1095). Cum praxis poenitentiae canonicae cum suis stationibus gradatim deficeret, ejus vicem supplebant hac in periodo compensationes per jejunia, flagellationes, peregrinationes et redemptiones per eleemosynas, genuflexiones etc., quae saepe utpote leviores speciem prae se ferebant cujusdam relaxationis, accedente praesertim indulgentia episcopi. Tria vero hac in periodo jam magis comparent: indulgentiarum applicatio defunctis facta; indulgentiae non tantum uni factae, sed jam magis in communi propositae: singularis romani pontificis in iis concedendis potestas. Dr. Schmitz tamen ostendit in Katholik 1885 I, 622—34 redemptionibus non competere cujusdam indulgentiae rationem, ideoque hanc epocham ex indulgentiarum historia esse eliminandam. Quarta periodus (1005—1275) convenit cum tertia, quatenus romani pontifices pro summa sua auctoritate omnibus iis, qui arma sumebant adversus infideles, vel pro recuperanda terra sancta, vel adversus haereticos, vel qui conferrent larga subsidia, plenariam indulgentiam omnis poenitentiae, hinc poenae temporalis pro peccatis debitae, concedebant. In quinta denique periodo a concilio lugdunensi II. ad nostra usque tempora ea invaluit indulgentiarum praxis, quae modo viget. Cf. Amort accurata notitia historica, dogmatica, polemica, critica de origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum p. 1 sect. 1 p. 11, ubi parallelismum instituit inter veteris et recentioris Ecclesiae indulgentias earumque quoad substantiam ob oculos ponit consonantiam; Bellarminus de indulg. I, 3, II, 11.

xim, quae viguit a primis Ecclesiae seculis, scil. ad jus, quod competebat episcopis relaxandi poenitentiam secundum canones statutam: quod jus illis asseritur pluribus in conciliis. Ita in conc. ancyrano can. 2: „Diaconi similiter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant: cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo vel praedicando. Quod si quidam episcoporum conscii sunt laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis, et voluerunt eis aliquid amplius tribuere (διδόναι ἢ ἀφαιρεῖν), penes ipsos erit potestas [1])." Haec vero relaxatio habita fuit valida coram Deo, aequivalens scil. relaxationi poenae temporalis Deo debitae. Neque enim forum Ecclesiae a foro Dei separatur, cum hujus vices gerat; neque scopus poenitentiae canonicae et generatim omnis poenitentiae et satisfactionis impositae est satisfacere solum Ecclesiae, ut nonnulli opinantur: sed in primis satisfacere Deo, ut constat ex tot Cypriani epistolis in causa lapsorum. Episcopi ergo relaxando poenitentias, ita ut haec remissio rata haberetur a Deo, veri nominis concedebant indulgentiam.

526. Altera praxis erat relaxandi poenitentiam intuitu intercessionis martyrum seu libellorum, quos a martyribus peccatores poenitentes impetrabant, quam praxim paucis illustrabimus.

a. Notum supponimus, lapsos persecutionis tempore ac generatim gravium criminum reos diuturnam rigidamque subire debuisse poenitentiam, antequam plene reconciliati ad eucharistiam perfectamque ecclesiasticae communionis admitterentur participationem.

b. Ut lapsi tam gravis poenitentiae relaxationem ab Ecclesiae praesulibus impetrarent, martyrum propter fidei confessionem carceribus detentorum ambiebant intercessionem.

Hujus consuetudinis testis luculentus est s. Cyprianus passim in suis epistolis. „Cum comperissem, ita ille ep. 14 n. 2, eos, qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna et gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem: literas feci, quibus martyres et confessores consilio meo, quantum possem, ad dominica praecepta revocarem." Eam vero consuetudinem testatur ep. 10 viguisse jam sub antecessoribus suis. Pulcherrimum testimonium est epistola Celerini (inter ep. s. Cypriani 20), qua pro sororibus suis Romae lapsis pacem a confessoribus carthaginensibus petit. — Hujus consuetudinis testis est Tertullianus in exhort. ad mart. c. 1: „Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt;" eamque graviter post suam ad montanistas defectionem carpit de pudic. c. 22:

---

[1]) Cf. can. 5; conc. nic. can. 12; Gregorius nyssenus ep. ad Letojum c. 5. Cf. Frank l. 6 c. 1 s.; Perrone prop. 1; Palmieri l. c. § 2.

„At tu jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem (delicta remittendi). Ut quisque ex confessione vincula induit adhuc mollia in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymae circumstagnant maculati cujusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt . . . pacem ab his quaerunt, qui de sua periclitantur.“

c. Exigebatur, ut martyr illos, pro quibus apud episcopos intercedebat, designaret nominatim, eosque tantum commendaret, quos bene nosset quorumque poenitentiam satisfactioni proximam conspiceret i. e. qui partem non minimam praestitissent poenitentiae impositae.

Hoc passim praescribit s. Cyprianus ita martyres instruens ep. 10 n. 4: „Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: „Communicet ille ... cum suis,“ quod nunquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et coeca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet, quando dicitur „ille cum suis,“ et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri, qui propinqui et affines et liberti et domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello et sic ad nos fidei ac disciplinae congruentes literas dirigatis.“ Illa enim agendi ratione, ait ep. 22, „paene omne vinculum fidei et timorem Dei et mandatum Domini et Evangelii sanctitatem solvi.“

d. Martyres non dabant ipsam pacem seu veniam et reconciliationem, sed ut ab episcopis concederetur, intercedebant, unde eorum pro lapsis literae dicebantur desideria, petitiones martyrum.

Hoc colligimus ex ejusdem s. praesulis ep. 9 n. 2 et ep. 10 ad martyres, in qua eos reprehendit presbyteros (n. 1) „qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes (cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari desideria vestra et quibusdam lapsis pacem dari postulastis, cum persecutione finita, convenire in unum cum clero et recolligi coeperimus) . . . contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam poenitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam offerre pro illis et eucharistiam dare i. e. sanctum Domini corpus profanare audeant etc.“ Cf. n. 2. 3; ep. 16 col. 21 n. 2; 22 etc. Quare cum martyres dicuntur pacem dedisse, id tantum hoc intelligi potest sensu, quod eam dederint mediate per antistites, quos intercessione sua ad pacem conferendam inducebant.

e. Haec intercessio non sine diligenti ab episcopis admittebatur examine, quo lapsorum causa, studium, fervor, satisfactio jam praestita et num poenitentiae relaxatione essent digni, expendebantur. „Fecerunt ad nos, scribit s. Cyprianus exul plebi suae ep. 11 n. 1, de quibusdam beati martyres literas, petentes examinari desideria sua. Cum, pace nobis omnibus a Domino prius data, ad Ecclesiam regredi coeperimus, tunc examinabuntur singula praesentibus et judicantibus vobis.“

f. Relaxatio satisfactionis impositae ob martyrum intercessionem concessa censebatur valida non in foro tantum ecclesiastico, sed et divino.

Hoc manifestum est ex l. de lapsis et ex tot epistolis s. Cypriani, quibus irrepentes coërcet abusus atque inconsideratam libellos dandi consuetudinem carpit, quod sit contra Evangelium, contra mandata dominica, quae a peccatoribus fidelibus congruam post lapsum exigant satisfactionem. Non ergo agebatur de relaxanda satisfactione soli Ecclesiae debita, sed Deo quoque praestanda. „Sollicitudo loci nostri, ita Cyprianus ad martyres ep. 10 n. 1, et timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi fratres, admonere vos literis nostris, ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini, ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur. Nam cum omnes milites Christi custodire oporteat praecepta imperatoris sui, tum vos magis praeceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum ceteris facti estis et virtutis et timoris Dei. Et credideram quidem presbyteros et diaconos, qui illic praesentes sunt, monere vos et instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in praeteritum semper sub antecessoribus factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum praeceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic vobis non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri etc.“ Quocirca bene sperat ep. 12 n. 1 et ep. 13, lapsos moribundos, qui nondum integram adimpleverint poenitentiam, libellis martyrum „apud Deum adjuvari posse . . . ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis desideraverunt.“ Idem colligitur ex Tertulliano montanista, qui eam consuetudinem reprehendit; manifesto enim supponit catholicos credidisse, indulgentiam esse validam in ipso foro divino. „Sufficiat martyri, ita ille l. c., propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit nisi Dei Filius? . . . Proinde qui illum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?“

g. Denique relaxatio ob martyrum intercessionem lapsis donata videtur concessa non sine satisfactionum, quibus abundabant martyres, derivatione in eos, qui illis indigebant, ut martyrum divitiis ditati divinae justitiae possent exsolvere quod ipsi deberent.

Hoc innuere videntur verba Tertulliani modo allata; patet etiam ex eo, quod martyrum intercessio vim atque efficaciam ab eorum morte mutuabatur; hinc s. Cyprianus presbyteros reprehendit ep. 9, qui „ante ipsum paene martyrum excessum“ communicaverint cum lapsis, quos illi commendaverant; et Celerinus a confessoribus carthaginensibus pacem petens pro sororibus lapsis inter alia scribit Luciano in ep. cit. n. 3: „Rogo itaque, domine, et peto per Dominum N. J. Christum, ut ceteris collegis tuis, fratribus tuis, meis dominis referas et ab eis petas, ut quicunque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriae et Candidae tale peccatum remittat.“ — Lucianus vero ep. 21 respondens de Paulo martyre refert: „Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me et dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post arcessitionem (i. e. mortem) meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.“ Neque obscure significatur in ep.

eccl. lugdunensis et viennensis apud Eusebium H. E. V, 2 ad episcopos Phrygiae de martyribus lugdunensibus: „Neque enim fastu et arrogantia intumuerunt adversus lapsos, sed ea quibus abundabant bona indigentibus liberaliter subministrabant, materna quaedam viscera gestantes magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt et largitus est eis Deus, quam etiam illi proximis suis communicarunt ubique victores ad Deum profecti.“ Cf. supra n. 523[2].

527. Merito ergo theologi catholici ad hanc provocant praxim, ut indulgentiarum probent usum in antiqua jam Ecclesia vigentem. Indulgentiae enim, si rem spectes, sunt relaxatio quaedam poenae temporalis peccatis debitae valida coram Deo ob applicationem satisfactionum ex thesauro Ecclesiae. Atqui seculo tertio lapsis pars poenitentiae et satisfactionis Deo debitae ab Ecclesiae praesulibus non sine passionum satisfactionumque martyrum in eos derivatione relaxabatur. Conferebatur ergo illis veri nominis indulgentia.

528. **Propositio IV.** *Ministris clavium competit potestas concedendi indulgentias.* Hoc liquet ex testimoniis Scripturae et patrum, quibus comprobavimus thesim. Ex traditione vero practica constat, non omnibus eam inesse, sed tantum iis, qui sunt pastores veluti principes in grege dominico: hinc in primis hoc jure pollet summus pontifex; secundo vero gradu episcopi, qui actu fruuntur jurisdictionis potestate; non autem episcopi titulares, neque (ex usu ecclesiastico) vicarii generales seu capitulares, neque praepositi generales vel provinciales ordinum, neque abbates vel visitatores. Episcopi vero indulgentias tantum dare possunt secundum quod eis taxatum est a summo pontifice, ut statutum est in conc. lateranensi IV. c. 62. Quapropter suspectus errorum Wicleffi et Huss interogari debet n. 28: „Utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem ss. canonum hujusmodi indulgentias concedere possint.“ Et Pius VI. in constit. ‚super soliditate‘ damnat Eibelii propositionem: „Quemlibet episcopum pari modo atque papam posse indulgentiam concedere.“ Ratio limitationis praecipua videtur, quod principis tantum est dispensare bonorum communium thesaurum.

S. Thomas hanc assertionem in 4. d. 20 q. 1 a. 4 sol. 1 ita illustrat: „Indulgentiae effectum habent secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non solum ex vi caritatis, sed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum. Sed intentio alterius potest ad alterum dirigi tripliciter: aut in speciali, aut in generali, aut in singulari. In singulari quidem, sicut cum quis pro alio satisfacit determinate, et sic quilibet potest alteri sua opera communicare. In speciali autem, sicut cum quis orat pro congregatione sua et familiaribus et benefactoribus, et ad hoc ordinat etiam sua opera satisfactoria; et sic ille, qui congregationi praeest, potest opera illa alii communicare applicando intentionem illorum, qui sunt de congregatione sua ad hunc determinate. Sed in generali, sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum

Ecclesiae in generali; et sic ille qui praeest Ecclesiae generaliter, potest opera illa communicare applicando intentionem suam ad hunc vel ad illum.« In sequentibus dein declarat, quare nonnisi applicatio a pontifice et quadamtenus ab episcopis facta indulgentiae habeat rationem (cf. n. 533).

529. Si excipias, sacerdotem in sacramentorum administratione applicare Christi merita; posse ergo et satisfactiones thesauro Ecclesiae comprehensas ad relaxandam poenam temporalem applicare: notandum est magnum discrimen inter applicationem illam et hanc, quae locum habet in indulgentiis. Sacerdotes immediate nequeunt applicare Christi sive merita sive satisfactiones, sed eatenus tantum, quatenus conficiunt sacramenta, quibus applicantur vi institutionis Christi pro ipsius nutu et arbitrio sua merita. Quocirca non est in arbitrio sacerdotis sive hanc applicationem sive ejus fructum et effectum determinare ita scil., ut tantum sive gratiae conferatur, sive poenae relaxetur: contra in indulgentiis applicantur satisfactiones Christi extra sacramentum et pro arbitrio conferentis indulgentias, qui potest tantum applicare, quantum requiritur ad relaxandum omne debitum vel debiti partem. Deinde sacerdotes debent secundum Ecclesiae praescriptum imponere poenitentias ad satisfaciendum divinae justitiae (sicut judices poenas): sed easdem indulgere, relaxare cum effectu coram Deo sine exhibita pro reo satisfactione nequeunt. Satifactiones autem thesauro Ecclesiae contentas illius tantum est dispensare, ut diximus, qui Ecclesiae praeest. Cf. Bellarminus I, 4.

530. **Propositio V.** Tenendum in primis est, *indulgentiis nullum remitti peccatum.* Ut indulgentiarum indolem melius assequamur, in earum inquiremus effectum. Veritas assertionis nostrae inde colligitur, quod ad peccatorum mortalium remissionem instituta sunt sacramenta baptismi et poenitentiae, et ad lucrandas indulgentias vel ex pontificum declaratione jam requiritur status gratiae; et etiam peccata venialia remittuntur tantum vel actu ipsius hominis vel sacramentorum virtute. Verum quidem est nonnunquam legi in concessione indulgentiarum: Concedimus indulgentiam ‚omnium peccatorum', relaxamus ‚tertiam partem peccatorum, ‚absolvimus a culpa et a poena' etc. Sed **a.** ejusmodi indulgentiae saepe sunt apocryphae, ut videre est ex Clementis V. Clem. 1. de poenit. et remiss. et ex chronico magno Belgii, ubi de card. Cusano per Germaniam apostolicae sedis legato refertur: „Ipse in synodo provinciali nobis audientibus Magdeburgi per ipsum celebrata dicebat: Sedes apostolica suis verbis a poena et culpa indulgentias nunquam dare consuevit." Quandoque vero **b.** voce peccati poena peccatis debita designatur ut 2. Mach. 12, 46; 1. Petr. 2, 24 etc. Quare illis verbis hic subest sensus: relaxari vel totam poenam temporalem pro peccatis remissis adhuc debitam, vel illius tertiam partem. Ceterum **c.** cum ad indulgentias lucrandas confessio saepe exigitur, vero quodam sensu dici potest, indulgentiis relaxari culpam et poenam; hanc directe, illam indirecte, quatenus confessionem habet adjunctam. Hinc cum indulgentia plenaria praesupponat remissa esse omnia peccata, etiam venialia, difficile autem sit prorsus

immunem esse ab omni peccato veniali, liquet non admodum facile esse, lucrari indulgentiam vere plenariam. Non tamen propterea dicimus, eum, qui peccatis aliquibus venialibus maculatur, nil lucrari: etsi enim non omne debitum poenae temporalis relaxatur, illius remittetur saltem pars: ideoque potest quis indulgentiam per se plenariam vel plene vel ex parte lucrari. Cf. Benedictus XIV. de synodo dioec. XIII, 18 n. 7; Suarez in 3. p. t. 4 disp. 50 s. 1; Katholik 1876 I, 449 ss.

531. **Propositio VI.** Falsum est, *indulgentiis solum relaxari poenitentias canonicas,* seu Ecclesiae tantum, quatenus est societas, debitas: tenendum enim omnino est, *iis remitti poenas temporales in foro divino debitas.* Quod statuimus contra theologos quosdam vetustiores, quos refellit Thomas suppl. q. 25 a. 1, contra Lutherum, cujus damnata est prop. 19: „Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam:“ ex qua inferebat 21 pariter damnatam: „Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus;“ et 22: „Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur.“ Statuimus contra synodi pistoriensis prop. 40: „Propositio asserens ‚indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti‘, quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam, falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata:“ quem errorem plures amplexi sunt theologi seculi praesertim praeteriti.

532. **1.** Sane indulgentiis remitti poenam temporalem Deo debitam, probant omnia, quibus thesim praecedentem demonstravimus. Colligitur

2. ex utilitate indulgentiarum declarata a conc. trid. Atqui nullius utilitatis essent, si iis poenitentiae tantum canonicae relaxarentur, cum hae jam a sex seculis non amplius vigeant, et magna pars populi christiani, etiamsi adhuc vigerent, iis obnoxia non sit. Imo, ut bene notat Thomas l. c.: „Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scil. purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis.“

3. Certum est indulgentias applicari posse defunctis; nemo vero animas defunctorum dicet obnoxias poenis soli Ecclesiae exsolvendis.

4. Oppositus error falso innititur supposito, poenitentias ab Ecclesia injungi tantum ad satisfaciendum ipsi, non vero etiam Deo: quo nil fal-

sius, nam Ecclesia illud in primis intendit, ut peccator congrua satisfactione exhibita vel saltem promissa reconcilietur Deo, quem in finem accepit clavium potestatem. Quod si Ecclesia in dandis indulgentiis respicit subinde poenitentias canonicas, ut cum conceduntur indulgentiae septem annorum, quadragenarum etc., significatur quidem immediate remitti tantum poenitentiae cononicae, mediate vero tantum poenae temporalis dimissa culpa divinae justitiae debitae, quantum remitteretur ei, qui poenitentiam canonicam septem annorum etc. ageret. Si vero dabatur indulgentia de poenitentiis injunctis, illae poenitentiae intelligebantur, quas confessarii imponere poterant vel debebant secundum rigorem canonum poenitentialium. Cf. Perrone pr. 2.

533. **Scholion I.** *Formalis indulgentiarum ratio.* — Quaeritur in quo consistat formalis ratio indulgentiae. Sunt qui doceant, eam pro fidelibus vivis judiciaria atque authentica contineri absolutione a poena temporali per clavium potestatem. Alii censent, eam proprie consistere in solutione, seu in compensatione poenae temporalis per satisfactiones Christi et sanctorum competenti auctoritate Deo pro fidelibus oblatas. Alii cum Bellarmino utrumque elementum conjungentes statuunt, indulgentiam esse absolutionem judiciariam, quae annexam habeat solutionem ex thesauro satisfactionum Christi et sanctorum.

Sane ad rationem indulgentiae requiri absolutionem judicialem, evincitur tum ex eo, quod jus concedendi indulgentias revocatur ad clavium potestatem; tum ex eo, quod alioquin ratio reddi nequit, quare fideles suas pro aliis offerendo satisfactiones indulgentiam non concedant [1]), et quare animabus in purgatorio indulgentiae tantum per modum suffragii possint applicari. — Requiri autem praeterea quandam solutionem, qua pro debito ejus, qui lucratur indulgentias, divinae justitiae satisfiat, docent passim summi theologi cum s. Thoma, qui l. c. ad 2 statuit: „Ille, qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a poenae debito, sed datur ei, unde debitum solvat;“ cujus asserti hanc reddit rationem Aegidius Carlerius in conc. basileensi [2]): „Indulgentia dicit relaxationem poenae debitae: sed quia oportet,

[1]) Fideles suas satisfactiones aliis applicando, si haec applicatio a Deo acceptatur, auctores sunt, ut res seu effectus indulgentiae i. e. relaxatio poenae temporalis aliis proveniat: sed proprie indulgentiam non concedunt, cum manifestum sit, indulgentiam dare, indulgere, relaxare debitum divinae justitiae exsolvendum esse tantum Dei seu ejus, qui ad hoc a Deo acceperit potestatem ac pro eo legatione fungatur. Cf. Bellarminus I, 5.

[2]) Apud Harduinum collect. concil. VIII, 1795. In explicando habitu, quo ad invicem se habeant satisfactiones Christi et sanctorum, quarum applicatione nostrum solvitur divinae justitiae debitum, theologi nonnihil inter se dissentiunt. Secundum nonnullos satisfactiones sanctorum applicantur nobis cum Christi satisfactionibus per modum unius pretii; secundum alios Ecclesia Deo offert sanctorum satisfactiones, ut earum intuitu Deus applicet satisfactiones Christi, ideoque concurrunt per modum impetrationis: quae tamen opinio accedit ad prop. 60 Baji. Praeferenda videtur ea sententia, quae censet, ita se habere satisfactiones sanctorum

ut salvetur divina justitia et qui peccavit, quia debitor est, solvat aut alius satisfaciat pro eo, per indulgentiam poena peccatorum relaxatur ex hoc, quod merita alterius isti applicentur.« Propterea etiam romani pontifices in concedendis indulgentiis ad Ecclesiae thesaurum provocant. Cf. prop. 60 Baji damnata n. 523[4]. Variae hae sententiae ad harmoniam forte revocari possunt, si statuatur, absolutionem esse de ratione indulgentiae, si ratio habeatur nominis et primitivae formae concessionis earum, quamvis et tunc solutio subinde locum habuerit (n. 526[g]); nunc vero magis inducere rationem solutionis ex thesauro ab auctoritate publica factae in ordine ad exstinguendum reatum poenae temporalis.

534. **Propositio VII.** *Ut indulgentiae valeant, requiritur* praeter auctoritatem concedentis *justa et legitima causa,* ut ipsi pontifices profitentur. Dissentiunt vero theologi, dum definiunt, quae causa dici possit justa. Praeferenda nobis videtur sententia Bellarmini, qui statuit[1]): **1.** eam esse causam justam, ex qua, omnibus expensis, plus honoris in Deum et utilitatis in Ecclesiam redundet, quam ex rigida peccatorum vindicta per exactionem novissimi quadrantis poenae Deo debitae. Quocirca **2.** opera praescripta veram debere habere rationem medii ad hunc finem, honoris scilicet Dei utilitatisque Ecclesiae; ideoque **3.** fieri posse, ut pro opere minoris meriti major concedatur indulgentia, si aptius sit medium ad eum finem consequendum; imo **4.** quandoque fieri posse, ut nullo novo bono opere injuncto indulgentia concedatur, vel mercedis instar intuitu bonorum operum vitae praeteritae, vel intuitu aliorum, qui oblatis suis satisfactionibus hoc beneficium ab Ecclesia aliis concedi exoptant, ut olim factum esse vidimus n. 526. Num autem deficiente causa justa indulgentiae valeant, controvertunt theologi. Plures censent cum s. Thoma supplem. q. 5 a. 2: „In arbitrio dantis indulgentiam est taxare quantum per indulgentiam de poena remittatur. Si tamen inordinate remittat, peccat tales faciens indulgentias, nihilominus quis plenam consequitur indulgentiam.“ Cf. Oswald p. 5 § 18.

535. **Propositio VIII.** *Indulgentiae fidelibus prosunt:* ut conc. tridentinum definivit sess. 25 et patet ex earum effectu, tum ex factis, quae

---

nobis applicatas ad solvendum debitum nostrum, quo se haberent satisfactiones a nobis praestitae, quibus illae substituuntur: solvimus ergo debitum nostrum satisfactionibus sanctorum nobis applicatis. Neque tamen inde sequitur indulgentiis applicari solum sanctorum satisfactiones: cum enim harum valor innitatur Christi satisfactionibus (cf. n. 502[4]) atque ipse passione morteque sua hoc ipsum nobis obtinuerit, ut aliorum satisfactiones nobis prodesse possent, non secluduntur in hac applicatione Christi satisfactiones.

[1]) L. 1 c. 12: s. Thomas in 4. dist. 20 q. 1 a. 3 qcl. 2: „Ad hoc autem quod (satisfactiones sanctorum) applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, et unio ejus cui dispensatur ad eum qui merebatur, quod est per charitatem, et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecunque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae vergat et honorem Dei, sufficiens ratio est indulgentias elargiendi.«

ipsi cernimus. Quanta enim sacramentorum frequentia, invisendi templa et loca sacra fervor, orationis studium, congregationum alacritas, bonorum operum multiplicatio, ad quae omnia fideles plerumque sola indulgentiarum spe illecti inducuntur. Accedunt et alia commoda, quae ex indulgentiarum usu oriuntur; siquidem eae **a.** commonent fideles, quale olim fuerit Ecclesiae de peccatis judicium, quibus tam diuturnam imposuit poenitentiam; revocant **b.** in memoriam fervorem et poenitentiae studium majorum nostrorum, qui ad satisfaciendum pro peccatis suis tot tantasque subierunt poenitentias; continent **c.** professionem dogmatis, dimissa culpa poenaque aeterna non semper dimitti omnem poenam temporalem; excitant **d.** fideles ad satisfactionis studium, cum vident, quantum pro ipsis sancti praestiterint; manifestant **e.** harmoniam inter justitiam et misericordiam divinam; patefaciunt **f.** vim communionis sanctorum, vi cujus bona unius membri superefluentia redundant sicut in corpore humano in commodum alterius (n. 526[g]); solantur **g.** peccatores conversos diuturnae poenae temporalis luendae debitores, quorum indigentiae incolumi divina justitia subvenitur derivatione satisfactionum confratrum i. e. indulgentiis.

536. **Propositio IX.** *Non solum autem fidelibus vivis, verum etiam animabus in purgatorio indulgentiae prosunt.* Opposita enim sententia „luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos," declarata fuit a Pio VI. in prop. 52 synodi pistoriensis „falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri (cf. n. 667)." P. de Osma prop. (6) a Sixto IV. a. 1479 damnata ita habet: „Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii." Merito autem damnatus fuit hic error, nam si viventes satisfactiones suas pro animabus purgatorii offerre possunt, non apparet ratio, cur nequeant offerri pro ipsis sanctorum satisfactiones, quas nobis applicare licet. Cum vero animae in purgatorio non amplius subsint Ecclesiae jurisdictioni, non prosunt indulgentiae illis directe, sed tantum indirecte suffragii modo; eo scil. modo, quo animabus in purgatorio prosunt nostra suffragia i. e. bona opera satisfactoria, quae Deo offerimus, ut eorum intuitu animabus in purgatorio debiti pars relaxetur: sed prosunt efficacius quam nostra suffragia, quia intercedit Ecclesiae auctoritas. Prosunt autem indulgentiae animabus non solum in genere, sed et in specie iis, quibus applicantur, quamvis dubium sit, num infallibiliter et semper, et secundum totum earum valorem. Ostendi enim nequit, Deum teneri illas acceptare. Hinc congregatio indulgentiarum 28. Jul. 1840 declaravit: „Per indulgentiam altaris privilegiato adnexam, si spec-

tetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.“ Probabile admodum est, etiam de indulgentiarum efficacia valere regulam, quam circa alia suffragia statuit Augustinus Enchir. c. 110: „Sed eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt . . . Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam relevari vel gravari.“ Cf. Thomas suppl. q. 71.

537. **Scholion practicum.** Plura, quae in hac sectione exposuimus, populo christiano proponi queunt. Juverit **1.** asserere Ecclesiae potestatem vere remittendi fidelibus peccata post baptismum commissa th. 239, ut **a.** aperiatur infinita Dei erga humanum genus lapsum bonitas et misericordia (cf. verba s. Leonis n. 477[1]); commendetur **b.** Ecclesiae auctoritas, quam Christus tam insigni auxit praerogativa, cum solius Dei proprie sit peccata remittere n. 439[2]. 443[3]. 514[d]; ostendatur **c.** sacramenti poenitentiae convenientia th. 252. Proderit **2.** extollere confessionis convenientiam: et sane si aliquod institutum undequaque se commendat, est confessionis praeceptum, ut breviter ostendimus n. 487. 483. Illustretur **3.** indulgentiarum doctrina, ut liqueat, quam inconsiderate et temere protestantes illam abjecerint carpantque, cum eam satis neque intelligant neque assequantur. Cf. n. 535.

Sectio V.

De sacramento extremae unctionis.

538. Doctrinae de poenitentia subjicimus cum concilio tridentino sess. 14 sacramentum extremae unctionis, „quod non modo poenitentiae sed et totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a patribus.“ Porro definire illud licet „sacramentum N. L. a Christo D. institutum [1]), quo per unctionem olei benedicti et orationem seu formam praescriptam sacerdotum ministerio baptizatis graviter aegrotantibus gratia confertur, qua peccata et eorum reliquiae absterguntur, vires augentur ad daemonis insidias vitandas, atque ad morbi incommoda patienter ferenda, et, si animae saluti expedierit, valetudo corporis restituitur.“ Hinc forte aptius diceretur unctio infirmorum. Solliciti tantum erimus, ut adversus protestantes

---

[1]) „Instituta est autem, inquit concilium l. c. c. 1, haec unctio infirmorum tamquam vere et proprie sacramentum N. T. a Christo D. N., apud Marcum quidem insinuatum (6, 13: *Ungebant oleo multos aegrotos*), per Jacobum autem apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum (5, 14).“ Cf. Wiseman sagaciter de his duobus testimoniis disserentem Abhandl. über versch. Gegenst., Regensburg 1854. I, 190 s. A graecis vocatur hoc sacramentum τὸ ἅγιον ἔλαιον vel εὐχέλαιον (ab εὐχή et ἔλαιον) secundum verba Jacobi.

tueamur dogma catholicum, eam esse sacramentum, de quo conc. plures constituit canones, quorum 1. ita habet: „Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum et a b. Jacobo ap. promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum, A. S.“

539. **Thesis CCLIV.** ***Extrema unctio est vere et proprie N. Legis sacramentum.***

Demonstratio. 1. Invicte probatur thesis praescriptionis argumento, quod alias jam fuse evolvimus; ex consensu scil. universae Ecclesiae latinae practico et theoretico a sec. XII., et jam a sec. IX., cum in hanc eandem fidem conspiret ecclesia graeca schismatica [1]); imo jam a sec. V., cum non dissentiant sectae Orientis; quare haec fides derivata censeri debet ab ipsa aetate apostolica (cf. n. 344 s.).

2. Probatur verbis b. Jacobi 5, 14: *Infirmatur* ἀσθενεῖ, quod de graviter decumbentibus merito accipitur, ut patet ex voce mox sequenti κάμνοντα et ex Act. 19, 12) *quis in vobis* (quibus satis clare innuitur, hoc beneficium conferri tantum ei, qui membrum sit coetus christiani, fideli ergo baptizato)? *inducat presbyteros Ecclesiae* (hinc tamen non sequitur, *plures* presbyteros simul advocandos esse ad quemlibet graviter decumbentem, etsi id olim saepe fiebat: sed pro more loquendi significatur inunctionem, quam mox commendat, ad munus spectare presbyterorum cf. conc. tr. can. 4.) *et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* (quae apte sicut alias ita intelliguntur: auctoritate Christi, qua ministri Christi), *et oratio fidei* (quo apposito *fidei* non necessario significatur fides subjectiva administrantis hanc unctionem, sed verius fides objectiva, adeo ut sensus sit, hic ritus institutus pro fidelibus, quem docet fides christiana, qui spectat ad fidem seu religionem christianam) *salvabit infirmum* (τὸν κάμνοντα ex gravi morbo decumbentem) *et alleviabit* (certo secundum animam in primis, ἐγερεῖ excitabit, novum ei robur, alacritatem, laetitiam et vigorem suppeditando, quibus graviter decumbens maxime indiget) *eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex sensu autem obvio et contextu liquet, hic non esse sermonem de inunctione oleo verbi i. e. concione unctione plena, neque de oleo quod esset merum remedium domesticum, neque de inunctione charismatica: tribuitur enim illi effectus ad ordinem gratiae facientis spectans (remissio peccatorum). Quare ita

---

[1]) Illud enim recenset inter septem Ecclesiae sacramenta Dionysius patriarcha CP. in resp. super calvinistarum erroribus a. 1672 edita ap. Hardouin XI, 275; synodi hierosolymitana ejusdem a. cap. 15 (ib. 247) et CP. sub Parthenio habita a. 1642 (ib. 174). Pro sectis Orientis cf. Renaudot Perp. de la foi V, 5 c. 1 s.; Martene l. c. a. 1 s., Denzinger, ritus orient.

instituimus argumentum: Sacramentum est ritus sensibilis efficax gratiae, a Christo Domino institutus. Atqui horum nihil deest ritui, cujus hic meminit Jacobus. Est ergo sacramentum. Cf. Oswald p. 6 § 1.

3. Probatur ex traditione, qua simul evincitur ritum hunc habitum non esse ad tempus institutum, sed perenniter in Ecclesia usurpandum in fidelium utilitatem spiritualem non secus atque alia salutis media seu sacramenta, hinc non spectare ad charismata gratis data tunc subinde concessa, quod videtur vel a priori certum, cum describatur adeo proficuus in animarum salutem. Ejusmodi vere ritus tamdiu vigere debet, quamdiu viget oeconomia salutis a J. Christo instituta.

Ita testantur jam Origenes hom. 2 in Lev. n. 4, Victor antiochenus in Marc. 6, Chrysostomus de sacerd. III, 6, ritum a Jacobo commendatum apud fideles fuisse in usu. — „Non est dubium, respondet Innocentius I. ep. 25. Decentio plures proponenti quaestiones c. 8, de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere (verba Jacobi), qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis licet in sua aut in suorum necessitate ungendum [1]).“ — Auctor antiquus (probabiliter s. Caesarius arel.): „Quotiescunque, inquit [2]), aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille, qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, in eo impleatur: *Infirmatur aliquis* etc. Videte fratres, quia qui in

---

[1]) Hinc non sequitur, omnes fideles potuisse hoc sacramentum administrare; cum mox probet, etiam episcopos posse aegrotos inungere, quod certe probandum non fuisset, si omnibus fidelibus tunc id licuisset. Quare sensus est, non solum presbyteris, qui infirmos inungunt, licere hoc sacramentum recipere, sed et omnibus christianis concessum esse hoc sacro oleo inungi. Videtur autem ex Innocentii verbis consequi, tunc moris fuisse, ut fideles passim in suis morbis, etiamsi non essent graves, inungerentur: ita tamen ut inunctio non esset sacramentalis, sed usus olei sacri ab Ecclesia benedicti, ea ratione, qua etiam modo in morbis utuntur fideles aqua aliisque rebus benedictis. Ideo enim pontifex subjicit: „Poenitentibus istud (oleum sacrum) infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?“ Certum autem est, ut ex eadem patet epistola, poenitentibus in periculo mortis constitutis concessa fuisse alia sacramenta proprie dicta.

[2]) Serm. 265 in app. serm. s. Aug. n. 3. Pro ecclesia orientali afferri possunt verba Isaaci antioch. († c. 460) in disquis. de potest. diaboli in homine tentando (op. 1, 187 ed. Bickell): „Sacerdotem visitatorem non probatum habent stultae (mulieres), ideoque signationem ejus contemnunt: sed talem quaerunt, qualem supra descripsimus, qui etiam extemplo advenit, ut ipsas signet. At potius, o mulier, donum quidem tribue recluso, sed signationem a sacerdote tuo accipe; cibum affer monacho, sed oleum martyrum (forte, ex lampadibus coram martyrum sepulcris ardentibus) sit tibi ... Crucifixi tantum oleum sit tibi et a sacerdote signationem accipe ... Negligitur oleum apostolorum et martyrum, qui pro veritate mortem passi sunt, et oleum mendacium splendet in oribus perversarum. Servi Christi et orthodoxi afferre solent aegrotos et infirmos ad sanctum altare, non autem ipsi oleum conficere audent, ne domum expiationis contemnere videantur, sed ubi sacerdos est regens plebem, observant ordines justitiae.“ Cf. Schanz § 46.

infirmitate ad Ecclesiam concurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.« — Accedunt plura concilia, quae hunc commendant ritum. Ita conc. cabillonense a. 813 can. 48 praecipit: »Secundum b. Jacobi ap. documentum, cui etiam documenta patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent.« Idem praecipiunt conc. aquisgranense a. 836, moguntinum a. 847, regiaticense a. 850 et alia, quae exhibet Serarius in sua de extrema unctione disputatione. Quantum vero nonnulli huic ritui tribuerint, patet ex Egberti eboracensis (sec. VIII.) verbis in poenitentiali l. 1 p. 2 c. 15 (Migne 89, 416): »Hanc unctionem (Jac. 5, 14 s.) quilibet fidelis, si possit, acquirere sibi debet, et statuta, quae ad eam pertinent, quoniam scriptum est, quod quicunque hanc disciplinam habuerit, anima ejus aeque pura sit post obitum ac infantis, qui statim post baptisma moritur.« Eandem praxim colligimus ex antiquis sacramentariis, in quibus describitur ritus consecrandi feria V. in coena Domini oleum infirmorum et ungendi infirmos cum precibus recitandis.

4. Neque spernenda est convenientiae ratio, quam suggerit concilium trident. in prooemio sess. 14: »Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita extremae unctionis sacramento finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinae misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae perspicit.« Et revera vix probabile est, Christum cum praecipua nostrae vitae mortalis stadia sacramentis munierit et sanctificaverit, supremum vitae nostrae agonem, a quo demum omnia pendent, reliquisse sine speciali praesidio et salutis subsidio. — Convenientiam hanc vidit etiam Leibnitius, qui in systemate theologico ita ad rem scribit: »De unctione infirmorum non est cur multis disputemus: verba habet Scripturae sacrae, interpretationem Ecclesiae, cui pii et catholici homines tuto fidunt; nec video, quid in eo more, quem recipit Ecclesia, reprehendi a quoquam possit. Videmus olim et donum curationis saepe affuisse; cujus usus nunc cum aliis extraordinariis beneficiis stabilita Ecclesia infrequentior factus est; semper tamen ne tunc quidem sanatos fuisse credendum est, qui ungebantur. Superest igitur saltem hodieque efficacia illa sanitatis perpetua et nunquam fallens, quae ad animam ipsam bene dispositam pertinet, atque a Jacobo apostolo additur, quando hujus sacramenti usum describit, et in peccatorum remissione ac fidei virtutisque munimento collocatur, quo nunquam magis opus est, quam in vitae periculo atque terroribus mortis ad ignea tela satanae, tum maxime ingruentia, repellenda.« — Bene jam Goffridus abb. vindocinensis († 1132) opusc. 8 (Mig. 157, 226) recensens extremam unctionem cum baptismo, confirmatione et eucharistia de ea dicit: »In unctione autem infirmorum datur iterum per Spiritum s. remissio peccatorum, ut neque in vita, neque in morte desit christianis Christi misericordia.« Cf. Oswald p. 6 § 2.

540. *Reliquae quaestiones.* — **1.** Materia remota est oleum olivarum, quod convenienter adhibetur ad hujus sacramenti effectum designandum, qui est animi alleviatio, confortatio adversus difficultates in mortis articulo occurrentes, corporis sanatio etc. Quamvis tantum purum oleum sit adhibendum, valet tamen inunctio, si oleo admixti sint liquores alii, modo olei substantiam ne destruant. »Ex apostolica autem traditione, addit concilium l. c., per manus accepta intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum.« Quibusdam videtur nondum peremptorie decisa controversia, utrum benedictio episcopi sit juris divini et de sacramenti essentia, an solum institutionis ecclesiasticae. Verum Paulus V. declaravit 13. Jan. 1615 temerariam et errori proximam propositionem: »Quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit.« Quod iterum 14. Sept. 1842 approbavit Gregorius XVI. Certum tamen est, ex summi pontificis concessione expressa vel tacita posse etiam oleum benedici a presbytero. Cf. Benedictus XIV. de synodo dioeces. l. 8 c. 1; Katholik 1885. II. — **2.** Forma quidem hujus sacramenti jam a pluribus seculis est deprecativa, sed olim indicativa fuit: nec ullum esse potest dubium, de ejus essentia non esse, ut sit deprecativa. Cf. Martene de antiquis Eccl. ritibus l. 1 p. 2 c. 7 a. 4.

541. **3.** De effectu ita habet concilium trid. cap. 2: »Res hujus sacramenti gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.« Scil. hoc sacramento (sed per accidens) delentur peccata mortalia, quae sacramento poenitentiae deleta non sunt, dummodo adsit attritio et confitendi impossibilitas: delentur peccata venialia, dummodo adsit sufficiens dispositio, et etiam poenae temporales, non tamen semper omnes. Ceterum hic effectus, quem apostolus asserit inunctioni, evidenter ostendit, non esse sermonem de unctione medica, ut somniarunt plures e protestantibus. Cf. Gläser die Krankenölung in ihrer bibl. u. hist. Begründung dargestellt, Ratisbonae 1831; Schmitz de effectibus sacr. extr. unctionis, Friburgi 1893.

Sectio VI.

De sacramento ordinis.

542. **Lemma I.** *De clericis.* — Discrimen illud, quo alii in Ecclesia sunt dicunturque clerici, alii laici, jam a prima Ecclesiae origine viguit, nec aliunde est repetendum, quam ex Christi Ecclesiae institutoris voluntate, ex jure ergo divino. Hoc tenendum est contra sec. XVI. novatores tamquam fidei dogma, ut patet ex sess. 7 can. 10 et ex tota sess. 23 conc. tridentini, quod ita ex. gr. cap. 4 statuit: „Quod si quis omnes christianos promiscue N. T. sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere:

perinde ac si contra b. Pauli doctrinam omnes apostoli, omnes prophetae, omnes evangelistae, omnes pastores, omnes sint doctores (1. Cor. 12, 28 s.). Proinde sacrosancta synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et positos, sicut Apostolus ait (Act. 20, 28), a Spiritu s. regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent."

543. Clerici autem nomen derivatur a voce graeca κλῆρος sors, et quia hereditas inter plures sorte subinde dividi solebat, translate ea significat hereditatem. Quamvis vero omnes christiani ratione habita etymologiae dici possint clerici (cf. Eph. 1, 11; Col., 12): usu tamen loquendi ecclesiastico speciatim Ecclesiae ministri dicuntur clerici: vel quia **a.** etsi omnes fideles vocati sunt in sortem Domini, ipsi tamen specialiter sunt electi, sunt portio electa, hereditas praecipua, de quibus Christus dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* Joan. 15, 16; vel quia **b.** Dominus sors, pars, hereditas clericorum est, secundum illa Ps. 15, 5, quae recitantur in collatione tonsurae, qua quis primum admittitur in clerum: *Dominus pars hereditatis meae;* vel quia **c.** secundum Isidorum hisp. de eccles. officiis II, 1 Matthias sorte in ordinem apostolicum adlectus fuit (Act. 1, 26). Duplex prior explicatio confirmatur Hieronymi verbis in ep. 52 n. 5 (opus. XI, 146), etiam receptis in corpus juris canonici. „Clericus, ita ille, interpretetur primo vocabulum suum: et nominis definitione prolata nitatur esse, quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, sors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors i. e. pars clericorum est." Clericorum ergo nomine designantur Ecclesiae ministri, qui divino cultui specialiter consecrati et in ministerii juriumque Christi participationem vocati ad rerum sacrarum curam et ecclesiastica munera obeunda sunt destinati. Cf. Hallier de sacris electionibus proleg. c. 1 § 1 ss.; annot. 17 ss. ad cap. 10 schematis de Ecclesia pro conc. vaticano in collect. lac. VII, 599 ss.

544. Factum lemmate expressum in dubium vocari nequit; illud vere juris esse divini alibi comprobavimus (th. 48), atque insuper illustratur analogia cum corpore, qua passim utitur Paulus, et cum synagoga, Ecclesiae typo, in qua discrimen hoc auctoritate divina fuit institutum atque adeo sanctum, ut ejusdem violatores divinitus sint gravissima correpti vindicta Num. 26; 2. Paral. 26, 16, qua ratione utitur jam Clemens rom. ep. 1. ad Cor. n. 4 s. Accedit, idem discrimen reperiri apud Orientis sectas, quae se jam sec. V. ab Ecclesia catholica separarunt: indicium haud obscurum, illud non esse juris humani sed divinae originis atque ad ipsam spectare Ecclesiae constitutionem. Quare jam Tertullianus de praescr. c. 10 gravissime invehitur in haereticos sui temporis, hoc discrimen non adeo sancte servantes: „Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes; nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt;

nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera injungunt."

545. Quare errat Böhmer, qui in dissert. juris eccl. diss. contendit, discrimen clericos inter et laicos non exstitisse ante aetatem Tertulliani. Cui opponimus tantum verba Clementis rom. l. c. n. 42: »Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a D. J. Christo, J. Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis . . . egressi sunt (apostoli) annunciantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias eorum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant. Neque hoc quidem novum institutum fuit. Multis enim retro seculis de episcopis et diaconis scriptum est. Sic enim alicubi dicit Scriptura (Isai. 60, 17): *Constituam episcopos eorum in justitia et diaconos eorum in fide.* Et quid mirum eos, quibus in Christo a Deo hoc munus commissum fuit, praedictos constituisse?«

546. **Scholion.** *Exceptionibus satisfit.* — Tria adversarii opponunt contra divinam hujus discriminis originem:

1. Verba Pauli ad Galat. 3, 28: *Non est judaeus, neque graecus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu:* quibus apostolus omnem negat servitutem et subjectionem inter fideles, ideoque omnem excludit superioritatem, qua jure divino alii in Ecclesia aliis praesint. Haec tamen ad rem non sunt. Eodem enim jure sequeretur, apostolum negare diversitatem sexus, quae sit ex conditione naturae, conditionis distinctionem etc. in Ecclesia, quod est absurdum. Id unum docere intendit, has differentias non constituere inaequalitatem in ordine ad justificationem, salutem, gratiam, ad quam omnes vocantur, et a qua nemo excluditur, eo quod sit servus vel femina etc.

2. Neque ad rem sunt verba 1. Petri 2, 5: *Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias;* v. 9: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis;* Apoc. 1, 6: *Fecit nos* (J. Christus) *regnum et sacerdotes Deo Patri.* Si enim **a.** urgentur, deduxeris omnes fideles etiam proprie dictos esse reges. Quare **b.** sicut sunt reges improprie dicti, quin tamen excludantur reges proprie dicti: ita dicuntur omnes fideles sacerdotes, quin excludantur sacerdotes proprie dicti. Sane **c.** haec dicuntur de christianis, quemadmodum olim de populo israelitico Exod. 19. 6, qui dicebatur regnum sacerdotale non excluso discrimine divinitus statuto inter levitas et reliquum populum. Quod **d.** passim patres significant. Ita Augustinus de civ. Dei XX, 10: »*Erunt sacerdotes Dei et Christi et regnabunt cum eo mille annis* (Apoc. 20, 6), non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, qui *proprie* jam vocantur in Ecclesia sacerdotes: sed sicut omnes christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt hujus sacerdotis, de quibus apostolus Petrus, *plebs*, inquit, *sancta, regale sacerdotium.*«

3. Difficiliora videntur verba Tertulliani de exhort. cast. c. 7: »Differentiam inter ordinem et pleben constituit Ecclesiae auctoritas . . . adeo, ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus.« Sed scias **a.** haec esse scripta a Tertulliano jam motanista, et

continere **b.** sophisma: ideo scilicet laicis non licere secundas inire nuptias, quod sint sacerdotes, quibus nuptiae secundae sunt interdictae. Quod si ea **c.** nimis urgeas, sequitur ex loco consimili omnes christianos esse inter se proprie dictos fratres et sorores [1]), esse etiam reges. Sicut ergo fideles latiori tantum sensu sunt fratres et reges, ita et sacerdotes. Ceterum **d.** eum vel post suam ad montanistas defectionem agnovisse discrimen inter laicos et presbyteros esse juris divini, colligitur ex l. de exhort. castit. c. 7: »Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus... Usque adeo nisi et laici ea observent, per quae presbyteri adleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus, ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest quam laicus, qui semel fuerit maritus.« Ergo exsistit discrimen inter laicos et presbyteros, et quidem volente Deo, qui aliqua presbyteris praescribit, ac speciali modo sacramentorum eis commisit administrationem. Sed plane aurea sunt, quae mox subjungit Tertullianus c. 12: »Sed cum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc omnes sacerdotes (nos esse jactamus), quia sacerdotes nos Deo et Patri suo fecit (Apoc. 1, 6): cum ad peraequationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus,« si scil. monemur eandem ac sacerdotes agere vitam, tunc praetendimus pro excusatione conditionis disparitatem. Neque obest **e.** quod laicis tribuat offerendi potestatem; nam non omnis oblatio est sacrificium, ut ostendit Petavius de potest. consecr. c. 1 s. Vero aliquo sensu **f.** dici potest, differentiam inter clericos et plebem constituisse Ecclesiae auctoritatem, incolumi manente ejus origine divina, quatenus scil. Ecclesiae est clericos eligere, electos constituere et ordinare, et externam hujus discriminis speciem et faciem definire.

547. **Lemma II.** Porro Christus voluit, ut certo solemnique ritu clerici constituerentur et secernerentur a laicis. Sane id testatur non solum praxis Ecclesiae omnium seculorum coetuumque orientalium schismaticorum, sed etiam praxis apostolorum (n. 549) idque exigit vel ipsa Ecclesiae visibilitas. Quare Synesius ab olbiatis in episcopum electus ad Theophilum alex. ep. 76 scribit: „Uno adhuc opus est, quod tamen praecipuum est, scil. sacra tua manu; ea quidem olbiatae opus habent, ego autem precibus."

548. **Thesis CCLV.** ***Ritus, qui ordo vel ordinatio dici consuevit, et quo Christo auctore clerici saltem potiores constituuntur et a laicis secernuntur, verum propriumque novae legis est sacramentum.***

---

[1]) De monogamia c. 7. Abundant libri a Tertulliano post suam ab Ecclesia defectionem conscripti sophismatibus. Ut probet montanistarum errorem, illicitas esse secundas nuptias, ita disserit l. c.: Nuptiae inter fratres et sorores sunt prorsus illicitae. Atqui christiani sunt inter se fratres et sorores. Ergo etc., non animadvertens, si vel umbra probationis huic inesset argumento, inde sequi, omne matrimonium inter christianos esse illicitum. De difficultate, quam in annot. ad Irenaei IV, 8 al 20 n. 3 urget Grabius, cf. Massuet dissert. 3 in Iren. a. 7 n. 101. Cf. Phillips Kirchenrecht t. 1 § 33; Petavius de hier. eccl. III, 3; Kohlberg Verfassung, Cultus und Disciplin der christl. Kirchen nach den Schriften Tertullians, Braunsberg 1886.

Declaratio. Thesis vere dici potest contra novatores sec. XVI. fundamentalis. Sublato enim discrimine juris divini inter clericos et laicos sacramento imprimente characterem firmato, corruit hierarchia ecclesiastica, quae sit juris divini; et cum Ecclesiae hierarchia apostolicitas, in nunquam interrupta pastorum serie consistens, quam ut verae Ecclesiae notam patres tam invicte urgebant adversus haereticos; corruunt Ecclesiae docentis praerogativae, infallibilitas in primis et indefectibilitas, ac subvertitur universa Ecclesiae facies ac constitutio, ut deformationis sec. XVI. sequelae manifesto ostendunt. Sicut enim admissa hierarchia, quae divinae sit originis, praevalet in Ecclesia vis synthetica ideoque unitas: ita ea abjecta invalescit analysis i. e. dissolutio et hinc corruptio, ut probat protestantismi historia. Ordinationem esse sacramentum ut dogma fidei statuit contra novatores sec. XVI. conc. tridentinum sess. 23 can. 3: „Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo D. institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, A. S.“

549. **Demonstratio. 1.** Thesis probatur ex divinis literis. Sane consulantur Act. 6, 6: *Hos* (electos in diaconos) *statuerunt ante conspectum apostolorum et orantes imposuerunt eis manus;* 14, 22: *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros,* graece χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς κατ' ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους; 1. Tim. 4, 14: *Noli negligere gratiam* (χαρίσματος), *quae in te est, quae data est tibi per prophetiam* (sancti Spiritus impulsu et illustratione cf. 1, 18) *cum impositione manuum presbyterii* i. e. vel episcopi, ut fieres presbyter, vel cum impositione manuum cleri, ita tamen ut praecipuas partes habuerit ipse Paulus, ut patet ex 2. Tim. 1, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam* (τὸ χάρισμα) *Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

Quamvis autem χάρισμα designare soleat gratiam gratis datam, subinde tamen significat etiam gratiam gratum facientem, ut patet ex 1. Cor. 12, 31 col. 13, 1; Rom. 5, 15; et hic revera Apostolus eo nomine hanc significat: haec enim solet negligi estque ex parte Apostoli thema exhortationis: ea aptissime designatur ignis symbolo, quo hic utitur non obscure Paulus (ἀναζωπυρεῖν, quod vocabulum secundum Origenem hom. 15 in Gen. n. 2 non tam resuscitari quam reaccendi, ut ita dicam, significat et reigniri); ea complectitur spiritum virtutis, dilectionis, sobrietatis, de quo mox loquitur 2. Tim. 1, 7; imo hic aptum omnino est vocabulum, nam ordinationis ritu confertur tum gratia gratum faciens tum gratia gratis data, potestas scil. sacerdotalis. Ceterum quaecunque demum designatur gratia, textus hi semper adversantur protestantibus: probant enim ordinationis ritum gratiae alicujus esse efficacem, ideoque institutionis divinae, quod ipsi negant.

1. Tim. 5, 22: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (secundum Christi mandatum Matth. 7, 6), quae certo intelligi nequeunt de manuum impositione sive ad orandum sive ad miracula patranda: neutra enim quis communicat peccatis alienis; neque ulla est ratio, ut intelligantur de manuum impositione confirmatoria: sed ea de impositione magni momenti accipi debent, cum adeo provide sit facienda et tantum damnum sequatur improvide factam, scil. de manuum impositione, qua quis constituatur fidelium pastor ac magister. Ex his Scripturae testimoniis colligimus **a.** manuum impositione, hinc ritu visibili constitui Ecclesiae ministros; et quidem **b.** manuum impositione, quae distinguatur ab ea, quae fit ad orationem vel confirmationem, vel miraculorum editionem, quaeque **c.** efficax sit gratiae; qua facta **d.** episcopi et presbyteri censeri eo ipso debent positi a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei, et a Christo Domino dati pastores Ecclesiae, ut liquet ex Act. 20, 18 et Eph. 4, 8 s. Nihil ergo deest ritui illi, quo Christo auctore ministri Ecclesiae constituuntur, ad rationem sacramenti, nisi forte dicatur ei deesse institutionem, ut in perpetuum usurpetur. Atqui neque haec deest, ut patebit ex mox dicendis. Cf. Oswald p. 7 § 2.

550. **2.** Probatur ex traditione, ex variis scil. doctrinae capitibus, quae statuuntur a patribus. Docent **a.** ritu hoc conferri gratiam.

Ita s. Innocentius I. ep. 24 ad Alex. n. 4: „Nec dare Spiritus plenitudinem possunt (haeretici), quae maxime in ordinationibus operatur;“ Gregorius nyss., qui in or. in bapt. Chr. haec egregia habet: „Eadem verbi vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi separatum. Cum enim antea unus e multitudine ac plebe fuerit, repente fit praeceptor, praeses, doctor pietatis et mysteriorum occultorum praesul, eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens.“ — Theodoretus in hist. relig. n. 15 Acepsimae ordinationem describens: „Mox ducente nemine, inquit, hic genibus flexis gratiam exspectabat, ille manum imponens Spiritui famulabatur.“

Quare **b.** graves poenae jam a concilio chalcedonensi can. 2 statuuntur, „si quis episcopus per pecunias fecerit ordinationem et sub pretio redegerit gratiam, quae non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum aut presbyterum aut diaconum etc.“ Annumerant **c.** ordinationem veris sacramentis et cum iis conferunt.

Ita Gregorius nyss. l. c.; Augustinus de bono conjug. n. 32 et de bapt. l. 5 c. 20: „Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio: *Deus peccatorem non audit* (Joan. 9, 31), ut per peccatorem sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum vel super eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur, quae omnia tamen et fiunt et valent?“ — Theodoretus

q. 18 in Numer.: »Cum et multae myriades ab uno sacerdote baptizantur et donum divinum accipiunt, sacerdotis gratiam non minuunt: nec dum a summis pontificibus ordinantur permulti sacerdotalem dignitatem accipientes, ordinantis gratiam ullatenus imminuunt.« — Chrysostomus de resur. mort. n. 8: »Nisi nunc etiam esset arrhabo Spiritus, neque baptisma adhibitum esset, neque peccatorum remissio . . . neque sacerdotes habuissemus: neque enim has ordinationes sine tali descensu fieri est possibile. Sed multa alia possemus dicere gratiae Spiritus symbola.« Cf. hom. 14 in act. ap. n. 5; de sacerd. III, 4; Firmilianus ep. ad Cyprianum n. 7; Hieronymus dial. adv. lucif. n. 11; adv. Vigil. n. 2; Sozomenus H. E. VII, 10.

Hinc **d.** inferunt, ejus valorem non pendere a fide et sanctitate ministri. Ita Augustinus l. c. et Anastasius II. in ep. ad imp. Anastasium c. 7: „Nullum de iis, quos vel baptizavit Acacius vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio laesionis attingit: quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur.“

Vocant **e.** ordinationem opus divinum, imo diserte sacramentum et quidem verum propriumque, non minus quam baptisma.

Ita Optatus II, 21: »Perfecti fuerant illi opere scil. Dei, qui in ejus nomine fuerant ordinati. Et vos contra opus Dei hostiliter militantes divinum opus malitiae vectibus destruentes.« Augustinus c. ep. Parm. II, 13 n. 30: »Si utrumque (baptisma et ordinatio) sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur (defectione ab Ecclesia), et illud amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est;« n. 28; de bapt. I, 1 n. 2 et saepe alibi. — Gregorius M. l. 5 in l. 1. Reg. c. 6 n. 21 et l. 4 c. 5 n. 6, ubi disserens de inunctione Saulis in regem ita scribit: »Hoc profecto hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa unctio sacramentum est, si quis promovetur bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur.« Cf. etiam n. 23. — Leo M. ep. 9 ad Dioscorum alex. provocans ad Act. 13, 2 inde concludit, nos debere intelligere, »quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum.«

3. Accedit invictum praescriptionis argumentum, quo jam saepius usi sumus, ex consensu Ecclesiae occidentalis et orientalis aliarumque Orientis sectarum petitum, de cujus forma cf. n. 297. 332.

551. **4.** Neque desunt rationes congruentiae: si enim **a.** ritus, quo homines aggregantur Ecclesiae et filii fiunt Dei, sacramentum est: sacramentum erit ritus ille, quo Ecclesiae praeficiuntur et constituuntur patres filiorum Dei. Si **b.** ritus ille, quo Christi subditi promoventur in ejusdem milites, gratiae est efficax (th. 218); quanto magis ille, quo eliguntur in militum duces, Christi ministros et fidei doctores. Si **c.** status matrimonialis propter adnexas difficultates et onera, diuturnitatem, momentum, gratia sanctificatur et fovetur (th. 260): a fortiori gratia ditatur

status sacerdotalis, qui excellentior, altior, difficilior est, quo quis totum se Ecclesiae devovet. Cum denique **d.** Ecclesiae ministri, sacerdotes in primis, ministri etiam sint eucharistiae, quae omnium mysteriorum est apex, decet divinam providentiam, eos condigne ad tam celsum munus gratia praeparare et disponere.

552. **Scholion.** *De hierarchia.* — Vidimus clericos a laicis distingui: iidem tamen inter se non sunt pares, sed in varios distribuuntur gradus seu ordines, qui ab invicem differunt muneribus, potestate, praerogativis. Constituunt hi omnes sacrum principatum seu hierarchiam ecclesiasticam, qua designatur vel potestas sacra (et quidem sacra ratione originis, finis, collationis et mediorum) a Deo instituta et sacris personis eum in finem legitime collata, ut in Ecclesia Christi ministerium et regimen exerceant; vel hujus potestatis subjectum, quod constituitur multis membris iisque praerogativis, juribus, muneribus distinctis, quorum alia aliis harmonice subordinantur. Pro duplici potestate, qua Ecclesiae ministri in fidelium bonum praediti sunt, ordinis et jurisdictionis (cf. n. 510), duplex hierarchia distinguitur. Jam de singulis gradibus, e quibus ministerium coalescit ecclesiasticum, disseremus, et de iis in primis, qui potiores majorisque momenti sunt in Ecclesia. Cf. Phillips Kirchenrecht t. 1 § 32.

553. **Propositio I.** *Inter Ecclesiae ministros Christo auctore referri debent diaconi.* Diaconorum [1]) institutionem, quamvis Actuum 6, 1 ss. occasione murmuris graecorum facta narretur, juris esse divini, docet concilium trid. sess. 23 can. 6: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis,

---

[1]) Diaconi nomen accipitur sensu specifico, atque ita designat eum, qui ordine distinguitur a presbytero et episcopo; et hoc sensu accipimus hic nomen diaconi; et sensu generico, quo sensu omnes Ecclesiae ministri dici possunt diaconi i. e. ministri Christi, et Christus ipse dicitur Rom. 15, 8 διάκονος περιτομῆς. Cf. dissert. Nat. Alexander, quae habetur in thes. theol. Zaccaria XII, 621 ss.; Lupus in scholio ad Tertulliani l. de praescript. c. 3 op. IX, 18—28; Phillips, qui egregie disceptat de diaconis l. c. t. 1 § 37; Seidl der Diakonat in der kath. Kirche, Regensburg 1884; KL. III², 1660. — Ut aliquid addamus de diaconissis, quae etiam matriculariae dicebantur, scias, eo nomine non designari uxores diaconorum, sed pudicas honestasque mulieres ad ministerium Ecclesiae deputatas, quae in primis ex virginibus et etiam ex viduis eligebantur. Earum institutio est antiquissima, cum earum mentio fiat forte jam Rom. 16, 1 et 1. Tim. 5, 9; nec sejuncta fuit a sacro quodam initiationis ritu, de quo cf. constit. apostol. VIII, 19 s. Ipsarum fuit intervenire in mulierum baptismo, ut honestati consuleretur, instruere rusticanas et imperitas mulieres in fide, episcoporum mandata deferre ad mulieres, curam agere viduarum, custodire portam, per quam ingrediebantur mulieres in Ecclesiam etc. Earum institutum duravit per plura sec., sed sec. VIII. cessavit in ecclesia occidentali, in orientali diutius duravit. Cf. Pinii diss. de diaconissis t. 1 act. SS. mensis Sept.; Permaneder KL. III, 1675.

presbyteris et ministris, A. S.“ Ministrorum autem nomine primo loco intelliguntur diaconi, ut patet vel ex nomine. Probatur

1. ex Act. 6, 1 ss. collatis 8, 5 s., 1. Tim. 3, 8 ss. et ad Phil. 1, 1. Tanta enim diligentia in iis eligendis, tanta sollicitudo in praescribendis dotibus requisitis, tanta praestantia dotum, quae exiguntur, tantus apparatus in iis constituendis, tanta conjunctio cum episcopis, quibus subnumerantur, tanta denique benedictio divina, quae eorum consecuta est constitutionem, satis ostendunt, apostolos in iis instituendis non proprium secutos esse consilium, sed nutu sancti Spiritus implesse Christi voluntatem, nec iis tribuisse solum ministerium mensarum, sed et ministerium vere ecclesiasticum.

2. Haec illatio confirmatur auctoritate patrum, sive cum generatim ministerium ecclesiasticum divinitus institutum affirmant coalescere ex episcopis, presbyteris et diaconis, sive cum nominatim de diaconis disserunt. Ita Clemens romanus (n. 545), s. Ignatius ep. ad Trall. n. 2: „Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Jesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiae Dei ministri . . . Cuncti revereantur diaconos ut mandatum Jesu Christi;“ et Polycarpus n. 5 vocat diaconos ministros Dei et Christi, non hominum. Hoc colligitur item ex iis, quae de praestantia muneris diaconorum habentur in constitut. apostolicis II, 26. 28 et 30, ubi legimus: „Nunc vobis loco Aaronis est diaconus, Moysis autem loco episcopus. Cum igitur Moyses a Domino appellatus sit Deus (Ex. 7, 1), a vobis episcopus tamquam Deus observetur, et diaconus ut propheta ejus. Nam sicuti Christus sine Patre nihil agit, ita nec diaconus sine episcopo: et sicut Filius sine Patre non subsistit, ita neque diaconus sine episcopo: et sicut Filius debitor est Patri, sic et omnis diaconus episcopo; atque ut Filius Patris angelus ac propheta est; sic et diaconus angelus est ac propheta episcopi.“ Et c. 44: „Ceterum diaconus sit episcopi auris et oculus et os, cor pariter et anima: et episcopus in pluribus quam par est ac minutioribus negotiis non occupetur, sed in solis gravioribus, quemadmodum et Jethro Moysi digessit (Ex. 18, 21);“ III, 19.

3. Accedit consensus ecclesiae graecae et sectarum Orientis.

554. **Propositio II.** *Ordinatio, qua constituuntur diaconi, est sacramentum.* Diaconatum esse sacramentum, de fide quidem non est, communis tamen sententia theologorum. Ritus enim, qui divinae est institutionis atque efficax gratiae, est sacramentum. Atqui ritus, quo diaconi constituuntur, divinae est institutionis (ex num. praec.) estque efficax gratiae, ut colligitur ex sess. 23 concilii trid. can. 4: „Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: *Accipe Spiritum sanctum,* aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, A. S.;“ in ordinatione autem diaconi dicit episcopus: Accipe Spiritum sanctum. Non est ergo diaconi ordinatio gratia vacua, sed efficax potius gratiae ideoque sacramentum.

555. **Propositio III.** *Inter Ecclesiae ministros Christo auctore referri debent presbyteri, qui a diaconis distincti vero proprioque sacramento constituuntur.* Revera presbyteros[1]) distingui a diaconis (num etiam ab episcopis distinguantur, postea videbimus) liquet

1. ex Scripturis, in quibus secernuntur et nomine et officiis. Presbyteris enim adscribitur administratio extremae unctionis Jac. 5, 14 s. et administratio ecclesiarum Act. 14, 22; 1. Tim. 5, 17; Tit. 1, 5;

2. ex consensione theoretica et practica christiani nominis, quae adeo evidens est, ut probatione non indigeat, neque in dubium vocetur.

556. Presbyteratum autem esse sacramentum, probatur a fortiori. Si enim **a.** diaconatus est sacramentum, a fortiori presbyteratus. Deinde **b.** si ordo est sacramentum, certissime ille est, quo praecipua potestas sacra, consecrandi scil. et remittendi peccata, confertur. Atqui haec confertur in primis in presbyteratu. Ad haec **c.** de diaconatu et episcopatu, ut de aliis ordinibus taceamus, subinde dubitatum fuit, nec modo omnino est certum, sintne sacramenta. Si ergo nec de presbyteratu id prorsus esset certum, jam de nullo ordine constaret de fide, eum esse sacramentum. Quapropter inter eos, qui ordinis sacramentum admittunt, nunquam hac de re dubium vel minimum exstitit.

557. **Thesis CCLVI.** ***Sicuti presbyteri a diaconis distinguuntur iisdemque praecellunt, ita jam a prima Ecclesiae origine alios reperimus ministros, quos episcopos dicere solemus, ab utrisque diversos et utrisque superiores, quae distinctio et praestantia non aliunde, quam ex divino jure repetenda est.***

Demonstratio p. I. Distinguatur duplex quaestio, altera de nomine, de re altera. Concedimus quidem eos, qui modo episcopi vel sacerdotes primi ordinis appellantur, subinde (etiam in N. T.) dictos fuisse presbyteros. Id quod quaeritur est, num in antiqua Ecclesia exstiterit duplex ordo vel series ministrorum, ab invicem muneribus juribusque distinctorum, quorum alii dicerentur communiter episcopi vel sacerdotes primi ordinis, alii presbyteri vel sacerdotes secundi ordinis, nunquam forte episcopi. Quod factum attinet, certum est, jam seculis IV., III. imo II. et I. exstitisse ministros a presbyteris et diaconis distinctos, iisque superiores, qui episcopi dicebantur. Quod probatur ex effatis patrum, qui ministros

---

[1]) „Πρεσβύτερος i. e. senior est nomen, quod tribuitur ministris Ecclesiae, sive quia olim ministri Ecclesiae plerumque deligebantur, qui jam essent grandioris aetatis, sive potius quia ministri Ecclesiae moribus senes referre debent iisque is tribuendus honor, qui senibus tribui solet: ita igitur nomen est non aetatis, sed officii et dignitatis.“ Ita Suicerus in thesauro. Eo nomine designantur etiam subinde episcopi, sed ex usu loquendi proprie designantur ii, qui secundum in ordinis hierarchia occupant gradum, de quibus modo loquimur. Cf. Petavius de eccles. hier. l. 1 c. 2 § 1 s.; c. 12 § 16.

Ecclesiae recensentes episcopos ita a presbyteris distinguunt, ut hos a diaconis. Ita haud obscure jam Hermae Pastor l. 1 vis. 3 n. 5; ita Clemens alex. paedagogi III, 12 et Stromat. VI, 13: „Nam hic quoque in Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum, ut arbitror, sunt imitationes angelicae gloriae et illius oeconomiae;" in primis Ignatius M. passim in suis epistolis ut ad Magnesios n. 6: „Hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jesu Christi." In actis martyrii ipsius n. 3: „Exceperunt sanctum illum virum civitates atque ecclesiae Asiae per episcopos et presbyteros et diaconos, cum omnes ad eum festinarent, si forte partem charismatis spiritualis ab eo acciperent;" Tertullianus (n. 311[3]) de fuga in persec. n. 11: „Sed cum ipsi auctores i. e. diaconi, presbyteri et episcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit, qua ratione dictum est: *Fugite de civitate in civitatem* (Matth. 10, 23)?" can. apostol. 6: „Episcopus vel presbyter vel diaconus seculares curas non suscipiat, alioquin deponatur;" et passim in hisce canonibus.

558. **Demonstratio p. II.** Non solum patres docent, distingui episcopos a presbyteris, sed etiam illos his esse superiores, et ideo

1. presbyteros vocant sacerdotes ordinis secundi, episcopos sacerdotes ordinis primi. Ita Optatus I, 13: „Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium aliqui episcopi illis temporibus instrumenta divinae legis (s. Scripturas) impie tradiderunt."

2. Idem colligitur ex solemni facto et lege, unum tantum esse oportere episcopum in una civitate, cum tamen presbyterorum numerus nec facto, nec lege erat definitus. Quare jam s. Ignatius ad Philad. n. 4: „Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro D. N. J. Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis conservis meis". Colligitur etiam ex solemniori ordinatione: ita can. 1 apostolorum statuit: „Episcopus a duobus aut tribus episcopis manuum impositione ordinetur;" can. 2: „Presbyter ab uno episcopo ordinetur et diaconus;" cf. const. apost. III, 20; conc. arel. a. 314 can. 20, quod exigit ad episcopi consecrationem praeter episcopum consecrantem septem vel saltem tres episcopos; et conc. nicaenum can. 4, quod exigit tres episcopos qui ceteris consentientibus electum ordinent.

3. 1. Tim. 5, 17. 19; ad Tit. 1, 5; Apoc. 1, 2 ministrorum fit mentio' quorum esset presbyterorum causas cognoscere, eos constituere et ordinare, pro merito reprehendere vel praemio afficere, singulis ecclesiis vel-

ut angelos praeesse easque regere etc., quae munera presbyteris in antiqua Ecclesia propria non erant. Hinc statuit conc. tridentinum sess. 23 can. 7: „Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . A. S.“ Cf. etiam art. 25 ex iis, de quibus errorum Wicleffi et Huss suspecti interrogandi sunt.

559. **Demonstratio p. III.** Institutionem episcoporum, qui a presbyteris distinguantur, juris esse divini, statuit concilium trid. sess. 23 can. 6 (n. 553). Probatur **1.** ex eo, quod episcoporum ordo ad intimam Ecclesiae essentiam et formam pertinet. Qui vero auctor est alicujus rei, eorum quoque auctor censeri debet, quae ad illius essentiam et substantiam pertinent. Episcoporum autem ordinem pertinere ad Ecclesiae constitutionem, patet **a.** ex eo, quod hic ordo coaevus est originibus Ecclesiae, et **b.** tam late patet, quam ipsa Ecclesia: quod **c.** patres tamquam ad efficax criterium discernendae verae doctrinae veraeque Ecclesiae ab haereticorum coetibus ad nunquam interruptam episcoporum successionem provocant, ut ostendimus t. I n. 121. 314.

Quapropter s. Ignatius ad Trall. n. 3 scribit: „Cuncti similiter revereantur diaconos ut mandatum J. Christi, et episcopum ut J. Christum Filium Patris, et presbyteros ut senatum Dei et concilium apostolorum, sine his Ecclesia non vocatur.“ — Et Cyprianus ep. 69 n. 8: „Ecclesia a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse.“ Ep. 27 n. 1: „Dominus N., cujus praecepta et monita observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens in Evangelio loquitur et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus* etc. (Matth. 16, 18.) Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum itaque hoc divina lege fundatum sit etc.“ Ita passim alibi.

2. Nullum assignari potest concilium, quod episcopos instituerit: eorum institutio constanter revocatur ad apostolos, qui illam iterum in Spiritum s. et Christum refundunt Act. 20, 28; Ephes. 4, 11.

3. Praeterea episcoporum proprium est ordinare alios episcopos et presbyteros, et quidem hoc ita proprium est, ut nullo in casu alius, qui non sit episcopus, valide possit ordinare (cf. thes. seq.). Atqui ejusmodi potestatem non habent ab Ecclesia, alioquin Ecclesia eam aliis tribuere posset: ergo a Deo; proinde sunt institutionis divinae.

560. **Demonstratio p. IV.** Praestantiam episcoporum prae presbyteris pariter esse juris divini (quod quidem concilium trident. noluit explicite definire), probatur **1.** ex dictis. Vel enim Christus instituit episcopos presbyteris aequales vel inaequales. Si aequales, certe nulla

est differentia, neque jam dici possunt ab illis distingui; si inaequales, eos instituit vel inferiores vel praestantiores. Sed illud est inauditum. Ergo jure divino praecellunt presbyteros. Quod confirmatur **2.** ex ea praerogativa, cujus mox mentionem faciemus, quod scil. soli possint alios ordinare; **3.** ex damnatione Aërii, qui certo non negavit episcopos facto presbyteris esse superiores, sed jure, quod scilicet putabat, omnes Christo auctore esse aequales. Quam opinionem Epiphanius haer. 75 n. 3. 5 dogma vocat ‚supra hominis captum furiosum et immane, stoliditatis plenissimum.' Hinc **4.** etiam nullum vestigium reperitur murmurationis, contradictionis, rebellionis presbyterorum adversus episcopos ob horum ut fingitur usurpationem potestatis supra ipsos. Ideoque **5.** Joannes XXII. anno 1327 damnavit Marsilii patavini doctrinam (n. 4): „Quod omnes sacerdotes sive sit papa, sive archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sint ex institutione Christi auctoritatis et jurisdictionis aequalis."

561. **Thesis CCLVII.** ***Inter praerogativas, quibus episcopi presbyteris praecellunt, illa eminet, qua soli Christo auctore divinoque jure ‚gignere patres Ecclesiae' possunt, adeoque manuum impositione episcopos et presbyteros ordinare.***

Demonstratio. Insignes prorsus sunt praerogativae et dotes, quas patres vetustissimi episcopo vindicant atque splendidissimis coloribus depingunt. Ipse est centrum unitatis, cui velut citharae reliqui ut chordae concinere debent; ipse norma credendi et agendi, a quo tota vita et gubernatio Ecclesiae pendet; vices Christi gerens, imo ut vocatur in constitutionibus apostolicis II, 26, ‚Deus terrenus [1]).' Quae omnia paucis complectitur s. Ignatius M. in ep. ad smyrnaeos n. 8: „Separatim ab episcopo nemo quidquam facit eorum, quae ad Ecclesiam spectant. Valida eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia. Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare, sed quodcunque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne, quod peragitur." Et ad ephesios n. 3 s: „J. Christus, inseparabilis nostra vita, sententia (ἡ γνώμη) Patris est, ut et episcopi per tractus terrae constituti in sententia J. Christi sunt. Unde decet vos in sententiam

---

[1]) Multa alia habentur praeclara in hisce constitutionibus de episcoporum dignitate. Ita c. 11: „Quocirca, episcope, stude immaculatis actibus locum dignitatemque tuam patefacere, quia inter homines figuram obtines Dei, praesidendo cunctis mortalibus: sacerdotibus, regibus, principibus, patribus, filiis, doctoribus, cunctis, qui pariter omnes tibi subjecti sunt. Sic ergo in Ecclesia sede sermonem faciens quasi potestate praeditus judicandi etc." Cap. 29. 30 (cf. n. 553[2]), 52 ss.; VIII, 28 et 46.

episcopi concurrere, quod et facitis. Nam memorabile presbyterium vestrum, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et concordi caritate J. Christus canitur . . . Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat, ut ipsum Dominum [1])." Hinc plenam ab episcopo dependentiam inculcat etiam canon ap. 40 vel 38: „Presbyteri atque diaconi absque sententia et voluntate episcopi nihil peragant: ipse enim est, cui concreditus fuit populus Domini et a quo de animabus eorum ratio reposcetur." Hujus totalis dependentiae presbyterorum ab episcopo in sacramentorum administratione vestigia supersunt in praxi praesentis quoque Ecclesiae.

562. Inter praerogativas autem illa eminet, qua soli ordinare episcopos et presbyteros possunt. Sane **1.** hanc praerogativam positive ipsis vindicant patres et canones Ecclesiae, qui semper exhibent episcopos sacramenti ordinis ministros; negative, cum alterius ministri nunquam faciant mentionem; exclusive, cum diserte ab hac praerogativa alios excludant, eamque qua propriam episcopatus dotem proponant.

Ita Hieronymus ep. 85 ad Evang. n. 1: »Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?« Chrysostomus cum dixisset »inter episcopos et presbyteros ferme nihil interesse,« subjicit hom. 11 in 1. Tim.: »sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.« Epiphanius hinc maxime inter utrosque inaequalitatem contra Aërium demonstrat. »Enim vero totum illud (Aërii dogma), inquit haer. 75 n. 4, stoliditatis plenissimum prudens quisque facile perspiciet, velut cum episcopum ac presbyterum adaequare conatur. Hoc enim constare qui potest? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet: hujus est enim patrum in Ecclesia propagatio. Alter cum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis? Verum Aërium istum nimia quaedam procacitas aemulatioque decepit.«

2. Probatur ex historia ecclesiastica et traditione practica. Nullum enim **a.** exemplum reperitur ordinationis presbyteri vel episcopi ab aliquo, qui non esset episcopus, factae, quae valida habita fuerit. Imo **b.** ne summa quidem urgente necessitate, qua Ecclesia permittit laicis baptizare, presbyteris confirmationis sacramentum administrare, presbyteris haereticis et apostatis absolvere, qua verbo concedere solet, quidquid quibuslibet potest, permissum unquam fuit aliis atque episcopis ordinare. Quare **c.** patres concilii alexandrini apud Athanasium in apol. c.

---

[1]) Cf. insuper ep. ad magnesios n. 4 et 7; ad trall. n. 2 et 7; ad philadelph. n. 7 etc.; Thomassinus vetus et nova Ecclesiae disciplina p. 1 l. 1 cap. 1 s. et 50 ss.; Phillips l. c. p. 1 § 36.

arianos n. 11 hujus calumniatores, qui Ischyram dicebant presbyterum, hac ratione refellunt: „Unde presbyter Ischyras? quo ordinante? Num Collutho? . . . Atqui Colluthum presbyterum obiisse ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse, omnibus notum est ac nulli dubium.“ Omnibus ergo persuasum erat, solos episcopos jure divino esse ordinationis ministros.

3. Si episcopi pollerent, presbyteri vero carerent hac potestate ex jure ecclesiastico, ratio reddi non posset, quare Ecclesia voluisset presbyteros ea in perpetuum privare, et quare non posset episcopos haereticos, schismaticos etc. ea privare, sicut eos privat jurisdictione [1]).

563. **Corollarium.** *De ordinationibus haereticorum.* — Cum ordinatio sit sacramentum, sacramentorum autem valor non pendeat a sanctitate et fide ministrorum (thes. 212), ordinationes factae ab episcopis haereticis et schismaticis, dummodo servent materiam et formam essentialem, sunt validae. Quae sententia s. Thomae nunc omnino est certa, quamvis eam olim, ut testatur Magister sententiarum l. 4 dist. 25, perplexam et pene insolubilem fecerint quorundam doctorum verba. Verum jam in antiqua Ecclesia praevaluit nostra sententia, ut colligitur ex controversia cum donatistis, in qua Augustinus saepe respicit etiam ordinationes ab improbis vel haereticis ministris factas (cf. ejus sermonem ad caes. ecclesiae plebem n. 2), et ex praxi: nam Ecclesia subinde recepit ministros ab haereticis ordinatos in suo ordine, quem acceperant, ut praesertim donatistas. Hinc ad omnem controversiam dirimendam statuit Paschalis II. in conc. lateranensi a. 1116: „Quoniam Ecclesia in multis locis et maxime in teutonicis partibus laboravit sub haeresi et schismate, et si omnia illa, quae ab illis haereticis et schismaticis ordinata sunt, annullari deberent, quaedam ecclesiae omnino nudari viderentur suis clericis; nos sequentes decreta ss. patrum de his, qui sub Acacio et Bonoso et donatistis ordinati sunt, statuentes decrevimus, ut episcopi, qui sub isto schismate ordinati sunt, omnes in suis honoribus permaneant, nisi sint invasores aut criminosi. De ceteris vero ordinibus penes episcopos potestas sit, ut quorum vita probabilis videatur, in suo gradu consistant.“

---

[1]) Cf. conc. trid. sess. 23 cap. 4; can. 7 (n. 958[3]). Cf. Petavius de eccl. hierarchia l. 2 c. 9. Quod attinet subdiaconatum atque ordines minores, potest presbyter eosdem ex romani pontificis concessione conferre. Controversia est de diaconatu, quae tamen dirempta censeri posset bulla Innocentii VIII. a. 1481, qua quibusdam abbatibus s. ord. Cist. privilegium concedit ordinandi diaconos, cujus bullae genuinitatem probat Panhölzl in Studien und Mittheil. aus dem Benedictiner- und Cistercienser-Orden 1884 I, 441 ss. Cf. etiam Wex S. J. in epitome canon. p. II. controv. 2. Nullum tamen certum exemplum ordinationis diaconi ab illis abbatibus factae exstat, unde Phillips 1, 340 dubium videtur privileginm.

Etiam Hieronymus in dial. adv. lucif. n. 11 scribit: „Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit;“ et n. 14: „Eadem ratione episcopum ab arianis recipio, qua tu recipis baptizatum.“ Cf. de hac quaestione integrum s. Petri Damiani opusc. 6 ‚Gratissimus‘ inscriptum, ubi ordinationem, quod valorem attinet, baptismo prorsus aequiparat. Ita c. 3: „Si quis autem mihi fortassis objiciat, aliud esse baptismum humanae regenerationis, aliud consecrationis ecclesiasticae dignitatem: nos quidquid in hac parte de baptismo credimus, totum nihilominus et de consecratione sentimus. Nam cum baptismus totius ecclesiastici sacramenti origo sit atque primordium, sicut baptismus Dei est et non hominis; ita nimirum omnis ecclesiastica consecratio illi specialiter competit, a quo omnium benedictionum plenitudo profluxit.“ Cf. Item Bernaldus tract. de sacramentis excommunicatorum Migne 148, 1061 ss.; de vitanda excommunicatorum communione, ib. 1181 ss.; de reordinatione vitanda, ib. 1255 ss.

564. Ad solvendas difficultates, quae fieri possunt ex pluribus veterum sive dictis sive factis, prae oculis habe:

1. Duplici modo dici ordinationem irritam, quia est vel invalida, vel illegitima; quo casu ordinatus accipit quidem characterem et potestatem, sed privatur ejus juribus, usu, honore, et si malae est fidei, gratia sanctificante, imo gravissimum committit sacrilegium. Quam ob rem patres ejusmodi ordinationes ab haereticis etc. factas vere dicere poterant vanas, inanes, irritas, falsas etc., non quasi non imprimant characterem et conferant potestatem sacerdotalem; sed quod gratiam non conferunt, ordinatique privantur jure et usu potestatis acceptae ac si non essent ordinati.

2. Distingui item debet manuum impositio ordinatoria a reconciliatoria et caeremoniali, qua quandoque illegitime ordinatis solemniter restituebatur usus et exercitium ordinum. Ritum caeremonialem, quo simoniace ordinatus acta poenitentia in ordinis restituebatur exercitium, describit Fulbertus carnotensis ep. 13: „Ceterum rebaptizationes, ita ille, et reordinationes fieri, canones vetant. Propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis ei suos gradus per instrumenta et per vestimenta, quae ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum ostiarii etc. In nomine Patris et Filii et Spiritus s. Novissime autem benedictione laetificabis eum sic concludendo: Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus s. super te descendat, ut sis confirmatus in ordine sacerdotali, et offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria in secula seculorum, amen.“ Quae probant Ivo carnot. decreti p. VI. c. 227 et P. Damianus opusc. 5; imo decretum affine reperitur in conc. toletano IV. (a. 624) can. 28. Cf. Lanfranci ep. 21; Hergenroether österreich. Vierteljahrsch. 1862 pag. 207 ss.; Photius II, 321—76.

3. Mirum esse non debet, si qui dubitaverint de valore ordinationum haereticorum, cum nonnulli vel de valore baptismi ab haereticis collati haeserint. Neque diffitemur quaedam forte contigisse decursu temporis, ex quibus, cum sint facta particularia ex ignorantia vel malitia patrata, Ecclesiae universalis sensus colligi nequit. Quod si modo adhuc controvertitur de valore ordinationum anglicanarum, ratio non est dubium de thesi, num scil. ordinationes haereticorum sint validae, sed gravissima dubia de valida ordina-

tione illius primi episcopi, a quo reliquorum episcoporum ordinatio pendet, de sufficientia materiae et formae, de sufficientia intentionis in ministris ordinationum: cum enim negent et ipsum ordinis sacramentum, et sacrificandi potestatem, et characterem sacerdotalem, vix in ordinandis Ecclesiae ministris videntur dici posse intendere id facere quod facit Ecclesia. Cf. Katholik 1894. II, 502 ss.

565. **Thesis CCLVIII.** ***Ritus, quo initiantur episcopi, verus est ordo a reliquis distinctus verumque sacramentum.***

Demonstratio. De qua quaestione scribit Perrone: „Si ordinis nomine significetur gradus, nulla potest esse contentio, cum de fide sit definitum, dari in Ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris (cf. n. 567). Controversia itaque viget seu potius viguit de episcopatu, quatenus nomine ordinis significatur ipse ritus consecrationis [1]). Veteres plerique scholastici censuerunt episcopatum neque ordinem esse proprie dictum, neque proinde sacramentum, sed solam extensionem presbyteratus, seu ut alii loquuntur, simplicem deputationem extrinsecam ad aliquas functiones seu ministeria, quibus peragendis non erat idoneus presbyter. Verum sententia nunc temporis communis et omnino tenenda haec est: episcopatum et ordinem esse specie distinctum a presbyteratu (quo confertur jure divino ex opere operato nova potestas presbyteris non communis atque gratia ideoque) et sacramentum.“ Sane sententia haec est Bellarmino de ord. c. 5 certissima; Petro Soto de ord. lect. 4 certa fide admittenda, adeo ut secundum Mich. Medina periculosum sit contrarium defendere.

566. **1.** Probatur ex verbis s. Pauli (n. 549), quibus potissimum theologi probant ordinationem esse sacramentum; nam admodum probabile est, agi ibi de ordinatione Timothei in eum ministrum, qualis tunc fuit et cujus munus in epistolis ad ipsum jugiter prae oculis habet apostolus, de ordinatione scil. in episcopum.

2. Simile argumentum colligimus ex patrum effatis (n. 550), quibus ostenditur ordinatio esse sacramentum: siquidem frequenter admodum sermo in illis est de consecratione in episcopum.

Quibus adde praeclara Leonis M. verba serm. 1 in anniv. assumpt. suae n. 1: „Cum hujus divini sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro et sanguis creavit, eligitur (sicut in V. T.): sed cessante privilegio patrum et familiarum ordine praetermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus s. praeparavit ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non praerogativa terrenae originis obtineat unctionem, sed dignatio coelestis gratiae gignat antistitem;“ et verba auctoris antiquissimi (forte s. Victoris I.) in l. de aleatoribus c. 3: „Quoniam episcopi idem (f. item) Spiritum s. per impositionem manus cordis excipimus hospitio, cohabitatori nostro nullam moestitiam proponamus.“

[1]) Prael. t. 9 de ord. c. 2 Schol. Cf. Schulte-Plassmann der Episcopat ein vom Presbyterat verschiedener, selbständiger, sacramentaler Ordo, Paderbornae 1883; in primis de Rubeis diss. 27 in s. Thomam c. 4.

3. Ad haec si diaconatus est ordo et sacramentum, a fortiori erit episcopatus, quo excellentior et divinior potestas confertur.

4. Vel consecratio in episcopum est mere caeremonialis, sacramentale quoddam institutionis ecclesiasticae sicut consecratio abbatis, vel est ritus efficax ex jure divino excellentissimae cujusdam potestatis, de qua egimus thesi praecedenti. Si illud, corruet doctrina catholica de discrimine inter presbyteros et episcopos ex jure divino, pendebit enim a sola caeremonia ecclesiasticae institutionis: et hinc explicari non poterit, quare vel episcopus nondum ordinatus nunquam ordines valide conferre, vel solus episcopus ordinare possit. Si vero conceditur consecrationem in episcopum esse jure divino ex opere operato efficacem conferendae praecellentissimae potestatis, negari non poterit collatio etiam gratiae una cum illa. Si enim gratia non negatur diaconis ad simplex ministerium, non negabitur episcopis ad regimen Ecclesiae. Qua in re vel ipsi graeci nobiscum sentiunt.

567. **Corollarium.** Ex thesibus statutis sponte sua consequitur veritas can. 6 sess. 23: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, A. S.“ Sunt scil. in Ecclesia ministri, qui sacrum principatum in fideles exerceant, qui tamen inter se pares non sint, sed vario subordinationis nexu mutuo conjungantur, atque ita efficiant Ecclesiam castrorum aciem ordinatam.

568. **Thesis CCLIX.** ***Discrimine facto inter ea, quae s. Hieronymus ut testis, et ea quae uti disputator affirmat: contendimus 1. ab ipso tamquam teste ea tradi de habitu episcopum inter ac presbyterum, quae cum asserta hucusque a nobis doctrina conspirent. Alia vero 2. ab ipso tamquam disputatore proferri, quae probabilitatis specie destituantur.***

Demonstratio p. I. Doctrina catholica circa hierarchiam ad haec revocatur capita: **1.** ad illius in tres gradus distributionem; **2.** ad hujus distributionis originem divinam; **3.** ad praecellentiam sicut presbyterorum prae diaconis, ita episcoporum prae presbyteris. Atqui horum nullum est, quod Hieronymus non testetur. Testatur saepissime primum. Conferens in dial. c. lucif. n. 28 Ecclesiam cum arca: „Similiter et Ecclesia, inquit, multis gradibus consistens ad extremum diaconis, presbyteris, episcopis finitur:“ et c. Jovin. II, 28: „Quomodo et in V. T., et in N. alium ordinem pontifex tenet, alium sacerdotes, alium levitae, alium janitores, alium aeditui.“ Cf. in Is. 19, 18; in Mich. 7, 5 ss.; ep. 48 n. 21. — Testatur alterum c. lucif. n. 9: „Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate et episcopi jussione neque presbyter, neque diaconus jus habeat baptizandi;“ et ep. 85 n. 2: „Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de V. T., quod Aaron et filii ejus atque levitae, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.“ In Matth. 25, 26

refert »apostolos per singulas provincias ordinasse presbyteros et episcopos.« — Tertium testatur verbis relatis n. 562 [1] et ep. 52 n. 7, quibus adde ad Joan. hieros. n. 37: »Nihil interest inter episcopum et presbyterum, eadem dignitas mittentis et missi? Hoc satis imperite, in portu, ut dicitur, naufragium;« et verbis ex com. in Tit. 1, 5 objectis (cf. n. 569) subjicit, episcopos »in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solum praeesse populo Israel, septuaginta elegit (Num 11, 16 s.), cum quibus populum judicaret:« quibus tamen Moyses certo jure divino praecelluit.

569. **Demonstratio p. II.** Haec sunt quae ex s. Hieronymi commentario in Tit. 1, 5 objiciuntur: »Idem est ergo presbyter, qui et episcopus: et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur in populis: *Ego sum Pauli, ego Apollinis, ego autem Cephae* (1. Cor. 1, 12), communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret et schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud aetatis, aliud esse nomen officii: relegat apostoli ad philippenses verba (1, 1. 2),« ubi scil. Paulus episcopis et diaconis nulla facta mentione presbyterorum, gratiam adprecatur. Et citatis Act. 20, 28 etc. ita prosequitur: »Haec propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos et episcopos: paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos: ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse majores et in commune debere Ecclesiam regere.« In ep. vero 85 haec habet: »Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam († c. 256) et Dionysium († 265) episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori loco collocatum, episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat: aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent.«

570. Duplici potissimum argumento utitur Hieronymus, quo efficiat, in Ecclesiae primordiis unum fuisse ordinem episcoporum vel presbyterorum indiscriminatim dictum, alterum ex Scriptura, alterum ex consuetudine ecclesiae alexandrinae. Sed neutrum ad rem est. Non illud ex Scripturis, quod scil. in his non satis distinguantur presbyteri ab episcopis. Affirmat enim occasione corinthiaci schismatis factum esse, ut ordo episcoporum ab ordine distingueretur presbyterorum; illud vero accidit a. 54 vel 57; hoc igitur anno episcopi a presbyteris ministerio apostolorum fuerunt distincti. Atqui epist. ad Timotheum, Titum et ad philippenses fuere scriptae post anum 60, atque adeo post inductum episcoporum a presbyteris discrimen. Nequit ergo ex hisce epistolis Hieronymus, quod tamen facit, identitatem utrorumque demonstrare, si sibi vult cohaerere. Sed verumne est, quod affirmat Hieronymus, apostolos occasionem ex schismate corinthiaco sumpsisse, tum distinguendi episcopos a presbyteris, tum edendi decreti, ut in singulis ecclesiis praeesset unus episcopus? Non videtur, cum hujus facti et decreti apostolici omnium primus post annos 350 meminerit Hieronymus, neque id ex Pauli epist. ad corinthios colligatur:

nam hac de re omnino silet apostolus, et secundum ipsam neque ministri secundi ordinis neque eorundem collegium occasionem dederunt schismati, sed Apollo, Cephas et ipse Paulus, ut liquet ex 1 Cor. 1, 11; 3, 3 ss.

571. De consuetudine ecclesiae alexandrinae, ad quam Hieronymus provocat, nota **1.** Hieronymum primum esse, qui eam nobis narret. Neque **2.** ipsi rem satis fuisse exploratam. Designaturus enim tempus mutatae consuetudinis scribit satis anceps, usque »ad Heraclam et Dionysium (episcopos).« Vix vero **3.** credibile videtur in ecclesia alexandrina obtinuisse morem, qui ab universali recederet disciplina, quod concedendum foret, si, quae Hieronymus narrat, probarentur. Dato etiam **4.** vera esse, quae ipse refert, nullatenus sequitur, ut presbyteriani volunt, sive pares cum episcopis habendos esse presbyteros, sive his fuisse ordinandi potestatem, sive aliquem fuisse constitutum episcopum sine ordinatione, sed tantum presbyteris alexandrinis jus fuisse eligendi episcopum. Ceterum **5.** nullum exstat vestigium ecclesiarum, quae regerentur presbyterorum collegio, sed relatum potius legimus, jam ante schisma corinthiacum praefuisse unum ecclesiis apostolicis episcopum uti ecclesiae hierosolymitanae, antiochenae, romanae. Hinc patres episcoporum successionem in ecclesiis recensentes, illam non repetunt a presbyterorum collegio, sed ab aliquo apostolo, qui unum instituerit episcopum. Ita Irenaeus II, 3 n. 1: »Habemus, inquit, annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur.« Ita et Tertullianus de praescr. n. 32. Incolumi etiam dogmate concedere possumus, in Ecclesiae exordiis, cum ubique ecclesiae fundarentur, nondum omnia fuisse ita accurate disposita, sicut postea adolescente jam Ecclesia. Hinc quandiu apostoli vivebant sibique supremum ecclesiarum regimen reservabant, fieri potuit, ut instituerentur ecclesiae, in quibus essent tantum presbyteri et diaconi; aliae, in quibus esset solum episcopus cum diaconis; aliae, in quibus essent plures presbyteri episcopali quoque ordine praediti, ut pro opportunitate ad alias mitti possent ecclesias fundandas: quamvis haec posterior hypothesis minus videatur probabilis. Concedere et illud possumus, schisma corinthiacum occasionem apostolis praebuisse exsequendi mandatum dominicum de instituendis praefigendisque singulis ecclesiis episcopis, sicut graecorum murmur instituendis diaconis fuit occasio. Etsi vero ordines episcopatus, presbyteratus, diaconatus potestate et jure sunt distincti, fieri potuit, ut nomina diaconi, presbyteri, episcopi, quae per se vagae sunt significationis, adeo ut promiscue adhiberi possint, initio non satis distinguerentur, donec progrediente tempore singulorum significatio technica seu propria figeretur. Quae si prae oculis habentur, omnis fere evanescet difficultas. Cf. Petavius l. c. I, 4; IV, 1; dissert. eccles. I, 1 s.; Mamachi origines et antiquit. christ. IV, 337 ss.; Thomassinus de vet. et nova Eccl. disciplina t. 1 l. 1 c. 54; Franzelin de Eccl. th. 16; de Smedt in Revue des qq. historiques 1888. 44, 329—84.

572. **Scholion I.** *Num plura sint ordinis sacramenta.* — Ex eo, quod tam diaconatus quam presbyteratus et episcopatus sunt sacramenta, non sequitur, plura esse ordinis sacramenta. Singuli enim ordines non sunt nisi partes ordinis totalis, qui plene possidetur ultimo obtento ordine: et hinc tria sacramenta partialia, constituentia unum sacramentum ordinis to-

tale. Porro ordo definiri potest sacramentum, quo gratia spiritualisque potestas confertur clerico ad eucharistiam muniaque ad eam ordinata rite peragenda.

573. **Scholion II.** *De ordinibus minoribus.* — Praeter hos tres ordines plures alii a concilio trid. sess. 23 c. 2 recensentur, quorum omnium simul jam seculo III. mentionem facit Cornelius papa in epist. ad Fabium antiochenum ita scribens: „Ille ergo Evangelii vindex (Novatianus, quem ita per ironiam appellat) ignorabat, unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica? in qua (Romae scil.) non ei latebat (quomodo enim latere potest?), presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos.“ Ita etiam in conc. laodiceni (c. a. 373) can. 24 (in quo pro acolythis psaltes ponuntur) et in can. 5 ss. concilio carthaginensi IV. a. 398 tributis describitur ritus conferendi singulos hos ordines. Singulorum vero mentio passim apud patres antiquos occurrit.

574. »Horum ordinum originem indagare, inquit Benedictus XIV. de syn. dioec. VIII, 9 § 5, est operosum, assequi vero fere impossibile.« Pluribus autem conatur ostendere Morinus de ss. Eccl. ord. exerc. 11 c. 1, eos non esse institutionis divinae, tum quia apud graecos aliosque Orientis coetus non idem est numerus, tum quia in ipsa Ecclesia latina non videtur idem numerus semper fuisse et diversa in diversis ecclesiis viguisse ministeria seu ordines. Utramque sententiam negantem et affirmantem conciliare licebit, si dicimus cum Thomassino p. 1 l. 2 c. 40: »Nihil probabilius quam minores ordines comprehenso subdiaconatu velut quasdam portiones esse diaconatus aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo (per Ecclesiam) decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores ordines in fonte suo atque origine i. e. in diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae [1]).« Plures autem theologi praesertim recentiores ordinibus minoribus et subdiaconatui sacramenti dignitatem denegant, quod non constet de eorum institutione proprie dicta divina, nec aliquid legatur, quo ritus, quibus conferuntur, efficaces gratiae ex opere operato demonstrentur, quod eorum munera a laicis etiam exerceantur, quod conferri possint ab eo, qui non sit episcopus sed tantum presbyter. Cf. Specht theol. prakt. Monatsschr., Passau 1893 S. 233. Vetustiores tamen theologi sat magno consensu tuentur eorum dignitatem sacramentalem, quibus accedunt etiam aliqui ex recentioribus, ut Silbernagel, Laemmer, Glossner, de Augustinis etc.

---

[1]) Hinc Amalarius de eccles. officiis l. 2 c. 6, postquam ostendit, Christum exercuisse ordines inferiores (cf. etiam Stephanus augustod. de sacr. alt. c. 6; Hugo a s. Victore de sacram. l. 2 p. 3 c. 6 ss.; P. Lombardus in 4. d. 24; Baudinus in 4. d. 23; Hugo rotomag. c. haeret. II. 10; Bonaventura comp. theol. verit. VI, 36), subjicit: »De istis sat est ad demonstrandum, unumquemque sacerdotem habere in se subjecta ministeria, sed propter multitudinem hominum non posse illum omnia adimplere ac ideo adjectos esse sibi socios, qui minora adimpleant.« Cf. Phillips § 36.

575. **Scholion III.** *De ordinum numero.* — Si quaeras quot sint ordines, respondent omnes, qui negant episcopatum esse ordinem et sacramentum, ordines esse septem; verum et plerique ex iis, qui admittunt episcopatum esse ordinem et sacramentum, retinent numerum septenarium ordinum docentes, septimum ordinem id est sacerdotium esse bipartitum, complectentem scil. presbyteratum et episcopatum. Potest etiam dici, septem esse ordines, per quos velut per totidem gradus ad fastigium sacerdotii, ad episcopatum ascendatur. Maldonatus vero de sacr. ord. q. 4 scribit: „In hac re videntur mihi juris pontificii periti melius sentire, quod dicant, plures esse quam ordines septem. Tota denique antiquitas plena est testimoniis, et episcopatum esse ordinem distinctum, adeo perspicuum est omnibus conciliis vetustissimis et ex canonibus apostolorum, ut nemo negare possit, nisi qui non legerit.“ Nec obest inscriptio cap. 2 sess. 23 tridentinae ‚de septem ordinibus‘, cum ea non sit authentica, nec a concilio apposita, sed postmodum praefixa. Ex ordinibus alii dicuntur minores, majores alii seu sacri pro minori majorive potestate, jure et munere aliquid sacrum peragendi, ad altare accedendi, eucharistiam conficiendi vel administrandi, sacra vasa attingendi, hinc etiam ratione majoris consecrationis per votum continentiae adnexum. „Ordo dicitur sacer, inquit s. Thomas in 4. dist. 24 q. 2 a. 1 q. 3, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: et sic sunt tantum tres ordines sacri, scil. sacerdos et diaconus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum; et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata: et ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant.“ Ceterum a graecis subdiaconatus ordinibus majoribus non accensetur.

576. **Scholion IV.** *De ordinum materia.* — Implexa admodum est controversia de materia et hinc de forma trium ordinum hierarchicorum, scil. diaconatus, presbyteratus, episcopatus. Triplex saltem de illa est sententia. Si veteres audimus scholasticos, ex iis plures docent, materiam essentialem esse instrumentorum traditionem; quibus favere videtur instructio Eugenii IV. pro armenis, quae hujus sacramenti assignans materiam, traditionis instrumentorum tantum facit mentionem. — At „postquam sanior critica, ut inquit Perrone, rimas omnes antiquitatis perscrutata est, communior jam evasit sententia, quae in sola manuum impositione et oratione sitam esse materiam et formam horum ordinum tuetur.“ Sane huic sententiae favent Scripturarum testimonia, ritualia et sacramentaria ante 900 ad minimum annos conscripta, aliaque antiquitatis monumenta, in quibus solius impositionis manuum, non vero traditionis instrumentorum fit mentio, praxis ecclesiae graecae a remotissima antiquitate. Imo can. 5 conc. carthaginensi IV. (a. 398)

tributus in eo ponit discrimen inter subdiaconatum (ordinesque minores) et hierarchicos ordines, quod ille instrumentorum traditione, isti manuum impositione conferantur; conc. vero tridentinum sess. 14 c. 3 de extrema unct. sacerdotes dicit „rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii". Tertia sententia, in praxi omnino servanda utrumque ritum seu impositionem manuum instrumentorum traditione auctam et expressiorem redditam pro materia essentiali agnoscit, qua conjunctione difficultates, quae in prima et altera sententia occurrunt, vitantur.

577. **Scholion V.** *De coelibatu.* — Ecclesiae ministri sacris seu majoribus initiati ordinibus i. e. subdiaconi (non tamen semper et ubique), diaconi, presbyteri et episcopi ad servandum coelibatum (in Ecclesia latina) obligantur. Cum vero coelibatus lex exosa sit novatoribus sec. XVI., quaedam ad eam vindicandam synoptice proponemus.

1. Coelibatus innititur exemplo Christi et apostolorum, qui relictis omnibus, etiam uxoribus, secuti sunt Christum Matth. 19, 27. 29; quapropter nulla in antiquitate uxorum et filiorum apostolorum fit mentio.

Quare Tertullianus de monog. c. 8: „Petrum solum invenio maritum per socrum . . . Ceteros, cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est aut continentes;" et Hieronymus c. Jovin. I, 26: „Quamquam excepto apostolo Petro non sit manifeste relatum de aliis apostolis, quod uxores habuerint, et cum de uno scriptum sit ac de ceteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet." Inepte vero nonnulli provocant ad 1. Cor. 9, 5: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem* (ἀδελφὴν γυναῖκα) *circumducendi, sicut et ceteri apostoli et fratres Domini et Cephas?* Nam non de apostolorum uxoribus ibi est sermo, sed, ut rite notat l. c. s. Hieronymus, „de sanctis mulieribus, quae juxta morem judaeorum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum." Cf. Theodoretum, Ambrosiastrum, Primasium et Lanfrancum in h. l., Tertullianum de monog. c. 8; Augustinum de opere monach. cc. 4. 5; Isidorum Pelusiotam epist. III, 176. Etiamsi autem hic locus intelligatur de apostolorum uxoribus, quas ante suam ad apostolatum vocationem duxerant, assertum nostrum confirmat; cum enim Paulus illas simul vocet *sorores*, eo ipso significat, apostolos suas conjuges non qua uxores, sed qua sorores habuisse, hinc servasse continentiam. „Non ut uxores, inquit Clemens alex. Strom. III, 6, sed ut sorores circumducebant mulieres, quae una ministraturae essent apud mulieres, quae domos custodiebant: per quas etiam in gynaeceum absque ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Domini."

Ineptius etiam provocant nonnulli ad illud Pauli Philip. 4, 3: *Etiam rogo et te, germane compar,* γνήσιε σύζυγε etc. Nam etsi σύζυγος conjugem saepe significat, hic non significare uxorem, sed collegam, probat **a.** et genus masculinum appositi γνήσιε, et **b.** ipsa vis appositi, quod de uxore dictum legitimam significat ad oppositionem concubinae, quare adsignificaret Paulum plures habuisse uxores; obstant **c.** quae Paulus tam solemniter de se testatur 1. Cor. 7, 7: *Volo omnes vos esse sicut meipsum:* totus autem ibi est in exhortando ad

virginitatem vel saltem continentiam servandam; praeterea **d.** vix credibile est, dum Paulus Romae esset, uxorem ipsius Philippis degisse; dedecet etiam **e.** Pauli apostoli gravitatem coram omni ecclesia talis uxoris compellatio; quare **f.** patres hanc sententiam excludunt cum Theodoreto in h. l.: »Comparem autem nonnulli stulte existimarunt esse uxorem apostoli, non attendentes ea, quae scripta erant in (1) ep. ad Corinthios (7, 7).« Ergo cum Hieronymo ep. 48 n. 21 concludimus: »Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; apostoli vel virgines vel post nuptias continentes.« Cf. ep. 22 n. 20; Tertullianus ad uxor. I, 3. Origenes in ep. ad Rom. l. 1 c. 1 opinionis quorundam facit mentionem, qui tradunt, Paulum matrimonio ante suam conversionem fuisse junctum, sed per vocationem »ex consensu ab uxore liberum effectum esse.«

578. **2.** Indubium est, in Ecclesia occidentali vel a remotissima antiquitate coelibatum viguisse. Jam concilium eliberitanum a. 305 vel 306 statuit can. 33: „Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconis vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicunque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.“ — Hieronymus vero testatur ep. 48 n. 21: „Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici;“ et adversus Jovinianum I, 34 scribit: „Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat. Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnatur.“ Hinc vel ab imperatoribus Valente, Valentiniano et Gratiano lege sancitum fuit, ut filii episcoporum, presbyterorum et diaconorum post susceptos ordines progeniti ad munera sordida i. e. publicos labores damnarentur. Quare cum **a.** tam universalis esset haec consuetudo et quidem **b.** in re tam difficili, cum **c.** nullus assignari possit pontifex vel synodus, quae illam primum induxerit, nullusque **d.** qui contra eam tamquam contrariam libertati clericis a Christo factae reclamaverit, merito ea ex apostolica traditione repetitur; quod etiam **e.** non obscure significat Siricius (a. 385), qui non tam acriter inveheretur [2]) in coelibatus transgressores, si res esset tantum consuetudinis et non altiori quadam auctoritate instituta; hinc illius legem vocat indissolubilem. Clarius vero idem significat conc. africanum a. 389 vel 390 celebratum n. 2: „Episcopos, presbyteros et diaconos ita placuit, ut condecet sacros anti-

---

[1]) Cf. Haenel Bericht über die Verhandl. der k. sächsischen Gesellsch. der Wissenschaften zu Leipzig XX, 1.

[2]) Ep. 1 n. 8 ss. Dignissimae sunt quae de hoc argumento legantur Siricii epistolae: scil. ep. 1. 5 ad episc. Africae n. 3; ep. 10 n. 5 ss.; ep. 1 Innocentii I. n. 12; ep. 6 n. 2; et ep. 38; Leonis I. ep. 14 n. 4 (quae reperies in opusc. t. XVII. et XXV); conc. africani V. vel VI. a. 401 can. 4. Cf. Möhler ges. Schriften I, 177 ss. Bickell, der Cölibat eine apostolische Anordnung in fasc. lit. Zeitschrift für kath. Theologie 1878 pag. 26 ss., et 1879 pag. 792 ss., qui novis productis testimoniis admodum probabilem reddit coelibatus originem apostolicam.

stites et Dei sacerdotes necnon et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare ut quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus."

578. **3.** Imo in pluribus Ecclesiae orientalis partibus floruit jam primis seculis continentiae lex, teste Epiphanio haer. 59 n. 4: „Quin eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius uxoris sit vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia: sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit aut ea sit orbatus, quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt: respondeo, non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet . . . Quod ad ipsam Ecclesiam attinet, ea utpote a s. Spiritu bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei potissimum studere instituit, ut quae divino numini ministeria praestantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur, atque spiritualia omnia officia quam optima laetissimaque conscientia gerantur" etc.

„Singulares nuptias, inquit haer. 48 n. 9, commendat (Ecclesia), cum sacerdotalia munera et ornamenta cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit: id quod apostoli, deinde ecclesiastica sacerdotii regula honeste ac religiose decreverunt." Cf. etiam expos. fid. n. 21; Isidorus Pel. ep. III, 75. — Hieronymus adversus Vigilantium n. 2: „Quid facient Orientis ecclesiae? Quid Aegypti et sedis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?" — Idem elucet ex Cyrillo hieros., qui cat. 12 n. 25 bene notat: „Decebat eum, qui purissimus est et puritatis magister, ex puris prodire thalamis. Si enim is, qui apud Jesum bene (καλῶς) fungitur sacerdotio, abstinet a muliere: ipse Jesus quomodo ex viro et muliere proditurus foret?" — Sed non desunt monumenta ex sec. III. et II., quae coelibatus legem in Oriente viguisse ostendant. Ita in ‚doctrina Addaei', opere syriaco sec. saltem III., legimus de Addaeo, eum „praecepisse (clericis suis) diligenter, ut pura et sancta essent eorum corpora, sicut deceret viros, qui coram altaribus Dei starent." Et in laudem virginum et clericorum edessenorum legimus ibidem: „Omnes servitio ecclesiastico addicti, viri et mulieres, erant casti, cauti, sancti et puri, siquidem habitabant seorsim et caste absque macula [1])." In quadam ‚disciplina ecclesiastica' apostolis adscripta sec. II., exigunt apostoli non solum ab episcopis, sed etiam a presbyteris, ut abstineant ab uxoribus suis, δεῖ οὖν εἶναι τοὺς πρεσβυτέρους — ἀπεχομένους τῆς πρὸς γυναῖκας συνελεύσεως[2]). Id saltem

[1]) Cf. Cureton Anciens documents p. 15 et 21 coll. Bickell Zeitschrift für kath. Theol. II, 43; I, 299 ss.

[2]) Cf. J. W. Bickell Geschichte des Kirchenrechts I, 107.

in Ecclesia orientali semper servatum fuit usque in praesens, ut nemini post susceptos ordines majores liceat inire matrimonium. Hinc infertur, ecclesiam graecam gradatim defecisse a coelibatus, qui etiam olim in Oriente viguit, puritate eamque disciplinae relaxationem demum in concilio trullano a. 691 fuisse probatam atque ita in universalem apud ipsos abiisse consuetudinem.

580. **4.** Legi coelibatus multiplex suffragatur convenientiae ratio sive **a.** ea, quam Innocentius I. proponit ep. 2 ad Victric. c. 9: „Si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suae non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et praeter ex semine Aaron ad sacerdotium nulli fuerat praeceptum accedere: quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debebunt, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad corinthios (1. ep. 7, 5) scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi,* et hoc utique laicis praecipit: multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.“ Cf. ep. 6 ad Exsup. et jam antea Siricius ep. 1 n. 8 ss. Sive **b.** ea, quae ex munere apostolico (1. Cor. 7, 32 s.: 9, 22) deducitur, ad quod rite obeundum viri curis matrimonialibus soluti requiruntur; sive **c.** ea, quae derivatur ex auctoritate et independentia, qua Ecclesiae ministros supra fideles excellere oportet: siquidem ipsi esse debent lux mundi, sal terrae, angeli Dei exercituum; hanc autem ipsis maxime conciliat sanctitas, et quidem ea sanctitas, quae vivendi ratione superhumana, supernaturali continetur, qua quis super reliquos excellens vehementium passionum victor perfectaeque abnegationis exsistit exemplar et norma. Talis autem vivendi ratio exigit coelibatum.

581. **5.** Coelibatui nulla adversatur lex, alioquin neque apostoli, neque Christus tantopere commendassent et verbo et exemplo continentiam; neque coelibatus lex adversatur bono communi reipublicae, imo hoc potius quam maxime promovet; ideoque et societas civilis a quam plurimis, ut a militibus, pauperibus etc. propter bonum commune ad tempus saltem coelibatum exigit. Sane reipublicae salus non consistit in quam maxima hominum turba, sed in horum felicitate, pace, virtute etc., quam in primis promovet religio. Haec vero eo potentius vim suam exseret salutarem, quo meliores magisque idonei sunt ejus ministri quoque majore apud populum fruuntur auctoritate. Atqui ea auctoritas quam maxime pendet a coelibatu; quod confirmatur collatione instituta inter populos, quorum ministri sacri sunt coelibes, et illos qui reguntur a ministris habentibus uxorem. Imo cum continentia clericorum sal sit honestatis publicae, et quo haec sanctior, eo fecundior generatio: non coelibatui clericorum imminutio adscribi debet subditorum, sed aliis causis, praesertim coelibatui libertinorum, qui jugum et vincula honesti horrent matri-

monii, quo liberius effreni indulgere libidini possint. Cf. Ambrosius de virg. c. 65; s. Thomas c. gentes III, 136.

582. **6.** Mala quae coelibatum consequi 'crepantibus buccis jactare solent illius osores, vel **a.** exaggerata aut etiam conficta sunt; vel **b.** retorqueri possunt in quemlibet vitae statum, etiam in ipsum matrimonium; siquidem probant solum, nil sub sole esse perfectum, atque homines, quamdiu hic vivunt, admodum esse fragiles. Hinc **c.** si nimis urgeas sequeretur etiam, licita esse adulteria, polygamiam etc., nam matrimonium unius cum una idque indissolubile multa etiam ex hominum malitia consequuntur incommoda et mala. Ceterum **d.** consulimus hisce ‚orbis curatoribus', ut eos belle Chrysostomus de virg. n. 14 vocat, ut prius quam ex oculis cleri eruant festucam malorum, quae coelibatum propter hominum fragilitatem subinde consequuntur, ad crimina sive propria sive aliorum respiciant, cum fatente ipso Voltaire (apud Maistre du Pape III, 3) vel tristissimis Ecclesiae temporibus laici clericis semper pejores fuerint.

583. **7.** Neve opponatur, haec quidem omnia ostendere coelibatum esse bonum ideoque consuli, non tamen praecipi posse: nam **a.** haec a fortiori contra societatem civilem urgeri possunt, quae ad coelibatum tot invitos cogit, non vero contra Ecclesiam, quae nonnisi eos ad hanc legem obligat servandam, qui sponte sua atque libere se offerunt. **b.** Consilium attenta hominis fragilitate hac in materia non sufficit. Hinc Ecclesia fere semper privaretur bono illo, ad quod coelibatus tam necessarius est. Quare **c.** quilibet consideret prius, sitne ad hunc statum vocatus, certus **d.** quod si vocatus accedit, Deus daturus sit gratiam ad ferenda hujus status onera, nec permissurus, ut quis tentetur supra id, quod possit (1. Cor. 10, 13). Cf. Perrone IX. de ord. c. 5; Zaccaria Storia del Celibato, Romae 1774; Hettinger I, 3 diss. 22 pag. 329 ss. ed. 6.

583. **Scholion practicum.** Uberem dicendi copiam de sacerdotii dignitate, quae peropportune populo commendatur occasione primitiarum neosacerdotis, suppeditat disputatio de sacramento ordinis.

I. Ostendatur ordinationis efficacia, qua per manuum impositionem

1. ordinandi irrevocabiliter charactere impresso a laicis secernuntur iisque praeficiuntur (cf. Gregorii nyss. verba n. 551 [2]), ut sint lux mundi, sal terrae, patres, magistri, benefactores, medici hominum, angeli pacis, mediatores ad Deum: *omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* Hebr. 5, 1. Quare sicut baptismo suppeditatur Ecclesiae materia, ita ordinatione constituitur ejusdem elementum formale.

2. Ordinatione ordinandi Deo penitus mancipantur et devoventur, adeo ut Deus jam eorum sit sors atque hereditas, et

3. supernaturali augentur potestate: quae **a.** excedit potestatem vel regiam, imo et angelicam: qua caruit ipsa Dei genitrix, ordinisque est supernaturalis planeque divini utpote participatio potestatis Christi; eaque nulli

b. potestati terrenae est obnoxia et **c.** ipsos animos attingit, in foro valet divino, efficax est gratiae divinae; cujus **d.** effectus per se manet in aeternum, et quae **e.** plane est inexhausta. Quare de ordinatis vere repetas verba 1. Reg. 2, 8: *Suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat.*

584. **II.** Sacerdotis praerogativae vix plenius enarrari possunt, quam paucis sed gravibus s. Hieronymi verbis ep. 14 ad Heliodorum n. 8: „Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos christiani sumus: qui claves regni coelorum habentes quodam modo ante diem judicii judicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant.“ Quibus quintuplex sacerdotum praerogativa enunciatur.

1. Sacerdotes sunt apostolorum successores **a.** in munere; **b.** in praecipuis praerogativis; **c.** in obligationibus: sicut enim illi, et hi omnia omnibus fieri debent, ut omnes faciant salvos 1. Cor. 9, 22,

2. Christi corpus sacro ore conficiunt: quanta virtus et gloria, ut verbis dominicis prolatis ex eorum manibus prodeat corpus Christi panis speciebus velatum, non secus atque ex b. Maria V., obumbrante virtute s. Spiritus, prodiit Verbum humanitate velatum seu caro factum.

3. Per sacerdotes christiani sumus. Ipsi **a.** baptismum administrant, quo renascimur in filios Dei, nobisque per illum inspirant vitam supernaturalem, unde fiunt patres nostri spirituales; qua patres spirituales **b.** nos in cognitione Dei instituunt; panem **c.** illum coelestem distribuunt, quo alitur, conservatur, fovetur vita gratiae in nobis; qua patres pervigilant **d.** quasi rationem pro animabus nostris reddituri Hebr. 13, 17.

4. Sacerdotes claves regni coelorum habent et quodam modo ante diem judicii judicant. Ipsis enim **a.** dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Joan. 20, 23; ita ut **b.** eorum sententia rata habeatur in foro divino: *quaecunque enim solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* Matth. 18, 18, quod est privilegium plane divinum (n. 438[2]. 443[3]); nec ullum **c.** peccatum subtractum est eorum potestati (n. 444): quare **d.** ipsis judicantibus et solventibus cassatur sententia divina in peccatorem alioquin pronuncianda: ita enim **e.** peccatorum salus alligata est huic potestati sacerdotali, „ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri;“ ut ait s. Leo ep. 108 c. 2 (cf. n. 477[1]).

5. Sacerdotes sponsam Domini sobria castitate conservant: ipsorum enim regimini, curae, sollicitudini fidelium grex est concreditus. Ecce *servus fidelis et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore* Matth. 24, 45; *labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est Mal.* 2, 7. Ipsi sunt, quos Christus dedit ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis sui mystici Eph. 4, 12.

585. **III.** Sacerdotes pro Christo legatione funguntur 2 Cor. 5, 20, et quidem triplici in ministerio:

1. in magisterio: **a.** *Docete omnes gentes . . . servare omnia quaecunque mandavi vobis* Matth. 28, 19 s.; et quidem **b.** doctrinam quam sanctam, sublimem, ab ipsa Sapientia incarnata propalatam, utilem, ad salutem plane necessariam docere debent? qui enim non crediderit ipsis praedicantibus, con-

demnabitur. Cf. Mal. 2, 7 (cf. n. 584[5]); et quanta **c.** auctoritate docent? *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* Luc. 10, 16. Vere hoc magisterium, haec cathedra excellit omni cathedrae humanae.

2. Funguntur sacerdotes legatione pro Christo in animarum regimine: ipsis enim etiam dictum est *pasce oves meas* Jo. 21, 17, quas scil. Christus pretioso suo sanguine redemit: ipsis tuendos, fovendos, promovendos credidit filios Dei sibi carissimos, fratres et membra sua, imo et sponsas, templa s. Spiritus: quare ipsis satagendum, ut formetur in fidelibus Christus Gal. 4, 19. Quare viscera pietatis, amorem paternum, maternam sollicitudinem erga fideles induere et oves aberrantes zelo apostolico ad verum pastorem animarum reducere debent: obsecrantes pro Christo, ut reconcilientur Deo 2. Cor. 5, 20; omnia omnibus fieri debent, ut omnes faciant salvos 1. Cor. 9, 22; verbo, fidelibus, imo peccatoribus exhibere in se debent ipsum Christum, cujus gerunt vices.

3. Funguntur legatione pro Christo in ordine sanctificationis et ratione sacrificii, quod nomine Christi offerunt Hebr. 5, 1 (I, 1; th. 237), cujus praestantiam et efficaciam collige ex dictis n. 328[10], et ratione sacramentorum: sunt enim dispensatores mysteriorum Dei 1. Cor. 4, 1; manus et lingua Christi, qui eorum operationibus utitur tamquam suis in animarum salutem (n. 260): in persona Christi agunt 2. Cor. 2, 10. Quare sacerdos strenuus et animarum zelo fervens est quasi fons seu melius canalis gratiarum inexhaustus in hominum utilitatem. Meminerint tamen: *Gratis accepistis, gratis date* Matth. 10, 8.

586. **IV.** Si sacerdotes pro Christo legatione funguntur, ad eos spectant verba: *Sicut me misit Pater, et ego mitto vos* Jo. 20, 21. Mittuntur scil.

1. a Christo, ita ut ejus auctoritatis reddantur vi hujus missionis participes; et quidem **a.** ad docendum: hinc dixit ad eos: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes* Matth. 28, 18. 19; **b.** ad sanctificandum: hinc mox post illa verba Jo. 20, 21 subjicit v. 22: *Accipite Spiritum s., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* **c.** ad regendum: *quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo* Matth. 18, 18; *pasce agnos meos* Jo. 21, 16. Quare vices Christi gerunt in terra.

2. Misit eos eum in finem, ad quem ipse venit: in hominum salutem, quaerere scil. et salvare quod perierat Matth. 18, 11; ut essent hominibus via regimine et exemplo, veritas magisterio, vita sacramentorum administratione: quae vocatio omnium est nobilissima: nobilior **a.** arte medici, qui curare tantum potest morbos corporis, idque ad tempus, neque infallibiliter; dum sacerdotum est curare vitia animi, suscitare spiritualiter mortuos, donare vita, quantum est ex se, aeterna; nobilior **b.** arte architecti, cujus est construere aedes superbas, tempore tamen perituras: dum sacerdos cooperatur ad condenda templa Spiritus s. in fidelium cordibus, ad aedificandam Ecclesiam, adversus quam portae inferi non praevalebunt Matth. 16, 18; nobilior **c.** arte militari, cujus est, quo est validior, spargere sanguinem, complere ruinis omnia, subjugare et spoliare populos: dum sacerdotis est liberare a jugo peccati et daemonis, ex inferni faucibus peccatores, eos reddere filios Dei, ditare bonis supernis; nobilior **d.** munere docendi quo altior, certior, salubrior, nobilior est scientia salutis quavis scientia profana; nobilior demum **e.** quavis alia arte, munere, dignitate, quo nobilior finis salutis quovis alio. Quare sacerdos sibi dictum censeat verba Moysis ad Josue Deut. 31, 7: *Confortare et esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam*

daturum se patribus eorum juravit Dominus; sed et memor sit verborum Oseae 4, 6; *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

3. Misit eos eadem via, qua ipse ambulavit. Quanta inde obligatio **a.** laborandi, non otiandi: *Ego elegi vos et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* Jo. 15, 16 (ubi singula ponderanda sunt verba); **b.** praelucendi exemplo: *Vos estis lux mundi* Matth. 5, 14; adeo ut provocare possint fideles cum Paulo: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* 1. Cor. 11, 1: **c.** patiendi: *Non est servus major domino suo: Si me persecuti sunt et vos persequentur* Jo. 15, 20; et ad ipsos in primis spectat: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* Matth. 16, 24; verbo, in se repraesentare debent Christum, ejus induere zelum, mansuetudinem, caritatem; plene in se exhibere verba Pauli: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* Gal. 2, 20.

Sectio VII.

De sacramento matrimonii.

587. *Matrimonii notio.* — Ex. Gen. 1, 27 s.: *Ad imaginem Dei creavit illum* (hominem Deus): *masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini;* 2, 18 ss.: *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi . . . Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea . . . Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una;* Matth. 19, 3 ss.; 1. Cor. 7, 1 ss.; Eph. 5, 21 ss., quae infra expendemus, haec matrimonii definitio sive descriptio colligitur: matrimonium scil. est conjunctio unius cum una, indissolubilis, ab auctore naturae instituta, a viro et muliere voluntate inita et a Deo confirmata et benedicta, qua se mutuo adjuvant, perficiunt, complent, ut sint unum principium physicum, ethicum et religiosum, par ad propagandum genus humanum, ad subministrandam materiam Ecclesiae aedificandae, prolemque in triplici illo ordine educandam, referens imaginem expressam conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Quapropter uxor dicitur *adjutorium* simile viro, et non esse bonum hominem esse *solum* Gen. 2, 18; et ib. v. 24 dicuntur *duo in carne una*, quia natura humana adaequate et plene in ratione simul principii fecundi ad sui propagationem reperitur neque in viro seorsim neque in femina, sed in utriusque conjunctione. Inde autem, quod femina est viri connaturale complementum, oritur ille nisus unius sexus in alterum, sicut animae in corpus, corporis in membra. Accuratam matrimonii definitionem cf. apud Palmieri tr. de matrimonio christiano th. 1 seq.; Rive die Ehe sect. 7 § 3. Porro conjunctio haec matrimonium inde dicitur, quod ejus finis est ut uxores matres fiant; conjugium ex jugo onerum et officiorum utrique vi contractus imposito, quod mutua charitate inter se conjuncti portare debent; connubium, quod apud romanos mulier nupta tradebatur viro in uxorem, hinc nubere viro, et nuptiarum nomen. „Descendit (Rebecca), ita s. Ambrosius de Abrah. I, 9 n. 93, et caput suum obnubere coepit (Gen. 24, 64 s.), docens verecundiam

nuptiis praeire debere; inde enim et nuptiae dictae, quod pudoris gratia puellae se obnuberent.« Cf. Scheeben § 150 n. 423 ss.

588. *Errores.* — Multiplicis generis adversarios contra catholicam de matrimonio doctrinam distinguas. Alii enim matrimonii impugnarunt honestatem ethicam; alii dignitatem supernaturalem et sacramentalem; alii reale inducunt discrimen inter matrimonium sacramentum et contractum matrimonialem christianum. Quos excipiunt, qui ejus proprietates praecipuas monogamiam et indissolubilitatem negant. Mirum autem videri potest tot haereses jam primis Ecclesiae seculis impugnasse matrimonii sive honestatem sive dignitatem: sed in hoc se iterum prodidit ille, qui *homicida erat ab initio* (Jo. 7, 44), et qui prae invidia non solum nititur inferre humano generi damnum spirituale, sed et quantum potest perniciem physicam. Sicut enim in mundi initio invidia ejus intravit non solum peccatum, sed et mors temporalis in orbem terrarum Sap. 2, 24: ita successu temporis non solum ad idololatriam induxit homines, sed eos in horrendas mutuo crudelitates et caedes incitavit. Reparato per Christum genere humano, hujus nititur praepedire vel veneno inficere generationem tot suggestis erroribus adversus matrimonium: quo subverso vel impedito succedant vaga libido aliaque nefanda carnis vitia, quibus nil perniciosius propagationi humani generis, ut proles ab ipsa origine langueat et tabescat. Simili fraudi inimici humani generis, quae quidem ex sententia ei procedit, adscribi debet tanta adversariorum Ecclesiae catholicae nostra aetate conspiratio in impugnanda matrimonii sive dignitate sacramentali sive dependentia ab Ecclesiae jurisdictione.

589. *Disputationis ordo.* — Eodem ergo ordine, quo recensuimus errores adversus genuinam matrimonii notionem, catholicam exponemus doctrinam. Honestatem tamen ethicam matrimonii data opera non vindicabimus, cum eam modo nullus sanae mentis amplius neget. Eam patres probare solent ex eo, quod Deus ipse auctor sit naturae humanae generatione propagandae, ipse crearit Evam copularitque Adamo, ipse dixerit ad protoparentes matrimonio junctos: *Crescite et multiplicamini* Gen. 1, 28; quod Christus praesentia sua honestarit nuptias, leges de matrimonio tulerit, sicut et Paulus, qui connubium Hebr. 13, 4 *honorabile* vocat. Quamvis vero matrimonio propagetur peccatum originale, inde non sequitur, illud esse illicitum, ut patet **a.** ex rationibus allatis sensuque fidelium; **b.** ex eo quod hoc malum sequitur per accidens, neque matrimonio intenditur; licet autem ex fine bono ponere causam, quam per accidens et ex connexione mere externa consequitur malum nullo modo intentum; eoque magis **c.** si hoc malo Deus non offenditur (multiplicatis enim hominibus non augetur offensa Dei, quam semel incurrit Adamus peccando, sed multiplicantur subjecta, quibus Deus est offensus); neque **d.** damnum

infertur proli, cui semper melius est esse, etsi peccato originali obnoxia, quam non esse, praesertim e. in hypothesi reparationis per Christum. Honestate ergo matrimonii supposita eam potius matrimonio vindicabimus dignitatem, a qua reliqua fere omnia pendent.

590. **Thesis CCLX.** ***Matrimonium christianum verum proprium-que est novae legis sacramentum.***

Declaratio. Thesis est de fide enunciata sess. 24 can. 1 conc. trident.: „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab homine inventum, neque gratiam conferre, A. S.“ Statuitur adversus novatores sec. XVI. Neque enim verum est, plures e theologis scholae hanc veritatem negasse, ut invicte comprobat Perrone de matrimonio christiano l. 1 sect. 1 c. a. 2. Ipse Durandus, qui alioquin hac in re minus bene audit, in 4. dist. 26 a. 3 statuit: „Tenendum est absolute, quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia (Extra ‚de haereticis‘, ad abolendam), ubi memorat matrimonium inter alia sacramenta, et docere oppositum est haereticum.“ Ast paulo infra autumat, matrimonium posse sine haeresi dici sacramentum aequivoce, quod gratiam non conferat ex opere operato sed ex opere operantis: in quo neque secum (cf. in 4, dist. 2 q. 2), neque cum reliquis scholae theologis cohaeret, fatetur enim ceteros theologos communiter contrarium tenere.

591. **Demonstratio. 1.** Praecipuum argumentum pro dogmate catholico petitur ex praescriptione: semper enim viguit in Ecclesia fides de septem sacramentis (th. 214), inter quae numerabatur et matrimonium: quam in fidem conspirarunt etiam ecclesia graeca schismatica et sectae Orientis jam sec. V. ab Ecclesia divisae [1]).

2. Accedit practica sentiendi ratio veteris Ecclesiae secundum quam matrimonium non est contractus profanus, civilis, mere humanus, sed sacer coram Ecclesia, in Ecclesia cum multiplici ritu sacro peragendus.

„Unde sufficiamus, inquit Tertullianus ad uxorem II, 9, ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renunciant, Pater ratum habet?“ Et anonymus auctor l. ‚Praedestinatus‘ III, 31: „Emendate ergo Ecclesiae regulam: damnate, qui in toto orbe sunt sacerdotes nuptiarum initia consecrantes et in Dei mysteriis sociantes.“ Censuit ergo Ecclesia, matrimonium per Christum ad altiorem dignitatem evectum fuisse, quae conveniret ordini per ipsum renovato, ad dignitatem proinde a gratia non sejunctam. Quare etiam in ordinibus vetustis accensetur sacramentis vel diserte vocatur sacramentum. Cf. Perrone l. 1 sect. 1 c. 1 a. 1. Ut tamen hoc argumento probetur matrimonium non solum esse ex Ecclesiae mente contractum quomodocunque sacrum: sed etiam

[1]) Cf. Perpétuité V, l. 6 c. 1; Assemani Bibl. or. III. 1, 356; 2, 319 ss.

sacramentum, tria prae oculis haberi debent **a.** matrimonii celebrationem in libris ritualibus inter illos referri ritus, qui sunt sacramenta; **b.** subinde in illis dici sacramentum, ut in tribus ordinibus sat antiquis a Martenio prolatis; **c.** in orationibus ea occasione recitandis innui in oeconomia gratiae matrimonium ad altiorem per Christum esse evectum ordinem gratia veluti imbibitum. Ita armeni apud Galanum de conciliatione ecclesiae armenae cum romana t. 2 q. 3 § 5: „Benedic, Domine, et sanctifica horum servorum tuorum conjugium . . . Non enim prohibuisti nuptias, sed sanctificasti eas et sacerdotaliter benedixisti, atque veracissimo verbo tuo confirmasti dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (Matth. 19, 6).“

3. Accedit suffragium patrum, e quibus Innocentius I. ep. 36: „Statuimus fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum, conventumque secundae mulieris priore superstite nec divortio ejecta nullo pacto posse esse legitimum.“

„Neque nos negamus, ita episcopi cum Ambrosio in ep. synod. ad Siricium n. 3, sanctificatum esse a Christo conjugium divina voce dicente: *Erunt ambo in una carne et in uno spiritu* Matth. 19, 5.“ — Augustinus illius indissolubilitatem illustrat comparatione cum sacramentis baptismi et ordinis, quae characterem imprimunt indelebilem de nupt. et concup. l. 1 c. 10: „Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent . . . Ita manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis: sicut apostatae anima veluti de conjugio Christi recedens etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit.“ De bono conj. c. 24: „Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est et in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti [1]).“

592. **4.** Neque inefficax est argumentum ex verbis s. Pauli Eph. 5, 22 ss: *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino:* 23. *quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae, ipse Salvator corporis ejus.* 24. *Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* 25. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea,* 26. *ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae,* 27. *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non*

---

[1]) Cf. etiam cc. 7. 15. 18; de conjugiis adulterinis II, 5; de fide et op. c. 7; de genesi ad lit. IX, 7; Ivo carnot. ep. 155 (Mig. 162, 160); Hildebertus cenom. serm. 143 (Migne 171, 956) illud adnumerat baptismo et eucharistiae. Referri inter traditionis testimonia potest numisma graecum ad sec. V. vel VI. spectans, in quo sponsus et sponsa dextras jungunt, Christo exsistente in medio, qui utrumque amplexatus jungit, cum subscriptione Θεοῦ χάρις. Quod jam Gregorius naz. expresserat sub forma paululum diversa ep. 193: „Juveniles dextras inter se jungo atque utramque Dei manui.“ Ceterum de patrum doctrina, quae de hoc argumento minus perspicua videri potest, cf. sagacem diss. J. Müllendorf S. J. Ueber den patristischen Beweis für die Ehe als Sacrament in fasc. lit. Zeitschr. für kath. Theologie 1878 II, 633—50; Schanz § 55.

habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. 28. *Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam:* 30. *quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.* 31. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una.* 22. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* 33. *Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.*

Verba illa *in Christo et in Ecclesia* εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν possunt intelligi de causa matrimonii exemplari, sed haud improbabiliter etiam de causa ejusdem finali. Et revera post lapsum ideo matrimonium tanti est momenti, quod illo suppeditatur materia aedificandae, propagandae consummandaeque Ecclesiae, quae corpus est Christi mysticum: et inde pendet maxime modo ejus honestas et usus licitus, qui alioquin dubius videri posset, cum matrimonio gignantur filii irae, propagetur peccatum, dilatetur massa damnata: hinc in primis quatenus tendit et aspirat εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν honestum, sacrum, imo et sanctum redditur. Qua interpretatione non negatur, conjunctionem Christi cum Ecclesia esse causam matrimonii etiam exemplarem: hoc enim fluit ex toto contextu, cum tam instanter apostolus inculcet, talem esse debere inter conjuges relationem, qualis vigeat Christum inter et Ecclesiam.

Ita vero ex verbis Pauli argumentari licet: Symbolum sacrum adnexam habens gratiam est sacramentum. Matrimonium autem esse symbolum gratia plenum et auctum infer **a.** ex differentia inter V. et N. Testamentum: haec enim videtur exigere, ut quae in V. T. fuerant mera symbola, gratia vacua, quam tantum portenderant, in N. T. meritis Christi gratia repleantur (cf. n. 278); **b.** ex emphasi apostoli, qua matrimonium *magnum* vocat mysterium: quid enim magni in oeconomia gratiae et ordine salutis, quod gratia destituitur? **c.** ex prototypi praestantia, quod amore naturali pro dignitate nequit repraesentari; **d.** ex corollariis practicis, quae inde infert apostolus, mulieres scil. subjectas esse debere viris sicut Ecclesiam Christo, subjectione proin pia: et viros diligere debere uxores sicut Ecclesiam dilexit Christus, qui se tradidit pro ea, hinc dilectione actuosa, operosa, salutari. Quare sat clare docet Paulus Christum gratia perfecisse amorem naturalem conjugum, ideoque matrimonium elevasse ad perfectionem supernaturalem, ad dignitatem sacramentalem.

593. **5.** Accedunt rationes theologicae plane gravissimae.

Sane **a.** decebat Christum, qui venit reparare ruinam per Adamum illatam, quae matrimonium etiam invasit eoque propagatur, de hujus

reparatione et restauratione esse sollicitum. Quam ob rem non raro docent patres, Christum idcirco interfuisse nuptiis Joan. 2, 1 ss., ut eas honoraret praesentia sua, sane non sterili, sed benefica, quae illas sanctificaret, non secus ac cum baptizabatur, praesentia et contactu aquas sanctificavit, illisque indidit vim sanctificatricem. „Christus ipse, inquit Cyrillus alex. l. 2 in Jo. 2, 1, cum discipulis suis invitatus venit (ad nuptias) non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed iis quoque, qui nascituri essent, gratiam praestitueret et eorum ortum sanctum efficeret," in parentibus scil., quorum munus vi conjugii maxime proprium est, materiam suppeditare aedificandae consummandaeque Ecclesiae.

Similia habet in Joan. 2, 11: „Nuptiae quippe honorabiles sanctificatae sunt et exsecratio in mulieres repulsa. Non enim in doloribus ultra parient liberos, cum quoque nostrae generationis initium Christus benedixerit;" l. 5 in Joan. 7, 30 (Mig. 73, 730); ep. 17 synod. ad Nestorium a conc. ephesino approbata n. 11 (Mig. 77, 199); Maximus taurin. hom. 1 et 7 de epiphania Domini; Epiphanius haer. 51 n. 30: „Duabus de causis videtur mihi invitatus esse Christus. Primum ut aquae similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem nuptiarum castimonia et honestate constringeret: tum ut quod deerat emendaret, ac jucundissimi vini suavitate mulceret et gratia. Haer. 67 n. 6; Gregorius naz. or. 40 in bapt. c. 18; Joan. Damascenus F. O. IV, 24; liturgia gallicana in praef. in vigilia epiphaniae (Migne 72, 240) et in collect. missae de epiph. (ib. 471). Cf. Scheeben Mysterien § 85.

Alia ratio **b.** petitur ex scopo et munere matrimonii (n. 587). Ejus enim munus est tam altum et in praesenti ordine etiam supernaturale, ut merito inferatur, Deum eos, quos ad illud destinat, in Ecclesia, quae gratia redundat, gratia ditare. Ergo cum vi matrimonii conjuges ad hoc destinentur munus, vi matrimonii consequentur gratiam. Quare matrimonium est contractus efficax gratiae. Quod confirmatur ex sacramento ordinis, qui propterea ditatur gratia, teste Eugenio IV. in decr. pro armenis, „ut quis sit idoneus minister." Cum ergo conjugum munus maximi sit momenti corpori et animae filiorum, omni ordini, naturali et supernaturali, societati tam civili quam ecclesiasticae, tempori et aeternitati (parentes enim excolere debent imagines spirantes Dei, quas ipse creavit, membra Christi ad perfectionem adducere, templa Spiritus s. sancte custodire et omni virtutum genere exornare, et quos ss. Trinitas ad sui possessionem elegit, in hunc dirigere finem): matrimonium sane christianum vi contractus multiplici gratia ditabitur.

c. Notae et characteres matrimonii christiani sunt indissolubilitas et unitas. Atqui hae obligationes quam plurimis in casibus magna

exigunt sacrificia, virtutem subinde heroicam, jugum constituunt durum. Exigit ergo oeconomia novi testamenti, ut gratia matrimonio inserta hujus onus reddat leve et suave jugum.

En imaginem matrimonii christiani, quale illud descripsit jam Tertullianus ad uxorem II, 9: „Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius disciplinae, ejusdem servitutis! Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. Atqui vere duo in carne una; ubi caro una, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est; libere aeger visitatur, indigens sustentatur; eleemosynae sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento; non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet, his pacem suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est.“ Talis vero tantaque vitae societas absque gratia corruptae naturae humanae possibilis non est. Praeclare de hoc argumento disputat cl. Moy von der Ehe c. 5. Cf. Schneemann Irrthümer über die Ehe in collectione lacensi fasc. 3 § 2; Döllinger Christenthum und Kirche l. 3 n. 100; Palmieri th. 7. 8; Rive § 5; Oswald p. 8 § 2.

594. **Thesis CCLXI.** ***Matrimonium christianum ita est verum propriumque novae Legis sacramentum, ut nihil intersit inter contractum matrimonii christiani et matrimonii sacramentum, nullumque inter christianos verum celebretur matrimonium, quod non sit pariter Ecclesiae sacramentum.***

Declaratio. Realem unitatem contractus et sacramenti matrimonii apud christianos, quae veritas fundamentalis est in hac materia, vindicamus adversus plures juris peritos et canonistas seculi praeteriti et praesentis, qui reale discrimen, imo et separabilitatem utriusque ab invicem tuentur, quo facilius subtrahant matrimonium potestati ecclesiasticae atque subjiciant potestati civili. Quorum agmen ducunt Marc. Ant. de Dominis [1]), Launoyus [2]), quos dein sequuntur Ant. Petzek [3]), Lasaulx, A. Theiner, Greg. Thomas Ziegler, Nuytz etc. Thesis continet doctrinam catholicam adeo jam certam, ut opposita sit plus quam temeraria.

594[a]. **Demonstratio. 1.** Probatur auctoritate Eugenii IV., qui in decreto pro armenis docet: „Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.“ Atqui summus pontifex manifeste loquitur de matrimonio, quatenus est sacramentum.

---

[1]) De rep. chr. l. 3 et 5 c. 2. [2]) De reg. in matr. potest.

[3]) De pot. Eccl. in statuendis imped. dirim. Friburgi 1783 et in vindiciis hujus diss. a. 1787. Ceterum adversarios diligentissime et erudite recenset Roskovány de matrimonio in Ecclesia catholica t. 1 a. 4—15; Perrone l. c. c. 6, qui c. 1 a. 1 refellit illorum sententiam, qui contendunt, Guilielmum parisiensem fuisse primum, qui separabilitatem inter matrimonii christiani contractum et matrimonii sacramentum invexerit.

Nam de matrimonio loquitur, quatenus numeratur inter septem Ecclesiae sacramenta: quocirca de singulis disserens sacramentis ea assignat, quae ipsis ut sacramentis sunt propria et quibus conficiatur; matrimonii autem nullam aliam proponit materiam formamque, quibus conficiatur in ratione sacramenti. Loquitur ergo hic manifesto de matrimonio quatenus est sacramentum. Consensu autem mutuo conficitur contractus. Ergo ipse contractus est sacramentum.

2. Idem colligitur ex modo loquendi concilii trident. sess. 24, qui etiam ab omnibus adhibetur theologis. Statuit enim canone 1 matrimonium esse sacramentum, et in decreto docet, illud in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestare. Atqui matrimonii nomine non intelligitur aliqua caeremonia, sed ipse contractus matrimonialis. Ergo hic ipse est sacramentum. Quod Pius VI. in ep. ad episcopum motulensem 6 Sept. 1788 diserte affirmat scribens: „Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis.“ Accedit quod idem concilium ib. de reform. c. 1 docet, matrimonia clandestina rata et vera esse matrimonia, ideoque sacramenti habuisse rationem, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecerit. Idem enim est secundum ss. canonum usum loquendi matrimonium ratum et matrimonium sacramentum, ut patet ex Innocentio III. de divortio c. 7. Atqui in matrimonio clandestino nihil habes praeter contractum matrimonialem. Ergo hic ipse est sacramentum.

3. Denique Pius IX. alloc. 27 Sept. 1852 diserte declarat: „Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum conjunctionem, cujuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari nunquam posse.“

Idem peremptorie declarat in literis ad Victorem Emmanuelem Sardiniae regem 19 Sept. 1852 datis, et in damnatione operum Joan. Nep. Nuytz. Ideo in syllabo damnatae sunt prop. 66: „Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est;“ 73: „Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium, falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.“ Eandem doctrinam denuo inculcat Leo XIII. lit. encycl. 10 Febr. 1880: „Nam Christus D. dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo factus sit jure. Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est

sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur quodque aliud nihil est nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum, nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum aut proprietatem illapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat.«

595. **Scholion.** *Matrimonium qualis sit contractus.* — Quamvis matrimonium ad genus contractuum revocetur, contractus tamen est a reliquis summopere discrepans ac plane singularis. Sane contractus

1. circa res et commoda ex rebus provenientia versantur; connubii materia sunt ipsae personae contrahentes earumque affectus.

2. In reliquis contractibus cum materia principalis tum extensio effectuum et obligationis duratio subsunt contrahentium libertati, transactioni vel legibus civilibus aut ecclesiasticis: nihil vero horum in matrimonio, quatenus spectat contractus substantiam, subest vel contrahentium arbitrio vel societatis sive civilis sive ecclesiasticae statutis.

3. Matrimonii proprium est **a.** ut contrahentes in novo societatis statu collocentur; ut **b.** ad novum vitae genus obligentur; ut **c.** ex connubio novae affinitates cognationesque exsistant; ut **d.** vincula alioquin sacerrima, si non solvantur, multum saltem relaxentur; nam propter matrimonium *relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* Gen. 2, 4.

4. Praeterea hic contractus est **a.** naturalis, quia fundatur in hominum natura et ordinatur ad bonum naturae, id est ad complendam naturam in ratione principii et ad eam propagandam; **b.** speciali modo Deo est reservatus; nam quod Deus conjunxit, homo non separet Matth. 19, 6; habet **c.** rationem symboli sacri: referre enim debet conjunctionem Christi cum Ecclesia (n. 592). Itaque est sacer, imo **d.** sacramentalis (th. 261); insuper est **e.** contractus spiritualis, quatenus omnino supponit animorum unionem et intendit etiam spirituale prolis bonum; **f.** ecclesiasticus, quatenus in nonnullis potestati Ecclesiae est obnoxius, ut infra videbimus; et etiam **g.** civilis, quatenus ordinatur ad bonum societatis. Quare liquet, praecipites esse, qui ex eo, quod matrimonium est contractus, illico inferunt, illud ex toto obnoxium esse potestati civili; est enim quadamtenus tantum contractus civilis, ideoque secundum quid tantum illi obnoxius [1]).

[1]) Cf. Rive die Ehe c. 4; Moy, das Eherecht der Christen in der morgenländischen und abendländischen Kirche bis zur Zeit Karls des Gr. Ratisbonae 1833, qui diligenter inquirit, num matrimonium revera dici possit contractus, quod nonnulli haud spernendi scriptores negarunt, cum tam singularis naturae et indolis sit matrimonium. Cf. Stentrup Zeitschr. für k. Theol. 1878 p. 179 ss.

596. **Thesis CCLXII.** ***Sacramenti matrimonii ministri sunt ipsi contrahentes, non vero sive parochus assistens sive sacerdos nuptiis benedicens.***

Demonstratio. Thesim, quae ex veritate fundamentali asserta sponte consequitur, primum videtur negasse Melchior Canus [1]), quem innumeri secuti sunt theologi, ita ut Benedictus XIV. ejus opinionem vocet valde probabilem, alii suo numero nimium confidentes nostram dixerint antiquatam, periculosam, plane absurdam etc. Verum rem aliter se habere, hisce evincimus argumentis:

1. Demonstravimus ipsum matrimonii christiani contractum et omne matrimonium inter christianos initum esse sacramentum. Atqui neque ipse contractus matrimonialis, neque omne matrimonium christianum esset sacramentum, si non ipsi, qui contractum conficiunt, conficerent et sacramentum. Ergo contrahentes sunt hujus sacramenti ministri.

2. Ex praxi quotidiana Ecclesiae liquet haereticorum matrimonia, cum conjuges ad Ecclesiam revertuntur, non amplius benedici. Atqui vel haec matrimonia sacramenti rationem habent et tunc ipsi contrahentes sunt sacramenti ministri: vel non habent sacramenti rationem, et tunc falsa esset thesis praecedens. Idem dicas de matrimoniis clandestinis, quae nulla accedente benedictione sacerdotali fuerunt quondam et, ubi decretum conc. tridentini de eis non est promulgatum, nunc sunt vera matrimonia (sicut et illa, quae praesente parocho, sed eo repugnante contrahuntur), ideoque sacramenti dignitate ornantur. Atqui in his matrimoniis manifesto parochus non est minister. Ergo contrahentes ministri sunt hujus sacramenti.

3. Huc spectat Hadriani II. ab episcopo consulti, valeatne matrimonium absente sacerdote contractum, responsum ep. 40 (Mig, 122, 1318): „Ut omnis quaestio super eodem matrimonio de cetero sopiatur, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus hujusmodi connubium dissolvi nullatenus patiaris, sed firmum facias atque inviolabile permanere. Si enim alias personae convenientes et legitimae fuerint, et contractus ipse legibus concordans, ita quod non videatur ei de sacris canonibus obviare, pro eo, quod sacerdos absens fuerit, tale matrimonium non debet ullatenus impediri"; et simile ecclesiae Galliae 22 Apr. 1795 datum [2]), quo declara-

[1]) De loc. theol. VIII, 5. Cf. Benedictus XIV. de synodo dioeces. VIII, 13; Roskovány t. 1 § 27; Perrone tom. I. c. 2; s. Alphons. Liguori in diss. de ministro et forma sacramenti matrim. adnexa theol. mor. tract. 6 de matrimonio c. 2. Recentiori aetate Cani sententiam adhuc tuebantur Albertus a Bulsano, Cassaccia, Jesualdo de Luca a Bronte O. Cap. in disquis. theol.: Cur Verbum caro factum, Catanae 1869; Consecrator christiani matrimonii in verum et proprium sacramentum N. L. tr. theol., ib. 1871.

[2]) Apud Moser in coll. declarat. ac decretorum n. IX. Simile decretum congr. s. Officii 5 Febr. 1780 profert Perrone t. 2 sect. 1 c. 7 p. 305 a. 21.

tur fideles, qui ob persecutiones parochum pro contrahendo matrimonio adire non poterant, ideoque eo absente illud inierant, „hortandos esse, cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit, hujusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere.“

4. Praeterea sacerdos conjungens sponsos in matrimonium potest secundum Ecclesiae permissionem uti qualibet forma, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum [1]). „Atqui, subjicit Benedictus XIV. l. c., tantam varietatem Ecclesia non tolerasset, multoque minus cujuslibet provinciae arbitrio permisisset, si existimasset per verba a sacerdote prolata confici sacramentum matrimonii.“ Ad haec

5. sententiae Cani refragatur universa schola antiquior. Hinc ipse vix unum alterumve pro sua sententia allegare potuit theologum: neque illi, ad quos provocat, ut Guilielmus paris. Paludanus et Thomas, ei suffragantur, quemadmodum ostendit Perrone c. 2 a. 1.

597. Frustra provocant patroni alterius sententiae **1.** ad Paulum, qui 1. Cor. 4, 1 Ecclesiae ministros vocat *dispensatores mysteriorum Dei.* Nam **a.** graves exegetae nomine *mysteriorum* hic intelligunt in primis veritates revelatas superrationales. Deinde **b.** verba sunt affirmantia, non excludentia, ac praeterea **c.** sermo est de mysteriorum dispensatione: inde autem non sequitur ministros Ecclesiae hoc sacramentum conficere, sed tantum matrimonium non esse celebrandum independenter ab Ecclesia.

2. Idem dicatur de argumento, quod petunt adversarii ex effatis patrum, qui benedictionem sacerdotalem pro rite ineundo matrimonio urgent. Haec enim exceptio eo minus valet, quod Ecclesia saepius declaravit, benedictionem sacerdotalem non esse de necessitate matrimonii, ideoque eam multis in casibus non urget, imo et denegat. Ex orationibus vero Ecclesiae super sponsos colligitur quidem, quae fuerit fides Ecclesiae de matrimonio christiano, non vero probatur, gratiam sacramentalem a benedictione et oratione sacerdotali tamquam ex opere operato pendere.

3. Neque favet ipsis s. Thomas. Incredibile enim est **a.** si certo hoc docuisset, nullum ex tot s. doctoris discipulis usque ad Canum id vidisse; imo **b.** s. doctor in 4 dist. 26 a. 1 ad 1 diserte statuit: „Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale.“ Locis vero objectis **c.** nihil aliud significat, quam matrimonium, cum sit sacramentum, spectare ad Ecclesiam, quae propterea illi addiderit benedictionem, ut condigne celebretur, quod nostrae sententiae nullatenus adversatur. Neque obstant **d.** quae in 4 dist. 1 q. 1 a. 3 ad 5 scribit, matrimonium, secundum quod est sacramentum „in dispensatione ministrorum Ecclesiae consistere;“ c. gentes IV, 78: „Matrimonium, secundum quod consistit in conjunctione maris et feminae in-

---

[1]) Cf. concilium tridentinum sess. 24 cap. 1 de reform. matrimonii. Ceterum pro argumento, quod ex concilio tridentino derivamus, opportuna sunt, quae refert Pallavicino hist. conc. trid. l. 22 c. 5; l. 23 c. 8 et alibi.

tendentium prolem ad cultum Dei generare et educare, est Ecclesiae sacramentum, unde et quaedam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiae adhibetur,« et similia suppl. q. 8 a. 1; q. 22 a. 2; q. 31 a. 1; q. 39 a. 2; 3 p. u. 83 a. 3 ad 8 etc., quae forte favere possent Cani sententiae, si non tam clara s. doctoris testimonia pro sententia nostra obessent. Ita praeter illa, quae jam citavimus, clarissima sunt haec ejusdem verba in 4 dist. 28 q. 1 a. 3: »Consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas ad contrahendum matrimonium facit, quia haec duo sunt de essentia sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti. quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat.« Et expressius ib. ad 2: »Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia sacramenti.«

4. Nec obstat analogia cum aliis sacramentis. Sicut enim matrimonii sacramentum cum aliis habet quaedam communia, unde ad sacramentorum genus revocatur: ita et quaedam propria, unde sacramentum est ab aliis distinctum. Cf. Ott. de Graefenstein in fol. trim. linciensi 1880 p. 689 ss. qui thesim duodecim argumentis probat.

598. **Corollaria.** Ex hac duplici veritate sequitur praeterea

1. matrimonium inter fideles initum cum positiva voluntate non suscipiendi sacramentum vel non esse sacramentum, hinc nec matrimonium validum, sed concubinatum; vel si valet in ratione contractus, nihilominus esse sacramentum: quod alterum est probabilius, cum censeatur praevalere intentio contrahendi, ponendi ergo omnia necessaria ad valorem contractus, ideoque suscipiendi sacramentum in praesenti ordine inseparabile ab illo. Quare Jo. de Carthagena disp. sel. in 4. sent. disp. 6 diss. 2 c. 1 statuit: »Si duo baptizati conveniunt ad faciendum contractum matrimonii coram parocho et testibus, non tamen habeant intentionem faciendi sacramentum, nihilominus manet validum matrimonium non solum in ratione consensus, sed etiam in ratione sacramenti, quia non est in potestate contrahentium auferre rationem sacramenti a praedicto contractu.«

2. Sequitur matrimonium per procuratorem initum esse sacramentum; et

3. matrimonia inter haereticos et schismaticos inita, si nullum obstat impedimentum dirimens, valere et ut contractum et ut sacramentum: quod dici nequit de infidelium matrimonio; etsi enim valet ut contractus, ob baptismi defectum non est sacramentum: ad quod tamen suscepto baptismo elevatur.

4. Matrimonium inter fidelem et infidelem, sublato impedimento disparitatis cultus, est quidem validum, non tamen sacramentum. Nobiscum sentiunt Vasquez, Sanchez, Pontius etc. Ratio videtur, quod ipse contractus est sacramentum: hinc sicut contractus nequit ex una parte esse validus, invalidus ex alia, sed vel validus vel invalidus est ex utraque: ita vel sacramentum est pro utraque vel pro neutra parte. Adversantur tamen Perrone t. 2 sect. 1 c. 7 a. 1 cum Tournely, Collet, Rive s. 8 p. 240 annot., Palmieri append. post th. 11, qui probabile censent ejusmodi matrimonium ex parte fideli esse sacramentum.

599. 5. *De materia et forma.* — Sequitur cum ipse contractus matrimonialis sit sacramentum, hujus materiam et formam esse eandem, quae est ipsius contractus. Hinc non major est difficultas definiendi hujus sacramenti materiam et formam, quam in definienda materia et

forma hujus contractus. Omissis variis theologorum sententiis, quas refert Benedictus XIV. de syn. dioec. VIII, 13. communior ea est, quam tuetur Suarez, Bellarminus de matrim. I, 6 etc., corpora contrahentium seu dominium in eadem materiam esse remotam et circa quam: verba vero contrahentium rationem habere materiae proximae simul et formae; illius, quatenus significant corporum traditionem: hujus, quatenus enunciant acceptationem.

600. **Scholion.** Ut autem appareat, *quomodo matrimonium sit sacramentum* et quo pacto habeatur signum illudque efficax ejus, quod significat, atque fecundum gratiae: nota in matrimonio esse signum, i. e. verba significantia contractum, quae efficiunt quod significant, scil. conjunctionem unius cum una, eamque indissolubilem, quae non amplius est in potestate contrahentium, quaeque est adumbratio conjunctionis Christi cum Ecclesia. Cum autem haec condigne sine gratia haberi nequeat, ideo vi verborum confertur gratia, quae perficiat et sanctificet hanc conjunctionem. Haec autem gratia praeter gratiam sanctificantem est gratia adjutorii ad se mutuo perficiendum in ordine etiam supernaturali et spirituali et in utilitatem prolis ad eam christiane instituendam, et est gratia medicinalis seu remedii contra triplex concupiscentiae malum: „Concupiscentia enim, inquit s. Bonaventura in 4 d. 26 q. 2, inclinat ad multas: quia luxuriosus non est una contentus, et in matrimonio datur gratia homini, ut soli uxori velit conjungi, et ita pronitas ad multas excluditur per copulam singularem. Concupiscentia etiam inclinat ad delectationem, non ad utilitatem: quia luxuriosus non quaerit nisi satisfactionem appetitus seu appetitus sensitivi. Datur ergo gratia in matrimonio, ut non cognoscat uxorem nisi propter prolem, et ita excluditur delectatio appetitiva per copulam utilem. Item concupiscentia fastidium generat post impletionem: unde luxuriosus, postquam cognovit unam, illam respuit et vadit ad aliam. In matrimonio vero datur gratia, ut semper velit esse cum una: et ita excluditur variarum concupiscentia per copulam inseparabilem.“

601. Jam praecipuas matrimonii proprietates consideremus, quae sunt unitas et indissolubilitas.

Thesis CCLXIII. ***Proprietas matrimonii christiani est unitas, quae polygamiam simultaneam excludit.***

Demonstratio. Unitatis proprietatem vindicabimus matrimonio contra plures haereticos antiquos, imo et contra novatores sec. XVI. Ut quo par est ordine procedamus, haec statuimus:

1. *In lege evangelica polygamia simultanea* [1]) *omnino est prohibita;* ut definit conc. tridentinum sess. 24 can. 2: „Si quis dixerit, licere chri-

[1]) Nil dicemus de polyandria, qua una mulier pluribus viris est communis: hanc enim aperte adversari juri naturae, nedum legi evangelicae, patet **a.** quia ea potius impedit humani generis propagationem, quae primarius finis est matrimonii; ea **b.** incertum reddit patrem, unde perit pietas filialis; cum ea **c.** consistere nequit familiae unitas, harmonia, pax; subvertitur ergo familiae bonum, a quo in primis pendet bonum ipsius societatis; quocirca **d.** ea nunquam stabili lege vel consuetudine obtinuit ne apud perditissimas quidem gentes.

stianis, plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.“; et Mich. Palaelogus in conf. fidei in conc. lugdunensi a. 1274 oblata profitetur: „De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros.“

1. Monogamia quidem in N. T. expresse et data opera non inculcatur, quod tunc temporis usu et consuetudine fuerit non solum apud judaeos, sed et apud romanos inducta, colligitur tamen ex Marc. 10, 11: *Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam;* coll. Luc. 16, 18; Matth. 19, 9. Si ergo adulterium committit, qui dimissa uxore aliam ducit: non minus erit adulterium si aliam ducat, retenta priori uxore. Quare Ambrosius de Abraham l, 1 c. 7: „Non licet tibi, inquit, uxore vivente uxorem ducere. Nam et aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii.“ Ergo sicut adulterium est prohibitum, ita in lege evangelica prohibita est polygamia. Quaere Christus approbans Adami verba statuit (Matth. 19, 5): *Et erunt* **duo** *in carne una.* Colligitur

2. ex verbis Pauli 1. Cor. 7, 2 s.: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier:* quibus apostolus idem jus uxori in virum ac viro in uxorem concedit, jus vere fundamentale ad matrimonium reformandum, quod cum polygamia consistere nequit.

3. Matrimonium symbolum est juxta Eph. 5, 22 (n. 592) conjunctionis Christi cum Ecclesia: Christus autem cum una jungitur Ecclesia.

4. Id evidens est ex sentiendi ratione universi nominis christiani. Inauditum enim est in tota antiquitate, aliquem impune duas simul duxisse uxores. Necesse non erit patrum afferre testimonia.

602. Exceptio aliqua petitur ex responso Gregorii II. dato s. Bonifatio hujus tenoris: „Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit et non detestabilis culpa excludit.“ Verum alii dubitant de responsi genuinitate, quod illud sub Zacharia Gregorii successore sedulo in archivis romanis fuerit conquisitum, nec tamen inventum: incredibile autem videtur documentum tanti momenti excidisse. Alii censent, agi de impedimento impotentiae post contractum matrimonium comperto, hinc de matrimonio tantum rato. Utramque difficultatis hujus solutionem proponit jam sec. XI. Bernaldus in tract. de prudenti dispensatione ecclesiast. sanctionum (Mig. 148, 1267). Alii haec explicant de conjugio inito in infidelitate, quod cum sacramentum non sit, eam non habet firmitatem, quam sibi vindicat conjugium christianorum, quod sacramentum est, hinc declarasse pu-

tant pontificem, illud, superveniente impotentia, in favorem illius infidelis conversi posse dissolvi. Crescit autem solutionis difficultas, quod non amplius exstat s. Bonifatii epistola, qua pontificem de hoc consulit casu. Cf. Roskovány II, 160; Collet, cont. prael. Tournelii t. 8 c. 5 a. 2 sect. 3 n. 131; Berardi in ep. Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti p. 2 n. 66; Binterim monumenta primi, medii et novissimi aevi t. 6 p. 1 pag. 431.

602. **II.** Non solum in lege evangelica, verum etiam *ipsa originali matrimonii institutione exclusa fuit polygamia.* Hoc innuitur ipsa creatione: creatum siquidem est unicum conjugum par, etsi tunc summa fuit multiplicandi generis humani necessitas; colligitur deinde ex verbis Adami Gen. 2, 24: *Adhaerebit* (homo seu vir) *uxori suae,* non uxoribus, *et erunt duo*, non plures, *in carne una,* quae verba Christus approbat Matth. 19, 3 ss. atque subsumens: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet,* infert, dimissa uxore aliam ducere esse adulterium. Quare Nicolaus I. ad bulgarorum consulta respondens n. 51 statuit: „Duas tempore uno habere uxores nec origo humanae conditionis admittit, nec lex christiana ulla permittit."

603. **III.** Imo *polygamia juri naturali minus consentanea est,* cum **1.** in ea non servetur aequalitas inter conjuges tantopere a Paulo inculcata (n. 601[2]); hinc apud populos, in quibus viget polygamia, uxores sunt servae nimisque obnoxiae arbitrio viri: quod conciliari nequit cum dignitate matris familias, quam exigit bonum familiae.

2. Bonum conjugii et familiae exigit, ut conjuges non solum corpore, sed et animis jungantur, seque totos sibi invicem tradant: quod minime servatur in polygamia, ex qua sponte sua sequuntur cordis divisio, aemulatio, invidia, zelotypia, hinc rixae, injustitia, odium etc.

604. Num autem polygamia absolute adversetur juri naturae, non eadem est theologorum sententia. Haud pauci negant, ut Durandus, Tostatus fuse in Matth. c. 19, Maldonatus de matrimonio q. 1 ad arg. 4, Palacios, Mersennius etc.; alii affirmant. Ita Benedictus XIV. de syn. dioeces. XIII, 21, qui n. 9 scribit: „Docent quidem Durandus et Abulensis, juri naturae polygamiam non repugnare. Quamvis autem singularis haec eorum opinio dici non possit a concilio tridentino fuisse proscripta . . , censuram tamen non fugit doctrinae improbabilis et alienae a communi sententia aliorum theologorum docentium polygamiam divino aeque ac naturali juri esse contrariam." Communior theologorum sententia tuetur, polygamiam sin minus primario naturae juri, secundario saltem seu derivato esse contrariam, nempe conclusionibus ex primariis praeceptis deductis, ut loquitur Thomas, qui suppl. q. 65 a. 1 inter alia statuit: „Pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonii primarium finem, cum unus sufficiat pluribus uxoribus fe-

cundandis et educandis filiis ex his natis. Sed secundarium finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem . . . Et ideo patet ex dictis quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae et quodammodo non." Neque verba Innocentii III. dicentis de divortiis c. 8: „Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum", probant, polygamiam jure naturae esse absolute illicitam. Ea enim non attingunt quaestionem, num polygamia fuerit prorsus illicita ex jure naturae, sed affirmant facto eam fuisse illicitam, quod oriri potuit ex institutione divina et jure originali (n. 602), hinc ex lege positiva.

605. **IV.** Si jam quaeras, num in V. T. fuerit polygamia permissa, tenendum sane est contra Calvinum, *eam in oeconomia patriarchali et mosaica fuisse permissam* saltem ex dispensatione divina (si qua necessaria fuit): neque enim Deus tam familiariter conversatus fuisset cum patriarchis, si in habituali vixissent adulterio statuque peccati. Quam dispensationem redundasse quoque ad gentes ante Christi adventum haud pauci tuentur. Hinc prophetae inter crimina, quae gentibus exprobrant, nunquam referunt polygamiam. Hanc sententiam ita enunciat Palmieri thesi 15 n. 5: „Censere ergo licet, Deum permisisse, ut privilegium per se fidelibus concessum ab infidelibus quoque usurparetur. Ex eo autem id erat consequens, ut ipsi illo privarentur vix ac esset illud pro populo Dei sublatum (in N. T.), ita ut ignorantia eos quidem excusaret adhuc, non autem valide plures uxores habere amplius possent." Non desunt tamen qui opinentur divina dispensatione non fuisse opus, ut quis plures simul ducere potuerit uxores, quod polygamia non sit quovis in casu intrinsecus mala, alioquin Deus eam non permisisset patriarchis et generatim judaeis. Pro qua sua opinione provocant et ad patres. Ita ex. gr. scribit Augustinus de Jacob patriarcha c. Faustum XXII, 47: „Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur: si morem, illo tempore atque in illa terra hoc factitabatur; si praeceptum, nulla lege prohibebatur." Quibus similia habent Theodoretus q. 67 n. 85 in Genesim; Hieronymus ep. 69 ad Oceanum n. 5; Eucherius lugd. instruct.; l. 1 a. 1 in Gen. 30, 19 s.

Perrone, qui fuse hac de re disputat a. 3, ut ad harmoniam revocet patrum effata sibi in specie contraria, suam sententiam ita enunciat: „Itaque sine contradictione affirmari poterit vel negari, polygamiam esse contra legem, prout legis nomen vel presse vel laxius usurpatur, ac simili modo dicetur vel justa vel injusta, prout consentiente aut invita priori uxore frequentata sup-

ponatur: itemque honesta, vel inhonesta, prout ejus finis est generis humani multiplicatio aut licentia. Scilicet ut polygamia a crimine violatae legis divinae immunis credatur, tres conditiones omnino requiruntur: ut nulla explicita lege vetetur, ut uxor expresse vel tacite consentiat, ut finis sit honestus; quod si una ex his conditionibus desit, si ad libidinem potius quam ad multiplicationem humani generis adhibeatur, si primae uxori afferatur injuria, si ratio habeatur legis sin minus explicitae, saltem implicitae, tum enim vero eadem polygamia inhonesta dicitur, contra fas et jus, et contra spiritum legis atque aliquo vero sensu illegitima.«

607. **V.** Denique quamvis polygamia simultanea lege evangelica sit prohibita, *polygamia successiva* i. e. aliud matrimonium defuncto uno conjuge *omnino permissum censeri debet.* Doctrinam catholicam bene proposuit et confirmavit s. Augustinus de bono viduit. c. 12: „De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare... Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse. Ait enim, *mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit:* non dixit, primus aut secundus aut tertius aut quartus: sed *mulier,* inquit, *alligata est, quamdiu vir ejus vivit; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit* (1. Cor. 7, 39 s.). Quid huic sententiae, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit ignoro ... Quapropter nec contra humanae verecundiae sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis nubat femina, nec ex meo corde praeter Scripturae s. auctoritatem quotaslibet nuptias audeo condemnare.“

608. Fatendum quidem est, patres, praesertim graecos, circa nuptias iteratas rigidius judicasse, quod plerumque signum sint animi minus continentis; imo in Oriente jure ecclesiastico videtur fuisse conjugium ultra tertium invalidum: ideoque in ejusmodi matrimonia acribus invehuntur verbis, reprehendendo potius animum quam rem. Hinc Michael Palaeologus imperator in professione fidei cit. profitetur inter alia: „De matrimonio vero tenet (Ecclesia romana), quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit;« et Eugenius IV. in decreto pro jacobitis: „Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab ejus lege soluta et nubendi cui vult in Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo vel secundo vel tertio: declaramus, non solum secundas sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugio abstinentes in castitate permanserint.« Cf. Renaudot Perpétuité l. 6 c. 5.

609. **Thesis CCLXIV.** ***Altera matrimonii christiani consummati proprietas est ejusdem indissolubilitas.***

Demonstratio. De indissolubilitate matrimonii haec teneantur: **I.** *Matrimonium consummatum in lege evangelica plane est indissolubile.* Seponimus interim casum adulterii et alium, cum unus conjugum convertitur ad fidem, altero nolente pacifice cum ipso cohabitare.

1. Docet hoc Christus diserte statuens: *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur* Luc. 16, 18 col. Marc. 10, 11; unde sequitur toties committi adulterium, quoties dimissa uxore alia ducitur. Nulla ergo uxoris dimissione vel separatione ab eadem matrimonium solvitur.

2. Idem inculcat s. Paulus, secundum quem matrimonium sola morte solvitur: *Quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro* Rom. 7, 2 s.; 1. Cor. 7, 10; ipsumque referre debet imaginem conjunctionis Christi cum Ecclesia (n. 592), quae est indissolubilis. Quare Eugenius IV. in instr. pro armenis matrimonii bona recensens statuit: „Tertium est indivisibilitas matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia."

3. Accedit luculenta traditio theoretica et practica. Patrum nomine audiatur Augustinus de nupt. et concup. l. 1 c. 10: »Hujus procul dubio sacramenti (nuptiarum) res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi (Matth. 5, 32). Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in aeternum nullo divortio separetur. Cujus sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (Ps. 47, 2) h. e. in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis ... ut cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminae vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege hujus seculi . . . sed lege Evangelii reus est adulterii: sicut etiam illa, si alteri nupserit. Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alteruto separati sunt, quam cum his, quibus aliis adhaeserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges manerent.« Cf. l. 1 ad Pollentium c. 25. Hinc romani pontifices durissima potius tolerare parati erant, quam consentire in dissolutionem matrimonii principum valide contracti.

610. **II.** *Matrimonium censeri debet indissolubile etiam ex primitiva et originali institutione.* Sane hoc infert Christus ex verbis ipsius Adami: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit* (Gen. 2, 24): *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* Matth. 19, 4 s. Insuper originalem matrimonii indissolubilitatem Christus eo

ipso significat, quod judaeorum facultatem dimittendi uxorem solum repetit ex permissione ipsis propter eorum duritiem facta ib. v. 8. Ergo sine hac permissione ea fuisset illicita. Quare eam abrogans hanc reddit rationem, *ab initio non fuit sic.* Quod etiam non improbabiliter colligitur ex citatis Adami verbis: *Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una:* quae status diuturnitatem significant indefinitam, tamdiu durantem, quamdiu conjuges manent in carne propria. „Sicut ergo carnem secare, inquit Chrysostomus hom. 62 in Matth. n. 2, scelestum est, ita et uxorem (a se) dirimere iniquum“: utriusque enim conjunctionis Deus est auctor. Ideoque conc. tridentinum sess. 24 in decr. de matrimonio: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis* etc.“; et Pius VI. ep. ad episc. Agriae 11 Jul. 1789: „Quo manifeste patet, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio a matrimonio sejungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino jure matrimonio ita adhaeret, ut nulli subsit civili potestati.“

611. **III.** Imo *matrimonium jure naturae censeri debet indissolubile.*

1. Haec assertio insinuatur hoc facto: Quo purior populus et quo minor morum corruptio, eo rarius est divortium; quo vero major morum corruptio, eo frequentius illud est. Divortium ergo non videtur esse secundum legem naturae, sed transgressionis fructus [1]).

2. Tolle indissolubilitatem et jam discrimen internum assignari nequit inter foedum concubinatum honestumque matrimonium, quod tamen dictante natura sancte servatur a populis omnibus. Praeterea

3. conjugium omnis societatis et amicitiae exemplar est et forma. Hinc quo perfectior aliqua societas et unio, eo saepius sub schemate exhibetur societatis seu unionis conjugalis. Ita episcopus dicitur ecclesiae sibi commissae sponsus, anima Deo consecrata sponsa Christi et Christus sponsus Ecclesiae. Stabilitate ergo vinculi matrimonium omnem societatem et conjunctionem superare debet. Quam ob rem et contra-

---

[1]) Teste Dionysio halic. Antiq, rom. II, 25 apud romanos a. 520 effluxere usque ad primum divortium. Cf. Taparelli, saggio di diritto naturale 2, 351 (versionis germanicae, Ratisbonae 1845); Scheeben l. 3 § 150. Legatur Tertullianus Apolog. c. 6 n. 29 opusc. XIX, 41; Thomas c. gentes III, 123.

hentes se mutuo sibi donare in perpetuum, i. e. quamdiu vivunt, intendunt, et amor eorum, quo se mutuo complectuntur, accedere debet ad amorem, quo se quisque amat, ut s. Paulus ex ipsa matrimonii natura colligit scribens: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit* (Eph. 5, 28). Hic autem amor est perpetuus.

4. Idem exigit filiorum et familiae bonum, pietas filialis, bonum conjugum, qui in senectute indigent ope filiorum, et pax socialis. Bonum enim societatis innititur pace familiarum tum in se, tum inter se. Haec conciliatur conjugio: si enim duo ineunt matrimonium, amicitia inter se junguntur quam plurimi, omnes scil. consanguinei et amici conjugum [1]). Fac divortio solvi matrimonium, quot sequuntur mala. Haec praeclare enumerat Leo XIII. in lit. encycl. 10 Febr. 1880: „At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia, extenuatur mutua benevolentia, infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur, tuitioni atque institutioni liberorum nocetur, dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio, discordiarum inter familias semina sparguntur, minuitur et deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur . . . Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos aut ante provisos limites coercere." Cum igitur divortium, imo vel sola spes aut timor divortii tot malorum tam ferax sit occasio et causa, merito illud legi naturali generatim adversari, ideoque matrimonium jure naturae insolubile dici potest et debet. Quare nulla auctoritate humana poterit dissolvi, nec licebit conjugibus inire matrimonium, quod postmodum pro lubitu solvant. Si enim volunt matrimonium inire, contrahere illud debent secundum naturae legem: quae cum exigat in bonum et prolis et societatis matrimonii indissolubilitatem, nonnisi matrimonium indissolubile inire poterunt. Quare damnata est in syllabo prop. 67: „Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest."

612. Fatendum tamen est, non deesse theologos, ut Sanchez, Bellarminum de matrim. c. 4 n. 2, Schwartz etc. qui negarint, matrimonii indissolubilitatem ex solo jure naturae provenire vel probari posse pro omni casu, adeo ut non quidem pro lubitu contrahentium vel principum nutu, sed gra-

---

[1]) Haec est praeter alias causas (cf. Moufang Verbot der Ehen zwischen nahen Verwandten) ratio velut socialis impedimentorum consanguineitatis et affinitatis: ne scil. matrimonia celebrarentur inter familiae angustias, atque ita familiae ab invicem manerent divisae, sed ut homines cogerentur ad ineundam intimam etiam cum aliis familiis societatem et amicitiam, ideoque ad dilatandum amorem socialem.

vissima de causa dissolvi possit, accedente praesertim divina dispensatione. At longe plures contendunt, eam ex solo etiam jure naturali satis probari: tales sunt Lyra, Tostatus, Sotus, Covarruvias, Corduba, Guttierez, Ledesma, Lopez aliique, quos cf. apud Liguori de matr. in theol. mor. n. 156. Hae sententiae, prosequitur Perrone l. c. a. 1, »sin minus ad concordiam revocari, saltem conciliari aliquo modo possunt, si accurate primarii juris naturae praecepta a secundariis distinguantur, quemadmodum nos etiam praestitimus in priori hujus libri sectione, dum de unitate matrimonii dissereremus. Hac distinctione posita haec statui posse videntur: **1.** legem indissolubilitatis non pertinere ad primaria atque essentialia praecepta naturae, qua concessione aliquid damus iis, qui sententiam negantem tuentur; et **2.** addimus eam indissolubilitatem juri naturae esse omnino consentaneam, atque adeo **3.** ex jure secundario provenire,« et quidem ita, ut nullo in casu liceat matrimonium dissolvere. Cum ergo absoluta matrimonii indissolubilitas quovis in casu vix possit solo rationis lumine certo agnosci, et theologi ipsi hac de re dissentiant: liquet, a peccato saltem excusari illos infideles, qui gravissima de causa, ut ob sterilitatem, perpetuum morbum, adulterium etc. matrimonium dissolverint aliudque inierint. Quare si quaeras, unde summa matrimonii christiani indissolubilitas fluat, respondendum est, eam esse repetendam jam ex lege naturae, in primis tamen ex institutione originali et lege positiva, tum ex significatione symbolica et dignitate sacramentali. Cf. Roskovány II § 1 ss.; Rive c. 6; Perrone l. 3 s. 2 c. 1.

613. **IV.** Quare si libello repudii judaeis permissa fuit matrimonii solutio, dicendum est, divina dispensatione eam fuisse permissam, qua certissime matrimonii dissolutio licita reddi potest. Ceterum de libello repudii multum disputant theologi et exegetae, num eo ita diremptum fuerit matrimonium quoad vinculum, ut liceret mulieri dimissae novum inire matrimonium. Cf. s. Thomas suppl. q. 67 a. 3. Sunt qui negent id licuisse. Ita s. Hieronymus, Bonaventura, Lyranus, P. Lombardus, Dominic. Soto, Estius, Silvius, Calmet etc. Affirmant vero multi, ut Bellarminus, Sanchez, Corn. a Lapide, Maldonatus etc. Perrone ita statuit a. 2: »Ex his omnibus patet, ejusmodi constitutionem mosaicam non fuisse praeceptivam, sed tantum permissivam, ac per eam divinitus dispensationem datam fuisse primaevae legi indissolubilitatis a Deo ipso constitutae in nuptiarum institutione inter protoparentes.« Quae sententia videtur praeferenda propter has rationes: **1.** Christus diserte testatur: *Ab initio non fuit sic.* Quod ergo Moyses permisit, ab initio non fuit permissum: sed dimittere uxorem manente vinculo, gravi saltem de causa, ut in casu adulterii, certe permissum fuit etiam ante legem mosaicam, nam permissum id est vel in lege evangelica. Vix credibile est **2.** vi hujus permissionis longe pejoris fuisse conditionis mulierem viro: hic enim potuit aliam ducere uxorem, polygamia siquidem erat permissa: mulier vero sine adulterii crimine non potuisset aliud inire matrimonium; et **3.** eam obligatam fuisse ad perpetuam continentiam; ejusmodi vero obligatio vix conciliatur cum ea oeconomia, in qua ignota fuit virginitatis praestantia. Neque **4.** nos movet, quod haec permissio data fuerit propter duritiam judaeorum: hoc enim non probat, id quod divinitus fuit permissum, mansisse illicitum atque hinc prohibitum. Neque nos **5.** movent verba Deut. 24, 1, imo potius nostram confirmant sententiam. Nam **a.** secundus vir, qui dimissam duxerat, vocatur aeque maritus ac prior, qui eam dimiserat; **b.**

hic alter maritus pariter poterat dare libellum repudii, qui certe non erat dandus adulterae; c. mulier a secundo dimissa viro non poterat recipi iterum a priori viro, quod vix credibile, si mansisset matrimonii vinculum. Cf. in primis Palmieri th. 16; Roskovány II § 69.

614. **Thesis CCLXV.** ***Matrimonium christianum etiam in casu adulterii est plane indissolubile.***

Declaratio. Haud levis difficultas contra ea, quae hucusque disputavimus, oritur ex verbis Christi: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit moechatur* Matth. 19, 7 col. 5, 31 s.: saltem ad haec omnes protestantes, et etiam graeci schismatici provocant, ut probent in casu adulterii matrimonium dissolvi. Tenendum tamen est, quod statuit synodus tridentina sess. 24 can. 7: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi A. S.“ Ex canonis forma liquet thesim non esse de fide, cum definita sit tantum Ecclesiae infallibilitas in ea docenda: censeri tamen debet fidei proxima. Voluit quidem concilium hanc veritatem directe definire, sed agente oratore veneto, teste Pallavicino Hist. conc. trid. XXII, 4 n. 27 ss., praelata fuit forma indirecta, ne damnarentur graeci, qui in praxi tuentur matrimonii solubilitatem in casu adulterii. Dicimus in praxi, nam in theoria eam non sunt ausi propugnare: quocirca nunquam latinis oppositam exprobrarunt sententiam, et in conc. florentino a pontifice interrogati de sua praxi, effugia quaesierunt responsumque declinarunt. Non tamen destiterunt romani pontifices veram inculcare doctrinam ejusque etiam exigere observantiam. Ita expresse Urbanus VIII. et Benedictus XIV. in prof. fidei orientalibus praescripta. Quare cum graeci hac in re non tam mentis obstinatione errent quam potius nimia facilitate et respectu erga imperatorum leges, unde suam hauserunt praxim, cumque concilium trid. contra protestantium novitates congregatum fuerit: moderatione quadam usa est Ecclesia benigniorem eligendo definitionis formam, qua damnaretur quidem praesumptuosa novatorum temeritas, declararetur, quantum satis est, veritas, et ratio saltem haberetur aliqua imbecillitatis humanae graecorum, qui hac forma non audent reprobare canonem.

615. **Demonstratio.** Posita genuinitate et authentia textuum Evangelii, quam nonnulli, etiam catholici, sed sine ratione sufficienti, in dubium vocare conati sunt, praetermissis etiam interpretationibus vel aperte falsis vel minus probabilibus [1]), celebriores horum textuum proponemus explicationes ad difficultatis inde petitae solutionem.

---

[1]) Cf. Roskovány II § 77 ss. et Perrone l. c. c. 2.

Prima sententia vocem πορνεία intelligit non de adulterio, sed de fornicatione et concubinatu inter eos, qui nondum sunt matrimonio juncti, adeo ut sit sensus: matrimonium dissolvere non licet, excepto casu, quo conjunctio cum alia non sit vere matrimonialis, sed fornicaria et concubinatus seu matrimonium putativum. Quo in sensu nulla amplius difficultas contra matrimonii indissolubilitatem in casu adulterii, cum de eo casu Christus hic non loquatur [1]). Nituntur hi auctores praesertim significatione vocis πορνεία, quam dicunt non significare adulterium, ad quod hisce in locis designandum Christus sedulo utitur voce μοιχεία, sed proprie fornicationem extra matrimonium, et explicationis simplicitate, cum adeo sit obvia et naturalis.

Verum non pauca huic interpretationi ab aliis opponuntur: **1.** nimis confidenter affirmari, πορνεία non posse significare adulterium; eam enim vocem, ajunt, esse significationis genericae, quae pro diversitate subjecti diversa significet crimina. Excipiunt **2.** Christum loqui de dimissione uxoris, non concubinae, atque affirmare, eum, qui dimissam duxerit, crimen committere adulterii: quod verum non foret, si quis dimissam duceret concubinam. Opponunt **3.** sensum antiquitatis: nam et patres haec constanter de adulterio intellexerunt; et in jure canonico ex hoc loco in primis demonstratur, licitum esse perpetuum divortium quoad mensam et torum in casu adulterii; et in controversia cum graecis, num adulterio dissolvatur matrimonium, utraque pars tamquam certum supposuit, sermonem esse hic de adulterio. Neque desunt **4.** patres et versiones, ut syriaca et aethiopica, quae loco fornicationis habeant adulterium.

Reponunt vero patroni hujus explicationis **1.** non omnem Scripturae interpretationem novam esse patribus contrariam, ut ipse docet Perrone praelect. theolog. t. 9 de matrimonio c. 2 prop. 5: sed eam tantum, quae fidei adversetur aut receptae in Ecclesia doctrinae; si qua interpretatio fidem et Ecclesiae doctrinam juvet et firmet potius, non ideo spernendam esse, quod nova sit, cum tunc potius sit praeter quam contra patrum doctrinam. Hac autem interpretatione longe facilius exceptionem contra dogma catholicum dilui: inde ob ejus novitatem non esse rejiciendam. Reponunt **2.** incisum: *qui dimissam duxerit, moechatur*, referri tantum ad eam dimissam, de qua sermo sit in propositione principali: *Qui dimiserit uxorem suam*, non vero ad propositionem incidentem: *excepta fornicationis causa*. Urgent **3.** proprietatem verborum, quamdiu fieri possit, servandam esse. Licet ergo πορνεία designare possit adulterium pro ratione subjecti, promiscue tamen cum μοιχεία non adhiberi; ideoque in Christi sermone, ubi adulterium verum dicitur μοιχεία, πορνεία crimen ab illo designare distinctum.

616. Altera sententia statuit [2]), vocem πορνεία non designare adulterium, et Christum respondendo ad quaestionem, liceatne dare libellum repudii, do-

[1]) Ita Schegg, Ev. nach Matth. I, 459 ss.; Patrizi de interpret. Script. I, 7 n. 281; Katholik 1879. II, 530; et iterum nervose 1889. II, 636 ss.; contra eam in primis Perrone a. 3.

[2]) Ita Döllinger, Christenthum und Kirche l. 3 n. 10 et appendice 3; auctor dissertationis Ueber die Rechtmässigkeit der Ehescheidung, Salzburg 1812;

cere, licitum esse judaeis repudiare uxorem, si ea ante initum matrimonium fornicata est: cum judaeis ratum fixumque fuerit, tantum cum virgine inire matrimonium. Hinc eplicari, quare Christus discipulos instruens de matrimonio, quale illud esse deberet in Ecclesia, et Paulus hunc omiserint casum, nam Christus repudii libellum abrogavit atque matrimonium ad originalem revocavit institutionem. Verum praeter dicta contra priorem explicationem opponas, vix probabile esse, Christum hic agere authenticum legis mosaicae de repudii libello interpretem, cum potius, praesertim in sermone montano, qui certe non ad solos spectat judaeos, sed ad omnes suos asseclas, legem mosaicam perficiat suamque proponat doctrinam; neque probari, Christum loqui tantum de fornicatione, quae praecesserit matrimonium, cum hujus limitationis nullum appareat vestigium.

Tertia sententia tuetur, Christum alloquentem judaeos interim distulisse casum adulterii [1]) parcendo eorum praejudiciis innatis, alia occasione plenius instructurum discipulos suos de perfecta matrimonii insolubilitate (Marc. 10, 11; Luc. 16, 18). Quae explicatio inde suis patronis probatur, quod ea admissa non cogantur vim inferre verbis Christi, quae revera videntur significare exceptionem, quin tamen negetur doctrina catholica de indissolubilitate matrimonii etiam in casu adulterii, quia censent Christum modo ab hoc casu praescindere.

617. Quarta sententia eaque communior, statuit, Christum permittere quidem uxoris dimissionem, non tamen quacunque ex causa, ut pharisaei opinabantur, sed tantum in casu adulterii: atque hoc in casu solum quoad torum et cohabitationem, non vero quoad vinculum, ita ut solvatur matrimonium atque utrique vel alterutri parti jus concedatur novi ineundi matrimonii. Quomodocunque vero explicantur verba Christi, matrimonium quoad vinculum non solvi ne in casu quidem adulterii

1. evincunt verba Christi, quibus sine exceptione affirmat in posteriori inciso: *qui dimissam duxerit moechatur* (Matth. 5, 32). Ergo et is, qui dimissam propter adulterium ducit. Illationis vis crescit si attendas, Christum supponere uxorem dimissam, si alteri nupserit, semper moechari; hoc tamen discrimine: si dimittitur injuste, adulterium imputatur dimittenti, non vero si dimittitur ob fornicationem.

2. Probat institutio Christi, qui discipulos instruens de matrimonii indissolubilitate exceptionis nullam facit mentionem Marc. 10, 11: *Qui-*

Gartz in dissert.: Ist nach der Schrift die Ehescheidung den Christen verboten? in sylloge Archiv für das katholische Kirchen- und Schulwesen, vorzüglich in den rheinischen Bundesstaaten, Frankfurt 1815 t. 3 fasc. 3 p. 33—46 apud Roskovány § 52 s. Cf. adversus hanc opinionem Perrone a. 2 § 4.

[1]) Ad hanc explicationem ea accedere videtur, quam proponit Dreher in Katholik 1877 II, 578 ss., qui illud παρεκτὸς λόγου πορνείας ita explicat: „Ne loquar de vestra causa, controversia, quae est de πορνεία," adeo ut hanc veluti carpat et damnet, ideoque etiam excludat. In altero vero textu Matth. 19, 9 ei videtur illud εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ interpolatum.

cunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur; Luc. 16, 18: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Quae urget Augustinus de adult. conjugiis I, 9: „Qui sumus nos, ut dicamus: est qui moechatur uxore dimissa alteram ducens, et est qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat, omnem moechari, qui hoc facit?“ Cf. c. 12; II, 25. Beda in Marc. 10: „Una ergo solummodo causa est carnalis fornicatio, una spiritualis timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur: nulla autem causa est Dei lege praescripta, ut vivente ea, quae relicta est, alia ducatur.“

3. Hinc ipsi discipuli tantae iudissolubilitatis mirantur rigorem: quae admiratio vix explicari potest, si Christus nil aliud demum statuisset, quam quod jam antea schola rabbinorum rigidior docuerat.

4. Christus matrimonii indissolubilitatem inde repetit, quod Deus ipse sit conjunctionis conjugalis auctor statuens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (Matth. 19. 6). Atqui non est probabile, eum mox adultero tribuere, quod hominibus generatim denegat. Accedit

5. doctrina Pauli, qui data opera de matrimonio ejusque firmitate disputans casus recenset, in quibus solvitur matrimonium: circa fideles vero inculcat, sola morte solvi matrimonium (n. 609[2]). Cujus doctrinae occasione ita Hieronymus in Rom. 7, 1 s.: „Omnes igitur causationes apostolus amputans apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, ejus maritus deputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec apostolus haec propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est qui ait in Evangelio etc.“

6. Hinc idem apostolus scribit 1. Cor. 7, 10: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Atqui hic loquitur de justa discessione, alioquin non reliquisset uxori optionem inter reconciliationem et perseverantiam in separatione: justa vero causa discessionis mulieri est adulterium viri, cum hac de causa vir possit dimittere uxorem, par autem sit quoad hanc rem jus utriusque conjugis in alterum (cf. n. 601[2]). Cum ergo Dominus universim praecipiat in hypothesi justae separationis, quae in primis locum habet ob adulte-

rium, reconciliationem aut continentiam, prohibitum censeri debet eo in casu novum matrimonium.

7. Neque probabile est mulierem juste dimissam melioris fore conditionis uxore injuste dimissa, quae aliud iniens matrimonium pronunciatur adultera; neque probabile, eum, qui dicebat se venisse legem adimplere, quique reformaturus erat conjugium ad pristini matrimonii plane indissolubilis ideam, demum idem saltem ex parte permisisse, quod propter cordis duritiem permissum fuit judaeis. Nam jam de primitivo conjugio Adamus affirmaverat: *Et erunt duo in carne una* Gen. 2, 24; unde Christus infert: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quare sicut suicidium nullo in casu est licitum, cum Deus solus sit vitae dominus: ita nullo in casu licita est matrimonii dissolutio, cum species sit suicidii, destructio illius unitatis carnis, cujus auctor Deus, qui sicut est dominus vitae individui, ita et vitae conjugalis. Quod jam innuit Chrysostomus supra n. 610.

8. Neque spernendum est illud s. Hieronymi in Matth. 19, 9: „Quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat."

9. Denique explicatio catholica luculento confirmatur patrum suffragio. Audiatur in primis Augustinus, qui hac de re data opera disputat duobus libris de adulterinis conjugiis ad Pollentium, ubi inter alia II, 4 scribit: „Quamobrem secundum doctrinam sanam *mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit* i. e. nondum e corpore abscessit. *Mulier* enim *sub viro vivo marito juncta est legi* h. e. in corpore constituto. *Si autem mortuus fuerit* h. e. de corpore exierit, *evacuata est a lege viri* . . . (Rom. 7, 2). Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt; nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod reus fit adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis." — Concilium forojuliense a. 791 can. 10: „Placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere . . . Nam etsi legatur in ss. Evangelii paginis, sola fornicationis causa dixisse Dominum dimittere virum uxorem suam, non tamen legitur concessisse aliam vivente illa in conjugio sibi sociare, prohibuisse modis omnibus non ambigitur." — Antea conc. milevitanum II. a. 461 c. 17: „Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungantur; sed ita maneant aut sibi reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari." — Et jam Justinus absque ulla limitatione apol. 1 n. 15 pronunciat: „Qui ducit repudiatam ab altero viro, moechatur." Cf. Patrum testimonia apud Palmieri th. 17, Roskovány II, 101 ss.; Perrone l. 3 s. 2 c. 3. Inter eos eminent ut traditionis testes prae-

ter Augustinum Hieronymus ep. 55; 77 n. 3; et Chrysostomus hom. de lib. repudii.

618. Verum quidem est, adversarios undique corradere testimonia, quae ipsorum videntur favere opinioni de matrimonii solubilitate in casu adulterii [1]). Verum ex illis plura seponi debent: aliqua enim **1.** sunt spuria; alia **2.** potius favent doctrinae catholicae. Seponi **3.** debent testimonia ex legibus principum, etiamsi hi christiani fuerint, petita, cum inauditum sit, principes civiles esse traditionis testes [2]). Seponi **4.** debent omnia ea, quae nonnisi verba Christi inculcant vel repetunt; nam de horum sensu eadem est controversia, quae de verbis Christi; neque **5.** ea quidquam probant, quibus dicitur, adulterio matrimonium rumpi, divelli, dissociari, licere eo in casu divortium, repudium etc. Haec enim verba ambiguae sunt potestatis et intelligi possunt de sola separatione a mensa et toro, neque necessario sonant ipsius vinculi solutionem. Pariter **6.** non multum juvant adversarios ea testimonia, quae ita sunt ambigua, ut de eorum sensu legitimo acris sit inter theologos controversia. Quibus omnibus sepositis ex tot scriptoribus ecclesiasticis vix unius Lactantii reliquum est testimonium [3]): et ex sequiori aetate supersunt canones conciliorum particularium et capitula seu statuta sat dubia, neque magnae auctoritatis: quae ad summum probant, in aliquas provincias subinde irrepsisse abusus, quod in tanto bellorum tumultu populorumque tunc barbarie non est mirandum.

619. **Scholion I.** *Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum,* si alterutro conjuge ad fidem converso nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris. Innititur hoc privilegium verbis Pauli 1. Cor. 7, 12 ss.: *Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam . . . Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim ser-*

---

[1]) Cf. Linzer theol. prakt. Monatschrift 1808. I, 208 ss., ubi reperiuntur 27 patrum pro hac solubilitate et 30 patrum effata contra eandem.

[2]) Ceterum quid patres censuerint de valore legum principum circa matrimonium cf. apud Perrone l. 1 sect. 2 c. 1 a. 1. Passim enim inculcant cum Chrysostomo hom. de libello repudii n. 1: „Ne mihi leges ab exteris conditas legas praecipientes dare libellum repudii et divelli. Neque enim juxta illas judicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit.“

[3]) Ita Lactantius scribit Instit. VI, 23: „Haec sunt, quae ad continentiam praecipiuntur a Deo: sed tamen ne quis divina praecepta circumscribere se putet posse, adduntur illa, ut omnis calumnia et occasio fraudis removeatur: adulterum esse, qui a marito ejectam duxerit, et eum, qui praeter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat. Dissociari enim corpus et distrahi Deus noluit.“ Quibus adde alia ex epitome divin. instit. c. 66: „Sed sicut femina castitatis vinculis obligata est, ne aliud concupiscat; ita vir eadem lege teneatur, quod Deus ex viro uxorem unius corporis compage solidavit. Ideo praecepit non dimitti uxorem, nisi crimine adulterii revictam, ut nunquam conjugalis foederis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur.“ Verum et haec verba nititur cl. Perrone l. c. c. 3 a. 1 § 8 in catholicum explicare sensum. Sed etsi Lactantius aperte contradiceret doctrinae catholicae, non multum inde lucrarentur adversarii, cum non magna ejus sit auctoritas, nec mirus unius ab aliis in quaestione tam difficili ante claram Ecclesiae definitionem dissensus.

vituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus. Quae intelligi debent non de sola separatione quoad torum, sed de totali separatione etiam quoad vinculum. Nam **a.** illa separatio quoad torum eo ipso habetur, quod infidelis discedit: non erat ergo urgenda; neque **b.** probabile est, Paulum repetere praeceptum jam v. 11 (n. 617 [6]) traditum; **c.** eam discessionem concedit, qua discesserat pars infidelis: haec vero profecto discedere censenda est, ut novum ineat matrimonium. Insuper **d.** de ea loquitur discessione, qua pars fidelis liberatur a servitute; atqui princeps δουλεία (servitus) hac in materia est ipsum vinculum conjugale cf. v. 4. 10. 11. 27 et 39; quod si maneret, maxime obnoxia esset pars fidelis servituti, cum discedente parte infideli ea deberet servare continentiam. Quare **e.** ne innumeri ab amplectenda fide deterrerentur, conveniens erat hoc fidei adnectere privilegium [1]). Accedit solemnis declaratio Innocentii III. l. 4 decr. tit. 19 de divort. c. 7 seu ep. II, 50: „Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente: qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi* . . . Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare [2]), licet in hoc casu major appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles exsistat, non est tamen ratum; inter fideles autem verum et ratum exsistit.“ Quod quidem decretum sequentes pontifices confirmarunt. Idcirco Benedictus XIV. pronunciat de syn. dioec. VI, 4: „Certum est infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum 1. Cor. 7 promulgato dissolvi.“

620. Idem pontifex hanc doctrinam accuratius exponit l. c. et XIII, 21, cujus expositionis haec sunt praecipua capita: **1.** Conjugium in infidelitate contractum legitimum est atque indissolubile. Quod si quis post primum matrimonium alias ducat uxores, haec conjugia sunt invalida et nulla. **2.** Solutio matrimonii in casu proposito non fit auctoritate humana, sed dispensatione divina ex privilegio fidei, et tunc tantum obtinet, si altera pars nolit pacifice cohabitare. Quod si velit pacifice cohabitare, non solvitur matrimonium. **3.** Tunc vero matrimonium dissolvitur, cum pars conversa aliud init matrimonium; nam parti fideli, non infideli concessum est privilegium. Quare **4.** si pars conversa servaret continentiam et pars altera aliud iniisset matrimonium,

---

[1]) Cf. Biederlack Zeitschrift für k. Th. VII, 308 ss.; Fr. Hergenröther, Katholik 1883. I, 258—80; Palmieri th. 26.

[2]) Hoc prorsus illicitum esse decernit conc. trid. sess. 24 can. 5.

deinde verò baptizaretur, ea teneretur redire ad priorem conjugem. **5.** Antequam autem novum ineatur matrimonium, necesse est, ut pars fidelis interpellet alteram, ut de illius repugnantia constet, neque hac in re excusant loci distantia, difficultates, repugnantiae praesumptio etc. Potest tamen **6.** romanus pontifex ab hac dispensare obligatione secundum Gregorium XIII. in Brevi ‚Quoniam saepe contingit': qui simul declarat, matrimonium initum esse validum et nullatenus rescindendum, etiamsi postea innotuerit, conjugem infidelem juste impeditum non potuisse declarare suam voluntatem, imo ad fidem esse conversum tempore initi secundi matrimonii. Id autem **7.** secundum aliquos non ex eo oritur, quod pontifex dissolvat auctoritate sua matrimonia legitima et consummata, sed ex eo, quod jus habeat interpretandi jus divinum, hinc eximendi quandoque ab interpellatione necessario praemittenda, quando scilicet ea est moraliter impossibilis. Verum praeferenda videtur sententia, quae statuit romanum pontificem pro plenitudine suae potestatis vere dissolvere matrimonium prius in infidelitate contractum. Si enim gravi de causa potest dissolvere matrimonium christianorum ratum, quod est sacramentum (n. 623): poterit etiam gravi de causa dissolvere matrimonium infidelium consummatum, quod minus habet firmitatis. Quibus duo alia adde: Inter nationes scil. christianas praxim invaluisse, ut cohabitatio non permittatur cum parte, quae obstinata sectae infideli v. gr. judaicae adhaereat, quamvis haec protestetur se pacifice velle cohabitare. Hinc infert Sanchez, licere converso alterum inire matrimonium: tunc enim infidelis discedit ac relinquit fidelem eam eligendo cohabitationem, quae fideli illicita est. Fruetur ergo tunc privilegio paulino. Cf. Palmieri th. 26, qui th. 27 alterum, quod notandum est tuetur: privilegium scil. paulinum non eos solum spectare, qui fidem catholicam sequuntur, sed ad omnes, qui christianam fidem susceptione baptismi sunt professi.

621. **Scholion II.** *Matrimonium ratum non tamen consummatum solemni religionis professione alterius conjugum dissolvitur,* ut definit concilium trid. sess. 23 can. 6: „Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem religionis alterius conjugum non dirimi, A. S." Quod colligitur ex praxi Ecclesiae: pro qua afferri possunt aliquot facta virginum vel etiam juvenum christianorum, qui prima nuptiarum nocte conjugem deseruerunt, ut virginitatem suam Deo penitus consecrarent; quae facta a patribus admodum laudantur et commendantur. Atqui ea laudare non potuissent, si mansisset conjugale vinculum, cum **a.** expressum sit praeceptum dominicum, uxorem a viro non discedere 1. Cor. 7, 10 (n. 617[6]); cum **b.** ejusmodi discessum etsi ex causa piissima non permittant consummato jam matrimonio, nisi altera pars libere consentiat; eo enim **c.** evidenter laeditur jus conjugis derelicti. Quare inferendum est, non obscuram fuisse veterum persuasionem, inter christianos plena renunciatione suique consecratione Deo facta dissolvi matrimonia nondum consummata. Probatur vero ex solemnibus romanorum pontificum declarationibus, ut Alexandri III. in concilio lateranensi a. 1179 c. ‚Verum', et cap. ‚Ex publico'; Innocentii III. cap.

14 ‚Ex parte tua' etc., qui cum non profiteantur se ejusmodi matrimonia propria dissolvere auctoritate, eo ipso testantur, eadem dissolvi vi privilegii divinitus professioni religiosae adnexi.

622. Quae assertio inde potest illustrari, quod nulla apparet ratio sufficiens, cur non liceat solvi ejusmodi matrimonium ad majus bonum consequendum: non damnum alterius partis, cum haec libere possit aliud contrahere matrimonium; non proles, quae nulla est, matrimonio nondum, ut ponitur, consummato: non indissolubilitas matrimonii, cum haec potissimum videatur convenire matrimonio consummato, ex quo prodit unitas carnis: quocirca etiam testimonia, quae pro hac conjugii proprietate afferri solent, de matrimonio in primis consummato agunt; non sacramentum, quo matrimonium adumbrat Christi et Ecclesiae conjunctionem, cum haec significatio non penitus auferatur ab eo, qui resilit, sed perfectius forte exhibeatur desponsatione cum ipso Verbo. Nec apparet, cur non possit imperfectum cedere perfecto, quando nihil prorsus obstat, illudque nequeat cum hoc componi utpote contrarie oppositum. Convenit ergo ut matrimonium ratum, non consummatum, cedat statui perfectiori, qualis est professio solemnis religionis, qua homo mundo perfecte moritur totusque Deo consecratur; non vero inde sequitur illud dissolvi, si status eligatur perfectior quidem, talis tamen, quocum, aegre licet, matrimonium cohaerere possit. Cf. Perrone c. 2 prop. 3; Civiltà catt. 1889. XII, 152—68.

623. **Scholion III.** „Cessat quoque, inquit Benedictus XIV. qq. canon. q. 146 n. 36, *indissolubilitas matrimonii rati non consummati* in aliis omnibus casibus extra professionem religiosam, in quibus summus pontifex justis et gravissimis de causis censet ejus dissolutioni esse locum. Ita suadente trid., ita exposcente observantia, ita demum convincente continuata plurium seculorum praxi sedis apostolicae, ex quibus interpretatio juris divini optime colligi potest." Et q. 479: „Nullam de potestate summi pontificis moveri amplius posse quaestionem in eo, quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, et in praxi recepta." Tenendum enim est, romanos pontifices, si per plura secula nemine reclamante aliquo utuntur jure circa negotia ecclesiastica, eos illo revera potiri; nam ipsorum, quibus concredita est jurisdictionis plenitudo et amplissima docendi potestas est etiam judicare quoadusque extendatur eorum potestas. Cf. Palmieri th. 25.

624. **Scholion IV.** *De divortio.* — Etsi matrimonium consummatum plane insolubile est quoad vinculum, quoad torum tamen seu cohabitationem variis ex causis legitime conjuges ab invicem separari possunt. Quae propositio statuitur contra novatores seculi XVI., contra quos concilium trid. decrevit sess. 24 can. 8: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, A. S." Ex Ecclesiae vero praxi, praeeunte Scripturae doctrina,

patet, causas separationis inter conjuges quoad cohabitationem revocari praesertim ad quatuor: ad adulterium Matth. 5, 32 (n. 614); ad apostasiam vel haeresim cum periculo subversionis alterius conjugis tit. 3,10; Luc. 14, 26; ad proximum periculum graviter peccandi ex suggestione et impulsu alterius conjugis Matth. 18, 9; ad mutuum consensum 1. Cor. 7, 5. Et revera si propter lucrum temporale, propter morbum contagiosum, pro salute corporis animique relaxatione et ad evadenda corporis fortunaeque pericula licet ad longius breviusve tempus se separare a conjuge: quare non licebit, si aliud non patet effugium, separationem instituere quoad mensam et torum, cum agitur de animi salute, de cavenda damnatione aeterna? Vere mira novatorum theologia pastoralis. Matrimonii dissolutionem totalem haud aegre permittunt, divortium medicinale quoad cohabitationem prohibent!

625. Quaeras quomodo hic canon et Ecclesiae praxis concilietur cum verbis Christi, qui tam diserte unam tantum causam, adulterium scil., assignat juste dimittendi uxorem. Respondent theologi cum Perrone de matrim. III c. 5, non ideo illius tantum criminis Christum fecisse mentionem, quasi ob alia crimina a fornicatione diversa fieri non liceat divortium: sed ideo **1.** quia solum adulterii crimen dat jus ad perpetuam separationem parti innocenti, etiamsi pars adultera ex animo patrati flagitii agat poenitentiam, quod in reliquis separationis causis locum non habet. **2.** Quia ceterae causae non sunt matrimonii propriae, sed aliis quoque confoederationibus communes, nam propter apostasiam, haeresim, inductionem ad peccatum etc. non solum ab uxore, sed et a patre, matre, fratribus etc. separatio facienda est ex Christi mandato: adulterium vero causa est solius matrimonii propria. Illo enim hujus bonum, quod in fidelitate consistit, directe impeditur atque prorsus destruitur.

626. **Thesis CCLXVI.** ***Ecclesia potest statuere impedimenta matrimonium dirimentia et ad ejus tribunal spectant causae matrimoniales, quae respiciunt ipsum matrimonii vinculum.***

Demonstratio p. I. Adversarios, contra quos statuimus thesim, diligentissime recensent Roskovány p. 1 § 1 ss. et Perrone t. II s. 1 c. 2 a. 1. Ea est de fide, ut patet ex sess. 24 concilii trid. can. 3 et 4: „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia vel in iis constituendis errasse, A. S.“ Quocirca Pius IX. damnavit prop. 68 syllabi: „Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonii dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt.“ Jure autem merito ea tribuitur Ecclesiae potestas, quam ipsa nullo reclamante in gravissimo et quotidiano negotio, quale est matrimonium, ad minimum per XII secula exercuit. Atqui ab initio seculi saltem IV. usque ad sec. XVI. hanc potestatem Ecclesia nullo reclamante exercuit. Merito ergo ea ipsi asseritur. Propositio minor patet ex plurimis canonibus, quibus Ecclesia saltem a

sec. IV. impedimenta constituit. Ita conc. neocaesariense (a. 314—24) can. 2 impedimentum affinitatis: „Mulier, si duobus nupserit fratribus, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae consequatur.“ Cf. alia exempla apud Palmieri th. 29 Confirmatur assertio **a.** a pari: potest enim societas civilis appositis conditionibus plures contractus naturales, si id exigat bonum commune, reddere invalidos; poterit ergo et Ecclesia determinare et definire, quando validus sit hic contractus, quem regendum moderandumque ipsi subjecit Christus. **b.** A fortiori: potest enim secundum adversarios societas civilis statuere impedimenta dirimentia: a fortiori ergo Ecclesia, postquam matrimonium factum est sacramentum. **c.** Ex agendi ratione adversariorum, qui non alia de causa adeo urgent separabilitatem sacramenti a ratione contractus in matrimonio christiano, quam quia clare vident, se aliter Ecclesiae potestati subtrahere non posse matrimonium, si ipsum sit sacramentum. Cum ergo inseparabilis sit ratio sacramenti a contractu matrimoniali, denegari non poterit Ecclesiae ea potestas in matrimonium.

627. **Demonstratio p. II.** Causarum matrimonialium nomine non intelligimus quascunque causas, quae occasione matrimonii oriuntur, sed eas, quae vel respiciunt matrimonii vinculum seu valorem, vel ad illud immediate et per se disponunt, ut sunt sponsalia, vel eas, quae pendent a vinculo illudque consequuntur, ut legitimitas prolis, et causae, quae referuntur ad conjugum separationem. Has causas obnoxias esse Ecclesiae

1. sequitur corollarii modo ex parte praecedenti. Profecto enim ad illam spectat cognoscere causas, quae respiciunt valorem matrimonii, ad quem spectat statuere conditiones, quibus servatis contractus est validus. Atqui ex dictis haec potestas competit Ecclesiae.

2. Ex th. 261 patet, matrimonii contractum re non differre, nec posse sejungi a ratione sacramenti. Atqui Ecclesiae est judicare de causis, quae respiciunt sacramentorum valorem. Ergo et de causis, quae respiciunt matrimonii contractum, qui est sacramentum, ejusque valorem. Illationis vim vidit Calvinus scribens instit. l. 4 c. 19 § 37: „Ubi enim semel obtinuere catholici matrimonium esse sacramentum, conjugalium causarum cognitionem ad se contraxerunt; quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda.“ Hoc argumento utitur Pius VI. in ep. ad episc. motulensem 17 Sep. 1788, in qua proposito dogmate catholico de matrimonii sacramento infert: „Hinc fit, ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut in-

validitate judicium ferre." Quae iterum inculcavit Pius IX. alloc. habita 27. Sep. 1852.

3. Ex divinis literis, nominatim ex 1. Cor. 7 habemus **a.** corinthios consuluisse Paulum de quaestionibus ad matrimonium spectantibus et etiam de causa, quae ipsum respiceret matrimonii vinculum v. 12 ss.; **b.** Paulum ad eas quaestiones respondere, et quidem authentice vel proponendo et explicando legem de matrimonii indissolubilitate v. 39, vel promulgando Christi praeceptum v. 10 s. (n. 617 [6]); vel peremptorie decidendo causam ad matrimonii vinculum spectantem v. 12 ss. (n. 619). Ergo et corinthii in Paulo potestatem decidendi causas matrimoniales agnoverunt eamque Apostolus sibi vindicat.

4. Probatur ex constanti Ecclesiae praxi. Sane **a.** solemne semper fuit in Ecclesia s. Ignatii M. monitum ep. ad Polyc. n. 5: „Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem." Spectabatur ergo jam a prima Ecclesiae aetate conjugium ut negotium sacrum, cujus judicium pertineat ad Ecclesiam. **b.** Jam ex seculo IV. habentur facta, quod ejusmodi causae deferrentur ad romanum pontificem, isque de illis judicaret. Ita Siricius ep. ad Himer. n. 5: „De conjugali autem velatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur [1])." **c.** In pluribus conciliis ejusmodi deciduntur causae: quod ne adversarii quidem negant, cum dicant, Ecclesiam sibi hanc potestatem usurpasse. Atqui potestas, quam Ecclesia exercuit saltem per XII secula, censeri legitima debet.

628. Merito ergo statuit concilium trid. sess. 24 can. 12: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, A. S.": cujus canonis insignem et authenticam declarationem praebuit Pius VI. in epist. ad episc. motulensem 16 Sep. 1788, in qua citato canone inter alia docet: „Ignotum nobis non est, quosdam adesse, qui secularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperint, ut, quoniam tridentini patres hac dicendi formula usi non fuerint, ad solos judices ecclesiasticos, aut omnes causas matrimoniales, potestatem reliquerint judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt meri facti. Sed scimus etiam hanc captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat. Si enim hae causae

---

[1]) Similia responsa et judicia passim leguntur in sequentium rom. pontificum epistolis, ut patet vel ex illis paucis, quas edidimus opusc. t. XVIII., XXV. et XXVI. Cf. etiam ep. gravissimam 212 Coelestini III. Mig. 206, 1095.

non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, sicut haec sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectant unice ad judices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiae juribus satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim, ut verbis utamur Van Espen (jus eccl. p. 3 tit. 2 c. 1 n. 4 et n. 11 et 12): „Unanimi consensu receptum est, causas sacramentorum esse mere ecclesiasticas, easque, quantum ad substantiam eorum, ad judicem ecclesiasticum privative spectare, nihilque circa eorum validitatem et invaliditatem judicem secularem posse decernere, eo quod hae natura sua sint mere spirituales. Et sane si quaestio vertatur de validitate ipsius matrimonii, solus judex ecclesiasticus est competens, ipseque solus de hac quaestione cognoscere potest.“ Unde colligimus sponsalia, cum sint dispositio ad matrimonium, subesse Ecclesiae judicio, quod etiam docet Pius VI. damnatione prop. 58 synodi pistoriensis: „Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae, falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.“ Et Pius IX. damnatione prop. 74 syllabi: „Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.“

629. **Thesis CCLXVII.** ***Porro Ecclesia ea potestate fruitur non ex concessione sive expressa, sive tacita principum, sed jure proprio, originali et divino: imo ea ita propria ipsi est, ut ei soli competat.***

Demonstratio p. I. Haec pars est de fide, ut declaravit Pius VI. damnatione prop. 59 synodi pistoriensis: „Doctrina synodi asserens, ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia; quod jus originarium praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum; subjungens supposito assensu vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; canonum 3. 4. 9. 12 sessionis 24 conc. trid. eversiva, haeretica.“ Quare Pius IX. damnavit prop. 69 syllabi: „Ecclesia sequioribus seculis impedimenta dirimentia inducere

coepit non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.“ Infertur

1. corollarii modo ex dictis. Demonstravimus enim Ecclesiae ideo hanc competere potestatem, quia matrimonium est sacramentum. Hoc autem oritur non ex concessione principum, sed ex voluntate Dei.

2. Item infertur ex definitione tridentina. Definivit enim conc., Ecclesiae hanc competere potestatem. Atqui Ecclesiae definitiones semper debent esse verae. Ergo semper convenit haec potestas Ecclesiae. „At si tacita saltem principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Ecclesiae temporibus sub principibus nimirum ethnicis verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse in iis locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione.“ Ita Pius VI. in ep. ad ep. trevir. a. 1782.

3. Potestas Ecclesiae non est alia atque ea, quam jam Paulus exercuit 1. Cor. 7 (n. 627[3]), estque hujus continuatio. Eodem ergo ex fonte ea in Ecclesiam derivatur, ex quo illam habuit Paulus, scil. a Christo.

4. Si Ecclesia exerceret hanc potestatem ex delegatione vel concessione principum, huius concessionis saltem aliquod exstaret monumentum. Atqui nullum proferre possunt adversarii: nullum unquam protulerunt principes. Quare usque ad dimidium sec. XVII. sententia inter catholicos fuit communis, Ecclesiam non derivata, sed potestate sibi insita de matrimoniis judicare, ut liquet ex disputationibus theologorum in conc. tridentino, cum de matrimonio ageretur, et pro posteriori aetate ex iis, quae juxta cleri gallicani sententiam Is. Habertus in l. de justitia connubialis edicti a Ludovico XIII. editi refert.

5. Profecto cum agitur de quaestione, quonam ex fonte Ecclesia suam acceperit potestatem in matrimonium, ipsa in primis est interroganda. Haec vero nunquam provocat ad concessionem, consensum etc. principum, sed ad patrum statuta, ad canones, ad traditionem, ad Evangelium, indeque sibi eam auctoritatem asserit et vindicat.

6. Praeterea qui potestatem habet delegatam ex alterius voluntate acceptam, eam invalide vel illicite exercet, si ea utitur contra eum, a quo illam accepit, declarando irrita, quae ille rata habet, et quae irrita statuit, pronunciando valida et rata. Atqui Ecclesia in causis matrimonialibus plura declaravit irrita, quae permiserant principes: quaeque hi vicissim prohibuerant, ipsa permisit censuitque valida.

7. Ipsi denique reges et imperatores facto professi sunt, hanc Ecclesiae potestatem non inesse ex ipsorum concessione. Quare enim suas causas matrimoniales detulerunt ad pontificem? quare, eo ad votum non annuente, neque retractarunt concessionem, neque causam ad suum re-

vocarunt tribunal: sed se vel subjecerunt vel manserunt contumaces, donec poenis ecclesiasticis adigerentur, ut morem gererent [1])?

630. Porro admodum conveniens fuit, ut matrimonium Ecclesiae ipsique soli concrederetur, ne scil. nimis facile profanaretur, nam **a.** matrimonium ex generis humani sensu non est contractus profanus sed quid sacrosanctum. Quam rationem ita docte proponit Leo XIII. lit. cit.: „Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum sed natura insitum. Quocirca Innocentius III. (c. 8 de divortio) et Honorius III. (c. 2 de transact.) decessores nostri, non injuria nec temere affirmare potuerunt, apud fideles et infideles exsistere sacramentum conjugii. Testamur et monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserunt et exquisitiore juris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut, cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. Ita magnam in animis coelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani. Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam.“ Aliae rationes sunt tum quod **b.** illud est institutum universale, subjiciendum ergo ei tantum auctoritati, quae ex sua institutione et missione est catholica seu sese extendit ad omnes gentes et nationes; tum quod **c.** hierarchia ad coelibatum obligata judex est a partium

---

[1]) Hoc argumentum egregie persequitur Leo XIII. in lit. enc. 10 Febr. 1880 ‚Arcanum divinae sapientiae consilium,‘ ubi inter alia habet: „Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in conjugia christianorum omni cum tempore tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam.“ Compendio relatis omnibus, quae Ecclesia in matrimonii commodum unquam decrevit, prosequitur: „Denique tanta vi, tanta providentia legum divinarum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite, quod ad conjugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam, cujus sapientia et fugam temporum et injurias hominum et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit . . . Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse Ecclesiam catholicam sanctitati et perpetuitati conjugiorum tuendae semper intentam.“ Recensitis vero iis, quae Ecclesia ad tuendam matrimonii sanctitatem olim sanxerat, concludit: „Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis divortia a se facta, ut rata Ecclesiae essent, minaciter petentibus, toties existimandi sunt, non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitate gentium propugnavisse.“ Cf. Palmieri th. 29. n. 15 ss.

studio magis aliena et integra, hinc longe aptior ad sancte moderandum matrimonium, circa quod vehementissimae hominum passiones versantur; tum quod **d.** finis matrimonii est materiam suppeditare aedificandae Ecclesiae.

631. **Demonstratio p. II.** Hanc potestatem competere soli Ecclesiae, non etiam principibus laicis, solemniter declarat Pius VI. et evincit can. 12 sess. 24 conc. trid. (n. 628): „Omnes illi anathemati subjiciuntur, qui causas matrimoniales negant pertinere ad Ecclesiam et ecclesiasticos judices: quo quidem canone certum est, non eos modo comprehendi, qui docent, esse summarum potestatum hujus seculi leges de nuptiis dicere, sed eos quoque, qui factis hoc ipsum confirmant, quique auctoritatem nanciscuntur a laica potestate, et qui causas nullitatis matrimonii tamquam regii delegati definiunt."

1. Sane si matrimonium est sacramentum ed ideo subest potestati Ecclesiae ejusque administrationi, eo ipso nullam, quod vinculum attinet, principes habere possunt in illud potestatem, nisi dicamus, et ipsis dispensationem administrationemque sacramentorum esse concreditam.

2. Si ipsi principes possunt pari jure statuere impedimenta dirimentia, Ecclesia eos injuria afficeret declarando rata matrimonia, quae illis sunt irrita, et vicissim. Et iterum si principibus persuasum fuisset, se eodem jure posse de causis judicare matrimonialibus, nulla apparet ratio, cur causas suas detulerint ad romanos pontifices, et ab illis potuerint cogi ad sequendum latum ab ipsis judicium, etsi saepe ingratum.

3. Fieri nequit vel saltem congruum non est, ut eadem causa ad duas potestates prorsus diversas sibique saepe contrarias aeque et immediate pertineat, ne efficax ponatur causa controversiae et dissidii perennis absque medio illud peremptorie componendi: Deus enim auctor non est discordiae sed amator harmoniae et pacis. Atqui potestas civilis et ecclesiastica sunt prorsus diversae. Ergo non videtur probabile, matrimonium utrique sub eodem subjici respectu. Vidimus vero illud, quod valorem attinet, spectare ad potestatem ecclesiasticam: ergo sub hoc respectu subtractum censeri debet potestati civili. Quocirca damnavit Pius IX. prop. 71 syllabi: „Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere." Cf. Palmieri th. 32.

632. **Scholion I.** *De canonibus tridentinis.* — Non moramur eos, qui quo facilius suos de matrimonio errores, quos hisce thesibus refutavimus, tueantur, contendunt, canones trid. sess. 24 plerosque omnes, nominatim 4. 5. 6. 7. 8 et 12, non esse dogmaticos, sed disciplinares tantum, ideoque mutabiles. Nimis enim evidens est, in iis agi de doctrina, non de disciplina, ut patet **a.** ex forma ipsa: „Si quis dixerit;" **b.** ex ipsa definitionis materia, quae sunt Ecclesiae in docendo infallibilitas, jura, matrimonii proprietates, objecta scil. doctrinae, non disciplinae mutabilis; **c.** ex scopo concilii, quod voluit

hisce anathematismis seu canonibus novatorum haereses et errores exterminare; **d.** ex analogia cum aliis sessionibus, quarum canones sunt dogmatici, non mere disciplinares: quae vero ad disciplinam spectant, habentur in decretis de reformatione; **e.** ex consensu theologorum, qui post concilium hos canones pro dogmaticis habuere. Merito ergo Pius IX. damnavit prop. 70 syllabi: „Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.“ Multo vero magis Launoji figmentum est spernendum, hisce in canonibus nomine Ecclesiae esse intelligendos principes laicos: quod adeo est ineptum, ut refutationem ne mereat quidem, mirumque videri debeat, virum alioquin eruditum, hoc serio affirmare potuisse. Cf. Palmieri th. 28.

633. **Scholion II.** Sicut Ecclesia et ipsa sola statuere potest impedimenta dirimentia, ita ipsa sola potest eadem, quae juris sunt ecclesiastici, abrogare et in eisdem dispensare. Jure ergo Pius VI. prop. 60 synodi pistoriensis, „quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata: item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,“ damnavit tamquam „libertatis ac potestatis Ecclesiae subversivam, tridentino contrariam, ex haereticali supra damnato principio profectam.“ Nomine autem Ecclesiae intelligi nequeunt sive episcopi seorsim sumpti, sive in concilium particulare congregati: carent enim episcopi jure proprio ad dispensandum in lege universali. Cf. Palmieri th. 35.

634. **Scholion practicum.** Cum maxima hominum adultorum pars matrimonium ineat, a matrimonio autem pendeat bonum ipsorum conjugum, familiae, societatis civilis et Ecclesiae, et cum circa illud in primis versentur hominum passiones vehementes: necesse plane est, ut fideles idea quantum fieri potest nobili vereque christiana circa illud imbuantur, ne concupiscentiae aestu abrepti ipsum profanent, sed ut potius sancte illud ineant, servent fideliterque in eo perseverent. Ostendatur ergo

1. hujus institutionis praestantia et quidem tum ex parte auctoris, qui est **a.** ipse Deus rerum omnium creator et provisor, qui matrimonio humani generis propagationi et perpetuitati consuluit, ideoque ipsum **b.** mira efficacique plane benedictione auxit; Christus vero **c.** benefica sua praesentia honestavit (n. 593), imo **d.** sacramenti dignitate nobilitavit; tum ex parte prolis, quae est Dei imago destinata ad filiationem Dei adoptivam et beatitudinem coelestem.

2. Inculcetur fidelibus matrimonii dignitas ratione finis: neque enim matrimonii finis unicus vel primarius est libidinis impletio, quamvis hac in re Deus indulgeat 1. Cor. 7, 2 ss., sed **a.** mutua conjugum perfectio et complementum (n. 587); **b.** generis propagatio; **c.** suppeditatio materiae Ecclesiae aedificandae (n. 592), hinc **d.** multiplicatio servorum, imo filiorum Dei horumque **e.** institutio non solum in ordine naturali, sed et in ordine salutis (n. 593). Ob oculos ponatur

3. significationis sanctitas: repraesentatio unionis Christi cum Ecclesia; qui honor ferax est officiorum, nam gravissima hinc redundat in conjuges obligatio se mutuo promovendi in via virtutis. Explicentur

4. proprietates plane singulares hujus contractus: unitas et indissolubilitas, et quidem etiam in casu sterilitatis, infirmitatis perpetuae, violentae separationis, adulterii: hinc colligatur matrimonium esse contractum singularem (n. 595), gravem, sacrum maximique momenti.

5. Fructus recenseantur laetissimi matrimonii sancte initi (cf. n. 593[c]), contra tristissimae sequelae, quae ex matrimonio male inito redundant in ipsos conjuges, prolem, societatem civilem et Ecclesiam. Hinc tot Ecclesiae circa matrimonium curae et statuta (n. 629[8] a), impedimenta dirimentia et impedientia, denunciationes, tempus clausum, preces (n. 591[2]), confessio et communio ex multarum synodorum provincialium praescripto illi praemittenda.

Tractatus X.

De Deo omnium rerum consummatore.

635. Postquam consideravimus opera Dei, in primis hominis, propter quem reliqua fere omnia sunt, creationem, elevationem, lapsum, per Christum reparationem et sanctificationem: considerandum demum est operum divinorum fastigium et complementum, quo omnium consummatio continetur. Duplicem consummationem distinxeris: consummationem singulorum hominum, quatenus sunt individua, et consummationem omnium hominum seu generis mundique universi. Considerari praeterea potest nexus, qui intercedit inter illos, qui jam sunt consummati, et eos, qui adhuc in via sunt ad consummationem. Quare tres sunt hujus disputationis sectiones.

Sectio I.

De consummatione singulorum hominum.

636. Ingredientibus viam aeternitatis per mortis januam pro meritorum diversitate alius atque alius est paratus locus, locus scil. beatitudinis et praemii, vel damnationis et poenae; illius atrium est purgatorium iis, qui nondum perfecte mundati hac vita excedunt; hujus appendix est limbus illis destinatus, qui in solo peccato originali moriuntur. De hoc quadruplici statu deque morte, quae janua est ad illum, quinque capitibus disseremus.

Caput I.

De morte et judicio, quod illam consequitur.

637. Mors spectari potest **1.** in se ut vitae finis; **2.** ut est janua aeternitatis propter judicium, quod eam consequitur; ut **3.** ingressus in aeternitatem per judicii exsecutionem, quae mortem immediate excipit.

Ea autem opponitur vitae hujusque continetur cessatione: quare sicut triplex in primis distinguitur vita, ita etiam triplicis mortis mentio occurrit in divinis literis. Sermo enim est de vita gloriae, cui opponitur damnatio, perditio, mors aeterna, secunda; de vita gratiae sive habituali sive etiam actuali, cui opponitur peccatum grave, quod dicitur mors animae, ideoque mortale. Plerumque vero vitae nomine intelligitur vita naturalis, quae cessat dissolutione unionis animae cum corpore. Hoc porro sensu mors multiplici prorsus modo designatur in divinis literis [1]): **a.** ut sequela, poena et fructus peccati, opus diaboli Joan. 8, 44, quam Deus non fecit Sap. 1, 13; inimicus Christi ab eo vincendus 1. Cor. 15, 26. 54 s.; **b.** (formaliter) ut dissolutio Phil. 1, 23; depositio tabernaculi terrestris 2. Petr. 1, 13. 14; 2. Cor. 5, 1; **c.** ratione vitae, quam exstinguit, ut finis Matth. 10, 22; quies Apoc. 14, 13; exitus Hebr. 13, 7; **d.** ratione vitae futurae, quae illam excipit, ut via Jos. 23, 14; iter Sap. 3, 2; peregrinatio 2. Cor, 5, 4 s. (dies natalis a patribus); **e.** ratione futurae resurrectionis ut somnus, dormitio Deut. 31, 16 etc.; ratione ejus **f.**, quod post eam contingit, ut reditus in pulverem Gen. 3, 10; collectio ad patres (in V. T.) Gen. 15, 15; reditus ad Deum Eccl. 12, 7. Omissis autem absurdis quibusdam de morte erroribus, tria de ea sunt tenenda: **1.** eam peccati esse sequelam, qua de re egimus t. II. n. 336; **2.** universalem et **3.** eam terminum imponere statui viae. Mortem revera esse universalem, adeo est evidens, ut probatione non indigeat.

638. Quaeritur autem, *num lex mortis nullam admittat exceptionem.* Dubium **1.** oritur ob Eliam et Henoch, quos mortuos non esse Scriptura innuit: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem* Hebr. 11, 5 col. 4 Reg. 2, 11; clarius vero tradunt patres. »Eliam et Henoch, inquit Augustinus de pecc. orig. II, 24, non dubitamus in quibus nati sunt corporibus vivere.« Verum plures patres et theologi innixi Apoc. 11, 3 ss.: *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis . . . Et cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos et occidet eos*, censent, eos in fine mundi esse morituros. Hinc jam Tertullianus de anima c. 1: »Nec mors eorum reperta est, dilata scilicet, ceterum morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo exstinguant.« Cf. Stentrup th. 160.

2. Dubium aliud oritur ex verbis Pauli 1. Thess. 4, 14 ss.: *Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt . . . et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra;* in primis ex 1. Cor. 15, 51 (secundum textum graecum): Πάντες οὐ

[1]) De ea multa ingeniosa et utilia habent patres, ut Chrysostomus hom. 34 in Matth. n. 4 s.; Gregorius nyss. orat. in funus Pulcher. (II, 955); Methodius in fragm. de resurr. n. 4 ss. (Migne patrol. gr. 18, 267 ss.). Cf. Heilger Katholik 1888. II, 49—69.

κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα [1]). Quibus adde 2. Tim. 4, 1, ubi Christus dicitur *judicaturus vivos et mortuos,* quae de vivis et mortuis sensu proprio, non de spiritualiter vivis et mortuis videntur intelligenda. Hinc patres graeci et ex latinis nonnulli opinantur, eos, qui tempore secundi adventus Christi sunt victuri, non esse morituros. Qua sententia relata Augustinus q. 3 ad Dulcitium fatetur: Nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare.« Oppositam tamen sententiam tuentur plerique patres latini innixi tum versioni vulgatae, tum aliis effatis, quibus passim mortis affirmatur universalitas. Verum dissensus tantum est apparens, nec difficulter patres revocantur ad harmoniam. Si enim mortis nomine intelligitur habitualis status seu somnus mortis, qui duret nec sit momentaneus: certum est, non omnes esse morituros; si vero nomine mortis intelligitur mors actualis seu vitae naturalis cessatio, quam consequeretur, status mortis, nisi excluderetur omnipotentia Dei subitanea resuscitatione et immutatione, tenendum omnino est, omnes esse morituros. Ceterum relata sententia de mortis universalitate, ita prosequitur Gennadius de eccl. dogm. c. 7: „Verum quia sunt alii et alii aeque catholici et eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem et immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi inveniendi sunt et hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem praesentis vitae immutatione deponant, non morte; quolibet quis acquiescat modo, non est haereticus, nisi ex contentione haereticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiae lege, carnis resurrectionem credere futuram de morte.« Quibus similia habet Augustinus de civ. Dei, XX, 20.

639. Alia mortis proprietas est, *quod finem imponit statui viae,* illi scil. statui, in quo homo potest suam operari salutem; quod significat toties Christus, quoties hortatur, ut parati simus, quia qua hora non putamus ipse veniet ad exigendam villicationis nostrae rationem Luc. 12,40; docent saepe aliis modis s. Scripturae et patres (cf. supra n. 231[2]; 640 et th. 271), atque inde quoque colligitur, quod alioquin omne vitae praesentis momentum, Ecclesiae et sacramentorum necessitas, virtutis studium etc. pereunt. Quare „tempus acquirendi vitam aeternam, inquit Fulgentius de fide n. 36, in ista tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit esse etiam poenitentiam fructuosam.“

640. *De judicio particulari.* — Mortem mox excipit judicium, quod particulare dici solet, ut patet

1. ex Scripturis Eccli. 11, 28: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* Hebr. 9,27; *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium,* quae vix concilies cum figmento,

---

[1]) Versio vulgata habet: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, quae in codicibus graecis non reperiuntur: lectionem vero graecam exhibent versiones syriaca et arabica, patres graeci, codices fere omnes (nonnulli codices habent: Πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, cui lectioni favet versio aethiopica, eaque teste Augustino de civit. Dei XX, 20 et ep. 193 n. 10 transiit in nonnullos codices latinos), eique suffragari videntur contextus et collatio cum 1. Thess. 4, 14 ss. Cf. Hieronymus ep. 119 ad Minervium et Alex.

inter mortem et judicium nescio quot seculorum intercedere somnum vel statum indifferentiae: illisque locis, ex quibus liquet mox post mortem discrimen saltem aliquod esse inter bonos et malos, ut ex parabola epulonis Luc. 16, 22 ss.; ex verbis Christi ad latronem poenitentem 23, 43; ex iis, quae de Juda testatur Petrus Act. 1, 25; ex visionibus s. Joannis in Apocalypsi 7, 9; 6, 9 ss.; 20, 4 etc.; ejusmodi vero discrimen supponit jam praecessisse judicium.

2. Colligitur ex doctrina patrum. Ita Augustinus de anima et ejus orig. l. 2 n. 8: „Nam illud, quod rectissime et valde salubriter credit (Victor), judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari, atque in ipsa, in qua hic vixerunt carne, torqueri sive glorificari, hoc itane tandem ipse nesciebas? Quis adversus Evangelium tanta mentis obstinatione obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae et in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur (Luc. 16, 22), ista non audiat vel audita non credat?“

3. Accedit fidei analogia. Credendum enim est, ut videbimus, justos post mortem purgari, vel si mundatione non indigent, mox recipi in coelum, malorum vero animas post mortem detrudi in infernum: quod supponit latam sententiam, sententia vero judicium [1]).

641. *Sententia lata mox exsecutioni mandatur.* De justis, qui purgatione indigent, nulla est difficultas, cum practica Ecclesiae fides, quae statim a morte pro eorundem e purgatorio liberatione Deum orat, supponat illorum animas sine dilatione post mortem recipi in purgatorium. De improbis id saepius [2]) ab Ecclesia est definitum ut a Benedicto XII. in constitutione ‚Benedictus Deus‘ a. 1336, in qua legimus: „Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem animae decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur.“ Id porro tenendum est adversus aliquot Orientis sectas (quosdam scil. ex nestorianis, armenis, jacobitis, coptis, graecis schismaticis) necnon quorundam novatorum (anabaptistarum etc.) somnia, et probatur ex parabola epulonis Luc. 16, 22 s. et ex Judae fato Act. 1, 25; ex patrum suffragio: ita e. g. Gregorius M. dial. IV, 28: „Si-

---

[1]) In schemate const. dogmaticae de doctr. cath. conc. vaticano propositae cap. 5 inter alia statuitur: ‚Post mortem, quae est viae nostrae terminus, mox ad Dei tribunal sistimur, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum (2. Cor. 5 10), neque ullus post hanc mortalem vitam relinquitur locus poenitentiae ad justificationem.‘

[2]) Cf. confessio fidei Mich. Palaeologi in conc. lugd. oblata; professio fidei graecis a Gregorio XIII. et professio fidei orientalibus ab Urbano VIII. et Benedicto XIV. praescripta. Cf. Mamachi in op. de animabus justorum in sinu Abrahae I, 91 ss. annot.; Knoll § 756 ss.

cut electos beatitudo laetificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.“ Cf. s. Thomas c. gentes IV, 91, ubi inter alia notat: „Nulla ratio est, quare in punitione vel praemiatione animarum expectetur resumptio corporum, quin magis conveniens videtur, ut animae, in quibus per prius fuit culpa et meritum, prius etiam puniantur vel praemientur.“

642. **Scholion.** *De daemonum statu.* — Circa daemonum post suum lapsum conditionem non una est veterum sententia. Non desunt

1. qui censeant, eisdem concessum fuisse tempus agendae poenitentiae; ita Clemens alex. Stromat. I, 17; Ambrosiaster in Eph. 3 10; auctor consult. Zachaei christiani (Migne 20, 1101 s.); Philastrius haer. 114; Pseudo-Basilius in Is. 14, 19 n. 279; Isidorus thessal. (sec. XIV.) or. in deiparae annunc. Cf. supra II, 416[3].

2. Alii praeeunte Justino Apol. I. n. 28 putant, diabolum aeternam suam ignorasse damnationem ac primum ex Christi didicisse verbis. Ita Irenaeus V, 26 n. 1: „Bene Justinus dixit, quoniam ante adventum Domini nunquam ausus est satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens damnationem suam;“ quae refert etiam Eusebius H. E. IV, 18. Ita auctor carminis adv. Marc. I, 3; Epiphanius haer. 39 n. 8; Isidorus pelusiota ep. II, 90; Oecumenius in c. ult. ep. 1 s. Petri.

3. Aliam sententiam ita enunciat Petavius de angelis III, 4 § 19: „Haec antiquorum fere theologorum opinio exstitit, nondum igne illo sempiterno ac novissimo gravissimoque supplicio affici daemones: sed hoc in extremi judicii tempus reservari. Unus nunc Beda (in Jac. 3, 6) nobis occurrit, qui illos gehennae incendio cremari diserte asserit . . . Sed complures ac fere vetustiores aliter sentiunt, ut ad Matth. c. 8 Maldonatus fatetur. In quo prudentius consultiusque facit quam plerique theologi, qui antiquos illos, quos citavi, patres invitos ab ea, quam perspicue tuentur, ad suam communemque sententiam transferre student, ac tormentum illud extremum daemonum, quod iis dies judicii afferet, secus interpretantur, quam illorum testimonia ferunt.“ Innituntur patres praesertim Matth. 25, 41; Judae 6; 2 Petr. 2, 4. 9; 3, 7; Apoc. 12, 9 ss. Quocirca vulgata admodum est apud veteres sententia, daemones inferno nondum includi sed per aëra vagari. Ita passim Augustinus, ex. gr. de civit. Dei XI, 33: „Peccasse autem quosdam angelos et in hujus mundi ima (infra dicit aërium coelum) detrusos, qui eis velut carcer est, usque ad futuram in die judicii ultimam damnationem ap. Petrus apertissime ostendit dicens, quod Deus angelis peccantibus non pepercerit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradiderit in judicio puniendos (2. Petr. 2, 4).“ Ita et s. Bonaventura in 2 d. 6 a. 2 q. 1: „Sicut patet ex Scripturis locus daemonum post lapsum usque ad diem judicii non est locus subterraneus, quem vocamus infernum, sed aër caliginosus, in quo daemonum multitudo inhabitat.“ Imo Hieronymus in Eph. 6, 12: „Haec autem omnium doctorum opinio est, quod aër iste, qui coelum et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.“ Cf. s. Thomas 1. q. 64 a. 4; Scheeben § 194.

4. Communior modo est sententia, daemones jam nunc pati inferni poenas, nam teste Thoma l. c. ad 3 „melius est dicendum, quod idem sit judi-

cium de malis animabus et malis angelis, sicut idem judicium est de bonis animabus et bonis angelis.« Neque huic sententiae adeo adversantur patres, ut censet Petavius: nam cum ea optime conciliatur daemonum per aërem vagatio, quae tamen in judicio ultimo eis subtrahetur: unde eorum augebitur poena, et quidem his ex causis, ut docet Bellarminus de beat. sanctorum c. 6: »**1.** quia non poterunt amplius hominibus nocere; **2.** quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum Deo debitum, ut modo faciunt, dum ab ethnicis et necromanticis adorantur; **3.** quia tunc patebunt eorum fraudes et debilitas, cum omnes intelligent eos a viris, feminis, pueris superatos; **4.** quia non solum a Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur (1. Cor. 6, 3).« Quocirca ultimum judicium admodum timent; hinc illae eorum voces: *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos* Matth. 8, 29; Marc. 5, 7; Luc. 8, 28: *Rogabant illum* (Jesum), *ne imperaret illis, ut in abyssum irent.*

643. Gravior est difficultas de animabus perfecte mundis, quare sit

Thesis CCLXVIII. ***Animae justorum, quibus nihil luendum superest, non exspectata corporum resurrectione, neque universalis iudicii die protinus post suum e corpore discessum visione beatifica donantur.***

Declaratio. Thesis est de fide, ut patet ex pluribus Ecclesiae definitionibus. Ita e. g. Benedictus XII. l. c. statuit: „Homines pios plene purgatos vel justos ex hac vita decedentes statim assequi beatitudinem et visione Dei beatifica perfrui“ Statuitur autem contra plures Orientis haereticos, qui generatim sententiae exsecutionem ad diem ultimi judicii differunt, qui error placuit etiam nonnullis e protestantibus, anabaptistas, necnon plures e socinianis et arminianis, qui animarum somnum (psychopannychiam) propugnarunt a morte usque ad diem judicii; statuitur et contra quosdam theologos scholae, qui concedebant quidem justis ante diem judicii visionem Christi hominis, non vero fruitionem ipsius Dei.

Quae quidem opinio a pluribus tribui solet fratribus O. Min., sed ea de re ita scribit Wadding Annal. Minor. ad annum 1331 n. 10: »Quaestio haec, quae satis molesta et diuturna fuit, primum publice mota fuit a Joanne (XXII.) pontifice anno 1333 teste Joanne Villano coaevo scriptore (quantumvis ante duos annos eam adinvenerit et mente conceperit). Porro quod franciscani prius eam docuerint, tenuerint aut foverint, vel in eorum in hac re sententiam Joannes inclinaverit, merum commentum est, quippe nullus gravis historicus Minoritis hujus opinionis originem tribuit, omnes scriptores auctorem primum hujus controversiae scribunt Joannem pontificem. Cui rei argumento est, quod nullus reperietur franciscanus, qui in hujus opinionis favorem quidpiam scriptum reliquerit. Quod vero Gulielmus astiensis inquisitor Avenione in curia pontificia Thomam Valentem anglum ex ordine Praedicatorum contrariam sententiam coram pontifice praedicantem in carcerem conjecerit, non ideo fecit, quod ipse cum Joanne senserit, sed quod praedicator minus religiose et magis audacter, quam oportuerit, ipsum pontificem non obscure, Bzovio ipso hic et alibi teste, perstrinxerit, divinam maledictionem imprecatus assertoribus illius sententiae, praesertim cum eo tempore Joannes nihil tenaciter defenderit, nec constanter

asseruerit in hac quaestione. Irreverentia praedicatoris, non veritatis praedicatio in causa fuit, ut carceri manciparetur.« Ceterum jam sec. III. Origenes in synodi arabica refutavit somniatores somni animarum. Cf. Eusebius H. E. VI, 37; Hefele Conciliengesch. I, 101 ed. 2.

644. **Demonstratio. 1.** Probatur ex verbis Pauli 2. Cor. 5, 1 ss.: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis . . . Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus et non per speciem): audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum.* Philip. 1, 21 ss.: *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo: multo magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos.* Ex hisce enim colligimus, Paulum optasse peregrinari a corpore, dissolvi, mortem reputasse lucrum, idcirco ut praesens esset ad Deum eoque frueretur ac versaretur cum Christo. Atqui frustra optasset mortem, si credidisset, justos demum post resurrectionem Deo frui. Credidit ergo, si nihil luendum obesset, statim post mortem justos praesentes esse ad Deum et versari cum Christo. Hisce vero loquendi formulis ipsam significari beatitudinem coelestem eamque essentialem, patet **a.** ex ipsa vi verborum; **b.** ex aliis locis, in quibus formulis similibus ea describitur ut 1. Thess. 4, 16; Jo. 14, 3; 17, 24 etc.; **c.** ex contextu: agitur enim ibi de ipsa coelesti beatitudine: **d.** ex eo, quod opponitur praesentia ad Deum peregrinationi in corpore, species fidei. Accedit **e.** gravium interpretum auctoritas.

Ita Gregorius M. dial. IV, 25: »Luce clarius constat, quia perfectorum justorum animae, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in coelestibus sedibus recipiuntur, quod et ipsa per se Veritas attestatur (Luc. 17, 37) ... et Paulus dissolvi desiderat et esse cum Christo. Qui ergo Christum in coelo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in coelo negat.« Similia habet Moral. IV, 29. S. Thomas in h. l.: »Confutatur per haec verba error dicentium, animas sanctorum decedentium non statim post mortem deduci ad visionem Dei. Nam frustra sancti auderent et desiderarent peregrinari a corpore, si separati a corpore non essent praesentes ad Deum. Et ideo dicendum est, quod sancti statim a morte vident Deum per essentiam et sunt in coelesti mansione.«

2. Probatur thesis aliis Scripturae effatis. Ita verbis Christi ad latronem poenitentem Luc. 23, 43: *Hodie mecum eris in paradiso.* Etsi enim non una de iis, nominatim de voce paradisi, interpretum est sententia, seposita quaestione de nomine, ea secundum fidelium sensum accepta, ut alia omittamus, dogma catholicum evincunt: nam non aliunde videtur derivandus usus loquendi, quo coelestis beatitudo designatur nomine pa-

radisi, quam ex hisce Christi verbis [1]). Apostolis vero Christus promittit: *Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* Jo. 14, 3. Venit autem Christus non solum in seculi consummatione, sed etiam ad singulos in mortis hora, ut eos, nisi quid obstet, inducat in locum a se paratum, quo evidenter coelestis gloria visione Dei contenta intelligi debet. Quapropter ipse suos solatur: *Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua* Apoc. 22, 12. Quocirca haud raro justorum animae exhibentur in N. T. vel jam incolae paradisi vel mox in locum beatitudinis recipiendae, ut Apoc. 7, 9 ss.; 20, 4; Hebr. 12, 22; Luc. 16, 9. Cf. etiam Luc. 12, 35; Marc. 13, 33.

3. Omissis singulorum patrum testimoniis, dogma argumento generali ex traditione ita cum Constantio [3]) comprobamus: „Fidem nostram jam aevo suo receptam probat Irenaei V, 31 n. 1 ac Tertulliani de anima c. 55 labor, ut eam ex animis fidelium extorqueant. Tum sincera martyrum acta legentes vix unum reperient Justinum, qui non hac spe passus sit, quod moriens in coelum migraret. Hanc fidem, quam conceptis verbis plerique profitentur, saepe Deus visis certiorem fecit. Adeo vero publica erat, ut martyres Christi de ea a judicibus suis interrogatos et ab ethnicis populis irrisos legamus. Nec leve ejusdem fidei testimonium est pia plebis christianae consuetudo, qua ad martyres festinare solebant eosque rogare, ut cum ad Deum in coelum pervenissent, sui apud eum memores esse dignarentur. Quid eos memoremus, qui martyrum acta conscripserunt, cum illos coelo ac Deo potiri quamplurimi significent, ne unus quidem neget? Denique fidem eandem olim in publicis Ecclesiae precibus consignatam nemo negabit, qui antiquum ordinem romanum aut missale gothicum, necnon sacramentarium gallicanum aliaque id generis monumenta consulat. Jam vero cum coelum non sanguis, sed caritas aperiat, eo martyribus aperto, ceteris quoque justis patere facile comprobatur.

645. **4.** Accedunt plura doctrinae capita, quae vel hanc veritatem supponunt, vel ex quibus eadem consequitur. Eam **a.** supponunt patres,

---

[1]) Cf. Passaglia in edit. Petavii Romae 1857 a. ad VII, 14 n. 5; Muratori de paradiso non exspectata corporum resurrect. c. 2 ss., qui c. 7 ss. singulorum patrum pro hoc dogmate affert atque expendit testimonia.

[2]) Praefat. gener. ad op. s. Hilarii pict. § 6 sect. 3 n. 219. Cf. opusc. XIII, 39 ss. 151, 230. Testimonia ecclesiae graecae bene multa ex precibus liturgicis collecta exhibet Joan. Plusiadenus conc. florentino coaevus in egregia apologia pro quinque capitibus synodi florent. c. 4 apud Mig. patrol. gr. 159. 1283 ss. et Nilles in Kalendario manuali 2, 25 ss.: suffragium ecclesiae syrorum reperies apud Bickell s. Ephraemi syri carmina nisibena, Lipsiae 1866 c. 6; patrum testimonia cf. apud Stentrup Soterologiae th. 145.

imo fideles et Ecclesia universa toties fere, quoties de sanctorum intercessione disserunt. Inde enim invocationis sanctorum utilitatem et intercessionis efficaciam probant, quod jam throno Dei assistant ejusque fruantur visione. „Nec dubito, inquit Gregorius naz. or. 18 n. 4 (col. or. 24 n. 19), quin hoc nunc quoque tanto magis deprecatione sua quam prius doctrina praestet (pater meus scil. curam gregis, cujus fuerat pastor), quanto nunc magis Deo appropinquat, ut qui corporeas compedes excusserit, ac limo illo mentis puritatem inficiente liberatus sit, nudusque cum nuda principe et purissima mente versetur, angelici ordinis dignitatem et fiduciam consecutus.“ Ea **b.** consequitur ex iis, quae patres docent de Christi ad inferos descensu.

»Ex quo enim tempore, inquit Gregorius thaumaturgus (Mig. 10, 203), primum Adamum secundus ex inferni fundo, tamquam Jonam ex ceto, eduxit, ac illum, qui deceptus olim fuerat, coeli civem cum magno deceptoris probro ac dedecore effecit: ex eo, inquam, tempore obseratae fuerunt inferni januae, coeli vero fores reseratae liberum atque expeditum (ἀχώλυτον) iis, qui cum fide illuc ascendunt, aditum concedunt.« — Gregorius naz. or. 29 n. 20: »In inferna loca descendit (Christus), sed inde animas evehit.« — Hieronymus in Eph. 4, 9: »Inferiora autem terrae infernus accipitur, ad quem D. N. Salvatorque descendit, ut sanctorum animas, quae ibi tenebantur inclusae, secum ad coelos victor adduceret;« ep. 60 n. 3. — Epiphanius haer. 77 n. 35: »Quin etiam et ad inferos ipsius divinitas cum anima descendit, eosque qui vincti illic attinebantur, vi sua ac potentia liberavit.« Christi ad inferos descensum sanctarumque exinde animarum liberationem veteres christiani imaginibus quoque sculpturisque repraesentabant.

Merito ergo Durandus meldensis episcopus in commentario Joanni XXII. de hac quaestione oblato hanc rationem in primis urget (ap. Raynald. ad c. 1333 n. 49): »Prima facie videtur, quod dicere, quod animae sanctorum decedentium sine peccato mortali et postquam purgatae sunt a culpa veniali, si quam habent, vel a poena cujuscunque culpae debita, non videant Deum facie ad faciem usque post resurrectionem corporum, est negare articulum de descensu Christi ad inferos, quod patet sic: Christus non descendit ad inferos secundum corpus . . . nec secundum deitatem, quia secundum illam est ubique. Igitur descendit secundum animam. Ad quem finem? Ad hunc ut animas sanctorum patrum et aliorum, quae erant in limbo inferni, liberaret secundum illud Zachariae: *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu* (9, 11). In inferno autem non est nisi duplex poena, poena sensus et poena damni: in limbo autem sanctorum non fuit poena sensus, sed solum damni, quae est carentia visionis divinae, a qua nullus potest liberari nisi per visionem divinam, quia privatio alicujus non tollitur nisi per actum oppositum. Ergo si descensus animae Christi ad limbum inferni fuit propter liberationem animarum sanctarum, quae tunc ibi erant, necesse est, quod liberaverit eas a carentia visionis divinae, quod non potuit fieri nisi dando eis visionem beatam: et qui negat, quod animae sanctorum V. T., quae fuerant in limbo inferni, non videant Deum visione beata usque post resurrectionem, negat articulum de descensu Christi ad inferos. Et confirmatur, quia Lazarus sive anima

ejus ante passionem Christi erat in limbo seu in sinu Abrahae in magna consolatione, ut evangelica testatur Scriptura Luc. 16, 25; multo magis anima Abrahae erat in magna consolatione et laetitia. Quid igitur contulit descensus animae Christi ad inferos? Si dicatur, quod tunc perductae sunt ad claram visionem et ejus fruitionem, habetur propositum. Si vero dicatur, quod non, sed quod solum perducti sunt ad ampliorem laetitiam et consolationem: contra, quia secundum prophetiam Zachariae jam allegatam, quae secundum sensum naturalem intelligitur de descensu animae Christi ad inferos, eduxit sanctos sive animas sanctorum de limbo ... dare autem unam consolationem magnam vel parvam de futura liberatione non est eos liberare de vinculis, nec educere de carcere. Ergo propter consolationem ampliorem datam sanctis in limbo existentibus non fuisset impleta dicta prophetia. Relinquitur ergo, quod perducti fuerunt ad visionem Dei.«

Quod si Christus idcirco ad inferos descendit, ut sanctorum liberaret animas secumque ad coelestia perduceret gaudia; manifestum est **c.** discrimen inter justos V. et N. T., quod ita expressit Chrysostomus hom. de ss. Berenice, Prosdoce et Domnina n. 3: »Antea mors ad inferos deducebat, nunc autem ad Christum perducit.« Nam, ut inquit Athanasius ep. fest. 5 n. 2, »Deus coeli januas patefecit perque Dominum nostrum viam absque ullo impendimento ascendentibus munivit;« et Gregorius M. Mor. XIII, 43: »Hoc jam coelestis muneris habemus, ut cum a carnis nostrae inhabitatione subtrahimur, mox ad coelestia praemia deducamur: quia dum conditor ac Redemptor noster claustra inferni penetrans electorum exinde animas eduxit, nos illo ire non patitur, unde jam alios descendendo liberavit. Hi vero, qui ante adventum Domini in hunc mundum venerunt, quantumlibet justitiae virtutem haberent, ex corporibus educti in sinu coelestis patriae statim recipi nullo modo poterant, quia necdum ille venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret et justorum animas in perpetua jam sede collocaret.« Adeo certum visum est hoc discrimen Gennadio, ut illud inter ecclesiastica dogmata referret. »Ante passionem Domini, inquit c. 78. 79, omnes animae sanctorum in inferno sub debito praevaricationis Adae tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam ejus mortem de servili conditione liberarentur. Post ascensionem Domini ad coelos omnium sanctorum animae cum Christo sunt, et exeuntes de corpore ad Christum vadunt exspectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram et perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur etc.« Cf. Mamachi l. c.; Patuzzi de sede inf. III, 2. 7 ss.

5. Accedit analogia cum damnatione, cujus exsecutio non differtur ad ultimi judicii diem (n. 641). Quare cum Floro Magistro (exeunte sec. IX.) in expos. can. missae concludere licet verbis s. Gregorii M. (n. 641): »Luce clarius constat, quia perfecte justorum animae mox ut hujus claustra carnis exeunt, in coelestibus sedibus recipiuntur.«

646. **Scholion I.** *Exceptionibus satisfit.* — Non desunt tamen difficultates, quarum

1. inde petitur, quos in divinis literis praemii et poenae distributio semper ad ultimum et universale referri videtur judicium. Verum **a.** idcirco fere semper judicii universalis fit mentio, quod in illo judicium particulare confirmatur, promulgatur atque consummatur, collato integro praemio vel poena etiam secundum corpus. Quare **b.** judicium particulare non excluditur, sed in

illo continetur. Falsum tamen **e.** est, nullam fieri mentionem judicii particularis et exsecutionis sententiae in illo latae, ut patet ex dictis n. 640. Quare **d.** dicendum est, ita plerumque loqui Scripturas de judicio, ut utrumque significetur.

2. Gravior est difficultas, quae ex patribus petitur. Fatendum enim est, quosdam hac in re errasse, alias ita loqui, ut errori rejecto favere, nec sibi satis constare videantur. Singulorum testimonia diligenter expendit in primis Muratori in op. de paradiso. Principia tantum quaedam statuemus, quibus plures solvuntur difficultates. **a.** Duplex distingui debet quaestio, altera de ipsa beatitudine, altera de beatitudinis loco. Quocirca cum patres dicunt, animas nonnisi post resurrectionem corporum coelum, paradisum ingredi, nunc reservari in sinu Abrahae [1]), in quibusdam esse receptaculis: de beatitudinis finalis loco possunt intelligi, neque inde necessario sequitur, eos ipsam beatitudinem ante resurrectionem negasse. **b.** Duplex distingui debet beatitudo: consummata, adaequata altera, altera inadaequata, incompleta; saepe patres de illa disserunt, quae revera justis post resurrectionem tantum conferetur, quamvis jam antea beatitudine essentiali secundum animam fruantur, sed nondum totali scil. quoad corpus. **c.** Incolumi dogmate catholico quaerere licet, num post resurrectionem beatitudo sit major non solum ratione corporis, sed etiam secundum animam. Rationem id affirmandi aliquam reddit Augustinus de Gen. ad lit. XII, 35: „Post mortem ipsa carne deposita (animam) non sic videre posse incommutabilem substantiam, sicut ss. angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum coelum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.“ Quae repetit etiam Honorius augustod. in scala coeli maj. c. 22. Cf. Thomassinus de Deo VI, 17. Huic sententiae favet praeeunte Magistro l. 4 dist. 49 Thomas in hanc d. q. 1 a. 4 qcl. 1, sed ea minus probatur Bellarmino de sanct. beatitud. l, 5. Secundum eam tamen explicari poterit Bernardus, qui modo Dei visionem sanctorum animis concedere, modo denegare videtur; nam serm. 87 ita disserit: „In hoc ergo statu positi sancti (scil. ante resurrectionem) bibere quidem pos-

---

[1]) Quaeras, quare harum animarum sanctarum status sinus Abrahae dicatur. Respondet s. Thomas in 4. dist. 45 q. 1 a. 2 qcla. 1: „Respondeo dicendum, quod animae hominum post mortem ad quietem pervenire non possunt nisi merito fidei: quia *accedentem ad Deum oportet credere* Hebr. 11, 6. Primum autem exemplum credendi hominibus in Abraham datur, qui primus se a coetu infidelium segregavit et speciale signum fidei accepit: et ideo requies illa, quae hominibus post mortem datur, sinus Abrahae dicitur . . . Sed animae sanctorum post mortem non omni tempore eandem quietem habuerunt: quia post Christi adventum habent plenam quietem divina visione perfruentes; sed ante Christi adventum habebant quidem quietem per immunitatem poenae, sed non habebant quietem desiderii per consecutionem finis. Et ideo status sanctorum ante Christi adventum potest considerari et secundum id quod habebat de requie, et sic dicitur sinus Abrahae; potest etiam considerari quantum ad id, quod eis de requie deerat et sic dicitur limbus (confinium seu velut extrema pars) inferni. Limbus ergo inferni et sinus Abrahae fuerunt ante Christi adventum unum per accidens et non per se; et ideo nihil prohibet post Christi adventum esse sinum Abrahae omnino diversum a limbo: quia ea, quae sunt unum per accidens, separari contingit.“

sunt, sed inebriari non possunt, quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem corporis in fine seculi praestolantur;« et forte etiam clarius serm. 3 in festo omnium SS. n. 3. Cf. Mabillon in praef. ad ejus serm. n. 20—23 et adnot. ad serm. 2 in festo omnium SS. n. 4. Hunc in sensum explicat Julianus Prognosticon l. 2 c. 28 verba Pauli Hebr. 11, 39 s.: *Et hi omnes* (justi V. T.) *testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ceterum hisce verbis illud tantum significat Paulus, justos V. T. non ante novum Testamentum fuisse ad beatitudinem admissos, sed debuisse exspectare N. T., in quo justi per Christi mortem illico ad beatitudinem admittuntur, dummodo macula aliqua ne obstet. **d.** Distinguas stadium fidei implicitae possessionisque pacificae et stadium inquisitionis, dubii, definitionis Ecclesiae (cf. t. I n. 137; 149[4]). Mirum esse non debet, si in illo priori stadio patres subinde minus exacte et clare sint locuti, sed fere semper aliis in locis clarius loquuntur fidemque catholicam profitentur; quare ex his declaranda sunt testimonia obscuriora.

647. **Scholion II.** Falso affirmatur, Joannem XXII. docuisse, imo definisse oppositum errorem. Etsi enim pro opposita opinione diligenter collegit quae ei favere videbantur, adeo ut universitas parisiensis scripserit (ap. Martene in thesauro novo anecdot. I, 1383 ss. ed. paris. 1717): »Vestra sanctitas pulcherrime et subtilissime allegat et quamplures auctoritates adduxit, imo tot, quot non recordamur nos legisse apud doctorem aliquem;« nullam tamen edidit definitionem, ut eadem testatur universitas l. c. et patet ex declaratione Benedicti XII. in definitionis bulla. Cf. Raynaldus in annalibus eccl. ad a. 1331 ss.; Perrone praelect. theolog. t. 5 p. 3 cap. 6 a. 1 prop. 4; Hefele Conciliengesch. VI, 522 ss.; em. card. Hergenroether Kirchengesch. II. 1, 21.

Caput II.

De inferno.

648. Animarum sedes in altera vita peragrantes ab omnium tristissima incipiemus ad laetiora postea profecturi. De inferno tria quaeruntur: ejus exsistentia, poenarum qualitas et duratio. Usu loquendi biblico et ecclesiastico nomen inferni quemlibet animarum locum, mortuorum domicilium, sedi coelesti oppositum, sicut et nomen ᾅδης, significare potest, hinc etiam purgatorium, limbum, sinum Abrahae (idem dicatur de voce hebraica Sch[e]ol), ac generatim sedem animarum, quae coelesti beatitudine carent vel nondum fruuntur [1]). Quare ad rem s. Thomas in 3. dist. 22 q. 2 a. 1 qcla. 2: „Quadruplex est infernus. Unus est infernus damnatorum, in quo sunt tenebrae et quantum ad carentiam visionis divinae et quantum ad carentiam gratiae et est ibi poena sensibilis et hic est infernus damnatorum. Alius est infernus supra istum, in quo sunt te-

[1]) Cf. de horum vocabulorum significatione Atzberger die christliche Eschatologie, Friburgi 1890 pag. a. 1 n. 18.

nebrae et propter carentiam divinae visionis et propter carentiam gratiae, sed non est ibi poena sensibilis, et dicitur limbus puerorum. Alius supra hunc est, in quo sunt tenebrae quantum ad carentiam divinae visionis, sed non quantum ad carentiam gratiae, sed est ibi poena sensus, et dicitur purgatorium. Alius magis supra est, in quo est tenebra quantum ad carentiam divinae visionis, sed non quantum ad carentiam gratiae, neque est ibi poena sensibilis; et hic est infernus sanctorum patrum.“ Usu tamen loquendi nunc recepto inferni nomine designatur in primis damnatorum locus.

649. **Thesis CCLXIX.** ***Transgressiones legis divinae in praesenti vita non remissae in altera a Deo puniuntur.***

Demonstratio. Non probamus inferni exsistentiam ex divinis literis, quae nimis evidenter eam testantur, et quarum auctoritatem increduli non admittunt, omni rejecta revelatione. Quare ad quaedam rationis provocabimus argumenta, quibus etiam usi sunt patres. Horum praecipua paucis complectitur Justinus apol. II. n. 9: „Ne quis forte idem dicat, quod ii, qui existimantur philosophi, strepitus inanes esse ac terricula, quae de improborum in igne aeterno cruciatibus dicimus, ac nostram eo spectare sententiam, ut virtutem homines metu conducti colant, non propter ipsius pulchritudinem, nec quia illis placet; paucis respondebo, nisi ita res se habeat, vel Deum non esse, vel, si sit, nullam hominum curam gerere, nec quidquam esse virtutem et vitium, et inique a legum latoribus puniri, qui praeclara instituta transgrediuntur.“ Quae argumenta ita evolvimus:

1. Legislatoris sapientisque rectoris societatis non solum est minari, sed et inferre poenas iis, qui suas transgrediuntur leges. Atqui Deus supremus est legislator humanique generis rector. Ergo et ipse legum transgressiones puniet. Hae vero saepissime hac in vita manent inultae. Differetur ergo in alteram vitam inflictio poenae.

2. Deus utpote summa sanctitas nequit indifferenter se habere circa virtutem et vitium; ut summa justitia circa aequitatem et iniquitatem; ut summa majestas circa honorem et injuriam sibi illatam. Sicut enim calor ob physicam repugnantiam adversatur frigori, quod et undique expellere nititur, eoque majori intensione et nisu, quo major est: ita sanctitas, quo major est (ut jam cernere licet in sanctis), eo intensiori odio omnem aversatur iniquitatem eamque repellere et reprimere nititur odio, fuga, prohibitione, poenis etc. Atqui Deus foret omnino indifferens, si impoenitentes legum violatores nullis in altera vita afficeret poenis; imo tali conniventia vitia foveret.

Sagaciter Tertullianus adv. Marcionem I, 26 inter alia scribit: „Si offenditur (Deus), debet irasci; si irascitur, debet ulcisci . . . sed non ulcis-

citur (secundum Marcionem): ergo nec offenditur. Sed non offenditur, ergo nec laeditur voluntas ejus, cum fit, quod fieri noluit, et fit jam delictum secundum voluntatem ejus, quia non fit adversus voluntatem, quod non laedit voluntatem ... Malo autem parcere Deum, indignius sit, quam animadvertere, et quidem Deo optimo, qui non alias plene bonus sit, nisi mali aemulus, ut boni amorem odio mali exerceat et boni tutelam expugnatione mali impleat.« Cf. c. 27; II, 11 et 13: »Quis mali extraneus, nisi qui et inimicus? inimicus, nisi qui et expugnator? quis expugnator, nisi qui et punitor? Sic totus Deus bonus est, dum pro bono omnia est.«

3. „Justus est Deus, inquit Chrysostomus hom. 6 in ep. ad Phil. n. 6, omnes fatemur et graeci et judaei et haeretici et christiani. At hinc multi, qui peccaverunt, abierunt impune: multi, qui cum virtute vixerant, tum demum abierunt, cum sexcentas subiissent calamitates. Ergo si justus Deus, ubinam his quidem praemia, illis vero supplicia tribuet, si non est gehenna, si non est resurrectio?“ Quo argumento patres passim adversus gentiles ad probandam resurrectionem utuntur.

4. Optima est ratio s. Thomae c. gentes III, 140: „Sicut res naturales ordini divinae providentiae subduntur, ita et actus humani. Utrobique autem convenit debitum ordinem servari vel etiam praetermitti; hoc tamen interest, quod observatio vel transgressio debiti ordinis est in potestate humanae voluntatis constituta, non autem in potestate naturalium rerum est, quod a debito ordine deficiant vel ipsum sequantur. Oportet autem effectus causis per convenientiam respondere. Sicut igitur res naturales, cum in eis debitus ordo naturalium principiorum et actionum servatur, sequitur ex necessitate naturae conservatio et bonum in ipsis: corruptio autem et malum, cum a debito et naturali ordine receditur; ita etiam in rebus humanis oportet, quod cum homo voluntarie servat ordinem legis divinitus impositae, consequatur bonum, non velut ex necessitate, sed ex dispensatione gubernantis, quod est praemiari; et e converso malum, cum ordo legis fuerit praetermissus, et hoc est puniri.“

5. Suffragatur denique consensus generis humani, quod quovis tempore credidit, impios puniri in altera vita [1]): qui consensus **a.** est universalis; **b.** antiquitate se commendat; **c.** versatur circa doctrinam nullatenus gratam, imo perversae hominum inclinationi admodum ingratam; et **d.** circa doctrinam summi momenti pro universo hominum genere; eosque **e.** tantum habet adversarios, qui vitae probitate non admodum se commendant [2]); neque **f.** alius ipsi fons potest assignari, quam vel primi-

[1]) Cf. testimonia apud Patuzzi de futuro imp. statu I, 6 ss.; Hettinger Apol. des Christenth. II, 2 disp. 12; Lücken, die Traditionen des Menschengeschl. pag. 410 ss.; Schneider das andere Leben, Paderborn 1890; Knabenbauer das Zeugniss des Menschengeschl. für die Unsterblichkeit der Seele, Friburgi 1878.

[2]) Causam, quae inducit libertinos, ut tam libenter negent inferni exsistentiam, reperit Augustinus in seductione daemonis, qui simili fraude, qua olim proto-

tiva quaedam revelatio vel vox conscientiae, quae sicut naturae promulgat legem, legislatorem manifestat, ita simul legis sanctionem revelat. Consensus vero ejusmodi manifestae innititur veritati.

650. **Thesis CCLXX.** ***Inter poenas sensus, quibus puniuntur impii, est etiam ignis isque non metaphoricus, sed verus propriusque.***

Declaratio. Infernus Luc. 16, 28 haud immerito dicitur *locus tormentorum,* quorum gravitas illustratur comparatione instituta cum coelesti beatitudine. Sicut enim **a.** hujus gaudia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, 9): ita et inferni poenas nec oculus vidit, nec auris audivit etc.; sicut **b.** coelum manifestatio est divinae liberalitatis: ita infernus manifestatio est vere divinae justitiae, nam *horrendum est incidere in manus Dei viventis* Hebr. 10, 31. Sicut **c.** in coelo omnem absterget Deus lacrymam ab oculis beatorum, omnem pellet dolorem luctumque (Apoc. 21, 4): ita inferni poenae fletum extorquebunt et stridorem dentium. Nam, ut ait s. Thomas in 4. dist. 50 q. 2 a. 2 qcl. 1, »sicut propter perfectam sanctorum beatitudinem nihil erit in eis, quod non sit gaudii materia: ita nihil erit in damnatis, quod non sit eis materia et causa tristitiae, nec aliquid, quod ad tristitiam pertinere possit, deerit, ut sit eorum miseria consummata.« Cf. n. 653[3] a. Sicut **d.** in coelo regnat amor et benedictio: ita in inferno odium, maledictio, desperatio. Sicut **e.** in coelo universum conspirabit ad beandos justos, ita in inferno *pugnabit cum illo* (Domino) *orbis terrarum contra insensatos* Sap. 5, 21. Sicut **f.** in coelo summa satietas, quies, pax viget ob adeptum finem: ita in illa terra miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat; et quia anima damnata exclusa est a suo fine, ideo fame discruciabitur aeterna, discordia intestina, desperatione. Hinc sicut **g.** ibi vera est vita omnisque potentia et vis perfecte actuabitur: ita in inferno regnabit vera mors, nam omnis potentia afficietur miseria.

---

parentes decepit, eorum posteros seducere molitur, ita ad rem scribens in Ps. 73 n. 25: »Vae, inquit, perversis cordibus: quoniam ita ventura sunt, quae restant, sicut venerunt ista, quae tunc non fuerunt, et ventura praenunciabantur. An vero exhibuit nobis Deus omnia, quae promisit, et de solo die judicii nos fefellit? . . . Veniet omnino, quomodo ista venerunt, veniet, fratres mei. Nemo dicat, non veniet . . . Sufficiat prima deceptio. Si non potuimus primo permanere in praecepto, saltem corrigamur exemplo. Nondum erat exemplum casus humani, quando dictum est ad Adam: *morte morieris, si tetigeris.* Et venit de transverso serpens et dixit: *non morte morieris.* Creditus est serpens, contemptus est Deus. Creditus est serpens, tactum est vetitum, mortuus est homo. Nonne impletum est potius, quod minatus est Deus, quam quod promiserat inimicus? Sic est certe: agnoscimus hoc: inde omnes in morte. Jam vel experti cauti simus. Non enim cessat et modo serpens insusurrare et dicere: numquid vere damnaturus est Deus tantas turbas? Liberaturus est paucos? Quid est aliud, quam facite contra praeceptum, non moriemini? Sed quomodo tunc, sic et nunc. Si feceris, quod suggerit diabolus, et contempseris, quod praecepit Deus, veniet dies judicii, et invenies verum, quod minatus est Deus, et falsum, quod pollicitus est diabolus.« — Ad rem etiam Chrysostomus h. 31 in ep. ad Rom. n. 4: »Si ii, qui talia (contra inferni exsistentiam) dicunt, virtutem amplecti vellent, cito de gehenna persuasi essent, nec dubitarent.«

651. Theologi porro, cum inferni poenas accuratius describunt, communiter distinguunt inter damni poenam et poenam sensus. Illa continetur summo damno, privatione scil. boni summi eorumque bonorum, quae cum hujus fruitione in coelo cohaerent. Hujus nomine intelligitur quaevis poena positiva ultra damni poenam vi legis positivae per aliquam actionem damnatis illata, naturali inclinationi ingrata. Quare triplex est discrimen: **a.** ratione Dei, poena damni consistit in subtractione influxus divini; poena sensus in actione positiva; **b.** ratione animae: illa consistit in privatione, haec in cruciatu positivo; **c.** ratione culpae: illa respondet aversioni a Deo, haec conversioni inordinatae ad creaturas[1]). Inter varias autem poenas sensus eminet ignis, de quo non mediocris est quaestio, sitne proprius, an metaphoricus tantum. Hoc posterius affirmant Origenes de princ. II, 10 n. 4 ss., Calvinus, Beza; ex theologis catholicis Ambr. Catharinus in l. de praem. et suppl., secundum quos ignis symbolo vel generatim exprimitur poenarum gravitas, vel speciatim designantur conscientiae stimuli, desperatio, sicut et metaphora vermis. Communis tamen theologorum et fidelium sententia est, ignem illum esse verum et proprium: qua de re nulla quidem exsistit Ecclesiae definitio, temerarium tamen foret a communi recedere sententia, cujus oppositum theologi nonnulli ut Toletus et Bannez vocant errorem vel errori proximum. Hinc etiam congregatio s. poenitentiariae 30 Apr. 1890 statuit, non esse absolvendos sed instruendos, qui pertinaciter censeant, ignem inferni non esse realem, sed metaphoricum, ideoque autem inferni poenas dictas fuisse ignem, quod nulla aptior sit imago ad significandam atrocitatem illarum, quaecunque demum illae sint, quam ignis, qui dolorem omnium maximum producit. Cum vero dicimus ignem inferni esse verum et proprium, non propterea dicimus, eum prorsus esse eundem cum igne, quo nos modo utimur: vere enim scribit Augustinus de civ. Dei XX, 16: »Qui ignis cujusmodi sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.« Id tamen videtur defendendum, quo vere ignis dici possit, eum esse aliquid externum, physicum, corporale, non mere internum, morale, spirituale, illudque producere dolorem qualem verus ignis solet producere.

652. **Demonstratio. 1.** Probatur assertio ex Scripturis argumento generali: a proprietate verborum sine necessitate non est recedendum. Atqui poenae inferni fere semper vocabulo ignis designantur: nec ulla sufficiens ratio reddi potest, propter quam relinquenda sit propria vocis significatio, imo omnia suadent, ut ea retineatur. Suadet **a.** ejus adeo frequens repetitio, ut desint verba, quibus aptius verus designetur ignis. Suadet **b.** quod in omni loquendi genere occurrit, in poëtico scil., familiari, dogmatico, historico, judiciali. Homines autem de iis

---

[1]) Cf. Lessius de div. perfect. XIII, 29: Pallavicini del Bene l. 1. p. 2 c. 43: Suarez de angelis VIII, 12 n. 1, ubi docet: »Dicitur poena sensus, non quia per actus sensuum vel potentiam sensitive sustineatur, sed quia causam et originem habet ab aliquo sensibili corpore, quod causa est hujus poenae.« Quare damnati praeter poenam damni poenas sensus incurrant, egregie explicat s. Thomas c. gentes III, 145 s. Cf. Schmid qq. selectae q. 3.

rebus, quas proprie significare possunt, non solent semper et ubique metaphorice loqui. Suadet **c.** quod nunquam haec metaphora explicatur. Unica vero ratio **d.** recedendi a sensu proprio est difficultas explicandi modum, quo ignis torqueat spiritus: quam non tanti esse faciendam, cum agitur de veritatibus revelatis, inductione fere omnium dogmatum liquet. Neque excipias, poenas inferni designari etiam nomine vermis, qui certe metaphorice est intelligendus. Memineris enim Christum uno tantum in sermone Marc. 9, 43 ss. uti voce vermis, ideoque licebit eam accipere metaphorice; vocabulum vero *ignis* ubique occurrit, quapropter metaphorice non debet accipi nisi id gravibus probetur rationibus. Quod si dubium supersit, id traditione exegetica excluditur. Atqui vermis a paucis proprie accipitur, ignis vero fere ab omnibus, et a nemine significatio propria diserte excluditur.

2. Probatur speciatim ex Matth. 25, 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*: quo in loco ignis exhibetur **a.** terminus, ad quem damnati discedant; dicitur **b.** paratus a Deo, et quidem **c.** diabolo et angelis ejus, illique **d.** addicuntur damnati vi sententiae positivae judicis aeterni: quae minus apte de conscientiae stimulis deque verme desperationis dicuntur.

653. **3.** Probatur clare ex patribus, qui non solum suam loquendi rationem ad s. Scripturam exigunt, hinc ad omnem paginam inferni poenas ignis nomine designant, verum ejusmodi addunt apposita comparationesque, quae metaphoram omnem ab illo excludant.

Sane **a.** passim tamquam mirum quid affirmant, ignem illum quidem urere, non vero lucere, ut s. Basilius explicans verba Ps. 28, 7: *Vox Domini intercidentis flammam ignis* n. 6:

„Certe multo admirabilius est ignis naturam intercidi, quam mare rubrum in partes dividi. Attamen Domini vox ignem suapte natura continuum ac sibi cohaerentem intercidit. Quamquam igitur ignis consiliis humanis insecabilis ac individuus videtur esse, nihilominus tamen Domini jussu interciditur atque dividitur. Ignem autem, qui diabolo et angelis ejus in supplicium paratus est, voce Domini intercidi reor, ut cum duae sint in igne facultates, quarum una comburit, altera illustrat, ignis quidem asperitas atque torquendi proprietas iis, qui adustione digni sunt, servetur: illius vero splendor et claritas ad hilaritatem eorum, qui laetam ac beatam vitam acturi sunt, destinetur. Vox igitur Domini intercidentis ac dividentis flammam ignis, adeo ut supplicii quidem ignis obscurus sit, lux vero requietis vi careat comburendi.“ — Quod si quaeras, quare in inferno ignis non clare luceat, respondet s. Thomas supplem. q. 97 a. 4 statuta hac regula: „Dispositio inferni erit talis, quod maxime miseriae damnatorum competat. Unde secundum hoc sunt ibi lux et tenebrae, prout maxime spectant ad miseriam damnatorum.“ Hinc infert, aliquid saltem lucis esse in inferno, ut „sub quadam umbrositate videantur ea, quae afflictionem cordi ingerere possunt.“

Conferunt **b.** inferni ignem cum nostro et multiplex assignant discrimen, nunquam vero illud, quod ignis terrenus sit verus, infernus improprius atque metaphoricus tantum.

Potiora discriminis capita sunt haec: Differunt α. duratione. „Cum ignem audis (inferni), inquit Gregorius nyss. or. catech. c. 40, didicisti aliquem ab illo (nostro) diversum intelligere ex eo, quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc; nam ille quidem non exstinguitur, hunc autem multa sunt inventa, quae exstinguant. Magna autem est differentia inter eum, qui exstinguitur, et eum, qui nullam admittit exstinctionem.“ — Differunt β. munere, ignis enim terrenus nobis servit, donum est divinae providentiae; infernus vero punit atque instrumentum est divinae justitiae. — Differunt γ. effectu, cum ignis terrenus urat atque comburat; ille vero urat, sed non comburat. Ita Min. Felix in Octavio n. 35: „Nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt; sicut ignes Aetnae et Vesuvii et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur, ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.“ Lactantius Div. inst. VII, 21: „Idem igitur divinus ignis una eademque vi atque potentia et cremabit impios et recreabit, et quantum e corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi aeternum pabulum subministrabit.“ — Differunt δ. natura et indole. Ignis sempiterni „natura diversa est ab hoc nostro, inquit l. c. Lactantius, quo ad vitae necessaria utimur, qui nisi alicujus materiae fomite alatur, exstinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus et in aquae modum fluidus.“ Quae omnia paucis complectitur s. Ephraem in serm. exeg. op. ed. syr. lat. II, 354: „Omnes debent fateri et credere, seculi videlicet illius ignem hoc nostro longe esse atrociorem. Nam ut iste maxime efficax sit, nitet tamen et splendet: ille vero, cum vehementissime ferveat et acerrime urat, horrendis tamen involvitur tenebris et noctem affert teterrimam. Iste obvium nutrimentum usque eo depascitur, donec absumpserit: si quid autem contrarium inciderit exstinguitur, cessat et evanescit. Contra ille ignis nunquam restinguendus non absumit, quos torquet, miseros, nec enim absumere jussus est, sed tantum urere ac torquere. Ignis iste coquit cibos et esui aptos reddit et algorem expellit. Ille suis flammis praeter tenebras etiam dentium stridorem miscet, sontes tenebrosus depascitur, depopulatur, desolat ac torquet, ut expers lucis sic etiam finis. Scriptum est enim ignem fore sempiternum.“ Ratione horum discriminum patres aliqui ignem hunc incorporalem vocant, non ut negent ignis veritatem, sed omnimodam identitatem cum nostro.

Conferunt **c.** inferni ignem cum igne, quo consumptae fuere Sodoma et Gomorrha, ut Chrysostomus hom. 4 in ep. a Rom. n. 3; vel cum igne subterraneo montium, qui dicuntur ignivomi. Ita Pacianus paraen. ad poenit. n. 11: „Vim gehennae et de praesentibus aestimate, cum fumariola quaedam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt.“

Distinguunt **d.** inter poenas corporis et animae; inter poenas vero corporis ignem recensent. „Duplex damnatorum poena est in gehenna,

ait Isidorus hisp. de summo bono I, 3: quorum et mentem urit tristitia et corpus flamma justa vicissitudine, ut qui mente tractaverant quod corpore perficerent, simul et animo puniantur et corpore."

e. Quaerunt praeterea, quo pacto ignis torquere possit spiritus.

Quam possibilitatem Augustinus ita nititur illustrare de civ. Dei XXI, 10: „Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei et nunc potuerunt includi in corporalibus membris et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi." — Ita vero Gregorius M. Petro interroganti, qua ratione rem incorpoream ignis tenere possit, respondet dial. IV, 28: „Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne tenetur?" atque concludit c. 29: „Ignem gehennae corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari."

Quare **f.** oppositam Origenis ejusque asseclarum opinionem carpunt: ita Hieronymus [1]) et Orosius [2]), nam, ut ait Prudentius trecensis [3]), „corporeum esse, flammeum atque visibilem mixta obscuritate ignem gehennae omnes orthodoxi consentiunt"; et Hugo a s. Victore de sacr. II, 16 c. 3: „Verissime auctoritate sacri eloquii et catholicae veritatis probatur testimonio, corporali et materiali igne animas etiam nunc ante susceptionem corporum cruciari." Sane vix inter patres reperies, qui opinioni de igne inferni metaphorico faverint. Allegantur quidem Ambrosius in Luc. VII, 205, Gregorius nyss. in dial. de anima et Jo. Damascenus in dial. c. manich. c. 36; verum et hi alibi non semel communi suffragantur sententiae, neque objecta testimonia diserte ignem verum ab inferno excludunt [4]).

3. Accedit consensus scholae, quae quamvis graves videret difficultates in admittendo vero igne, ad explicationes potius improbabiles confugit, quam ut negaret veritatem ignis.

654. **Scholion I.** Gravis est controversia, *quo pacto ignis torquere possit daemones* et animas ante corporum resurrectionem. Qua de re plures sunt theologorum sententiae [5]). Aliquas plane inadaequatas refert s. Thomas

---

[1]) Ep. 59: l. 2 Apol. c. Ruf.; l. 3 in Eph. 5, 6.

[2]) Commonit. ad Aug. n. 3. [3]) Contra Scotum Erig. c. 19.

[4]) Cf. Katholik 1878. II, 225; p. 581 ss. hi patres ab errore vindicantur; Bautz, die Hölle pag. 99 ss.; Passaglia de igne inferno, Romae 1855.

[5]) Suarez, de angelis VIII, 12 ss.; Mazzella de Deo creante disp. 6 § 1; Scheeben Mysterien des Christenthums § 97, ubi ad hanc poenam illustrandam notat **a.** peccatum in ordine supernaturali malitiam quandam induere supernaturalem; ideoque **b.** poenam respondere ordine inverso gloriae supernaturali. Sicut ergo **c.** elevatio fit per lumen supernaturale maxime spirituale: ita poenam infligi per elementum materiale, quod tamen **d.** non agat nisi ut instrumentum justitiae divinae. Bautz § 10 s.

supplem. q. 70 a. 3: „Quidam dixerunt, quod hoc ipsum quod est ignem videre, sit animam ab igne pati . . . Alii dixerunt, quod quamvis ignis corporeus non possit animam exurere, tamen anima apprehendit ipsum ut nocivum sibi, et ad talem apprehensionem afficitur timore et dolore, ut in eis impleatur id, quod dicitur: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor* Ps. 13, 5.“ Ita Guibertus ab. († 1124) de pignoribus SS. IV, 4 (Migne 156, 673 ss.) et Hugo a s. Victore q. 4 in 2 ep. ad Thessal. Sequuntur jam sententiae probabiliores, pro quibus stant graves theologi.

1. Sententia apud scholae theologos sat vulgata statuit, daemones et animas separatas ab igne torqueri alligatione ad eundem ignem, in quo tamquam in carcere inviti teneantur, ita ut neque se inde liberare, nec libere actiones suas, ubi et quomodo voluerint, ponere possint: unde maxime affliguntur. Ita s. Thomas l. c.; c. gentes IV, 90; comp. theol. c. 180; de verit. q. 26 a. 1; de anima a. 21: „Anima enim, inquit, et quaelibet incorporalis substantia, quantum est de sui natura, non est obligata alicui loco, sed transcendit totum ordinem corporalium. Quod ergo alligetur alicui et determinetur ad aliquem locum per quandam necessitatem, est contra ejus naturam et contrarium appetitui naturali: et hoc dico nisi in quantum conjungitur corpori, cujus est forma naturalis, in quo aliquam perfectionem consequitur. Quod autem aliqua spiritualis substantia alicui corpori obligetur, non est ex virtute corporis potentis substantiam incorpoream detinere, sed ex virtute alicujus superioris substantiae alligantis spiritualem substantiam tali corpori . . . et per hunc modum animae et daemones alligantur virtute divina in sui poenam corporeo igni;“ et citatis Augustini verbis n. 653 allatis, prosequitur: „Sic verum est, quod ignis ille, in quantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam ut instrumentum divinae justitiae, et in quantum apprehendit illum ignem ut sibi nocivum, interiori tristitia affligitur. Quae quidem maxima est, cum considerat se infimis rebus subdi, quae nata fuit Deo per fruitionem uniri.“

2. Suarez de ang. VIII, 14 n. 41 ss. tuetur, „terminum scil. productum a gehennali igne in daemone seu spiritu separato esse qualitatem quandam spiritualem in suo ordine doloriferam, dolore utique spirituali ac proinde tanto majore, quanto spiritualia superant materialia.“ Si autem quaeras, cujusmodi sit haec qualitas dolorifera, respondet, difficile esse eam describere, forte esse aliquam qualitatem foedantem, deformantem animam. „Non enim videtur improbabile, quod sicut datur qualitas, quae natura sua reddat angelum vel animam pulcherrimam ultra ejus naturam: ita etiam possit dari qualitas illi alteri ex natura sua repugnans, eo quod foedam et deformem reddat talem substantiam.“ Cum autem hae explicationes non exhauriant vim proprietatemque verborum Scripturae et patrum de igne inferno

3. aliam opinionem proponit Lessius de div. perf. XIII, 30, quae ad haec principia revocatur: **a.** animam pati posse ignem, cum est in corpore; **b.** eam esse principium sentiens quamvis mediante corpore; **c.** vim sentiendi non distingui ab animae essentia, proinde manere post mortem, licet tunc exseri non possit. **d.** Vim intelligendi in daemonibus eminentiori modo circa objecta sensibilia praestare, quod praestat sensus per corpus et in corpore. **e.** Etiamsi objecta externa per se ut causa integra non possint in spiritum naturaliter agere, aut illi aliquam imprimere qualitatem, posse tamen concurrere ut causam partialem una cum vitali ipsius spiritus potentia ad pro-

ducendum in ipso actum vitalem. »His positis, prosequitur, poterimus ita ratiocinari: Si ignis naturaliter per suum calorem potest affligere spiritum hominis mediante corpore, cur idem ignis ut instrumentum Dei non poterit affligere eundem spiritum sine ullo corpore medio? Corpus enim solum se habet ut medium, per quod immediate calor spiritui applicatur, ut ejus praesentia vi sentiendi percipiatur. Deus autem non eget aliquo medio, sed facile omnem medii effectum et defectum supplere potest.«

4. Neque haec satisfaciunt Schmid de hac quaestione plane consulendo, qui variis opinionibus l. c. diligenter expensis hunc fere in modum quaestionem dilucidat. Tenendum est **a.** daemones in suae praevaricationis poenam verum adustionis dolorem pati idque per ignem tamquam per physicum divinae vindictae instrumentum: quod **b.** ut explicetur, admitti debet in spiritibus puris creatis potentia exsecutiva seu locomotiva distincta a vi intelligendi volendique, sane finita, cui propterea objecta externa, corpora etiam, resistentiam opponere seu reagere possunt: alioquin quilibet angelus mundum universum loco movere posset, si nulla resistentia ex parte rei materialis respectu actionis angelicae esset possibilis. Quo supposito **c.** jam via aperitur explicandae origini seu genesi sensus vel affectionis ingratae ortae scil. ex ejusmodi resistentia. Quod si **d.** addas ignem reagere in spiritum qua instrumentum justitiae Dei vindicativae, cui ille omnium virium contentione se subtrahere nititur, sed frustra, potentiamque obedientialem seu radicalem spiritus percipiendae affectionis physicae etiam ingratissimae pro demeritorum mensura divina omnipotentia actuari, quadamtenus saltem explicatur, quomodo ignis verum in spiritu possit dolorem et cruciatum producere distinctum ab eo, quem intellectualis solum consideratio objecti ingrati causat.

655. **Scholion II.** *De poenarum inaequalitate.* — Merito docet Gregorius M. Mor. IX, 47: »Sicut in domo Patris mansiones multae sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennae ignibus subjicit disparitas criminis.« Hoc satis clare docent Scripturae Sap. 6, 6; Matth. 10, 15; Apoc. 18, 6 etc. et omnino exigit Dei justitia reddentis unicuique secundum opera sua Rom. 2, 4 et analogia cum praemio, in quo diversi sunt beatitudinis gradus pro meritorum diversitate. Quod saltem quoad poenam sensus bene illustrat idem Gregorius dial. IV, 43: »Sicut in hoc mundo sub uno sole multi exsistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem aequaliter sentiunt, quia alius plus aestuat atque alius minus: ita illic in uno igne non unus est modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas meritorum.« Summi autem momenti est hoc doctrinae caput ad vindicandam Dei justitiam, cum agitur de poenarum aeternitate adversus incredulos. Ne quis putet leve admodum atque vix consideratione dignum esse discrimen inter varias damnatorum conditiones: inter conditionem infelicis juvenis in infidelitate nati, qui passionis aestu abreptus semel fragilitate humana in letale incidit peccatum, et conditionem haeresiarchae, tyranni crudelis, juventutis seductoris,

qui non solum deliberate, de industria deditaque opera millena commisit crimina, sed et diabolica malitia innumeros induxit ad peccandum atque in aeternam conjecit damnationem. Ingens erit inter utriusque conditionem discrimen, imo infinitum propemodum, milliesque et ultra minor erit illius juvenis miseria et poena prae alterius damnatione.

656. **Scholion III.** *De loco seu sede inferni* diversae sunt sententiae. De eo Suarez statuit de angelis VIII, 16: „Quod infernus sit sub terra dubitandum non est propter communem sensum patrum ita intelligentium Scripturas, quae semper de inferno tamquam de loco inferiori hoc mundo visibili loquuntur, et ideo motum in infernum semper descensum appellant.“ Hinc Augustinus cum dixisset de civ. Dei XX, 26: „Cujusmodi sit ignis inferni et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui divinus Spiritus ostenderit,“ haec retractat II, 24: „De inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur.“ Bene Chrysostomus hom. 31 in ep. ad Rom. n. 5: „Ne igitur quaeramus, ubi sit, sed quomodo eam (gehennam) effugiamus.“ Cf. Patuzzi de inferni sede.

657. **Thesis CCLXXI.** ***Poenae damnatorum sunt aeternae.***

Demonstratio. Statuitur thesis in primis contra origenistas et priscillianistas, contra plures etiam catholicos Augustini tempore, qui misericordes dicebantur, socinianos, recentiores quosdam protestantes, rationalistas plerosque [1]). Ea est de fide, ut patet ex symbolo athanasiano et ex conc. lateranensi IV. cap. Firmiter. Teste Nicephoro H. E. XVII, 28 etiam synodus V. anathema dixit contra errorem: „Temporanea esse daemonum et impiorum homi-

---

[1]) Cf. Wiest instit. theol. t. 6 § 297 ss.; recentiorum opiniones in Etudes 1894. I, 25 ss. et Atzberger l. c. p. 298. Misericordium varias classes bene ex Augustino proponit Faure in annot. ad ejusdem Enchiridii n. 70. Cum recentiori aetate haec veritas iterum a pluribus negetur, paratus erat canon a conc. vaticano sanciendus (cf. coll. lac. VII, 567; 517) de gratia redempt. 5: „Si quis dixerit, etiam post mortem hominem justificari posse, aut poenas damnatorum in gehenna perpetuas futuras esse negaverit, A. S.;“ et cap. 17 haec fusius ita exponuntur: „Sicut vero Ecclesia catholica docet, nulla esse peccata quamvis gravia, quorum remissionem homines in hac vita per veram poenitentiam et virtutem sacramentorum ab infinita Dei Salvatoris nostri misericordia obtinere non possint: ita sacrarum Scripturarum et sanctorum patrum doctrinae et ipsius Ecclesiae catholicae consensui inhaerentes docemus et definimus, post viam hujus vitae, quando homines jam ad terminum retributionis pervenerunt, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum (2. Cor. 5, 10), pro nulla lethali culpa relictum esse locum salutaris poenitentiae et expiationis, sed cuivis peccato mortali, quo maculata anima mox post obitum coram sancto et justo judice Deo comparuerit, poenam constitutam esse perpetuam, sicut ipse aeternus judex testatur: *Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur* (Marc. 9, 43). Unde tamquam haereticam damnamus doctrinam tum eorum, qui negaverint, poenas damnatorum in gehenna fore perpetuas; tum eorum, qui dixerint, quaedam esse peccata mortalia, quorum expiatio et remissio post mortem sperari possit, atque ita eos, qui cum hujusmodi culpae reatu ex hac vita decesserint, non in aeternum damnari.“

num tormenta finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri." Probatur

1. auctoritate Scripturae, quae inferni poenas diserte vocat *aeternas* Matth. 18, 8, *duraturas in secula seculorum* Apoc. 14, 10; 19, 2, „quibus verbis, inquit Augustinus de civ. Dei XXI, 23, nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis." Vocat ignem *inexstinguibilem* et vermem non *moriturum* Marc. 9, 43, quibus citatis notat Augustinus ad Orosium c. 6: „Qualiscunque poena significata sit nomine vermis atque ignis, certe si non morietur, nec exstinguetur, sine fine praedicta est, nec aliud agebat propheta cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret."

2. Nominatim exhibentur damnatorum poenae durationi aequales beatorum gaudiis Jo. 4, 36; Matth. 25, 46 etc., quae profecto fine carent. Quo argumento utitur Augustinus l. c. et de civ. Dei XXI, 23: „Christus in uno eodemque loco in una eademque sententia dicit: *Ibunt isti in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* (Matth. 25, 46): si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi, par pari enim relata sunt. Hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem, in hoc uno eodemque sensu vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est[1])."

3. Praeterea peccatores dicuntur *vasa irae*[2]), *vasa in contumeliam*[3]), *maledicti*[4]), *super quos manet ira Dei*[5]), qui regnum Dei *non consequentur*[6]) etc. Hujus loci occasione scribit Augustinus l. c. c. 25: „Haec profecto apostolica sententia falsa est, si tales post quantalibet tempora liberati regnum Dei possidebunt, Et si in regni Dei possessione nunquam erunt, aeterno supplicio tenebuntur."

4. Si poenae inferni aeternae non forent, falsa essent Christi verba Matth. 26, 24: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille:* quae verba generatim de impiis jam intelligit Clemens romanus in Eclogis apud Damascenum. Denique

5. dogma hoc probatur luculento traditionis suffragio martyrumque testimonio, qui, ut ex eorum actis constat, propterea etiam tam fortiter tormenta tolerarunt temporalia, ne inciderent in aeterna.

658. **Corollarium. 1.** Hinc sponte sua sequitur, *ex inferno non esse redemptionem,* neque poenitentia, quam agant ipsi damnati (cf. n. 231 [2]): cujus inutilitas graphice describitur Sap. 5.

---

[1]) Eodem argumento utuntur et Basilius in reg. brevior. interrog. 267 et Gregorius M. XXXIV, 19; Moral. c. 19; dial. IV, 44.

[2]) Rom. 9, 22. [3]) 2. Tim. 2, 20. [4]) Matth. 25, 41.

[5]) Jo. 3, 36. [6]) 1. Cor. 6, 9; Gal. 5, 21.

2. Neque ob aliorum orationes speranda est damnatorum ex inferno liberatio. Errorem oppositum refellit Augustinus de civ. Dei XXI, 24: „Hoc nemo sanae fidei dixit, nemo dicturus est [1]): alioquin nulla causa est, cur non etiam nunc pro diabolo et angelis oret Ecclesia, quam Magister Deus pro inimicis suis jussit orare. Haec igitur causa, qua fit, ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos novit esse inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, ut in illo tunc judicio (universali) etiam pro hominibus aeterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro ipsis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est poenitentiae fructuosae.“

3. Neque finem accipient poenae interitu et destructione impiorum, ut non pauci socinianorum opinantur, illis Scripturae effatis innixi, quibus damnatorum conditio passim dicitur *mors, perditio, interitus* etc.. Verum **a.** patres jam in antecessum hanc damnant opinionem docentque hisce nominibus significari miseriam aeternam seu, ut loquitur Tertullianus de resur. carnis c. 35, aeternitatem occisionis. Eam excludunt **b.** Scripturae, cum diserte docent ignem esse inexstinguibilem. Quare autem **c.** conditio illa tristissima vocetur mors secunda, ita explicant patres cum Augustino de civ. Dei XIX, 28: „Eorum autem, qui non pertinent ad istam civitatem Dei, erit e contrario miseria sempiterna, quae etiam secunda mors dicitur: quia nec anima ibi vivere dicenda est, quae a vita Dei alienata erit, nec corpus, quod aeternis doloribus subjacebit: ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit;“ vel **d.** ut doctrinam veram clarius exprimant, vocant hanc mortem ‚mortem sine morte‘. „Fit ergo miseris, scribit Gregorius M. Mor. IX, 66, mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia et mors vivit, et finis semper incipit et deficere defectus nescit [2]). Cf. s. Thomas de pot. q. 5 a. 1.

---

[1]) Dixerunt tamen quidam graeci schismatici. Cf. Nilles Kalendarium manuale II, 21—13; 322 s.

[2]) Non defuerunt, qui opinarentur damnatis subinde nonnihil relaxationis a poenis et quietis indulgeri. Quam opinionem utcunque permittit Augustinus Ench. n. 110. 112 (cf. Faure ad h. l.) coll. de div. Dei XXI, 24. Favent Chrysostomus h. 2 in ep. ad Phil. n. 3. 4 et sequioris aetatis scriptores, ut Petrus pict. sent. V, 20; eam ita enunciat Prudentius cathem. hymn. 5 v. 125:

Sunt et spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub Styge feriae
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex acheronticis . . .
Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exsultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.

Nec omittendum, hymnum hunc Prudentii in multis ecclesiis ad accensum cerei paschalis fuisse decantatum, in quibus propterea ea sententia non male audiebat. Quam ob rem Petavius de angelis III, 7 ita censet: „De hac damnatorum saltem hominum respiratione nihil adhuc certi decretum est ab Ecclesia catholica, ut propterea non temere tamquam absurda sit explodenda ss. patrum haec opinio: quamvis a communi sensu catholicorum hoc tempore sit aliena.“ Illam ut dubiam proponit Pullus sent. l. 1 c. 14 (cf. Mathoud ad h. c. Migne 186, 1018). Gravius vero de ea judicat Thomas in 4. dist. 45 q. 2 qcl. 1, ubi varias veterum opiniones de rela-

4. Neque damnatorum poenae finiuntur omnium ἀποκατάστασι (restitutione), quam multi rationalistarum propugnant [1]): haec enim nimis evidenter repugnat poenarum infernalium aeternitati, quam tam perspicue universa tradit revelatio. Quod si in Scripturis omnium reconciliationis Eph. 1, 10. 22; Col. 1, 19 s.; 1. Cor. 15, 22 fit mentio, noveris, aliunde constare eam non esse universalem, cum excludantur angeli (cf. t. II n. 416), et quoad ipsos homines non esse absolutam, sed conditionatam (ib. n. 104).

659. **Thesis CCLXXII.** ***Dogma de poenarum aeternitate sanae rationi non adversatur.***

Demonstratio. Circa dogma de poenarum inferni aeternitate tria praestare potest sana ratio. Potest **1.** solvere exceptiones incredulorum adversus hoc dogma, ideoque ostendere illud non esse contra rationem, et quidem **2.** ita eas potest solvere, ut possit ostendere illud esse secundum rationem seu rationi consonum; imo **3.** etsi forte certo demonstrare ex sese nequit ipsam poenarum aeternitatem (factum enim pendet etiam a legislatoris voluntate), plura tamen potest assignare principia vel momenta, quae eam exigant et postulent. Jam primum et alterum modo praestemus. Diversis ex principiis increduli dogma de aeternitate poenarum solent impugnare. Ad eorum argumenta sive solvenda sive saltem infringenda, haec prae oculis habeantur:

1. Gravitas peccati non pendet a tempore magis minusve diuturno, quod reus in perpetrando crimine impenderit: sed potius a gravitate injuriae, quae eo major est, quo dignior persona offensa et quo vilior est peccator. Unde falluntur, qui poenarum aeternitatem idcirco negant, quod ad peccatum perpetrandum breve impendatur tempus. Quod ut illustret Augustinus de civ. Dei XXI, 11, provocat ad poenas, quae in societate

---

xatione saltem aliqua suffragiis fidelium impetranda damnatis expendit; ita enim pronunciat: „Est praedicta opinio praesumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria et vana, nulla auctoritate fulta et nihilominus irrationalis.“ Plura cf. ap. Arevalum in proleg. ap Prudentium c. 18. Nostra vero aetate nescio quam damnationis mitigationem somniavit Mivart in diss. the Happiness in Hell (in The Ninetheenth Century Dec. 1892), in qua censet molliendas esse vulgatas circa infernum opiniones, neque illius conditionem esse adeo tristem, ut damnati non malint esse quam non esse: ignem vero symbolum esse poenarum non adeo atrocium. Quae diss. cum sua apologia (ib. 1893 fasc. Febr. et Apr.) a congr. Indicis et a s. Officio prohibita fuit 14. et 19. Julii 1893. Contra hanc opinionem fusius disputavit Civiltà Cattolica a. 1893 fasc. Mart. pag. 672 ss. Neque enim ea conciliari potest cum damnatorum conditione, qualem eam constanter exhibent Scripturae et patres. Eatenus ad summum quaedam poenarum relaxatio concedi posset, quatenus post debitam satispassionem cessant poenae temporales pro peccatis venialibus luendae, ut censet ex. gr. Platelius II, 146.

[1]) Solet hic error adscribi Origeni et s. Gregorio nysseno, verum Vincenzi in ep. in s. Gregorii nyss. et Origenis scripta et doctrinam nova recensio Romae 1864—65 t. 1 utrumque ab hoc errore vindicat. Cf. Scheeben Katholik 1866. II, 299 ss.; Atzberger p. 291.

civili infligi solent et duratione excedunt tempus, quo perpetratum fuit scelus. Imo peccati gravitas cum comparative sit infinita, poenam meret comparative infinitam, i. e. fine carentem. Qua occasione notes argumentum, quod peti solet ex culpae gravitate i. e. infinitate[1]) pro poenarum aeternitate, dextere esse proponendum, ut efficax sit. Teneatur ergo cum Lessio XIII, 25 comparative infinitum illud dici, quod alterum ita excedit, ut hoc etiamsi infinities multiplicetur et intendatur, nunquam illud, quod comparative infinitum dicitur, perfectione attingat. Ita anima humana lapidi comparata infinite est perfectior. Jam vero hoc sensu peccatum est Dei injuria infinite major quacunque injuria creaturae illata. Jure ergo poena poterit puniri, quae poenas propter offensam in hominem inflictas sine fine excedat. Ejusmodi est poena, quae fine caret i. e. aeterna. Poenarum ergo aeternitas non est contra sed juxta rationem.

2. Deus sicut infinite est bonus et misericors, ita est et infinite justus et sanctus. Sicut ergo non repugnat, ut bonitatis manifestationes sint aeternae, ita non repugnabunt aeternae justitiae vindicantis manifestationes. Falluntur ergo, qui justitiae divinae plane obliti in poenarum aeternitate impugnanda ad solam provocant Dei bonitatem.

3. Etsi humana justitia vindicativa adumbratio quaedam est divinae, ideoque in aliquibus analogia inter utramque intercedit, multum tamen haec ab illa distat. Nam **a.** praesens vita stadium est viae et emendationis, et justitia punitiva humana medium est salutis in utilitatem hominibus concessum. Ipsius **b.** est punire crimina, non praecise quatenus sunt offensa Dei, sed quatenus sunt humanae societati noxia. Praeterea **c.** Deus supremus est judex, homo tantum delegatus: ille judicat creaturas suas, homo vero homines, fratres suos, natura et destinatione sibi aequales, munere tantum inaequales. Quare mirum esse non debet, si homo judex hominem gravissimi licet criminis reum cum reverentia tractare debet. „Quanto excelsior, inquit ad rem Augustinus op. imperf. c. Julian. III, 14, tanto inscrutabilior divina quam humana justitia, tantoque ab hac illa distantior. Quis enim homo justus sinit perpetrari scelus, quod habet in potestate non sinere? Et tamen sinit haec Deus incomparabiliter justus omnibus justior et cujus potestas est incomparabiliter omnibus potestatibus major. Haec cogita et noli judicem Deum judicibus hominibus comparare, quem non dubitandum est esse justum, etiam quando facit, quod videtur hominibus injustum et quod homo si faceret esset injustus.“ Ceterum vel humana justitia vindicativa potest in reos animadvertere poenis privativis ex sese perpetuis et

---

[1]) Cf. de hac peccati infinitate disserentem Stentrup Zeitschr. für kath. Theol. 1891, 273—300.

positivis tamdiu, quamdiu rei vivunt suntque societatis membra. Poterit ergo et Deus peccatores punire poenis tum privativis tum positivis, quamdiu sunt, i. e. perpetuis. Ad rem Augustinus de civ. Dei l. c.: „Qui pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur quae perbrevis est, ejus supplicium leges aestimant, et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate mortali supplicio primae mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio secundae mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges civitatis hujus, ut in eam quisque revocetur occisus, sic nec illius ut in vitam revocetur aeternam secunda morte damnatus."

4. Etsi Deus creaturis rationalibus irresistibilem felicitatis appetitum insevit, exinde nullatenus sequitur, hominem necessario ad felicitatem debere pervenire; hujus enim assecutionem in hominis posuit potestate. Unde illius non assecutio vitio verti debet creaturae, creatori non potest imputari. Quare sicut Deus non tenetur restituere lumen oculorum illi, qui sponte se eo privaverit: ita neque felicitatem ei, qui propria culpa ab ea exciderit.

660. Quae hucusque ad quatuor praecipuas incredulorum respondimus exceptiones, probant insuper vel saltem suadent, quam consonum sit hoc dogma sanae rationi. Sed non desunt aliae probationes, quae videantur poenarum exigere aeternitatem.

1. Bene consulta ratio nullam in eo deprehendit pugnam, quod Deus praestituerit certum tempus, v. g. tempus praesentis vitae, quo elapso peccatoribus nulla spes sit reliqua veniae obtinendae. Id enim consuetum est vel principibus humanis, qui absque ulla injustitia reis in carcere constitutis, etsi sincere poenitentibus, veniam dare non solent. Imo cum sanae rationis principiis apprime congruit, ut qui sunt limites praesentis vitae, hi quoque censeantur limites consequendae veniae. Hoc enim vel semel negato omnis scopus et momentum praesentis vitae evanescet, zelus apostolicus exstinguetur, statui amplius nequit necessitas sive ingressus in Ecclesiam, sive susceptionis quorundam sacramentorum ad obtinendam salutem. Praeterea Deus si semper parceret, ad peccandum sibique illudendum efficaciter provocaret, cum peccator sciret, Deum sibi tandem aliquando post scelera maxima debere esse propitium et concedere coelestem beatitudinem. Ergo vel ipsum praesentis vitae momentum Deique majestas exigit poenarum aeternitatem.

2. Dedecet Deum ejusmodi legum sanctio, quae vix aliquam faciat in hominem impressionem. Atqui talis est poena duratione finita, quae prae indefinita beatitudine, quae eam ex hypothesi adversariorum consequetur, haberi potest puncti instar prae linea indefinite excurrente atque vix con-

sideratione digna. Quare Hieronymus in Jonae 3: „Evertit penitus, inquit, hoc dogma (Origeni tributum) timorem Dei, dum homines facile labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor est et peccatorum omnium fons, acta poenitentia posse salvari [1])." Et sane si fides in poenarum aeternitatem homines vix deterret a peccando, quid fieret hac veritate sublata?

3. Sana ratio probat et exigit, ut sicut is, qui in ordine physico media non adhibet, finem non assequatur: ita et qui in ordine morali sponte sua spernit viam, quae ad finem felicitate perpetua comprehensum ducit, illum non attingat (cf. n. 649 [4]). Atqui cum ejusmodi providentia cohaeret pro male ad mortem usque agentibus finis felicitatisque amissio, hinc summa perennisque miseria, et quia culpabilis, conditio poenalis perpetua.

4. Quod si poenae nequeunt esse aeternae, incarnatio non fuisset necessaria. Ad quid enim tot Christi dolores et passiones, si his non obstantibus peccatores fierent salvi post poenas purgatorias? Cum ergo incarnatio fuerit necessaria ad nostram salutem, cum sanguinis tam pretiosi fructus condignus non sit liberatio a poena tantum temporali: dicendum est, poenas, a quibus Christus nos redemit et in quas illi incident, qui ejus spernunt gratiam, esse aeternas. Ceterum si his non obstantibus difficultas manet, memores simus, Deum esse justum, ideoque punire non posse supra meritum; si ergo in aeternum punit, sequitur peccatum talem merere poenam. Non ergo Deus, sed peccator accusetur.

661. **Scholion.** *Damnatorum status.* — Quod statum velut internum intellectualem et moralem damnatorum attinet, haec ex Suario de angelis VIII, 6 ss. notentur: Tenendum est **1.** eos privari omni illustratione supernaturali; quapropter exstincto lumine supernaturali, dici possunt prae ordine supernaturali excoecati. Non tamen **2.** privantur lumine naturali, nec scientia naturali speculativa, quae experientia in ipsis augeri potest. Dicendum vero est **3.** »daemones (idem dicatur de reliquis damnatis) in inferno privatos esse rectitudine judicii practici de rebus agendis, ita ut nunquam habeant verum judicium practicum in ordine ad affectum et opus moraliter bonum. Haec assertio communis est.« Quare et hoc sensu dici possunt excoecati et constituti

---

[1]) Egregie s. Bonaventura de eodem errore in 4. dist. 44 p. 2 a. 1 q. 1 censet: »Qui tanto est immanior, quanto videtur esse mitior et misericordior, pro eo quod divinam justitiam blasphemat, dum eam diminuit, dum tantum dat misericordiae, quod non relinquit locum justitiae. Secundo vero quia spem nostram evacuat. Si enim Scriptura supplicium peccatoribus comminatur non secundum veritatem, sed ut deterreat: quid causae est, cur etiam non intelligamus, praemia non promittere secundum veritatem, sed ut ad opus justitiae alliciat? Ac per hoc Scriptura tota et fides nostra vana et vacua et frivola poterit judicari.« Cf. Thomas comp. theol. c. 183; c. gentes III, 144. Hettinger Apologie des Christenth. t. 2 p. 2 disp. 15; Balmes, Briefe an einen Zweifler ep. 3.

in *tenebris exterioribus*. Certum **4.** est, damnatos nunquam acturos poenitentiam salutarem, neque agere posse alioquin essent in statu salutis: quae impotentia est obstinatio in peccato. »Causa autem quasi privativa obstinationis daemonum quoad impotentiam poenitendi fructuose est justa voluntas Dei denegandi damnatis omne auxilium gratiae, supposito ex parte ipsorum peccato et perseverantia in illo pro statu viae. Haec assertio communis est theologorum in 2. dist. 7.« Praeterea **5.** communis est sententia theologorum contra Scotum, daemonem in omnibus actibus, quos libere exerceet, male moraliter operari, ideoque nunquam cessare ab omni peccato actuali, sed aliquod semper committere, et quidem libere, saltem quoad exercitium. S. Thomas in 4. dist. 50 q. 2 a. 1 qcl. 6: »In damnatis potest duplex voluntas considerari: scil. voluntas deliberativa et voluntas naturalis. Naturalis quidem non est eis ex ipsis, sed ex auctore naturae, qui in natura hanc inclinationem posuit, quae naturalis voluntas dicitur: unde cum natura in eis remaneat, secundum hoc bona poterit in eis esse voluntas naturalis. Sed voluntas deliberativa est eis ex seipsis, secundum quod in potestate eorum est inclinari per affectum ad hoc vel illud, et talis voluntas in eis est solum mala; et hoc ideo, quia sunt perfecte aversi a fine ultimo rectae voluntatis: nec aliqua voluntas potest esse bona nisi per ordinem ad finem praedictum; unde etiam si aliquid bonum velint, non tamen bene bonum volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit.« Cf. Comp. c. 174 s. Oritur miserrimus hic status ex tristissima eorum conditione. Subtractum enim hinc illis est omne, quod eos ad bene agendum possit inducere, omnis spes praemii, utilitatis, solatii: nec amor Dei eos inducet, cum sciant se ab eo esse maledictos, odio haberi, nonnisi malum (poenae) ab eo sibi infligi, se nunquam ejus amorem sibi posse conciliare; inde vero omnia eos in odium et desperationem incitant, poenae dirissimae, evadendi impossibilitas, inutilitas omnis conatus, status aeternitas. Necessitate psychologica adimplebitur Ps. 111, 10: *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Illustratur haec conditio a contrario e beatorum statu, qui ex Dei visione ita in bono confirmantur, ut bonum tantum velle possint. Denique **6.** communis sententia est, damnatos propter haec opera mala, eo ipso quod sint extra statum viae, non merere poenae essentialis damni aut sensus augmentum. Cf. Scheeben § 194; Bautz § 13 s.

Caput III.

De aeterna infantium sine baptismo decedentium conditione.

662. Quae de aeterna infantium sine baptismo decedentium conditione sive certa sive plus minusve probabilia sunt, ad quaedem revocabimus capita: **1.** Dogma est fidei catholicae baptismum re vel voto susceptum necessarium esse omnibus ad salutem consequendam (n. 317): hinc qui illo carent, excidere salute.

Rejicienda ergo est **a.** doctrina pelagianorum et socianorum qui infantibus sine baptismo decentibus salutem promittunt, nec non et calvinianorum, qui illam fidelium saltem infantibus pollicentur.

Tuta non est **b.** sententia Cajetani in 3 p. q. 68 a. 2. et 11: „Parvulos fidelium christianorum, quibus per baptismum subveniri haud potest, non tantum ex privilegio Dei singulari, sed ex lege Dei communi et ordinaria salvari posse votis et precibus parentum.“ Paulum enim abfuit, teste Pallavicino H. Conc. tr. IX, 8, quin ea in synodo tridentia damnaretur. Ceterum s. Bonaventura in 4. dist. 3 p. 1 q. 2 a. 2, Durandus, Gabriel, Gerson serm. de nat. b. M. V. consid. 2, Eckius opinabantur, Deum ejusmodi infantulos non lege ordinaria quidem, pro summa tamen clementia sua propter parentum preces et vota salvare.

Neque probabilis **c.** est sententia cl. Klee Dogm. III a. 2 § 1, qui cum nonnullis aliis tuetur, infantibus in articulo mortis lucidum concedi intervallum, ut baptismi votum concipere possint. A qua opinione non multum distat opinio Scheele professoris upsalensis, qui concedit ejusmodi infantes salvari posse in altera vita actu propriae voluntatis (Selbstwahl) in theol. Symb. Gothae 1881. Vix enim conciliatur ea opinio cum Ecclesiae sententia, fieri posse et revera fieri, ut aliqui cum solo peccato originali decedant. Ita enim statuit conc. florentinum in decreto unionis graecorum: „Illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere poenis tamen disparibus puniendas.“ Atqui id secundum has opiniones nunquam fieret.

Praetermittimus **d.** alias opiniones. Ita Brenner (cum Vosen) Ueber das Dogma, Landishuti 1832 pag. 131 conjicit, forte aliquod esse medium nobis ingnotum, quo liberentur a peccato originali et damnatione aeterna. — Schell opinatur ipsam mortem praematuram hisce infantibus prodesse [1]). — Singularis vero est Hermesii sententia, secundum quam animae horum infantium non majorem facultatum suarum rationalium consequenter explicationem, quam habuerint, cum ex hac decederent vita: hinc fruituros esse felicitate, qua capax sit hisce in terris infantulus unius duorumve annorum [2]).

663. **2.** Quamvis catholici omnes conveniant, infantes sine baptismo morientes a beatifica excludi visione et ita pati damnum, damnari; dissentiunt tamen ab invicem in determinanda natura et conditione status, in quo ejusmodi degant infantes.

Sunt enim patres [3]), secundum quos hi infantes patiuntur inferni ignem, a quo tamen multo minus cruciantur, quam homines peccatorum actualium

---

[1]) Kath. Dogmatik III, 479: Was die Unmündigen mit Christus verbindet, ist wohl auch ein Heilmittel für sie, nämlich ihre Schwäche, ihre Preisgabe an den Sündenfluch, ihr vorzeitiger Tod . . . Es scheint mir daher wahrscheinlich, dass die Erlösungsgnade diejenigen, welche in vorzeitiger Schwäche dahinsiechen, gerade durch dieses Leiden berühre.

[2]) Es wird sich also mit dieser Glückseligkeit auf ähnliche Weise verhalten, wie mit derjenigen, welche ein wohlaufgehobenes Kind von ein bis zwei Jahren in den Stunden der Zufriedenheit hier auf Erden geniesst.“ Infantes vero, qui jam in matris utero moriuntur, redituros esse in virtutem originalem (in die Urkraft), unde prodierunt, vel non majori fruituros beatitudine quam arbores, id est nulla. Cf. Zeitschrift für Philos. und kath. Theologie, Bonnae 1832 pag. 53 ss.

[3]) Ita Fulgentius de fide ad Petrum n. 34 et 68, de verit. praedest. l. 1 cc. 12. 14; episcopi byzaceni in Sardinia insula exsules l. de incarn. et gratia cc. 14. 30 (eorum nomine a Fulgentio conscripti); auctor Hypognost. l. 5 n. 10 s.;

rei. Quam sententiam theologi scholae vetustioris omnes fere deseruerunt, teste Dominico Soto, qui scribit de nat. et gr. I, 14: „Augustinus plus justo videtur torquere parvulos. Unde, qui ejus sententiae subscribunt perpauci sunt et ‚tortores parvulorum' nuncupantur." Imo forte unus tantum, qui alicujus sit nominis, Gregorius ariminensis illi subscripsit, sed neque ipse audet eam definitive tueri. Non desunt tamen a sec. XVI. theologi, quibus iterum Augustini arriserit opinio, ut in primis Silvio, Norisio, Petavio l. c., Nat. Alexandro, Driedo, Florentino Conrio O. Min., Bossuet, Berti etc., qui illis praesertim innituntur Scripturae effatis, quae omnem locum intermedium coelum inter et infernum proprie dictum excludere videntur, ut Matth. 25, 41; 3, 12; 13, 49; Apoc. 20, 15 etc., tum confessione fidei Michaeli Palaeologo a Clemente IV. a. 1267 proposita et ab ipso in conc. lugd. II. a. 1274 Gregorio X. oblata, et decreto concilii florentini (supra n. 662[4]).

664. **3.** Quamvis haec non sint spernenda, communior, imo jam communissima dici potest sententia negans, eos, qui in solo peccato originali moriuntur, poena sensus puniri: cui suffragatur **a.** auctoritas scholae haud contemnenda, nam teste Thoma de malo q. 5 a. 2, „communiter dicitur, quod peccato originali non debetur poena sensus"; quod triplici etiam ratione probat. Cf. in 2. d. 33 q. 2 a. 1. Suffragatur **b.** ratio theologica et legitima illatio ex accurata ruinae per peccatum originale illatae definitione; suffragatur **c.** doctrina Innocentii III. 3. decr. tit. 42 c. 3 ‚Majores': „Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati est gehennae perpetuae cruciatus [1])." Multum quoque ponderis **d.** huic sententiae accedit ex censura Pii VI. in proposit. 26 synodi pistoriensis lata: „Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur, perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulantur pelagiani, falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa." Unde consequitur eam sententiam doctrinam saltem esse sanam: nunquam enim Ecclesia doctrinas male sanas scholarum catholicarum adversus censuras, etsi injustas, solemniter tuebitur. Sequitur praeterea Augustini

---

Gregorius M. Mor. IX, 12; Isidorus hispal. sent. I, 22; l. 2 differ. spirit. n. 26; Alcimus Avitus in carm. ad Fuscinum v. 214 etc. (quorum testimonia legi possunt apud Petavium de Deo IX, 10 et Norisium in vindic. august c. 3 § 5) duce in primis Augustino (cujus testimonia collegit Alticotius summae august. p. 4 q. 1 a. 4), qui tamen Enchir. n. 93 horum infantium poenam mitissimam fore censet.

[1]) Cf. Scheeben Myst. des Christenth. § 44 ss. Etiam in schemate const. dogm. de doctrina cath. conc. vaticani c. 5 pro poena peccati originalis sola privatio visionis beatificae assignatur: „Qui cum solo originali peccato mortem obeunt, beata Dei visione in perpetuum carebunt;" cum peccato personali praeterea cruciatus gehennae assignentur. Cf. Suarez in 3. p. disp. 50 s. 5; d. 57 s. 5.

sententiam non esse de fide et a conc. florentino definitam, ut visum est Petavio. Imo ex concilii definitione nostram potius sententiam eruit Palmieri de Deo creante th. 81: „Disparitas nequit esse poenae (a conc. statuta) in eo tantum, quod mitiore poena ignis afficiantur, qui cum solo originali decedunt; hoc enim discrimen etiam inter eos, qui cum actualibus mortalibus peccatis decedunt, exsistit, inter quos tamen nullum a concilio discrimen indicatur. Quare si poena ignis vel mitiori plectuntur infantes, res eo tandem redit, ut nullum discrimen exsistat inter eos et ceteros peccatores, qui actualiter peccarunt, etsi quis plus, quis minus patiatur. Significatur ergo discrimen aliud praeter illud, quod inter eos est, qui plus minus puniantur poena ignis, discrimen scil. specificum. Hoc autem non aliud esse potest, quam quod solo originali obstricti poena tantum damni mulctentur."

665. **4.** Etsi ergo hi infantes secundum sententiam admodum probabilem non afficiantur sensus poena, quaerunt tamen theologi, num saltem patiantur tristitiam ob exclusionem e regno coelorum. Negant plures cum s. Thoma de malo q. 5 a. 3 vel ideo, quia visionis beatificae non habent notitiam ideoque de illius amissione dolere nequeunt; vel quia voluntatem habent divinae conformem sibique sunt conscii, se propria culpa non excidisse beatitudine sibi prorsus indebita. Contrarium alii tuentur cum Bellarmino de amiss. gr. et statu pecc. VI, 6 ss.

5. Imo plures theologi eos infantes non solum omni poena sensus et tristitia liberant, verum etiam majori minorive donant beatitudine naturali: ita Catharinus, Molina, Sfondrati, Savonarola, Balmes, Berlage, Oswald, Perrone, secundum quem talis eorum erit conditio, qualis futura fuisset in statu naturae purae, Mazzella de Deo creante d. 5 s. 6, Mendive instit. theol. III, 463 ss. et aliis omissis Lessius de div. perf. XIII, 22 ss. Quae tamen sententia ut nimis erga infantulos liberalis aliis displicet. Adversari enim videtur **a.** plurimorum patrum effatis; **b.** certae doctrinae Ecclesiae: omnes peccato originali obnoxios sub potestate esse daemonis, a qua solo baptismo liberantur; **c.** Scripturae, quae jugiter duos tantum status post judicium agnoscit: coelum et infernum; inferni autem nomine nunquam designatur conditio aliqua felix; **d.** verbis conc. florentini (n. 662[5]), et can. 3 conc. carthaginensis a. 418 (qui tamen deest in nonnullis codd.): »Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum, *in domo Patris mei mansiones multae sunt,* ut intelligatur, quia in regno coelorum erit aliquis medius aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum coelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, A. S. Nam cum Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit* etc., quis catholicus dubitet participem fore diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi? Qui enim dextera caret, sinistram procul dubio partem incurret.« Cf. de Rubeis de pecc. orig. c. 74 ss.; Schmid q. 4.

666. Omnibus expensis si non malumus judicium suspendere, praeferenda est sententia, quae eam saltem horum infantium tuetur conditionem, ut melius illis sit esse quam non esse; illisque concedit naturalem

Dei cognitionem, amorem et gaudium. „Nihil omnino dolebunt, ita s. Thomas in 2. sent. dist. 33 q. 2 a 2, de carentia visionis divinae, imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus;“ et ad 5: „Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam, non tamen penitus ab eo separati sunt. Imo ipsi conjunguntur per participationem naturalium bonorum; et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cogitatione et dilectione.“ Fruentur gaudio oborto praeterea ex consideratione magni sibi a Deo collati beneficii, quo ipsos fato praematuro abreptos innocentiae personalis securos reddidit, et quam plurimis peccatis periculisque subtraxit, quibus procedentibus annis certissime implicandi fuissent addicendique perpetuis gehennae ignibus.

667. Quod si quis ex dictis inferat, infantes ergo frui beatitudine naturali, quod tamen minus consonum videri possit sensui Ecclesiae, quae eos dicit damnari: optima est responsio cl. Palmieri l. c.: „Distinguenda esse haec duo: aliquem hominem obtinere id, in quo beatitudo naturalis consistit, et eundem esse beatum; potest enim prius esse sine altero. Nam beatus est formaliter qui consequitur finem, ad quem est ordinatus; si ergo homo ab institutione Creatoris elevatus ad ordinem supernaturalem est ordinatus in finem supernaturalem, is non erit formaliter beatus, nisi hunc finem assequatur; quocirca obtinens illud bonum, in quo naturalis beatitudo exstitisset, si non fuisset elevatus, poterit quidem dici secundum quid et materialiter beatus eo, quod possidet bonum, in quo naturalis beatitudo consisteret, non vero simpliciter et formaliter, quia caret reapse eo fine, in quem est ordinatus institutione Creatoris, qui excluso fine solum naturali, creavit homines ad finem supernaturalem. Certum est ergo hujusmodi infantes non futuros simpliciter et formaliter beatos.“ Ceterum ad rem sunt verba Bellarmini: «Misericordiam nostram erga parvulos jam defunctos nihil eis prodesse, e contra nihil eis obesse sententiae nostrae severitatem. Multum autem nobis obesse, si ob inutilem misericordiam erga defunctos pertinaciter aliquid contra Scripturas vel Ecclesiam defendamus. Idcirco non affectum quendam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturae, conciliorum et patrum sententiam consulere et sequi debemus.“

Caput IV.

De purgatorio.

668. **Thesis CCLXXIII.** ***Revelatione christiana edocemur, praeter coelum et infernum, e quo nulla est redemptio, admittendum esse statum quendam, in quo animae justorum, hac in vita nondum perfecte purgatorum, antequam in coelum admittantur, poenis mundantur, qui proinde jure merito purgatorium dicitur.***

Demonstratio. Thesis est de fide, ut patet ex concilio trid. sess. 25, secundum quod Ecclesia ss. literis et antiquae patrum traditioni innixa docuit: „Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potis-

simum vero acceptabili altaris sacrificio juvari;" ex professione fidei tridentina, juxta quam quilibet catholicus profiteri debet: „Constanter teneo purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari:" et ex decreto unionis in conc. florentino edito. Statuitur in primis contra protestantes, praesertim vetustiores.

1. Probatur corollarii modo ex aliis veritatibus indubiis; qua illatione simul ostenditur, quam bene sibi cohaereant dogmata in systemate catholico, et purgatorium etiamsi de eo taceret revelatio, postulatum esse rationis christianae. Sane certum est, nihil coinquinatum ingredi coelum (Apoc. 21, 27), cum adeo mundi sint oculi Dei, ut ad iniquitatem nec respicere (Hab. 1, 13), nec illam coram se pati possint; certum quoque remissa culpa, semper quidem remitti poenam aeternam, non tamen semper remissa culpa post baptismum commissa poenam etiam temporalem (n. 497). Atqui fieri potest, ut plures peccatis venialibus obnoxii, ergo non plane mundi, moriantur; et ut justi aliqui moriantur, antequam ultimum solverint poenae temporalis quadrantem. Quare dicendum est, aut hos damnari, quod est impium; aut immundos coelum ingredi, quod indecens; aut eos purgari et absolvi ab omni debito ipsa morte, quod omnino arbitrarium; aut admitti debet status quidam post mortem ad tempus, in quo animae omne solvant debitum et mundentur, i. e. purgatorium. Et revera hujus aliorumque argumentorum evidentia plures protestantes recentiori aetate permoti, si non purgatorii nomen, rem saltem admittunt [1]).

669. **2.** Sane haec semper fuit fides Ecclesiae primorum seculorum, ut patet ex praxi orandi pro defunctis, quae fatentibus vel protestantibus a remota semper viguit aetate. Hujus autem praxis hi sunt characteres: **a.** ea est universalis loco et tempore. Ita e. g. Augustinus serm. 172 n. 2 testatur: „Orationibus sanctae Ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro eorum (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia." Ea **b.** viget apud sectas Orientis, quae jam seculo V. ab Ecclesia se separarunt. Ea **c.** est solemnis, cum locum haud infimum obtineat in liturgia et a conciliis inculcetur. Ea **d.** est antiquissima, cuius vestigia attingunt aetatem apostolicam. „Harum (oblationum pro defunctis), scribit Tertullianus de corona mil.

---

[1]) Ita ex. gr. Hase Handb. der protest. Polemik scribit l. 2 c. 6: „Die meisten Sterbenden sind wol zu gut für die Hölle, aber sicher zu schlecht für den Himmel. Man muss offen zugestehen, dass hier im reformatorischen Protestantismus eine Unklarheit vorliegt u. s. w." Cf. Perrone t. 5 p. 3 c. 6 art. 2; Hettinger disp. 16. Cf. Thomas contra gentes IV, 91 n. 4 et Bonaventura Breviloquii VII, 2.

c. 4, et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.“ Et revera **c.** patres eam repetunt ab ipsis apostolis.

Ita Isidorus hispal. de eccl. offic. I, 18 n. 11: „Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus, quod ab ipsis apostolis traditum sit. Hoc enim ubique catholica tenet Ecclesia, quae nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret vel sacrificium Deo offerret.“ Quae verba citant et approbant Heterius adversus Elipandum l. 1 n. 80 et Rab. Maurus de instit. clericorum II, 44. — Chrysostomus hom. 3 in ep. ad Philip. n. 4: „Non frustra haec ab apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis, inquam, et horrificis mysteriis eorum memoria fiat, qui decesserunt. Noverunt hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus pansis ac coetus sacerdotalis et illa horrorem incutiens victima proposita est, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes?“ Cf. etiam serm. 191 in app. s. Aug. n. 2; Epiphanius haer. 75 n. 8 ss.

Si vero orationum analysis instituatur, liquet **a.** Ecclesiam credidisse, eas prodesse defunctis, ut patet ex testimoniis allatis.

Quibus adde, quae refert Augustinus confess. IX, 13 de matre sua moribunda: „Tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit; unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis (Coloss. 2, 14), qua triumphatus est hostis ... ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla sua animam suam vinculo fidei.“ — Cyrillus alex. scripsit contra eos, qui harum precum utilitatem negabant, cujus scripti fragmentum habes apud Migne 76, 1432. — Balaeus, chorepiscopus syrus, qui floruit ineunte sec. V., in oratione pro defunctis ita habet: „Manifestum est mente praeditis, defunctis prodesse vigilias, sacrificium et thuribulum propitiationis, cum sacerdos ad altare eorum meminit nominum. Tunc gaudent coelestes, jubilant terrestres et etiam exsultant defuncti, quia hodie advocantur, ut coelesti refrigerentur sacrificio [1]).“

Credebat vero christiana antiquitas **b.** hanc utilitatem consistere in peccatorum remissione et collatione beatitudinis. „Oremus, ita constitutiones apost. VIII, 41, pro fratribus nostris, qui in Christo requieverunt, ut Deus summae erga homines caritatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum et propitius ac benevolus ei factus collocet eum in regione vivorum.“ Quamvis autem **c.** Ecclesia generatim pro omnibus defunctis fidelibus soleret orare, orationes tamen illis tantum censuit prodesse, qui pie essent defuncti in Domino, nullatenus vero damnatis, quorum poenas credebat aeternas.

---

[1]) Apud Bickell Ausgewählte Gedichte der syrischen Kirchenväter p. 108. Cf. praeterea Cyrillus hieros. cat. myst. V. n. 10 (n. 425[3]); Chrysostomus in act. apost. h. 21; in 1. Cor. h. 41 n. 4 s.

„Si sacrificia, inquit Augustinus Enchir. n. 10, sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt, pro valde malis etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque consolationes vivorum sunt.“ Et serm. 173 n. 2: „Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis haec esse utilia post mortem. Nam qui sine fide, quae per dilectionem operatur, ejusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis officia impenduntur [1])“ etc.

Credebat ergo Ecclesia primorum seculorum **a.** praeter animas damnatas et jam beatas alias esse, nec damnatas nec jam beatas, easque **b.** indigas solatii, auxilii etc., quod nos ipsis afferre possumus suffragiis etc.; easque **c.** propter peccata hac in vita commissa illo esse in statu: quem **d.** censuit habere finem, animasque illas citius tardiusve pro suo debito nostraque sollicitudine pertingere ad beatitudinem: **e.** credidit igitur exsistere purgatorium.

3. Quae illatio confirmatur suffragio patrum, qui vel adversariis testantibus nostram tuentur doctrinam. „De patribus, inquit Petrus Martyr unus ex illis loc. commun. classe III n. 9, quid senserint hac super re, non habeo quid aliud referam, nisi majorem illorum partem in eam sententiam esse propensam, ut purgatorium credant.“ Sane docent patres, quorum jam plura testimonia adduximus, **a.** praeter coelum et infernum esse locum quendam intermedium, in quem **b.** illi veniant, qui nondum perfecte a peccatis purgati ex hac decedant vita, ibique eos **c.** purgari poenis haud levibus, non quidem in perpetuum, sed ad tempus. Atqui haec ipsa est doctrina catholica de purgatorio.

670. **4.** Neque mirum patres hoc docuisse, cum haec Scripturae sit doctrina. Omissis [2]) aliis provocamus ad II Machab. 12, 43 ss.: *Facta*

---

[1]) Cf. praeterea de civ. Dei XXI, 13 ss.; Gregorius M. dial. IV, c. 44. Cf. Katholik 1874. I, 59 ss.

[2]) Matth. 5, 25 s.: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici et judex tradat te ministro et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quo testimonio nonnulli ex veteribus utuntur: graves tamen theologi fatentur illud vi probandi carere, et carceris nomine intelligunt infernum; ita Stapleton, secundum quem in antidotis in h. l. paucissimi ipsius tempore eo utebantur, Jansenius gandav. in harmonia, Maldonatus, Sa, Toletus, Barradas etc, — Majori probandi vi pollet Matth. 12, 32: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro:* quo etiam effato plures patres utuntur, ut Isidorus hisp. de ord. creatur. c. 14 n. 6; de officiis eccles. I, 18: „Cum Dominus dicat: *Qui peccaverit in Spiritum s.* etc. demonstrat, quibusdam illic dimittenda peccata et quodam purgativo igne purganda;“ Augustinus de civit. Dei XXI, 25; Gregorius M. dial. IV, 39; Fulgentius de pecc. meritis et remiss. I, 21; Beda in h. l.; Bernardus serm. 66 in Cantic. n. 11; Rabanus Maurus de instit. cleric. II, 44 et in h. l.; Pasch. Radbertus in Matth. l. 6 (Migne 120, 472); Gerardus I. ep. camerac. in synodo atrebat. a. 1035 (Mig. 142, 1299); Bruno astensis et Herveus in h. l.; Ruper-

collatione duodecim millia drachmas argenti misit (Judas) *Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis); et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur;* ex quibus (libri inspiratione ex th. XXXV supposita) cernas **a.** Judam cum suis credidisse, posse aliquos cum pietate mori, etsi nondum ab omni peccato prorsus mundos; eos tamen **b.** posse mundari, et quidem suffragiis vivorum; itaque **c.** statum esse purgationis non perennem; eum ergo **d.** credidisse purgatorium. Vis argumenti crescit, si considerentur **a.** facti solemnitas et publicitas; **b.** mira militum conspiratio et alacritas; **c.** ejus auctor, Judas, vir prudens, acerrimus patriarum legum restaurator et vindex; in primis vero **d.** Spiritus s. approbatio.

Verum quidem est eos, qui ceciderant, peccasse et propter peccatum cecidisse, ut constat ex v. 40 ss. coll. Deut. 7, 25. Hoc tamen peccatum tale non fuisse, ut propterea censerentur damnati, patet quod non obstante hoc peccato dicantur *cum pietate* dormitionem accepisse. Sane poterant milites legem vel ignorasse, vel in belli aestu illius esse obliti. Sed demus eos graviter peccasse, conjicere licet, ante mortem eos egisse poenitentiam secundum illa Ps. 77, 34: *Cum occideret eos, quaerebant eum.* Semper enim bene sperandum est, nec certo praesumendum de aliquo, eum, etsi fuerit in peccato, absque poenitentia esse defunctum. Cf. Thomas in 4. dist. 45 q. 2 a. 2 qcl. 1 ad 1. Quare bene s. Ephraem († 373 vel 379) in suo testamento in Assemani Bibl. orient. I, 143: „Si filii Mathathiae, qui tantum in figura celebrabant festa et commemorationes, quemadmodum legistis in Scripturis, oblationibus expiabant debita eorum, qui in bello ceciderant . . . quanto magis sacerdotes Filii Dei expiabunt debita defunctorum oblationibus suis?«

671. **5.** Denique purgatorii dogma undique se commendat rationi sanae et christianae. Illud enim **a.** manifestat splendidissime infinitam Dei justitiam, majestatem, sanctitatem, quae vel peccati umbram exhorret; palam facit **b.** quanta sit paradisi aulaeque coelestis gloria, cum tanta requiratur praeparatio et mundities. Excitat **c.** ad opera bona, satisfactionem; fovet spiritum poenitentiae; solatur **d.** in mortis articulo peccatores poenitentes, qui post longam vitam ream vix sperare possent, se nulla prorsus exhibita satisfactione mox assecuturos esse praemia coelestia et velut per saltum e vitiorum coeno transferendos esse inter angelorum choros. Quam rationem bene urget Eck-

---

tus ab. tuit. de op. Trin. III, 32; de Spiritu s. IX, 11 etc. — 1. Cor. 3, 13 s.: *Uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.* Quo textu pariter plures utuntur patres, neque immerito: probandi enim vi omnino pollet: sed quia pluribus obnoxius est difficultatibus exegeticis, quas modo expedire non licet, eo non utimur. Cf. Thomas lect. 2 in 1. Cor. 3; Knoll t. 6 § 767.

bertus ab. schonaugienis in egregio s. 9 adv. catharos n. 25: „Quid absurdius, quam ut credatur, animam a sentina turpitudinum recenter extractam et earum memoria adhuc quodammodo foetentem in illud tam limpidissimum lumen tam repente irrumpere et purissimorum spirituum coetibus admisceri, ita ut sit uno eodemque die mane quidem in peccatorum turpissimo coeno et vespere in angelorum purissimo coelo.“ Num. praec. pariter urget, purgatorii negationem exstinguere spiritum poenitentiae. Dogma catholicum praeterea **e.** occasionem praebet exercendae fovendaeque caritatis in defunctos, reparandae ingratitudinis etc.; fovet **f.** cogitationes alterius vitae, mentem a rebus transitoriis avocat, in memoriam revocat mortem etc. Deterret **g.** a peccatis venialibus, quae alioquin carerent sanctione (notetur haec ratio gravissima), quod sanctitate Dei indignum; tunc enim melioris conditionis essent negligentes quam solliciti. Cf. Lessius XIII, 17; Oswald Eschatologie sect. 1 c. 5; in primis Bautz das Fegfeuer.

672. **Scholion.** *Reliqua de purgatorio tenenda.* — Paucis complectimur reliquas de purgatorio quaestiones. Tenendum est

1. contra Lutherum, animas in purgatorio certas esse de sua salute; damnavit enim Leo X. ejus prop. 38: „Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem non omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendae caritatis.“ Fluit hoc ex dictis de judicio particulari (n. 640).

2. Hinc certum quoque est eas peccare amplius non posse (n. 639); quare absurda est prop. 39 Lutheri „Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenas.“ Certum est

3. animas in purgatorio gravissime affligi poena damni, tum ratione boni, quo privantur, tum ratione amoris, quo in illud jam feruntur, tum ratione cognitionis, qua se hujus privationis causam ob nugas quasdem esse agnoscunt. Tamen hic dolor illas nullatenus adducit in desperationem vel impatientes reddit, cum pacate ferant poenam, tum ob resignationem in Dei judicium justum, tum propter spem consequendae certo beatitudinis.

4. Praeter poenam damni patiuntur etiam sensus poenam, ut colligitur ex decreto unionis conc. florentini, in quo dicitur, eas poenis purgari, et ex patrum effatis, quae collegit Bellarminus I, 10.

5. In purgatorio verum esse ignem de fide quidem non est, sed admodum probabile, tum propter auctoritatem haud paucorum patrum, qui verba 1. Cor. 3, 15: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* de igne intelligunt purgatorii; tum propter consensum theologorum, qui adeo praevaluit in Ecclesia latina, ut Eugenius IV. sententiam hanc in decretum recipere voluerit unionis, nisi obstitissent graeci: (quorum tamen nonnulli ei suffragantur cf. Le Quien diss. damasc. V n. 12). Dissentiunt vero aliqui, nostra etiam aetate, ut Möhler, Dieringer etc.

6. Quod poenarum gravitatem attinet, id saltem tuto affirmaveris cum s. Bonaventura in 4. dist. 20 a. 1 q. 2, maximam purgatorii poenam gravitate praecellere quamlibet hujus vitae poenam. „Quia dicitur *salvus erit* (1. Cor. 3, 15), ita Augustinus in Ps. 37 n. 3, contemnitur ille ignis. Ita plane, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis quam quidquid homo potest pati in hac vita.“ Isidorus hisp. de ordine creatur. c. 14. n. 12: „Sed de illo purgatorio igne hoc animadvertendum est, quod omni, quem excogitare in praesenti potest homo, tormentorum modo et longior et acrior sit.“

Dubium vero est, num quaevis poena omnes excedat poenas hujus vitae, quod tuetur s. Thomas in 4. d. 21 q. 1 a. 1 qcl. 3.

7. Certum est purgatorium non durare ultra diem judicii. »Purgatorias poenas, inquit Augustinus de civ. Dei XXI, 16, nullas futuras opinetur christianus nisi ante illud ultimum tremendumque judicium.« De poenarum vero duratione pro singulis nihil statutum est ab Ecclesia: certum tamen videtur, illas posse esse diuturnas, cum Ecclesia per annos, imo et secula, anniversariam defunctorum memoriam agat, id non actura si crederet, neminem ibidem ultra paucos detineri dies. Cf. Katholik 1873. II, 697 ss. Quid vero dicendum de justis viventibus in fine mundi, quibus forte debitum poenae temporalis adhuc erit exsolvendum? Respondet Thomas in 4. dist. 47 q. 2 a. 3 qcl. 2 ad 5: »Tres causae sunt, quare subito illi, qui vivi reperiuntur, purgari poterunt. Una est, quia pauca purganda in eis inveniuntur, cum terroribus et persecutionibus praecedentibus fuerint purgati. Secunda est, quia vivi et voluntarii sustinebunt poenam (ignis, quo conflagrabitur mundus); poena antem in hac vita voluntaria suscepta multo plus purgat, quam poena post mortem inflicta, ut patet in martyribus . . . cum tamen poena martyrum brevis fuerit in comparatione ad poenam, quae in purgatorio sustinetur. Tertia est, quia calor ille recuperabit in intensione, quantum amittet in temporis abbreviatione.«

8. Per se patet poenarum gravitatem durationemque fore secundum mensuram peccatorum et debiti poenae temporalis, quod mortis tempore luendum supererit. Quare Eucherius lugd. hom. 2 de Epiph.: »Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseundi mora; quantum accreverit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit flammae rationabilis disciplina; et quantum stulta iniquitas gessit, tantum sapiens poena desaevit.«

9. Justorum animae mox atque a corpore separantur, vehementissimo feruntur amore in Deum, ideoque omnis inordinatus affectus, si quis in illis fuerit, exstinguitur. Quare omne peccatum veniale illis statim remittetur ita tamen, ut pro eo luant poenam. Si enim Deus peccata venialia remittere potest sine ullo hominis actu, quanto magis animae, quae ita in ipsum fertur. »Venialia remittuntur iis post hanc vitam etiam quantum ad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita, scil. per actum caritatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpae, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae sicut in hac vita.« S. Thomas de malo q. 7 a. 11. Cf. Suarez t. 4 in 8 p. disp. 11 s. 4.

10. Quod locum attinet, duplex distingui probabiliter potest cum s. Thoma in 4. d. 21 q. 1 a. 1 qcl. 2: »Unum secundum legem communem, et sic locus purgatorii est locus inferior (sub terra cf. n. 656) inferno conjunctus, ita quod idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat . . . Alius est locus purgatorii secundum dispensationem; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigaretur.«

11. Denique patet ex dictis (n. 536. 669), fideles posse oblatis indulgentiis et bonis operibus, in primis sacrificio missae, juvare animas in purgatorio detentas non solum universim, sed et speciatim. Verum hujus impetrationis et satisfactionis fructus non est infallibilis: pendet enim a miseri-

cordi acceptatione divina: quam ob rem dicuntur orationes et bona opera animabus prodesse per modum suffragii. Ut vero prosint, debent fideles, nisi agant ut Ecclesiae ministri (vel applicent indulgentias secundum aliquos theologos), esse in statu gratiae; ex parte vero animae, pro qua offeruntur suffragia, videtur valere regula Augustini Enchir. n. 110: »Eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt;« maxime valebit et illa, quam enunciavit Christus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* Matth. 5, 7. Cf. s. Thomas quodl. 8 a. 9.

Caput V.

De aeterna sanctorum felicitate.

673. *Beatitudinis notio.* — Beatitudo praeeunte Boëthio de consol. phil. l. 3 pr. 1 definiri solet: Status omnium bonorum congregatione perfectus. Distingui autem solet **1.** in beatitudinem objectivam, quae est ipsum objectum seu res, cujus possessione reddimur beati, et in subjectivam seu formalem, quae est ipsa possessio et fruitio objecti, quo beamur; haec consistit in actibus, quibus illud possidemus eoque fruimur. Cf. Thomas 1. 2 q. 8 a. 1. Notat vero Becanus theol. schol. p. 2 tr. 1 c. 1. q. 1 beatitudinem subjectivam magis proprie dici beatitudinem, quam objectivam; nam ab usu formaliter et intrinsecus dicimur beati, a re autem tantum objective et extrinsecus. — Distinguitur **2.** in essentialem, quae secluso quovis alio facit simpliciter beatum, et accidentalem seu integralem, quae est beatitudinis complementum. — Distinguitur **3.** in naturalem et supernaturalem. Illa beatum reddit hominem in ordine naturae, hinc perfecte explet varios appetitus homini natura ipsa insitos perfecteque respondet ejus viribus exigentiisque naturalibus. Beatitudo vero supernaturalis ea est, quae homini nullatenus est debita, ad quam nonnisi specialissimo Dei favore elevatur, quae continetur participatione beatitudinis connaturalis Dei: quocirca naturae creatae vires exigentiamque adeo superat et excedit, ut natura supra se evehi, ipsius capacitas dilatari debeat novaeque ipsi inserendae sint vires, quibus reddatur par ad ea fruendum.

674. *In quo consistat hominis beatitudo.* — Supponimus hominis beatitudinem objectivam essentialem non consistere in aliqua re creata, sed in ipso Deo; quare ut formaliter reddamur beati, necesse est, ut Deus nobiscum uniatur [1]), et quidem actibus intellectus et voluntatis, cognitione et amore. Et revera testatur Scriptura, justos in altera vita visuros esse Deum. Id testatur **a.** testimoniis disertis; *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, si-*

---

[1]) Cf. Thomas 1. 2 q. 1 ss.; c. gentes III, 25; Lessius de summo bono l. 1; l. 2 c. 1, ubi egregie exponit, quot modis Deus uniri possit creaturae.

miles ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est 1. Jo. 3, 2; cf. Matth. 5, 8; **b.** testimoniis aequipollentibus: *Pater, quos dedisti mihi volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem, quam dedisti mihi* Jo. 17, 24; cf. Matth. 18, 10; 2. Cor. 3. 18; **c.** testimoniis comparatis: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut et cognitus sum* 1. Cor. 13, 12.

675. Fatendum est multorum afferri patrum, Chrysostomi in primis, testimonia, quae dogmati videntur adversari. Cum autem hi patres aliis in locis indubie doctrinam profiteantur catholicam: inferendum est, eos beatis denegare visionem Dei comprehensivam, quae unius Dei est propria et quam anomoei, contra quos agebant, incredibili jactantia sibi vindicabant. Si enim illorum verba nimis urgeas, sequeretur eos, vel saltem Chrysostomum, beatis denegasse omnem distinctam de Deo cognitionem, quod est absurdum. Quare sicut patres comparantes creaturas cum infinita Dei perfectione eas non entia dixerunt, ita omnem beatorum visionem comparatione facta cum divina comprehensione denegant esse visionem. Ad rem Epiphanio haer. 70 n. 8 praeeunte Petavius VII, 5 § 4: »Ut si quis mare se ex edita specula vidisse dicat, non mentiatur, siquidem viderit. Sed neque mentietur, qui eum vidisse negaverit. Vidit enim et non vidit, quia totum non videt ac secundum dimensiones omnes . . . Quod in Deo multo magis valere debet, ad cujus infinitatem quantalibet nostra cognitio non est parva, sed nulla.« Ceterum non negamus patribus subinde excidisse in hac quaestione verba minus accurata, vel aliquos scriptores veteres forte etiam hac in re errasse. Cf. Franzelin de Deo uno th. 15. 19.

676. In hac visione consistit sanctorum beatitudo, ut colligitur ex allatis testimoniis, quibus satis aperte beatissima nostra in altera vita describitur conditio, et ex aliis geminis ut Ps. 16, 15: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* 35, 9: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;* Joan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti J. Christum.* Et sane „beatitudo, inquit Lessius II, 4, nil est aliud, quam summi boni apprehensio et possessio. Atqui visio Dei est apprehensio et possessio. Nam visione veluti manus complexu apprehendimus, firmiter tenemus et possidemus ipsum Deum tamquam bonum nostrum nobis ad fruendum datum, ita ut in nostra potestate sit ejus dulcedine frui et omnes voluptates, quae ex ipso hauriri possunt, sine fine percipere.“ Hoc clare jam docuerat concilium francofordiense in ep. ad episc. Hispaniae, clarissime vero Benedictus XII. in constitutione ‚Benedictus Deus‘ 29 Jan. 1336, in qua definit, quod justi in coelo „vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione

eorum animae, qui jam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam.“ Idem pontifex damnavit (apud Raynaldum ad a. 1341 n. 51) errorem quorundam armenorum schismaticorum (cum Gregorio Palamas cf. Petavius de Deo I, 12. 13; VII, 7) dicentium, animas justorum, „non visuras Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest, sed visuras esse claritatem Dei, quae ab ejus essentia manat, sicut lux solis emanat a sole et tamen non est sol;“ quem errorem jam refutavit Gregorius M. Mor. X, 28. Cf. etiam decr. unionis conc. florentini.

677. Vocatur haec Dei visio **1.** beatifica ratione effectus; **2.** immediata excludens non medium quo (cujusmodi est lumen gloriae), sed medium differens et obnubilans, ut Bonaventura ait in compendio theol. verit. VII, 23 s., seu medium ex quo et in quo, cujusmodi sunt creaturae seu generatim effectus respectu suae causae (cf. s. Thomas quodl. 7 a. 1). Hoc medium prae Deo est differens i. e. alterius et inferioris naturae ab ipso, ideoque obnubilans i. e. Deum non clare exhibens sed obscure tantum adumbrans. Dicitur Dei visio **3.** intuitiva, ut significetur claritas; **4.** facie ad faciem seu facialis, ut significetur exclusio omnis medii et simul summa, quae cum ea est conserta, familiaritas; **5.** visio in se, ut negetur eam pro termino habere tantum aliquem Dei effectum vel similitudinem, et inculcetur objectum visionis esse ipsum Deum. Cf. Mazzella de Deo creante d. 4 a. 7 § 1.

678. Jam accuratius hujus visionis dotes indagabimus. Prima ejus praerogativa, quae veluti fundamentum est totius tractatus de gratia, continetur ejus supernaturalitate.

Thesis CCLXXIV. ***Tanta est visionis beatificae praestantia, ut ea censeri debeat supernaturalis.***

Demonstratio. 1. Visionis beatificae supernaturalitas, quam toties jam in praecedentibus supposuimus, ita probatur: Visio beatifica, quam Scriptura promittit justis, hereditas est propria filiorum Dei: *Si filii et heredes* Rom. 8, 17; Gal. 4, 7 s., adoptionis est consummatio. Atqui adoptio in filios Dei certe est supernaturalis (cf. II n. 340).

2. Idem colligitur ex nominibus et dotibus, quae beatitudini coelesti atque visioni beatificae in divinis literis tribuuntur. Ea enim reddimur intime familiares et domestici Dei Eph. 2, 19, consortes regni atque throni Christi ejusque coheredes, participes ejus bonorum et beatitudinis: *Accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis* Jo. 14, 3; *Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus* Apoc. 3, 21. Atqui ejusmodi sors nequit censeri naturae creatae et servae debita [1]). Debetur quidem servo merces, sed non debentur bona

[1]) Chrysologus serm. 71: „Deus Pater homines dignatur heredes; Deus Filius non dedignatur servulos coheredes; Deus Spiritus carnem consortem divinita-

paterna, bona filii propria, intima cum patrefamilias familiaritas. Quare visio beatifica supernaturalis est dicenda. Similis formae argumentum colligi potest ex nominibus *regni coelorum* (neque enim servorum est fieri reges), *coeli* i. e. aulae coelestis et domus Patris; *vitae aeternae,* sed illius, cujus particeps est Christus Joan. 6, 54 ss.; *gloriae*, sed Patris; *beatitudinis*, sed propriae Domini: dicet enim Judex servo fideli: *Intra in gaudium Domini tui* Matth. 25, 21, ad quod profecto natura serva jus nullum habet.

3. Colligitur ex eo, quod Deus dicitur *invisibilis, qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* 1. Tim. 1, 17; 6, 16. Non enim dicitur **a.** *invisibilis* oculis corporis, cum haec non adeo magna sit praerogativa, neque Deo propria; neque **b.** ratione cognitionis cujuscunque, cum Sap. 13, 1 vani pronuncientur homines, in quibus non subest scientia Dei (cf. t. II n. 5 ss.); neque **c.** invisibilis dicitur Deus, quia incomprehensibilis est; nam clare promittitur visio beatis, qui tamen comprehensionis non sunt capaces; neque **d.** invisibilis affirmatur pro praesenti tantum vita, nam verba sunt illimitata, ratio refunditur in lucem inaccessam, et haec intima Patris cognitio reservatur Filio Joan. 1, 18; 6, 46; Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Hinc legimus Is. 45, 15: *Vere tu es Deus absconditus.* Quod si visio Dei intuitiva debita esset creaturae rationali, supposita creatione, non satis congrue diceretur esse in Filii potestate, se et Patrem revelare, cum ea sponte sua consequeretur creationem et merita naturae creatae. Reliquum ergo est ut dicatur invisibilis prae viribus naturae, adeo ut ejus visio naturae rationali sit plane indebita.

Hac explicatione testimonia patrum in speciem pugnantia ad harmoniam revocantur. Ita Irenaeus IV, 20 n. 5: »Secundum magnitudinem quidem et mirabilem gloriam nemo videbit Deum et videt (Exod. 33, 20) . . . secundum autem dilectionem et humanitatem et quod omnia possit, etiam hoc concedit eis, qui se diligunt i. e. videre Deum... Quoniam *quae impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum* (Luc. 18, 27). Homo etiam a se non videt Deum. Ille autem volens videtur hominibus, quibus vult et quando vult et quemadmodum vult: potens enim est in omnibus Deus; visus quidem tunc (in V. T.) per spiritum prophetiae, visus autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno coelorum paternaliter, Spiritu quidem praeparante hominem in filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in vitam aeternam, quae evenit unicuique ex eo, quod videat Deum.« Quod paucis ita expressit Beda in Ps. 118, 33: »Deus habitat lucem inaccessibilem, et

---

tis assumit: fit coelum possessio terrenorum et addicti inferis jurisdictione suscipiuntur in supernis.« Cf. de hoc argumento Scheeben in adnot. ad opusc. Casini, quid est homo pag. 338 ss. et pag. 301 ss.

audimus tamen: *Accedite ad eum et illuminamini* (Ps. 33, 6). Quae utique solvitur quaestio, ut inaccessibilis sit viribus naturae: accedatur autem ad eum muneribus suis.« Cf. card. Franzelin de Deo uno th. 14; Palmieri de Deo creante th. 37; Scheeben § 162; Bautz, der Himmel.

4. Beatitudo coelestis exhibetur tam excedens naturae jus et exigentiam, ut rationis fugiat captum; nam de ipsa in primis intelligi debent verba 1. Cor. 2, 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.*

5. Splendet haec veritas ex toto incarnationis apparatu, cujus finis erat restitutio beatitudinis amissae. Hic enim omnino exigit, ut ejusmodi beatitudo majus sit bonum, quam quod operibus tantum ethice bonis naturae innocentis jam sit debitum. Accedit

6. dogma de necessitate gratiae ad opera vel minima salutis; hoc enim supponit, salutem esse supra naturae vires. Ergo a fortiori visio beatifica, quae finis est operibus salutaribus consequendus, corona et apex omnium gratiarum, excedet omnes vires omnemque exigentiam naturae. Hinc Paulus Rom. 6, 23: *Gratia Dei vita aeterna.*

7. Fides praeterea ex sensu totius antiquitatis jam est supernaturalis, adeo ut vel ad ejus initium requiratur illustratio coelestis (n. 32 s.): a fortiori supernaturalis erit visio Dei intuitiva, cujus fides est tenuissima aurora. Merito igitur damnatae fuere Baji prop. 3: „Et bonis angelis et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia;“ 4. 5. 6. 11: „Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae justo Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.“

679. **8.** Difficile quidem est fatente Suarez de Deo II, 8, reddere rationem, ob quam intuitiva Dei visio vires excedat naturae creatae, imo omnis naturae creabilis, ut ipse cum plurimis tuetur theologis. Ea autem videtur praeferenda, quam ita proponit s. Thomas 1. p. q. 12 a. 4: „Cognitio contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae (operari enim sequitur esse). Si igitur modus essendi alicujus rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis . . . Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla

creatura est suum esse, sed habet esse participatum [1])." „Cum igitur, concludimus cum s. doctore a. 5, virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad essentiam Dei videndam, ut ostensum est (a. 4), oportet ut ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivae illuminationem intellectus vocamus . . . et secundum hoc lumen efficiuntur (beati) deiformes i. e. Deo similes secundum illud 1. Jo. 3, 2 (n. 673)." Cf. Stentrup Synopsis de Deo uno c. 2.

Praeterea pro diversitate intellectus aliud atque aliud est objectum proprium, quod ipse immediate, intuitive et proprie videt. Atqui essentia divina est objectum proprium et proportione naturali respondens intellectui divino. Non videtur ergo objectum proprium, quod immediate et intuitive cognoscat intellectus creatus, qui utpote ordinis prorsus inferioris objectum inferius habebit, quod immediate et intuitive cognoscat, ipsique naturaliter respondeat. Hanc rationem s. Thomas variis modis proponit contra gentes III, 52. Ita ex. gr.: »Quod est superioris naturae proprium, non potest consequi natura inferior nisi per actionem superioris naturae, cujus est proprium: sicut aqua non potest esse calida nisi per actionem ignis. Videre autem Deum per ipsam essentiam divinam est proprium naturae divinae. Operari enim per propriam formam est proprium cujuslibet operantis. Nulla igitur intellectualis substantia potest videre Deum per ipsam divinam essentiam, nisi Deo hoc faciente. Amplius, forma alicujus propria non fit alterius nisi eo agente. Agens enim facit sibi simile in quantum formam suam alteri communicat. Videre autem substantiam Dei impossibile est, nisi ipsa divina essentia sit forma intellectus, qua intelligit, ut probatum est. Impossibile est igitur, quod aliqua substantia creata ad illam visionem perveniat, nisi per actionem divinam.«

680. Verum gravis exceptio inde petitur, quod ratio a s. Thoma aliisque theologis allata nimium videatur probare, scil. non solum visionem Dei naturae creatae vires excedere, sed esse plane impossibilem, nam τὸ esse creaturae nunquam elevari potest ad conditionem τοῦ esse divini. Ad rem respondet Ripalda de ente supernat. d. 10 s. 6 n. 29: »Ut aliqua potentia cognoscens elevetur ad aliquem modum seu perfectionem cognitionis (sibi indebitam), opus est, ut eum modum seu perfectionem cognitionis exerceat naturaliter circa aliquod objectum sibi naturale: ulterius etiam, ut objectum, ad quod tali perfectione cognoscendum elevatur, talis potentiae objectum sit, quod aliquali cognitione naturali, quamvis abstractive et confuse, percipiatur. Nam hoc pacto potentia vitalis per talem cognitionem neque extra suum objectum, neque extra modum cognoscendi sibi naturalem vagatur.« Fere eodem modo respondet Mazzella disp. 4 a. 7, qui facta distinctione inter intellectus objectum proprium (quod ab aliis dicitur proportionatum vel specificativum) et adaequatum, quod utcunque saltem supernaturali lumine adjutum attingere potest, scribit n. 844: »Dicenti ergo: nulla potentia potest agere extra suum objectum, respondetur dist.: extra suum objectum adaequatum, conc. (ac propterea visus nequit percipere sonos): extra suum objectum specificativum seu proprium, subd.: naturali virtute conc.; supernaturaliter adjuta, neg. ‚Divina enim substantia, inquit divus Thomas c. gent. III, 54, non sic est

[1]) De principiis, quibus innititur demonstratio, cf. Suarez Metaph. d. 30 s. 11 et in primis Kleutgen, Philosophie der Vorz. t. I. d. 1 c. 1 § 1.

extra facultatem creati intellectus, quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicut est sonus a visu, vel substantia immaterialis a sensu: nam divina substantia est primum intelligibile et totius intellectualis cognitionis principium, sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilium sunt extra facultatem sensuum .... Indiget igitur confortari intellectus creatus aliquo divino lumine ad hoc, quod divinam essentiam videre possit.'«

681. *De lumine gloriae.* — Augmentum virtutis intellectivae, quod ad Deum videndum theologi exigunt, lumen gloriae dici solet. Illud autem esse admittendum evidenter infertur **a.** corollarii modo ex dictis et **b.** pluribus probat s. Thomas c. gentes III, 53, ubi inter alia: »Nihil est susceptivum formae sublimioris, nisi per aliquam dispositionem ad illius capacitatem elevetur. Proprius enim actus in propria potentia fit. Essentia autem divina est forma altior omni intellectu creato. Ad hoc igitur quod essentia divina fiat intelligibilis species alicujus intellectus creati, quod requiritur ad hoc, quod divina substantia videatur, necesse est, quod intellectus creatus aliqua dispositione sublimiori ad hoc elevetur.« Cf. 1 p. q. 12 a. 5. Et sane **c.** si Deus ad connaturaliter eliciendos actus salutares infundit habitus disponentes potentiam, elevabit et intellectum creatum aliqua divinae bonitatis influentia ad tam nobilem et eminenter supernaturalem visionem. Merito ergo **d.** damnata fuit prop. 5 Beguardorum a Clemente V. cum concilio viennensi: »Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum.« Definitur autem lumen gloriae a Suarez de Deo II, 14 n. 1: »Qualitas creata et habitus et virtus intellectualis supernaturalis et per se infusa intellectui, qua redditur proxime potens et habilis ad videndum Deum.« A Lessio de summo bono II, 8 n. 44 ita describitur: »Lumen istud est suprema quaedam irradiatio et participatio lucis illius, qua Deus seipsum videt, per quam intellectus ad statum divinum elevatur et fit deiformis. Si enim sol mundi istius corporei potest nubes apte dispositas ita illustrare, ut ipsae instar solis luceant et soles quidam, quos parelios vocant, esse videantur: multo magis poterit Deus, qui est sol mundi incorporei, mentes rationales veluti nubes spirituales suo fulgore illustrare, ut ipsi omnino similes sint et tamquam dii quidam divino lumine fulgeant.« De ejus vero muneribus statuit ib. n. 52: »Tria praestat hoc mirandum lumen: **1.** elevat mentem ad statum divinum eumque efficit deiformem, ut Dionysius loquitur, et similem Patri. Mens enim sic illustrata et elevata constituitur in actu primo et vires accipit ad productionem visionis essentiae divinae, ac proinde respondet intellectui fecundo seu memoriae fecundae (ut scholastici loquuntur) in Patre. **2.** expandit mentis capacitatem in immensum, ut sit capax immensi et illimitati boni ... Sicut enim lumen istud corporale facit, ut oculus corporis se extendat ad hujus mundi vastitatem eamque intra se miro quodam modo complectatur: ita lumen illud spirituale et divinum facit, ut mens, cui insederit, se possit extendere et intra se quodammodo complecti totam Dei immensitatem ... **3.** mentem sic elevatam et expansam determinat et rapit in visionem eam eminenti modo juvando et simul concurrendo ad illius visionis productionem, et simul essentia divina intime praesens intellectui concurrit instar sigilli ad eam visionem formandam et sibi assimilandam.« Cf. Franzelin th. 16; de praestantia hujus luminis Scheeben Herrlichk. der göttl. Gnade I, 8.

682. **Scholion I.** Quaerunt **1.** theologi *possitne homo naturaliter* saltem *appetere visionem beatificam.* Distinguatur **a.** duplex appetitus, innatus et elicitus, quam distinctionem ita exponit Palmieri th. 40 de Deo creante: »Appetitus innatus dictus est ex analogia appetitus eliciti. Appetitus elicitus est actus vitalis consequens apprehensionem. Appetitus innatus antevertit quemcunque actum, non est aliquid distinctum ab ipsa natura, tribuitur cuivis naturae sive cognoscenti sive cognitione destitutae. Generatim hic appetitus est ordo naturae ad aliquod bonum sive ipsa natura prout ordinata est ad aliquod bonum. Verum hic ordo duplex esse potest: ordo nempe capacitatis et ordo exigentiae. Hinc cum appetitus innatus nominatur, intelligi potest et intelligitur reapse a pluribus modo prior, modo alter ordo.« Quod si **b.** nomine appetitus innati intelligitur ordo exigentiae, qui magis proprie eo significatur, negandum omnino est, hominem appetitu innato naturaliter appetere visionem beatificam: eo enim appetitu fertur tantum in bona naturalia. Si vero **c.** nomine appetitus innati intelligitur sola passiva capacitas boni convenientis, non immerito veteres theologi scholae concipiebant appetitum innatum naturae ad bona supernaturalia (cf. t. II n. 324). Cum autem **d.** homo appetitu elicito naturaliter i. e. etiam sine gratia possit desiderare quod ut bonum apprehendit, apprehendere vero possit visionem beatificam ut bonum: poterit eam etiam desiderio naturali i. e. non ex gratia profecto appetere, sicut appetere potest donum miraculorum, unionem hypostaticam etc.: sed **e.** per se patet, ex ejusmodi desiderio nullum oriri jus sive exigentiam ad bonum desideratum.

2. Quaerunt, theologi *possitne creari substantia intellectualis, cui lumen gloriae*, quod modo hominibus et angelis est supernaturale, *sit connaturale.* Sententiam affirmantem magno subtilitatis apparatu tueri nititur Ripalda disp. 23, quamvis fateatur, si auctoritate quaestio dirimatur, tenendam esse sententiam negantem: quod etiam concedit Becanus de Deo c. 9 q. 5, etsi in sententiam affirmantem propendit. Verum argumenta fere omnia, quibus thesim probavimus, probant supernaturalitatem visionis non solum pro creaturis rationalibus actu exsistentibus, sed etiam pro possibilibus. Cf. Palmieri thes. 38. 39.

683. **Scholion II.** *S. Thomas vindicatur.* — S. Thomas etsi ad visionem Dei intuitivam exigit lumen gloriae ideoque statuit eam esse supernaturalem: saepe tamen videtur tueri, eam ita esse creaturae rationali debitam, ut haec creari non potuerit, quin ad eam fuerit destinata, cum sine visione Dei nunquam redderetur beata, nunquam satisfieret desiderio innato videndi omnium causam in se. Cf. 1 p. q. 12 a. 1; 1. 2 q. 3 a. 8; comp. theol. I, 104; II, 9; c. gentes III, 49 ss. etc. Verum

1. dicere licet, hisce in locis s. Thomam non de visione beatifica, qualem illam s. Scriptura describit, sed de visione loqui, quae sit cognitio Dei perfecta, adaequate satisfaciens desiderio naturali creaturae rationalis et proportione respondens statui, in quo ea reperitur. Saepe enim et clare duplicem distinguit hominis beatitudinem, naturalem et supernaturalem, quam indebitam esse naturae humanae supponit; hinc diserte 1 q. 62 a. 2 statuit »nullam creaturam rationalem posse habere actum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem (visionem Dei), nisi motam a supernaturali agente«; et de ver. q. 27 a. 2 statuit vires naturales non solum ad obtinendam vitam aeternam non sufficere, sed nec ad eam cogitandam vel desiderandam. Hinc in-

fert infantes sine baptismo decedentes propter carentiam visionis beatificae non tristari, quod nunquam fuerint proportionati ad vitam aeternam habendam, quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat. In 2. dist. 33 q. 2 a. 2. Cf. in 3. dist. 23 q. 1 a. 4; de verit. q. 14 a. 2; q. 16 a. 2; etc. Et q. 5 de malo a. 1 ad 15: „Homo in solis naturalibus constitutus careret quidem visione divina, si sic decederet, sed tamen non competeret ei debitum non habendi (sicut competit infantibus in peccato originali decedentibus). Aliud est enim non debere habere quod non habet rationem poenae, sed defectus; et aliud debere non habere, quod habet rationem poenae.“

2. Si loquitur de visione stricto sensu beatifica, dici potest eum loqui in hypothesi praesentis ordinis. Supposita enim destinatione ad hanc beatitudinem, poterit homo rationis directione appetitum sibi insitum in eam dirigere in eamque appetitu elicito tendere, adeo ut infelix foret, si ei non satisfieret. „Quamvis ex naturali inclinatione, inquit s. doctor in 4. d. 49 q. 1 a. 3 ad 3, voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem: tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per directionem rationis, quae adinvenit vel in hoc vel in illo summum bonum hominis constare.“ Et de verit. q. 22 a. 7: „Homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi: ut scilicet appetat naturaliter, se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, adjutus divina gratia, apprehendit aliquid speciale bonum, ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit; tunc meretur, non ex hoc quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit; sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit.“

3. Non diffitemur ea subinde Thomam hoc in argumento uti loquendi ratione, quae nunc propter jansenianorum errores et abusus forte minus accurata et cauta foret: adeoque in eo interpretando normae instar prae oculis habenda esse Ecclesiae judicia in errores circa hanc materiam lata.

684. Alias *quaestiones de beatitudine* minoris momenti praetermittimus, cujusmodi sunt: **1.** Quid videant beati praeter divinam essentiam divinasque personas et proprietates. Tenendum est, eos plura alia videre, praesertim ea, quae prius revelatione innixi credidere, resque creatas, in quibus illustrius divinae refulgent perfectiones et quarum cognitio eorum multum interest. Cf. Lessius II, 9 s.; Suarez de Deo II, 28. De modo, quo beati creaturas vident, cf. Becanus theol. schol. p. 1 tr. 1 de Deo c. 9 q. 13.

2. Quaeritur, num beatitudo consistat in sola visione? Resp. eam complecti etiam amorem et gaudium. Cf. Lessius II, 5.

3. Sed jam acris oritur controversia, in quo actu proprie et formaliter consistat beatitudo, et cui horum actuum tribuendus sit primatus. Varias sententias recenset expenditque Ripalda de ente supernat. disp. 100. Praeplacet nobis sententia Lessii, qui c. 6 varias ad harmoniam revocat opiniones statuens, potiorem esse visionem, si ratio habetur perfectionis physicae; si honoris Dei, amorem; si boni denique ipsius beati, gaudium.

4. Quaerunt num inaequalitas visionis, quae certo tamquam a causa proxima et physica pendet ab inaequalitate luminis, saltem ex parte oriri possit

etiam ex inaequalitate perfectionis physicae intellectus. Negat Suarez c. 21 adversus Scotum in 4. dist. 50. Cf. Becanus q. 10.

5. Quaerunt num in visione beatifica locum habeat species impressa, quod communiter theologi negant, vel saltem expressa seu verbum mentis ipsa visione expressum, quod alii cum Silvio et Gotti negant, alii cum Suarez tuentur. Cf. Mazzella l. c. disp. 4 a. 7 § 1.

6. Alia demum est quaestio majoris momenti, de qua sit

685. **Thesis CCLXXV.** ***Tanta est beatitudinis aeternae felicitas, ut beati peccare non possint.***

Demonstratio. Opponitur th. errori, qui Origeni tribuitur, secundum quem „possibile videtur, ut rationabiles naturae, a quibus nunquam aufertur liberi arbitrii facultas, possint iterum aliquibus motibus subjacere, indulgente hoc ipsum Domino, ne forte, si immobilem semper teneant statum, ignorent se Dei gratia et non sua virtute in illo fine beatitudinis constitisse. Quos motus sine dubio rursum varietas corporum et diversitas prosequetur, ex qua mundus semper adornatur“ etc.

1. Probatur ex aeternitate beatitudinis. Ea enim non minus est aeterna quam damnatio [1]). Dicitur enim vita aeterna, immarcescibilis et incorruptibilis corona atque hereditas, substantia manens, quam nemo tollet, duratura in secula seculorum, thesaurus, quem neque aerugo neque tinea demolitur. Atqui beati si peccare possent, gloria quoque possent excidere, nam iniqui regnum coeleste non possident (1. Cor. 6, 9). Quare cum felicissima illa sorte possibilitas peccandi non cohaeret; et sicut ex inferno nulla redemptio, ita e beatitudine nullus lapsus. Hinc Apoc. 21, 4: *Et absterget Deus omnem lacrymam* (etiam compunctionis et doloris) *ab oculis eorum, et mors* (qua late patet, in primis mors tristior animae, peccatum) *ultra non erit, neque luctus* (etiam poenitentiae), *neque clamor: neque dolor* (punitionis pro peccato) *erit ultra, quia prima abierunt.* Atqui non abiissent, si iterum peccatum, et propter peccatum luctus, clamor, dolor sive poenitentiae sive damnationis locum haberet. Quare de beato dicitur ib. 3, 12: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.*

2. Idem clare docent patres, sive cum Origenis commenta impugnant, ut Augustinus de civ. Dei XI, 11 ss.; XII, 20; XXI, 17 etc.; sive cum praeeunte Fulgentio de fide n. 64 docent: „Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem a Deo incommutabili factam, nec tamen jam posse quemlibet ss. angelorum in deterius commutari: quia sic acceperunt aeternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint.“

---

[1]) Cf. Luc. 10, 25 col. 28; 12, 33; Joan. 8, 51; 16, 22; 1. Cor. 9, 25; Hebr. 10, 34; Matth. 6, 20; 25, 46; 1. Thess. 4, 16 etc. Cf. Thomas c. G. III, 62.

3. Sane beatitudo coelestis beatitudo est perfecta; atqui de ratione perfectae beatitudinis est, ut excludat omne malum, illius ergo amissionem et vel amissionis timorem; imo quo major est, eo magis utrumque debet excludere. Si vero beati peccare possent, eorum beatitudo non excluderet omne malum, peccatum enim gravissimum est malum et ipsi timore et sollicitudine, ne amitterent gloriam coelestem, jugiter angerentur. Quare Augustinus op. imp. c. Julianum V, 61: „Donabit eam (impeccantiam) veritas, ut sit certa securitas, sine qua non potest esse illa, cui non est aliquid addendum, jam plena nostra felicitas.“ Cf. s. Thomas 1. 2 q. 5 a. 4.

686. *Impeccabilitatis radix.* — Jam quaeres, unde haec beatorum impeccabilitas. Rem ita cum Becano Theol. sch. p. 2 tr. 1 c. 1 q. 9 explicamus: „Bonitas Dei **a.** est infinita: bonum in communi abstrahit a finito et infinito; **b.** bonitas Dei clare et intuitive videtur a beato: bonum in communi obscure et abstractive cognoscitur a viatore; **c.** bonitas Dei continet in se eminenter omnia alia particularia bona: bonum in communi non continet illa eminenter, sed tantum imperfecte, sicut genus continet speciem. Hinc **d.** sequitur omnia alia bona particularia perfectiori modo esse in Deo quam in seipsis . . . Ergo bonitas Dei multis modis potentior et efficacior est ad movendam voluntatem beati, quam bonum in communi ad movendam voluntatem viatoris. Ergo si bonum in communi efficere potest, ut viator nihil appetat nisi in ordine ad bonum in communi, multo magis bonitas Dei efficere potest, ut beatus nihil appetat nisi in ordine ad Deum, ac proinde ut nunquam peccet.“ Etiam patres ex amore summo, qui sponte sua visionem consequitur beatificam, repetunt beatorum impeccabilitatem. Ita Gregorius M. Mor. V, 27: „Angelica natura in semetipsa mutabilis est, quam mutabilitatem vincit per hoc, quod ei, qui semper idem est, vinculis amoris colligatur;“ Augustinus Conf. XII, 15: „Inest ei (naturae angelicae) ipsa mutabilitas, unde tenebresceret et frigesceret, nisi amore grandi tibi cohaerens tamquam semper meridies luceret et ferveret ex te.“ Cf. Thomas 1. p. q. 62 a. 8; q. 82 a. 2; q. 94 a. 1; Lessius II, 22 s. De quaestione num visio beatifica sola sufficiat ad beatorum impeccabilitatem explicandam cf. praeter Becanum et Lessium etiam Suarez disp. 10 sect. 1; Mazzella l. c. d. 6 a. 3.

687. **Thesis CCLXXVI.** ***Etsi beatitudo justorum objectiva eadem est omnium, non omnium tamen eadem est beatitudo subjectiva et formalis: inaequalis enim est pro ratione meritorum.***

Demonstratio. Thesis est contra Jovinianum, qui stoicorum placita secutus, sicut merita et peccata, ita etiam praemia et supplicia aequalia esse contendit; ex quo inferebat, sanctos omnes intuitiva fruentes Dei visione aequaliter esse beatos. Ad eandem illationem pervenit Lutherus ex sua opinione de justitia Christi justificatis imputata. Assertio est de fide: statuit enim conc. florentinum decreto unionis: „Sanctorum animas mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum pro meritorum diversitate, alium alio perfectius.“

1. Probatur iis Scripturae effatis, quibus pronunciatur, Deum redditurum esse unicuique *secundum opera ejus* Matth. 16, 27; Rom. 2, 6 etc.; unumquemque *propriam* accipere mercedem *secundum* suum *laborem* 1. Cor. 3, 8 etc.; ex 2. Cor. 9, 6: *Hoc autem dico vobis, qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Idem colligitur ex nominibus praemii, mercedis, coronae tribuendae a judice et quidem justo (n. 235); de ratione enim praemii et mercedis est, ut proportione respondeat meritis.

2. Ejusdem formae argumentum colligitur ex patribus, qui libenter provocant ad verba Christi Jo. 14, 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt;* et Pauli 1. Cor. 15, 41: *Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum.* Hinc Tertullianus (jam montanista) in Scorpiace n. 6: „Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria nisi pro diversitate radiorum?“ Et s. Polycarpus (cf. ep. eccl. smyrnensis de ejus martyrio n. 10) judici respondet: „Merita mea doloris aestimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto praemia majora percipiam.“ Hoc deinde clare supponunt patres, quoties de praestantia virginitatis prae matrimonio, viduitatis prae secundis nuptiis disputant. „Agrestis enim ululatus est, inquit Ambrosius in epist. synodica ad Siricium n. 2, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem reservare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, et paupertatem quandam coelestium remunerationum inducere, quasi Christo una sit palma quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli praemiorum.“

3. Accedit ratio, quam urget Hieronymus contra Jovinianum: „Si nulla sit meritorum diversitas, si nihil distet inter virgines et mulieres conjugatas, si aequalis meriti sint leviora virtutum opera et martyrum constantia, vanum erit perfectionis studium, taediosus omnino erit virtutum labor, omnes a perfectione retrahentur. Quid perseverant virgines? quid laborant viduae? cur maritatae se continent? Peccemus omnes et post poenitentiam idem erimus quod apostoli sunt.“

688. **Scholion I.** *Exceptioni satisfit.* — Contra beatitudinis inaequalitatem haud levis difficultas petitur ex parabola operariorum in vinea Matth. 20, 1 ss., secundum quam paterfamilias eandem omnibus tribuit mercedem, quamvis inaequaliter prorsus laboraverint. Ad difficultatis solutionem scias: **1.** denarii nomine designari beatitudinem objectivam, quae certo re est eadem pro omnibus, etsi diversa est pro capacitate subjecti beatitudo subjectiva, de qua hic loquimur. Memineris deinde **2.** cum Chrysostomo hom. 64 in h. l. n. 3, „non oportere omnia, quae parabolae continent, verbatim scrutari, sed scopum intelligere, ad quem institutae sunt, eoque percepto et usurpato nihil

amplius inquirere.« Atqui **3.** scopus est, veritatem confirmare dicti: *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi* (Matth. 19, 30), scil. »non semper praemium gloriae mensurari antiquitate vocationis, nec diuturnitate laboris, sed habere Deum aliam rationem altiorem fundatam quidem in voluntate sua et dominio, salva tamen semper ratione justitiae in redditione praemii. Ita Suarez de Deo II, 20 n. 12. Ad rem Becanus p. 1 tract. 1 c. 9 q. 9 n. 3: »Aliud est plus et longiori tempore laborare, aliud plus mereri. Judaei plus laboraverunt, christiani plus merentur. Unde hoc? quia meritum non fundatur in externo labore et observatione legali, sed in gratia et caritate. In N. T. major et potentior est gratia propter praesentiam Christi, quam fuerit in veteri, cum Christus auctor gratiae nondum venisset.« Cf. Petavius VII, 10 s. ed. Passaglia cum append. adjecta. **4.** Supponere licet, novissimos habuisse idem meritum ac primos, ideoque idem accepisse praemium: nam Christus voluit docere, nemini damno futurum vocationis tempus, cum novissimi ita gratia divina possint provehi, ut assequantur primos. Neque obstat **5.** operariorum murmuratio. Ad rem Chrysostomus l. c.: »Inducit alios aegre ferentes illorum bona, non ut invidiae tabe laborantes ostendat, absit! sed ut doceat, illos tanto frui honore, ut possint etiam alios ad invidiam movere.« Neque obest **6.** responsum patrisfamilias, qui mercedis aequalitatem refundit, non in meriti aequalitatem, sed in suum beneplacitum: nam praeterquam quod paterfamilias, ut notat Maldonatns in h. l., ita respondit, quia voluit personae decorem servare et facti sui rationem vili servo non reddere, docens illum pro ratione satis esse suam voluntatem: Christus insuper suo responso »respexit ad radicem gratiae, a qua provenit, ut brevi tempore aliquis habeat majora merita, quia Deus sua voluntate praevenit majori et abundantiori gratia, quos vult. Potuisset ergo respondere paterfamilias, justitiam esse servatam: tamen quia replicari posset in gratiae distributione servatam non esse, ideo radicitus omnes rationes querimoniae evellit et gratiam suam ac liberalem distributionem commendat.« Suarez l. c. n. 17. Ceterum **7.** non obstante beatitudinis inaequalitate nihil beatis deerit. Beatitudo enim explebit perfectissime eorum capacitatem physicam, quam ipsis tribuit lumen gloriae: hoc vero commensuratur proportione beatorum meritis: quod bene illustrat Julianus Pomerius de vita contemplat. I, 4 scribens: »Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos aequaliter habet, quamvis singuli cibum non aequaliter, sed pro possibilitate perceperint: ita sancti omnes, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati futuri erunt.«

689. **Scholion II.** *De dotibus et aureolis.* — Dotis nomine intelligunt theologi supernaturale donum animae beatae Christo in aeternum nubenti collatum. Est duplex: animae et corporis. Anima beata habet unam totalem dotem exsurgentem ex tribus partialibus, quae respondent tribus virtutibus theologicis, suntque visio respondens fidei, comprehensio spei, fruitio caritati. Dos corporis est supernaturalis qualitas seu praerogativa ab anima beata (saltem ut causa meritoria) dimanans in corpus unitum, ut illud reddatur gloriosum atque perfecte ei subjectum. Quatuor numerantur dotes corporis, scil. impassibilitas, subtilitas, agilitas et claritas. — Nomine vero aureolae intelligunt theologi praemium accidentale praeter essentiale pro speciali aliqua victoria collatum, quod probabiliter vel in ipsum corpus redundat. Tres solent aureolae statui pro triplici victoria, quam homines referre possunt de tri-

bus praecipuis Christi nostraeque salutis hostibus, carne, mundo, daemone. De carne triumphat virgo, de mundo martyr deque daemone doctor, qui sana doctrina et sacramentorum pabulo homines a daemonis liberat tyrannide. Quapropter virginibus, martyribus et doctoribus aureolae tribuuntur. Cf. Lessius II, 21; Katholik 1881 II, 28 ss.

690. **Scholion practicum.** Hujus sectionis argumentum copiosam utilemque praebere concionibus materiam per se patet. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* Eccli. 7, 40. Quare post ea, quae fusius dedimus, paucis erimus contenti.

I. Mortem **1.** consideravimus ut vitae, ideoque omnium terrenorum finem, finem quoque temporis adeo pretiosi ad curandam salutem nostram promerendamque gloriam coelestem nobis concessi (n. 639). *Quare particula boni doni,* cujusmodi est tempus, *non te praeterat* Eccli. 14, 14.

2. Mors est aeternitatis janua propter judicium, quod eam consequitur: *statutum* enim *est hominibus semel mori, post hoc autem judicium* Hebr. 11, 27. Hujus vero judicii objectum est tota vita, quidquid homo in corpore gessit 2. Cor. 5, 10, vel verbum otiosum Matth. 12, 36; sunt bona omissa seu neglecta Matth. 25, 24 ss., imo et peccata aliena, quorum homo aliquo modo exstitit causa: quare psalmista 18, 14, ut sibi ab alienis parcat, rogat Deum; idque judicium instituetur coram judice omniscio, cujus oculis omnia sunt nuda et aperta Hebr. 4, 13, qui scrutabitur Jerusalem, animas vel justas, in lucernis Soph. 1, 12. *Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* 1. Petr. 4, 18. *Propter quod, carissimi, haec exspectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace* 2. Petri 3, 14.

3. Est mors ingressus in aeternitatem propter judicii exsecutionem, quae illico judicium excipit (n. 640): nam *mortuus est dives et sepultus est in inferno.* Quam horrenda translatio, ex deliciis in locum tormentorum. *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahae* Luc. 16, 22. Quale solatium! *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos* Apoc. 14, 13.

691. **II.** *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* Hebr. 10, 31. Hoc probat infernus: cujus describi potest **1.** latitudo: punietur enim totus homo secundum omnes suas facultates, appetitus, sensus, membra; est enim *locus tormentorum* Luc. 16, 28. Huc spectant quae diximus n. 650.

2. Altitudinem perspice ex dolorum acerbitate et intensione, quam maxime manifestat horrenda poena ignis, de qua cf. plura n. 652 ss.

3. Profunditatem conjice si potes ex poena damni cum maledictione divina conjuncta: *Discedite a me maledicti* Matth. 25, 41, quam consequitur incredibilis infelicitas, desolatio, ira et livor, desperatio: terribiliter adimplebitur: *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit* (n. 661), in quibus singula sunt expendenda verba.

4. Longitudinem cerne in poenarum inferni aeternitate (n. 657), e quibus nulla redemptio, quarum nulla relaxatio, in quibus requies nulla: *fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte* Apoc. 14, 11 (n. 658). Ipsam inferni exsistentiam juxta dicta in thesi 269 etiam in concione poteris probare. Quod si poenarum aeternitatem vindicare velis coram cultioribus (coram incultis id non erit neces-

sarium, minus opportunum), ostende **a.** incredulos non habere rationes sufficientes, quibus innixi illam negent (n. 659), eam **b.** non esse adeo rationi contrariam, imo potius **c.** consonam (n. 660).

692. **III.** Sicut inferni, ita et beatitudinis coelestis juverit considerare **1.** altitudinem, quae tanta est, ut de ea scribat Paulus 1. Cor. 2, 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum.* Est enim ea plane indebita, supernaturalis, excedens omnem exigentiam viresque creatas (n. 677).

2. Ejus latitudo tanta est, ut beet totum hominem secundum animam et corpus, expleat omne desiderium secundum illud Ps. 102, 5: *Qui replet in bonis omne desiderium tuum.* „Quod quidem patet, inquit s. Thomas c. gentes III, 63, discurrenti per singula. Est enim **a.** quoddam desiderium hominis, in quantum intellectualis est, de cognitione veritatis . . . et hoc quidem manifeste in illa visione consummabitur, quando per visionem primae veritatis omnia, quae intellectus naturaliter scire desiderat, ei innotescent . . . Est etiam **b.** quoddam hominis desiderium, secundum quod habet rationem, qua inferiora disponere potest . . . Quod quidem desiderium, principaliter ad hoc est, ut tota hominis vita secundum rationem disponatur; quod est vivere secundum virtutem . . . Hoc autem desiderium tunc omnino complebitur, quando ratio in summo vigore erit, divino lumine illustrata, ne a recto deficere possit . . . **c.** Ad summam honoris altitudinem per illam visionem Dei homines sublimantur, in quantum Deo quodammodo uniuntur . . . Et propter hoc, sicut ipse Deus rex seculorum est, ita et beati ei conjuncti regnare dicuntur Apoc. 20, 5: *Regnabunt cum Christo* . . . **d.** Beati per illam visionem redduntur celebres non secundum hominum, qui decipi et decipere possunt, opinionem, sed secundum verissimam cognitionem et Dei et omnium beatorum. Et ideo illa beatitudo in s. Scriptura frequentissime gloria nominatur . . . **e.** In illa beatitudine est bonorum omnium sufficientia, in quantum beati perfruuntur illo, qui comprehendit omnium bonorum perfectionem . . . **f.** In illa felicitate est delectatio perfectissima, tanto quidem perfectior ea, quae secundum sensum est, qua et bruta animalia perfrui possunt, quanto intellectus est altior sensu . . . **g.** Est etiam naturale desiderium omnibus rebus commune, per quod conservationem sui desiderant . . . Quod quidem desiderium tunc omnino complebitur, quando beati perfectam sempiternitatem consequentur ab omni nocumento securi, secundum illud Is. 49, 10 et Apoc. 7, 16: *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus.* Sic igitur patet quod per visionem divinam consequuntur intellectuales substantiae veram felicitatem, in qua omnino desiderium quietatur et in qua est plena sufficientia omnium bonorum."

3. Tanta vero est hujus beatitudinis profunditas ut excludat **a.** vel mali umbram: nam *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* Apoc. 21, 4. Excludet **b.** amore summi boni radicitus vel peccandi possibilitatem (th. 275). Imo **c.** beati *inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis potabis eos* Ps. 35, 8. Ejus vero

4. longitudo caret fine. *Ibunt justi in vitam aeternam* Matth. 25, 46.

Quod ita aliis verbis expressit s. Anselmus prosl. c. 25: „O qui hoc bono (scil. Deo) fruetur! Et quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quid

quid volet, erit: et quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animae, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quaerendo bona animae tuae et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum; et satis est. Quid enim amas, caro mea; quid desideras, anima mea? Ibi est, ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si velocitas aut fortitudo aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit: erunt similes angelis Dei, quia seminatur corpus animale, et surget corpus spiritale, potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita: ibi sana est aeternitas et aeterna sanitas; quia justi in perpetuum vivent: et, salus justorum a Domino. Si satietas: satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas: inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia: ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quaelibet non immunda, sed munda voluptas: torrente voluptatis suae potabit eos Deus. Si sapientia: ipsa Dei sapientia ostendet seipsam. Si amicitia: diligent Deum plus quam seipsos; et invicem, tamquam seipsos; et Deus illos plus quam illi seipsos: quia illi illum, et se et invicem per illum; et ille se et illos per seipsum. Si concordia: omnibus illis erit una voluntas, quia nulla eis erit nisi sola Dei voluntas. Si potestas: omnipotentes erunt suae voluntatis, ut Deus suae. Nam sicut poterit Deus, quod volet, per seipsum; ita poterunt illi quod volent per illum: quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille; ita ille volet, quidquid illi volent: et quod ille volet, non poterit non esse. Si honor et divitiae: Deus servos suos bonos et fideles supra multa constituet; imo filii Dei et dii vocabuntur, et ubi erit Filius ejus, ibi erunt et illi, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Si vera securitas: certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale aut quantum est, ubi tale ac tantum bonum est?“

693. **IV.** Cum dogma de purgatorio nullam prae se ferat difficultatem pro fidelibus, nimis enim evidenter illud continetur traditione praesertim practica eaque quotidiana et universali (n. 669 s.), proderit ad fidelium fidem illuminandam et fovendam ostendere, quantum dogma de purgatorio et theoretice et practice se commendet atque rationi sit consonum. Est enim **1.** rationis christianae postulatum (n. 668); **2.** majestatis divinae memoriale; **3.** alacritatis et fervoris stimulus, ideoque fugiendae vel umbrae peccati efficax motivum; **4.** fomentum spiritus poenitentiae et **5.** caritatis fraternae et gratitudinis vel ultra hujus vitae mortalis terminos exercendae ferax occasio (n. 671).

Sectio II.

De consummatione universali.

694. Postquam egimus de singulorum hominum consummatione, de consummatione disseremus mundi extremisque humani generis fatis, de tempore scil. ultimo, quod in divinis literis dici solet *illa dies, dies Domini, dies Christi, dies Filii hominis, novissimus dies, finis, consummatio seculi.*

Quae autem diem illum praecedent, comitabuntur et consequentur, paucis recenset Augustinus de civ. Dei XX, 30 n. 5: „In illo utique judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse futuras: Eliam Thesbytem, fidem judaeorum, antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem. Quae omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi.“ Quibus addunt alii praedicationem Evangelii per orbem secundum verba Christi Matth. 24, 14: *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio.*

De singulis hisce, quae omnium consummationem praecedent, aliqua dicamus, praetermissis tamen iis quaestionibus, quae minoris sunt momenti theologici, quaeque modo nondum solvi possunt nisi conjecturis plus minusve probabilibus: cujusmodi ex. gr. est quaestio de mundi duratione, de qua sapiens est monitum Augustini de civit. Dei XVIII, 53: „Quaeri solet: Quando istud erit? Importune omnino! Si enim hoc nobis nosse prodesset, a quo melius, quam ab ipso Domino magistro interrogantibus discipulis disceretur? Non enim siluerunt inde apud eum, sed a praesente quaesierunt dicentes: *Domine, si hoc tempore praesentaberis et quando regnum Israel?* At ille: *Non est,* inquit, *vestrum scire tempora, quae Pater in sua posuit potestate* (Act. 1, 6 s.) . . . Frustra igitur annos, qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore Veritatis audiamus.“ Recensita vero triplici de mundi fine opinione subdit: „Quemadmodum quisque eorum adstruat opinionem suam, longum est demonstrare et non necessarium. Conjecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum aliquid de Scripturae canonicae auctoritate profertur. Omnium vero de hac re calculantium digitos resolvit et quiescere jubet ille, qui dixit: *Non est vestrum scire* etc.“ Quapropter prudenter concilium mediolanense a. 1365 p. 1 c. 6 hortatur concionatores, „ne certum tempus antichristi adventus et extremi judicii diem praedicent, cum illud Christi Domini ore testatum sit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta.* Neve quidquam praeterea futurum ex sacris literis divinare eique eventui certam diem praefinire audeant. Neque temere id sibi divinitus revelatum esse affirment.“ Nunquam tamen defuerunt, qui non obstante tam diserta Christi declaratione ausi sint mundi determinare finem [1]).

---

[1]) Ita eum assignavit initio sec. III. Judas quidam teste Hieronymo de viris illustr. c. 52; alii secundum Philastrium haer. 106 a. 365; alii teste Augustino l. c. a. 400; plures praeeunte jam Hippolyto in Dan. l. 4 (cf. Tüb. Qtlschr. 1893 p. 119) anno circiter 500, innixi opinioni a multis receptae et per Syriam etiam vulgatae (cf. Zeitschr. Oeniponti 1892 p. 275) de duratione mundi per sex annorum milia, quorum 5500 secundum chronologiam tum sat vulgatam ad Christum usque jam effluxerant (cf. Etudes religieuses 1868 II, 596 ss.; Katholik 1880 I, 478 ss.); haud pauci, non tamen consensu communi (cf. Beissel Stimmen aus Maria Lach 1895 I, 469 ss.) anno circiter millesimo; Rainerus episc. florentinus a. 1071—1078;

De *Eliae* (et Henoch) *reditu* vix dubitare licet, si patribus credimus (cf. supra n. 638[1]); dubitat tamen Rupertus tuitiensis ab. († 1135) de victoria Verbi V, 15 innixus Hieronymi auctoritate (in fine comment. in Malachiam) et Matth. 11, 14; eosque opinatur a moriendi necessitate liberatos ib. c. 16. Maldonatus vero in Matth. 17, 11 loco Henoch Moysen venturum esse censet. De futura judaeorum conversione, quam s. Paulus sperandam esse satis clare significat Rom. 11, 25 ss. copiose disputant Malvenda l. cit. l. 10 et 11 et Lessius de antichr. n. 63 ss.

695. *De antichristo.* — Antichristi nomen designare potest tum eum, qui est contra Christum, Christi adversarium, tum eum, qui pro Christo seu Messia se venditat, pseudomessiam. Accipitur autem saepe laxiori significatione, et tunc multi sunt antichristi. Cf. 1. Jo. 2, 18. 22; 2. ep. v. 7. Per antonomasiam sensu pleno et presso ille dicitur antichristus, quem christiani in fine mundi venturum timent, qui ceteros Christi hostes impietate vincet et prae ceteris Christi adversarius exsistet. Sicut autem omnes fideles Christo adhaerentes in unum coalescunt corpus, quod est Ecclesia, quae uno cum suo capite quandoque dicitur Christus (cf. t. I n. 209[b]), ita omnes Christi adversarii cum illo praecipuo in unum coalescunt corpus, cui propterea antichristi nomen tribui potest. „Nonnulli, inquit Augustinus de civ. Dei XX, 19, non ipsum prin-

---

Fluentius episc. pariter florentinus, quem damnavit 1105 Paschalis II. in concilio florentino 340 episcoporum, sec. XII; s. Norbertus teste s. Bernardo op. 56 sec. XIII; Joachim ab. coenobii florensis regni antichristi finem et initium regni chiliastici assignavit a. 1260 innixus Apoc. 12, 6; Beguini vero a. 1335, a quibus non multum dissentit Arnoldus de Villanova, juxta quem mundi finis incidet in a. 1376 (KL. 1[2], 1429); hunc assignavit Wicleffus a. 1400; s. Vincentius Ferrerius a. 1412: fanatici quidam in Germania a. 1532; plures lutherani a. 1533; Franc. Meletus a. 1530—40; Postel a. 1536; Joannes parisiensis a. 1560; Cypr. Leovitius a. 1584; Regiomontanus a. 1588; Bruschius a. 1589 vel 1643; quidam apud Pererium l. 1 in Gen. a. 1656; Hübner a. 1666; Phil. Nicolai a. 1670; Nic. Cusanus a. 1700—1734; Frid. Braunbon a. 1711; Guil. Whiston a. 1714, dein a. 1736, demum a. 1766; fanatici quidam sec. XVIII. a. 1746; Petrus aliacensis a. 1789; Hier. Cardanus et Jac. Naclantus a. 1800; Bengel a. 1836, quo secundum ipsum adveniet Christus et incipiet regnum millenarium (finis vero mundi a. 3836, duratio ejusdem a. 7777$^{7}/_{9}$ cf. KL. II[2], 378); irvingiani secundum Christi adventum exspectarunt 14 Jul. 1835 vel saltem hoc seculo; William Miller 21 Mart. 1843, dein 23 Oct. 1874 (cf. KL. I[2], 253); Anonymus in l. Vergangenheit, Gegenwart und Zukunft von Exspectans exspectavi, Dülmen 1873 a. 1900; Holzhauser (cf. Clarus, H. Lebensgeschichte l, 226); gallus quidam apud Lescoeur le règne temporel de J. Christ extrema mundi fata assignat a. 1911, cui assentit Baxter praeco anglicanus; conjuges Guinness angli a. 1917 vel saltem 1934 initium regni millenarii (cf. Stimmen aus M. Laach 1892 I, 235 s.); Krementz in op. die Offenbarung des h. Joh. Friburgi 1883 c. a. 1950: Picus Mirandulanus a. 1994; alii circa a. 2000; Lesquevin a. 2433; alii apud s. Vincentium Ferr. in ep. ad pseudopontificem Benedictum a. 2537. Cf. Malvenda de antichr. I, 32 s. et 37; Calmet in diss. de antichristo; Gerbert Ecclesia militans, regnum Christi in terris in suis fatis repraesentata c. 2 ss.; Schneider die chiliastische Doctrin c. 5. Gratry in op. La morale et la foi de l'histoire 1868 I, 287 opinatur, humanum genus multa centena millia annorum adhuc inhabitaturum esse hanc terram. De variis autem signis mundi finem praecedentibus praeter dicta cf. Lessius de div. perfect. XIII, 18.

cipem, sed universum quodammodo corpus ejus i. e. ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo principe h. l. (2. Thess. 2) intelligi antichristum volunt.« Jam vero de antichristo sunt tenenda: **1.** eum certo esse venturum; **2.** non esse tantum personam moralem, turbam adversariorum Christi, neque hoc nomine designari (per prosopopoeiam) tantum spiritum vel doctrinam contrariam doctrinae Christi; sed omnino veram esse personam eamque singularem, quod secundum Suarez in 3. p. t. 2 d. 54 s. 1 est certissimum et de fide, et clare colligitur ex 2. Thess. 2, 3, ubi tam emphatice dicitur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς ἀπωλείας, ὁ ἄνομος etc., et ex constanti patrum consensu, qui multa habent de ejus fatis etc. Eum **3.** atris prorsus coloribus depingunt patres praeeunte Paulo 2. Thess. 2; omnino vero **4.** tenendum est, eum fore hominem, non ipsum daemonem humana specie apparentem vel incarnatum; eumque naturali quidem ratione genitum, sed verosimiliter ex copula illicita, natione judaeum, ex toto Christi adversarium, ita tamen ut Christum in pluribus aemulaturus sit. Sicut enim Christus **5.** habuit suos typos, praecursores, apostolos miraculisque adventum suum confirmavit: ita et antichristus habet suos praecursores, qui typorum instar eum adumbrant et portendunt, habet suos asseclas et discipulos ejusque *adventus est secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacii et in omni seductione* 2. Thess. 2, 8. Magna **6.** alacritate a judaeis in primis excipietur, quod innumeri docent patres innixi verbis Christi Joan. 5, 43: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Cf. Malvenda toto op. de antichristo; Lessius de antichristo; Stentrup th. 152 ss.; Atzberger passim in Gesch. der christl. Eschatologie.

696. Accuratius jam *de resurrectione mortuorum* erit disputandum, cum ea sit fundamentale religionis christianae dogma: „Resurrectionem enim aufer, inquit s. Augustinus in Ps. 101 s. 2 n. 7, illico christianismum evertes.“ Et sane, ut argumentatur Paulus: *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est fides vestra* (1. Cor. 15, 13). Sicut autem teste Tertulliano de resur. carnis c. 1 „fiducia christianorum est resurrectio mortuorum,“ ita lapis semper fuit offensionis haereticis primorum praesertim seculorum. „Nam in nulla re, testatur Augustinus in Ps. 88 s. 2 n. 5, tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et copiose contradicitur fidei christianae, sicut de carnis resurrectione.“ Quare nil mirum, quod ea in omnibus symbolis credenda proponitur. Quid autem de ea credendum sit, paucis expressit Tertullianus l. c. c. 63: „Resurget igitur caro et quidem omnis et quidem ipsa et quidem integra.“

697. **Thesis CCLXXVII.** ***In consummatione seculi resurgent mortui et quidem omnes tempore eodem iisdemque cum corporibus, quae dum viverent, gestarunt.***

Demonstratio p. I. Carnis resurrectio in genere probatur

1. plurimis s. Scripturae effatis. Eminet loci classici instar 1. Cor. 15, ubi Paulus comprobata v. 1—21 Christi resurrectione, de nostra disserit

et non solum octies saltem testatur, mortuos esse resurrecturos, verum variis etiam rationibus confirmat v. 12—32 et in resurrectionis inquirit modum v. 35 ss. Inter alias rationes, quibus utitur, hae duae in primis sunt notandae: v. 12: *Si autem Christus praedicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Quasi diceret: Honor, conformitas et unitas corporis exigit, ut capitis conditio communicetur membris. Atqui Christus caput nostrum resurrexit. Decet ergo et gloria capitis et corporis conformitas exigunt, ut et membra resurgant, ne sub vivo capite mortua sint membra: quo sensu etiam Christus Marc. 12, 27 affirmat: *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Ideoque subjungit apostolus v. 20: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium.* Ad rem Ambrosius de excessu fratris Satyri II, 102: „Si enim nobis non resurrexit, utique non resurrexit, qui sibi cur resurgeret, non haberet.“ Quapropter scribit Paulus 2. Cor. 4, 14 s.: *Scientes, quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos;* Rom. 8, 11: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit J. Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* — Alterum argumentum peti potest ex perfecta Christi de morte victoria: *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* 1. Cor. 15, 54 s. col. 25 s. etc. Si autem homines non resurgerent, mors illis dominaretur, neque mors esset devicta, neque destructa. Ipsa ergo Christi de morte victoria exigit, ut morte evacuata, morti praedam eripiat, mortuos a morte liberet i. e. resuscitet. Ideo ait v. 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

2. Suffragatur dogmati traditio et fides judaeorum, cujus testes sunt fratres illi, quorum martyrium refertur 2. Mach. 7, 1 ss. Ita enim respondit eorum tertius tyranno crudeli: *E coelo ista* (membra) *possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* De quarto narratur v. 14: *Cum esset jam ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo iterum ab ipso resuscitandos.* Quare etiam Martha confidenter pronunciat Jo. 11, 24: *Scio, quia* (frater meus) *resurget in resurrectione in novissima die.* Cf. praeterea 2. Mach. 12, 43 (n. 670); Dan. 12, 2; Ez. 31, 1 ss.; Matth. 22, 28 coll. Act. 23, 6 ss.

698. **3.** Accedit luculentissima traditio christiana, ut patet ex tot symbolis et apologiis pro religione christiana editis: exquisitis enim undique analogiis rationibusque nituntur patres hoc dogma confirmare illu-

strare et adversus gentilium tueri exceptiones; ipsique gentiles bene noverant, hanc esse christianorum fidem: idcirco enim martyrum corpora redigebant in cineres, ut eorum resurrectionem redderent impossibilem. Cf. opusc. XIII, 109. Speciminis gratia quaedam dabimus.

a. Alii possibilitatem resurrectionis carnis confirmant ex creatione universi, speciatim hominis, quam probationem fuse exsequitur Theodoretus de prov. or. 9. Ita Athenagoras de resur. carnis n. 3: „Dei potestatem excitandis ad vitam corporibus non imparem esse, argumento est eorum generatio. Nam si non exstantia hominum corpora eorumque principia in prima fecit creatione, etiam dissoluta, quolibet id contigerit modo, non difficilius exsuscitabit: aeque enim id quoque potest.“ Vel utuntur exemplo figuli vas confractum refingentis. Ita Hippolytus). adv. gr. (Mig. patr. gr. 10, 799): „Etiamsi ad tempus solvatur corpus propter primam ab initio transgressionem perpetratam, tamquam in conflatorio terrae mandatur rursum aliquando reformandum, non tale, quale nunc, resurrecturum, sed purum et non amplius corruptioni obnoxium.“

b. Alii provocant, ut hoc mysterium quibusdam illustrent analogiis, ad quotidianam, quae cernitur in hoc universo, resurrectionem, duce Paulo qui seminis utitur exemplo 1. Cor. 15, 36 ss., quod terrae commissum prius corrumpitur, deinde ad novam resurgit vitam. Inter hos eminet P. Chrysologus serm. 103. 118, Epiphanius in Ancor. n. 83 et Tertullianus de res. carn. c. 12, qui exposita hac analogia subdit: „Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam praescripsit Deus ante quam literis; viribus praedicavit antequam vocibus. Praemisit tibi naturam magistram submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae discipulus naturae; quo statim admittas, cum audieris quod ubique jam videris; nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem.“ Tertullianum in compendium redigit Minucius Felix n. 34: „Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sepulcro, ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? Exspectandum nobis etiam corporis ver est.“

c. Libenter vero resurrectionis congruentiam inferunt α. ex carnis dignitate: quod argumentum expolit et urget Tertullianus ib. c. 5 ss. atque ita paucis complectitur: „Igitur, ut retexam, quam (carnem) Deus manibus suis ad imaginem Dei struxit, quam de suo adflatu ad similitudinem suae vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui totius suae operationis praeposuit, quam sacramentis suis disciplinisque vestivit, cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus sibi passiones adpretiat: haeccine non resurget totiens Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, adflatus sui vaginam, molitionis suae reginam, liberalitatis suae heredem, religionis suae sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem in aeternum destituat interitum!“ Cf. Apol. c. 48 n. 165 s. — Et Irenaeus V, 6 n. 2: „Templum igitur Dei, in quo inhabitat Spiritus Patris, et membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximae est blasphemiae?“ — Praeclare de hac congruentia dis-

serunt Justinus de resur. n. 7 ss. et Theodoretus l. c. — β. Resurrectionem inferunt ex justitia: justum enim est corpus particeps reddere praemii, cum particeps fuerit passionum, meritorum etc. Quam convenientiae rationem rhetorice evolvit Theodoretus l. c., brevius proponit Tertullianus l. c. c. 15: »Et si anima est, quae agit et impellit in omnia, carnis obsequium est, Deum non licet aut injustum judicem credi aut inertem: injustum, si sociam bonorum operum a praemiis arceat; inertem, si sociam malorum a suppliciis secernat; cum humana censura eo perfectior habeatur, quo etiam ministros facti cujusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quominus cum auctoribus poenae aut gratiae communicent fructum.«

d. Probant patres veritatem resurrectionis carnis principiis certissimis, Christum scil. alterum esse Adamum; quaerere, quod perierat; reparare Adami ruinam mortisque esse victorem. Invicte Tertullianus haec argumenta urget ita disputans c. 34: »In primis cum ad hoc venisse se dicit, ut quod periit salvum faciat, quid dicas periisse? hominem sine dubio. Totum an ex parte? utique totum... Totus itaque salvus fiet, qui periit totus delinquendo, nisi si et ovis illa (Luc. 15, 4 s.) sine corpore amittitur et sine corpore revocatur.« Et c. 46: »Quam indignum Deo dimidium hominem redigere in salutem. Pene minus facere, cum etiam secularium principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur totum eum elidens. Deus infirmior renunciabitur non totum relevans. Atqui et apostolus suggerit (Rom. 5, 20), ubi delictum abundaverit, illic gratiam abundasse.« Cf. Bonaventura in brevil. VII, 5; Thomas c. gentes IV, 79; in expos. symb. n. 36; martyrum fides opusc. XIII praef. n. 16; syrorum effata Zeitschr. f. kath. Theologie 1892 p. 279 ss.; Oswald Eschatol. s. 3 a. 2.

699. **Declaratio p. II.** et **III.** Non defuerunt, qui a resurrectione exciperent impios: tenendum autem omnino est, mortuos omnes esse resurrecturos; quod implicite credendum proponitur, cum in symbolo doceatur illimitate carnis resurrectio; explicite vero traditur in symbolo athanasiano, in symb. concilii toletani XI. a. 675 et in conc. lateranensi IV. c. ‚Firmiter', in quo statuitur: „Qui omnes (electi et reprobi) cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant." De infantibus, qui ante acceptum baptismum moriuntur, conclusio juxta Suarez in 3. p. t. 2 d. 60 s. 3 non videtur tam expressa in Scripturis, quam praecedens de adultis, „quia testimonia adducta videntur loqui de adultis, qui de propriis actibus sunt judicandi." Resurrectionem omnium eodem fieri tempore non videtur de fide, quia nunquam expresse definitum, certum tamen est et tenendum adversus chiliastas, de quibus mox.

700. **Demonstratio p. II** et **III.** **1.** Probatur verbis Christi Jo. 5, 28 s.: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Hic sermo est de resurrectione carnis, nam, ut inquit Augustinus tr. 19 in Jo. n. 17, „et commemoratione monumentorum et expressione processionis de monumentis aperte intelligimus corporum resurrectionem;" eaque ex-

hibetur universalis bonorum et malorum et quidem **c.** quae fiat simul eadem hora, eodem tempore. *Sic deservio,* ait Paulus Act. 24, 14 s., *Patri et Deo meo credens omnibus, quae in lege et prophetis scripta sunt: spem habens in Deum, quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram justorum et iniquorum.*

2. Confirmatur traditione: neque enim unquam patres de resurrectione disputantes aliquos ab ea excipiunt. „Resurrecturam carnem omnium, inculcat Augustinus Ench. n. 84, quicunque nati sunt hominum atque nascentur et mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet christianus." Et revera fere omnia, quibus resurrectionem in genere demonstravimus, ejus universalitatem comprobant.

3. Speciatim resurrectionis unitas ita probari potest: In secundo Christi adventu omnes pie defuncti resurgent teste Paulo 1. Thess. 4, 15: *Ipse Dominus . . . descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi;* et Joan. 6, 39 ss. quater testatur Christus, se omnes pios novissimo die esse resuscitaturum. Cum resurrectione piorum autem erit conjuncta resurrectio impiorum, ut patet ex verbis supra allatis, et ex 1. Cor. 15, 52: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba . . ., et mortui* (sine exceptione) *resurgent et nos immutabimur.* Merito ergo concludit Gennadius de eccl. dogm. c. 6: „Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed una et insimul et semel. Non prima justorum et secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum, sed una omnium."

701. **Declaratio p. IV.** Homines resurrecturos esse eodem in corpore (et quidem non solum quantum ad formam, quod ad carnis identitatem non sufficeret, sed etiam quoad materiam), quod dum viverent gestarunt, saepe Ecclesia professa est, ut in symbolo apostolico secundum formam ecclesiae aquilejensis et athanasiano, in conciliis toletano a. 633 can. 1 et lateranensi IV. cap. ‚Firmiter' (n. 699) et aliis omissis in symbolo fidei Leonis IX. Petro episcopo proposito: „Credo etiam veram resurrectionem ejus carnis, quam nunc gesto;" et in symbolo concilii toletani XI. (a. 675): „Exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aërea vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, movemur et sumus." Cf. etiam decretum concilii trid. sess. 25 de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum. Sedulo autem distingui debet quaestio facti a juris quaestione: aliud scil. est quaerere, num idem corpus, quod quis dum viveret habuit, resuscitetur: et aliud, quid requiratur vel non requiratur, ut habeatur corporis identitas. De priori nunc sumus solliciti.

702. **Demonstratio p. IV. 1.** Corporis resuscitandi identitas probatur ipso resurrectionis nomine. Inde jam Tertullianus c. Marcio-

nem V, 9 cum aliis patribus arguit: „Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quam quae cecidit. Surgere enim potest dici et quod omnino non cecidit, quod semper retro jacuit. Resurgere autem non est nisi ejus, quod cecidit. Iterum surgere, quia cecidit, resurgere dicitur. *Re* enim syllaba iterationi semper adhibetur."

2. Ex causa exemplari resurrectionis nostrae, quae est resurrectio Christi, qui idem corpus ad vitam revocavit quod pependit in cruce.

3. Probatur verbis Jobi 19, 23 ss.: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo et plumbi lamina vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum* [1]) *et rursum circumdabor pelle mea* (et postea pelle circumdabuntur haec), *et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo* (consumpti sunt renes mei in sinu meo).

De quibus verbis ita scribit Hieronymus in ep. ad Paulin. 53 n. 8: »Job . . . resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scribat;« et contra Joan. hieros. n. 30: »Tonet Job tormentorum victor, et testa radens putridae carnis saniem miserias suas resurrectionis spe et veritate soletur . . . Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur.« Agere autem Job revera de corporis resurrectione, non de sanitatis pristinaeque felicitatis restitutione, liquet **a.** ex ipsis verbis, quae de illa commodius quam de hac explicantur; **b.** ex solemnitate exordii, quae tanto mysterio magis congruit; **c.** quod Job longe abfuit a spe sanitatis fortunaeque recuperandae; ita enim v. 10 dixerat: *Destruxit me undique et pereo, et quasi evulsae arbori abstulit spem meam.* Cf. 7, 16; 17, 1. Accedit **d.** haud spernenda patrum auctoritas [2]). Ita autem agit Job de carnis resurrectione, ut carnis resuscitandae identitatem clare testetur.

---

[1]) Ad verbum secundum textum hebraicum: Et postremus (scil. Redemptor) super pulverem surget; quorum verborum hic est sensus: Futurum, ut Redemptor postremo sua utatur auctoritate curamque exserat in Jobi cineres eos redimens sane non aliunde quam ab interitu. Sperabat ergo Job corpus suum quondam resuscitandum ex iisdem elementis componi, in quae erat resolvendum. Cf. Patritii de interpret. Script. l. 2 q. 10; Welte das Buch Job in h. l. Knabenbauer et Zschokke in h. l.

[2]) Praeter Hieronymum, quem cf. etiam in h. l. et l. 11 in Ez. 37, 1 ss.; Clemens rom. ep. 1 ad Cor. n. 26; Origenes tom. 17 in Matth. n. 29: Cyrillus hieros. cat. 18 n. 15; Ambrosius de excessu fratris l. 2 n. 67; in Ps. 118 serm. 10 n. 18; Pseudo-Ambrosius de Trinit. c. 23 (Migne 17, 334); Epiphanius Ancorati n. 99; Chrysostomus vel auctor fragm. in l. Job ap. Mig. patrol. 64, 619; Rufinus in symbolum n. 44 s.; Augustinus de civit. Dei XXII, 29 n. 4; Prosper contra collat. c. 15 n. 45; Gregorius M. Moral. XIII, 31; l. 2 hom. 8 in Ezech. n. 6; Cassiodorus de instit. div. lit. c. 6 laudans verba Hieronymi ex ep. ad Paulinum; Perpetuus in suo testamento (Mig. 58, 753); Julianus tolet. antikeimenon l. 1 interrog. 133; libri carolini III, 6; Jonas aurel.

Quibus adde: Rom. 8, 41: *Qui suscitavit J. Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum in vobis;* 1. Cor. 15, 53: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem;* ib. 2. Cor. 5, 1 ss. etc. Fides judaeorum colligitur ex 2. Machab. 7, 11 (cf. n. 697[2]) et 14, 46.

4. Probatur traditionis suffragio: nam patrum fere nullus est, qui disserens de resurrectione mortuorum carnis identitatem non inculcet; et religionis christianae apologetae hanc in primis adversus gentilium exceptiones tuentur (n. 701); analogiae quoque et rationes congruentiae pro resurrectione quibus utuntur eam exigunt.

Ita praeclare Tertullianus rationem ex justitia derivatam urget de resur. carn. c. 56: „Quam absurdum . . . aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur: item e contrario haec quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur . . . Marcionem pro Valentino resuscitari . . . Quale est, ut eadem anima, quae in hac carne totum vitae ordinem decucurrit, quae in hac carne didicit, et Christum induit et spem salutis seminavit, nescio qua metat fructum? Nae illa gratiosissima caro, cui gratis vita constabit.“ Lege et Epiphanium Ancor. n. 87.

5. Denique hanc fidem Ecclesia practice profitetur cultu reliquiarum et cura, quam gerit de defunctorum corporibus. Ille enim cultus et haec pietas nititur fide, quod et illi cineres et haec corpora aliquando ad vitam resuscitanda sunt gloriosam. Quapropter et locus, quo mortui sepeliebantur, dicebatur *coemeterium,* quod crederentur corpora non perire, sed iterum esse post mortis somnum surrectura.

702. **Scholion I.** *Exceptioni satisfit.* — Omnia adversariorum a primis Ecclesiae seculis ad nostra usque tempora carnis resurrectionem impugnantium tela contra carnis diriguntur identitatem. „Inter haec omnia, inquit Augustinus de civ. Dei XXII, 12, quaestio difficillima illa proponitur, in cujus carnem reditura sit caro, qua corpus alterius vescentis humana viscera fame compellente nutritur. In carnem quippe conversa est ejus, qui talibus vixit alimentis, et ea, quae macies ostenderat, detrimenta supplevit.“ Ut ergo difficultas, quae inde petitur, quod caro unius immediate vel mediate cedit in aliorum nutrimentum, hinc in eorum vertitur carnem, solvatur, **1.** memoria retine, quod saepe inculcat Chrysostomus ut in hom. de resur. n. 2: „Cum potentia Dei operatur, illud πῶς (quomodo) non est addendum.“ Memineris deinde **2.** cum Minucio Felice in Octavio n. 34: „Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi servatur.“

---

de instit. laic. III, 16; Bruno astensis in h. l.; Bernardus s. 8 in Ps. *Qui habitat* n. 3; epitaphium Flaviani ep. vercellensis, qui medio sec. VI. obiit, apud Kraus Roma Sotteranea, Friburgi 1872 p. 251; Petrus ven. tr. c. judaeos c. 3. 4; Hugo rotom. dial. l. 6 n. 6; l. 3 c. haer. c. 3; Petrus bless. contra perfid. jud. c. 34 (Mig. 207, 867); s. Martinus legion. serm. 4 § 32 (ib. 208, 470).

Neque mirum, testatur enim Christus Luc. 12, 7: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt;* et *Capillus de capite vestro non peribit* ib. 21, 18. Quare **3.** si Deus decrevit corporum resuscitationem, non nostrum erit, sed Dei, ita singula corporis elementa, quae ad ejus identitatem absolute exiguntur, tueri et servare, ne in alterius transeant corporis proprietatem. Ad rem Tertullianus ib. c. 63: »Cum in haec (animalia caro) dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cum de illis quoque effluxerit in suam matricem terram, quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa repraesentetur Adam.« Neque vero **4.** necesse est, ut in resurrectione omnia et singula elementa restituantur, cum plura saepe redundent, alia Dei omnipotentia suppleri possint incolumi manente corporis identitate. Quod si **5.** pars essentialis facta est propria alterius, respondere licet cum Augustino ib. c. 20: »Reddetur ergo caro illa homini, in quo caro humana primitus coepit. Ab illo quippe altero tamquam mutuo sumpta deputanda est, quae sicut aes alienum reddenda est, unde sumpta est: sua vero illi, quam fames exinaniverat, ab eo, qui potest exhalata revocare, reddetur. Quamvis etiamsi omnibus periisset modis, nec ulla ejus materies in ullis naturae latebris remansisset, unde vellet eam repararet omnipotens. Sed propter sententiam veritatis, qua dictum est: *Capillus capitis vestri non peribit,* absurdum est, ut putemus, cum capillus capitis perire non possit, tantas carnes fame depastas atque consumptas perire potuisse.« Cf. Thomas c. gentes IV, 81. De corporis resuscitandi identitate copiose disserit Bautz, Die Lehre vom Auferstehungsleibe, Paderbornae 1877.

703. **Scholion II.** *Reliqua de resurrectione tenenda.* — Justorum corpora immutabuntur gloriaque inaequali pro meritorum diversitate refulgebunt, in primis vero dotibus impassibilitatis, subtilitatis, agilitatis et claritatis ornabuntur, ut colligimus tum ex iis, quae disputat Paulus 1. Cor. 15, 35 ss., tum ex iis, quae docet de Christo causa exemplari resurrectionis nostrae Phil. 3, 21; Rom. 6, 5. Circa alias, quae institui possunt quaestiones, scias:

1. Omne illud erit in corporibus beatorum, quod ad integritatem, perfectionem, decorem naturae humanae pertinet.

2. Dotes recensitae ex anima redundabunt in corpus non solum causalitate morali, sed probabiliter etiam physica vi pleni dominii animae tamquam formae in corpus secundum illa Augustini verba ep. 118 n. 14: »Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine, quae in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis i. e. incorruptionis vigor.« Cf. s. Thomas c. gentes IV, 86; comp. theol. c. 168.

3. Dubitari nequit sensus singulos objectis sibi convenientibus frui congruaque donari beatitudine; delectationis enim sunt capaces totusque homo praemio afficietur, ut ostendunt patrum argumenta, quibus probant, decere, imo et justum esse, ut corpus, quod tot tantaque propter Deum est passum, resurgat, ne suo careat praemio. Plura cf. apud Lessium III, 8.

4. Quod diversa attinet corporis membra, quorum usus altera in vita cessabit, statuit s. Thomas suppl. q. 80 a. 1 ad 1: »Membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam, vel secundum habitudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem . . . Si ergo membra accipiantur secundum primam rationem, finis eorum non est

operatio, sed magis perfectum esse speciei, quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem accipiantur secundum secundam comparationem, sic finis eorum est operatio. Nec tamen sequitur, quod quando deficit operatio, frustra sit instrumentum: quia instrumentum non solum servit ad exsequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius; unde oportebit, ut virtus potentiarum animae in ipsis instrumentis corporeis demonstretur, etsi nunquam in actum prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia.« Unde infertur post resurrectionem manere sexus diversitatem, nam haec spectat ad perfectionem speciei.

5. Sicut justorum corpora in melius immutabuntur, ita et corpora damnatorum in deterius, iisque proprietatibus erunt praedita, quae beatorum dotibus plane sunt contraria. Cf. Scheeben Mysterien § 95.

6. Quaestiones de resurrectione minoris momenti, vel curiosas magis quam utiles, vel de quibus nihil ne probabiliter quidem statui potest, praetermittimus. Cf. Augustinus Enchir. n. 84 ss.; Thomas suppl. q. 75 ss.; Oswald sect. 3 § 6. 8.

704. **Scholion III.** Ad quaestionem sitne *resurrectio naturae humanae debita,* communius theologi respondent negative; verum non desunt quibus sententia opposita videtur non improbabilis. Etsi enim ss. literae et patres resurrectionem probant ex rationibus altioris ordinis, non tamen penitus excludunt argumenta, quae suadendi saltem vim habent etiam pro statu naturae: cujusmodi sunt, quae derivantur ex justitia divina (n. 698c). Et sane s. Thomae rationes comp. theol. verit. c. 151 non videntur spernendae: »Quaecumque nata sunt uniri secundum naturam suam, naturaliter sibi uniri appetunt: unumquodque enim appetit id, quod est sibi conveniens secundum suam naturam. Cum igitur anima humana naturaliter corpori uniatur . . . naturale ei desiderium inest ad corporis unionem. Non poterit igitur esse perfecta quietatio voluntatis, nisi iterato anima corpori conjungatur, quod est hominem a morte resurgere. Item finalis perfectio requirit perfectionem primam: prima autem perfectio uniuscujusque rei est, ut sit perfectum in sua natura, finalis vero perfectio consistit in consecutione ultimi finis. Ad hoc igitur quod anima humana omnimodo perficiatur in fine, necesse est, quod sit perfecta in sua natura, quod non potest esse nisi sit corpori unita. Natura enim animae est, ut sit pars hominis ut forma: nulla autem pars perfecta est in sua natura, nisi sit in suo toto. Requiritur igitur ad ultimam hominis beatitudinem, ut anima rursum corpori uniatur. Adhuc, quod est per accidens et contra naturam non potest esse sempiternum: necesse est autem hoc, quod est animam a corpore separatam esse, per accidens esse et contra naturam, si hoc per se et naturaliter inest animae, ut corpori uniatur. Non igitur anima erit in perpetuum a corpore separata. Cum igitur ejus substantia sit incorruptibilis, relinquitur quod sit iterato corpori unienda.« Cf. c. gentes IV, 79.

705. **Scholion practicum.** Cum mortuorum resurrectio tanti sit momenti, ut teste Paulo ea negata ruat fides christiana (n. 696), eaque in primis impugnetur ab adversariis fidei, imo praeeuntibus jam incredulis quibusdam atheniensibus Act. 17, 32 irrideatur (n. 702): proderit ostendere, quam conveniens undequaque sit carnis resurrectio ad fovendam hanc ‚christianorum fiduciam', ut eam appellat Tertullianus. Est enim

1. conveniens ex parte Christi. Decet enim ut **a.** sub capite redivivo sint et membra viva, ipsi scil. homogenea. Sicut enim Deus non est Deus mor-

tuorum, sed vivorum (Marc. 12, 27); ita et dignitas Christi capitis postulat, ut non sit caput membrorum mortuorum, sed viventium (n. 697). Exigit **b.** carnis resurrectionem plenitudo redemptionis, quam rationem praeclare urget Tertullianus n. 698[d]. Exigit eam **c.** victoria sane perfecta, quam Christus retulit de hostibus nostris, ideoque et de morte: quam rationem suggerit s. Paulus n. 697.

2. Conveniens est resurrectio carnis ex parte Dei. Eam enim **a.** exigit justitia Dei, quam convenientiam fuse prosequuntur patres (n. 698. 701[5]), eloquentissime Theodoretus de prov. or. 9; exigit **b.** sapientia Dei, quae cernitur in perfectione et integritate universi. Atqui haec manca et hiulca redditur deleta in aeternum natura humana, quae est tam mira synthesis regni spiritualis et corporalis (t. II n. 288). Exigit **c.** potentia Dei, quae illam toto ordine revolubili rerum seu natura magistra testatur, ut loquitur Tertullianus (n. 698[b]).

3. Conveniens est resurrectio carnis ex parte ipsius naturae humanae: eam enim exigit **a.** ipsa indoles et essentia naturae humanae compositae ex corpore et anima immortali, quae essentialiter est forma corporis. Cf. s. Thomas n. 704; exigit **b.** naturae humanae dignitas, quae in eam redundavit ex assumptione carnis nobis consubstantialis in unitatem personae Verbi; exigit **c.** dignitas, quae sacramenta ipsi conciliant (n. 698[c]), nominatim **d.** perceptio eucharistiae, ex qua patres persaepe carnis resurrectionem inferunt (n. 355[7]). Convenientiam ex dignitate carnis derivatam praeclare evolvit Tertullianus de carnis resurr. c. 5 ss.

4. Ex resurrectione carnis infer **a.** obligationem sanctificandi vel corpus, quod quondam ingredietur aulam coelestem. *Haec est voluntas Dei, santificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore: non in passione desiderii, sicut et gentes, quae Deum ignorant* 1. Thess. 4, 3 ss.: collige **b.** solamen in passionibus cum fortissimis fratribus machabaeis (n. 697[2]); moderare **c.** luctum in amissione carorum secundum monitum Pauli ib. v. 12 ss.; disce **d.** revereri defunctorum corpora et **e.** colere sanctorum reliquias (th. 228 p. 3).

706. **Thesis CCLXXVIII.** ***Opinio sive de Christo per mille annos gloriose hisce in terris regnaturo, sive de statu Ecclesiae militantis ante secundum Christi adventum et judicium universale per plura secula felicissimo atque ab omnibus persecutionibus et malis tam physicis quam moralibus immuni falsa est censenda.***

Declaratio. Chiliasmi nomine illa intelligitur opinio, quae regnum Christi (Messiae) gloriosum in terris quasi intermedium inter praesentem mundi seu Ecclesiae militantis statum et ipsam gloriam aeternam per mille circiter annos duraturum admittit. Pro gaudiorum varietate, quibus justi ex chiliastarum sententia illo in statu fruentur, carnalium scil. vel spiritualium, chiliasmus distinguitur in crassum et subtilem seu spiritualem. Huic errori, in quo veluti substantia chiliasmi consistit, alii alia addunt. Multi quoque duplicem statuunt resurrectionem priorem justorum, impiorum posteriorem, quam universale excipiat judicium. Ad chiliasmum plus minusve accedit opinio eorum, qui ante consummatio-

nem seculi felicissimam quandam Ecclesiae conditionem admodum longam sperant futuram.

707. Chiliasmum crassum propugnarunt vel in eum saltem propenderunt judaei ob suam Messiae gloriosi spem; ex haereticis Cerinthus, ebionitae, Apollinaris teste Hieronymo de viris illustr. c. 16 etc., plures etiam recentiores, ut mormones, irvingiani [1]) etc. Chiliasmum subtilem haud pauci ex patribus et scriptoribus antiquis plus minus tuentur, ut praeeunte Papia [2]) Irenaeus [3]), cujus tamen doctrina in nonnullis a propiie dictis chiliastis dissidet; Justinus, qui testatur [4]), „multos alios ita sentire," aliis piis tamen refragantibus; Tertullianus [5]), Nepos, contra quem scripsit [6]) Dionysius alex., Methodius [7]), Hilarion [8]), Comodianus [9]), Lactantius [10]) etc. De hac opinione Hieronymus [11]): „Quae licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum et martyres ita dixerunt, ut unusquisque in suo sensu abundet et Domini cuncta judicio reserventur." Et s. Augustinus de civ. Dei XX, 7: „Quae opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquae deliciae spirituales in illo sabbato adfuturae sanctis per Domini praesentiam crederentur. Nam etiam nos haec opinati fuimus aliquando." Etiam ex lutheranis plures illi favent, licet recentiori aetate haud pauci alteram potius theoriam, de felicissima scil. Ecclesiae con-

---

[1]) Cf. Malvenda X, 3 ss.; Genér IV, 100 ss. et de protestantium opinionibus Jörg, Geschichte des Protestantismus in s. Entwicklung l. 2 sect. 2 c. 3 et Atzberger die christl. Eschatologie p. 261. Inter lutheranos Australiae ortum est auctore Fritzsche ab a. 1844 propter chiliasmum grave dissidium aliis eum reprobantibus ut errorem subvertentem plura fidei christianae dogmata ideoque fundamentalem. Ad concordiam restituendam plura habita fuere colloquia a. 1887 et 1888, sed frustra. Chiliastae suas opiniones duce Kaibel in conventu Tanundae 29 Febr. et 1 Mart. 1888 habito sex thesibus enunciarunt, quarum prima ita sonat: Wir bekennen uns in der Lehre von den letzten Dingen nicht nur zu der allgemeinen Christenhoffnung, wie solche im symbolum apostolicum ihren Ausdruck gefunden hat, sondern auch zu der speciellen Hoffnung, zu welcher die Prophetie des A. u. N. T. berechtigt. Anmerkung: Unter der allgemeinen Christenhoffnung begreifen wir 5 Stücke: 1. die Wiederkunft Christi; 2. die Auferweckung der Todten; 3. das Weltgericht; 4. die Verleihung des ewigen Lebens; 5. die Verdammniss der Gottlosen. — Die speciellere Hoffnungslehre begreift in sich: 1. die Drangsalzeit unter dem Antichrist und seine Vernichtung durch Christus; 2. die Bekehrung der Juden als Nation; 3. die Bindung des Satans; 4. die erste Auferstehung; 5. die Aufrichtung des tausendjährigen Friedensreiches Christi und seiner Heiligen. Die speciellere Hoffnungslehre bezeichnen wir mit dem Namen biblischer Chiliasmus. Cf. Neue kirchl. Zeitschrift, Erlangen 1891 II, 146—61.

[2]) Cf. Eusebius H. E. III, 39. [3]) L. 5 c. 32. [4]) Dial. cum Tryph. n. 8.

[5]) Contra Marc. III, 27 et in op. deperdito de spe fidelium.

[6]) Cf. Eusebius H. E. VII, 24. [7]) In conv. virg. or. 9 n. 5.

[8]) De durat. mundi.

[9]) In instruct. adv. gent. deos 44 et 80.

[10]) Inst. div. VII, 14. 24; Epitome c. 72.

[11]) L. 4 in Jer. 19, 10. In Ez. 36 accenset millenariis etiam Sulp. Severum: sed in dial. cum Gallo et Postumiano, ad quem respicit s. doctor, nihil hujusmodi comparet. Quare Hier. de Prato operum Severi editor censet t. 1 diss. 5, s. doctorem aut dialogum solum ex aliorum relatione novisse aut memoria esse lapsum. Cf. opusc. XLVIII, 4 s.

ditione futura, amplectantur, quae nacta est inter catholicos tam in Gallia, quam in Germania patronos [1]). Cf. Atzberger Gesch. der christl. Eschatol. I n. 86 ss.

708. In thesi **1.** non agimus contra chiliasmum crassum, cum nimis sit absurdus et a religionis christianae spiritu abhorrens; ideoque etiam jam a patribus accensetur haeresibus (cf. n. 709[2]). Neque **2.** agimus adversus eos, qui fata plus minusve felicia Ecclesiae ante mundi finem conjectando praesagiunt; nihil enim affinitatis inter ejusmodi spem et opinionem ultimo loco in thesis enunciatione expositam. Notamus **3.** chiliasmum spiritualem seu subtilem ab Ecclesia non fuisse damnatum: quam ob rem Ribera, Calmet, Cornel. a Lapide etc. praeeuntibus Hieronymo [2]) et Augustino (cf. n. 707) non audent eam opinionem dicere haereticam. Quare illam nonnisi ut falsam et modo temerariam rejicimus. Etsi **4.** chiliasmus multiplici sub forma traditur, cum tamen omnes illius patroni in eo plus minusve conveniant, ut statuant regnum Christi intermedium inter statum Ecclesiae militantis in terris et statum Ecclesiae triumphantis in coelis, hoc commentum refutasse sufficiet.

709. **Demonstratio p. I. 1.** Judicium uuiversale Matth. 25, 31 ss. descriptum immediate erit post secundum Christi adventum et praecedit justorum ingressum in coelum: quare inter illud et hunc nullus est locus ejusmodi regno intermedio. Quod ut probetur, tenendum est **a.** Scripturam et Ecclesiam universam cognoscere duplicem tantum visibilem Christi adventum, humilem primum per incarnationem ad redimendum, alterum gloriosum ad judicandum genus humanum Hebr. 9, 26 ss. „Duos esse adventus Domini Salvatoris, scribit Hieronymus [3]), et omnia prophetarum docent volumina et Evangeliorum fides, quod primum in humilitate venerit et postea sit venturus in gloria.“ Quare unus tantum adhuc exspectandus est Christi adventus. **b.** In hoc adventu judicabit Christus

---

[1]) E germanis in primis Schneider in op. die chiliastische Doctrin; Waller in op. die geh. Offenb. des h. Joh. ei favet, contra quem cf. Bautz in Katholik 1885 I, 38—62 et Weltgericht p. 160; ex gallis N. Rougeyron les derniers temps 1866, M. Jos. de Félicité, quod nomen est fictum, sub quo forte latet M. Vercruysse, La régénération du Monde, in quo proprie dictus chiliasmus propugnatur, de quibus cf. Études religieuses 1868 II. 568 ss.; Bigou, l'avenir et le règne de satan et du monde remplacé sur toute la terre par une domination indéfinie de J. Christ et de l'Eglise, Paris 1887, de cujus opinione cf. Didiot in Revue des sciences eccl. 1890 fasc. I, 5 ss.; cui respondere nisus est Bigou in iisdem fasc. Sept. Oct. et Nov. 1890: ex italis Jos. Callegari in Studi sopra l'Apocalisse, Mantuae (c. a. 1889) docet Christum post devictum antichristum et judicium universale regnaturum esse a. mille et tunc restituendam nationem judaicam; ex hispanis Cajet. Caballero Infante et Petr. Alv. Navarro. Cf. Études relig. 1888 44, 655. Alios, praesertim ex appellantium factione, sec. praeteriti et praesentis refert Reusch Index II, 987—90.

[2]) Hieronymus tamen chiliasmum spiritualem fabulam appellat ep. 120; et eos, qui illum tuentur, judaizantes in Is. 11, 6; 23, 18; 54, 1; Prol. ad l. 18 in Is.; l. 6 in Jerem. 31, 25 et 38; l. 11 in Ezech. etc. Cf. Schwane KL. III² 148 n. 2.

[3]) Epist. 121 c. 11. Cf. Justinus Apol. 1 n. 52; Cyrillus hieros. cat. 15 n. 1 s.; Chrysostomus hom. 5 in ep. ad Tit. n. 1.

vivos et mortuos. Hoc colligimus ex symbolis, in quibus profitemur, eum venturum esse judicare (non regnare) vivos et mortuos. Intime ergo cohaerent Christi adventus et judicium, hoc illius est scopus: ideoque judicium saepe cum altero Christi adventu conjungitur: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis, et* **tunc** *reddet unicuique secundum opera ejus* Matth. 16, 27; cf. 2. Tim. 4, 1; ep. Jud. v. 4 etc. Hinc Augustinus ad Dulcitium l. de octo quaest. q. 3 n. 2: „Interrogationi tuae, qua quaeris, utrum in adventu Domini mox credendum sit futurum esse judicium, puto, quod sufficiat fides symboli, qua confitemur, Christum a Patris dextera esse venturum ad vivos et mortuos judicandos. Cum ergo ipsa sit ei causa veniendi, quid aliud acturus est mox ut venerit, nisi propter quod veniet?“ Cf. de civ. Dei XX, 1. Judicium vero hoc **c.** non ita instituetur, ut separatim et diverso tempore justi et impii judicentur, sed omnium judicium simul erit. Quod colligimus ex descriptione judicii universalis Matth. 25, 32 ss. col. Jo. 5, 27 ss. (n. 700): hinc testatur Paulus Act. 17, 31, Deum statuisse diem, in quo judicaturus est orbem τὴν οἰκουμένην in aequitate. Neve **d.** quis putet Christi adventum duraturum esse annos mille: hoc enim manifesto gratis asseritur, imo adversus Ecclesiae et fidelium sensum, et ea, quae hactenus probavimus de immediata connexione judicii cum adventu Christi deque unitate judicii. Regnum **e.** cujus participes reddentur sancti in hoc judicio, non est regnum millenarium, sed in coelis aeternum, ut patet ex verbis judicis Matth. 25, 34. Ergo si Christi adventum immediate excipiet judicium, hoc autem ingressus in regnum coeleste, falso prorsus fingitur regnum millenarium intermedium. Sicut enim inter judicium et ingressum in infernum nullus est status intermedius, ita neque inter illud et ingressum in regnum coeleste. Neque **f.** regnum millenarium praecedet adventum Christi, cum hoc sit contra ipsorum chiliastarum hypothesim, secundum quos ipse Christus illud inaugurabit, et contra omnia, quae p. sequenti dicemus.

2. Adversatur chiliasmo sensus Ecclesiae, in qua demum praevaluit et jam per sec. XIII plane communis facta est sententia contraria. Quamvis autem non desint patres graves, qui primis Ecclesiae seculis chiliasmo faverint, inducti auctoritate Papiae dicta quaedam Salvatoris et apostolorum male intelligentis, non tamen defuerunt jam eo tempore alii, qui illi se opposuerint testibus Justino l. c. et Irenaeo V, 31 n. 1; 33 n. 4; 35 n. 1 aperteque rejecerint, ut Dionysius alex., Romae Cajus teste Eusebio H. E. III, 28, Origenes de princ. II, 11 n. 2, quod adeo est verum, ut nonnulli de Apocalypsis genuinitate dubitarent teste Dionysio [1]), quod ea videretur chiliastis favere. Imo nonnulli eum haresibus accensent nulla inter chiliasmum crassum et subtilem facta distinctione, ut Philastrius, Gennadius [2]), Theo-

[1]) Cf. Eusebius H. E. VII, 25. [2]) De eccles. dogm. c. 55.

doretus [1]) et Nicephorus [2]). A seculo vero V. evanuit plane chiliasmi opinio, et theologi scholae eam unanimes rejiciunt, si non ut haeresim, verbis tamen gravibus ut Thomas, qui eam tribuit haereticis [3]), et Bonaventura [4]). Cf. Muzzarelli diss. select. 3; Franzelin de tradit. th. 16; Stentrup th. 151.

710. **Demonstratio p. II.** Admitti nequit regnum millenarium vel felicissima et singularis Ecclesiae conditio per plura secula ante secundum Christi adventum. Lex enim **1.** universalis est: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* 2. Tim. 3, 12; neque alia erit conditio Ecclesiae militantis seu corporis Christi in terris, quam quae fuit ducis et capitis [5]); quam ob rem Christus inculcat abnegationis et mortificationis necessitatem [6]), et de Paulo et Barnaba legimus Act. 14, 21, eos fuisse *confirmantes animas discipulorum exhortantesque, ut permanerent in fide, et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum:* quam legem universalem suspendendam abrogandamque esse per plura secula ante judicium ultimum, gratis, imo temere affirmatur. Cum ea autem conciliari nequit felicissima illa Ecclesiae conditio, quam nonnulli somniant. Ad haec **2.** vel justi eo tempore obnoxii erunt concupiscentiae ceterisque peccati originalis sequelis vel ab illis erunt immunes: hoc temere, imo periculose affirmatur [7]). Si vero primum statuitur, non adeo felix erit justorum conditio, neque aemula conditionis protoparentum in paradiso, ut non nemo ex contrariae sententiae patronis finxit. Denique **3.** Ecclesiae conditio ad finem usque seculi teste Christo Matth. 13, 25 ss. complectetur triticum et zizania, bonos malosque; quare non erit adeo felix ejus conditio, ut gratis affirmant adversarii.

711. **Scholion.** *De apocalypsi c. 20.* Praecipuum, quo chiliastae utuntur, argumentum ex Apoc. c. 20 petitur, in quo mentio fit duplicis resurrectionis et regni millenarii Christi inter utrumque. Atqui **1.** immerito provocant ad hoc caput tamquam locum classicum, cum argumenta ex vaticiniis nondum impletis, nisi admodum sint clara, soleant esse sat incerta, quod saepe non constat, utrum verba accipi debeant sensu proprio an metaphorico. Nominatim Apocalypsim tenebris esse involutam, testantur jam Dionysius al. apud Eusebium H. E. VII, 25; Augustinus de civit. Dei XX, 17 et Hieronymus l. 11 in Ez. 38: „Non intelligentes totum volumen Joannis, quod revelationis titulo praenotatur, esse mysticum et revelatione nos indigere, ut possimus cum propheta dicere: *Revela oculos meos et considerabo mirabilia*

---

[1]) In Ez. 48, 35: haer. fab. VIII, 6. [2]) H. E. VI, 21.

[3]) In 4. dist. 43 q. 1 a. 3 qcla. 1 ad 4. [4]) In Centiloquio p. 4 s. 2.

[5]) Rom. 8, 16 ss.; Luc. 9, 23 s.; 14, 27; Matth. 10, 24, de qua lege cf. Aug. Thill in theol. pract. Qtlschr. (Lincii) 1891, 315—21.

[6]) Matth. 10, 38 s.; 16, 24 ss.; Marc. 8, 34 s. etc.

[7]) Cf. conc. trid. sess. 5 can. 5.

de lege tua (Ps. 118, 18).« Quapropter exegetae inter se dissentiunt, utrum ea, quae in Apocalypsi in forma vaticinii dicuntur, jam sint adimpleta necne. Ad haec **2.** ex duabus interpretationibus loci obscuri ea est seligenda, quae etsi forte minus literalis et obvia, melius tamen cohaeret cum dogmatum analogia, cujus in enarrandis Scripturis maxima habenda est ratio. Chiliastarum vero interpretatio a dogmatum analogia dissonat; consonat ea, quam mox proponemus, quamque tradunt vel innuunt Augustinus de civ. Dei XX, 7 ss., Gregorius M. Mor. IX, 1, Primasius et Beda in h. c.

712. Ligatus ergo **1.** fuit diabolus primo adventu atque morte Christi, quo factum est, ut princeps hujus mundi ejectus sit foras Jo. 12, 31, ejusque dominium ita imminutum, ut vel hominibus concessa fuerit potestas ejiciendi eum in nomine Christi Matth. 8, 29; 12, 28 s. etc. Haec vero ligatio non est absoluta, permittitur enim adhuc tentare homines. »Alligatio diaboli, inquit Augustinus l. c. 8 n. 1, est non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines.« Ceterum **2.** nomine *diaboli* non neccessario intelligi debet omnis virtus diabolica seu omnes daemones, sed posset designari eorum princeps tantum, nam ut scribit Thomas lect. 2 in Job 1: »Mali spiritus in Scriptura daemones dicuntur et eorum primus diabolus vel etiam satan.« Cf. n. 414. 425. **3.** Numero mille annorum designatur tempus omne inter primum Christi adventum et antichristi seductionem v. 7 vel resurrectionem v. 13, »ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo [1]).« **4.** *Animae decollatorum* v. 4, quae *vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis,* animae sanctorum sunt, qui post Christi mortem temporis cursu usque ad antichristi adventum successive participes redduntur regni coelestis. Quare **5.** nomine *vitae*, quam vivere dicuntur, intelligenda est vita beata secundum animam, et nomine *resurrectionis primae* translatio ad hanc vitam: neque enim, si de corporum resurrectione esset sermo, dicerentur *animae* decollatorum resurrexisse **6.** Particula *donec* v. 5 significat quidem terminum, ante quem impii non vixerunt beatam vitam, non vero adsignificat, impios postea illam esse adepturos. Neque vero **7.** ex eo, quod v. 5 vita et regnum animarum dicatur *resurrectio prima,* sequitur hanc fuisse ejusdem rationis cum resurrectione corporum, de qua mentio fit v. 13. Nam **a.** quamvis sermo v. 13 sit de resurrectione corporum, ea tamen non dicitur resurrectio, nedum secunda; ergo non liquet, num ideo illa v. 5 dicatur prima, quod plane ejusdem sit rationis cum hac v. 13; praesertim **b.** cum nulla fiat v. 5 corporum mentio, sed tantum vitae et regni, quae animabus etiam sine corpore convenire possunt. Ceterum **c.** ut animarum ad beatitudinem translatio v. 5 dici possit resurrectio prima, sufficit, si corporum praecedat resurrectionem et cum hac quandam habeat analogiam. Ita Christus Jo. 5, 24 ss. duplicis etiam resurrectionis facit mentionem, prioris secundum animam v. 24, alterius secundum

---

[1]) Augustinus l. c. c. 7 n. 2. Ita etiam Victorinus petabionensis in scholiis ad h. l. (Mig. 5, 342); Tichonius apud Gennadium de script. eccles. c. 18; Hieronymus in Job 40, 24; Cassiodorus in complexionibus ad Apoc. 19, 17; 20, 7; Gregorius M. Moral. XVIII, 42; XXXII, 15 n. 22; Julianus tolet. antikeimenon l. 2 interrog. 69 (Mig. 96, 697); Haymo halberstad., Berengaudus (Mig. 17, 929), Primasius in h. l.; auctor exposit. in Apoc. in append. opp. s. Augustini (Migne 35, 2448 hom. 18); Thomas contra gentes IV, 83. Cf. Malvenda X, 7 ss.

corpus et animam v. 28 s. Quod **d.** confirmari potest verbis v. 14: *Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda.* Atqui nemo haec intelliget de morte proprie dicta secunda corporis, sed de damnatione secundum animam et corpus: ergo et resurrectio prima poterit intelligi de admissione ad vitam beatam secundum animam, resurrectio secunda de translatione ad beatitudinem animae et corporis. Ad rem s. Augustinus l. c. c. 6 n. 2: »Sicut ergo duae sunt regenerationes, una secundum fidem, quae nunc fit per baptismum, alia secundum carnem, quae fiet in ejus incorruptione atque immortalitate per judicium magnum et novissimum: ita sunt et resurrectiones duae, una prima, quae et nunc est et animarum est, quae venire non permittit in mortem secundam; alia secunda, quae nunc non est, sed in seculi fine futura est, nec animarum, sed corporum est, quae per ultimum judicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam, quae non habet mortem.« Cf. c. 7 et 10.

712[a]. **Scholion II.** Novam opinionem chiliasmo affinem nostra aetate excogitavit E. A. Chabauty canonicus honorarius andegavensis in op. praegrandi Etudes scripturales, patristiques, théologiques et philosophiques sur l'avenir de l'Eglise catholique selon le plan divin ou la Régénération de l'humanité et la Rénovation de l'univers, Pictavii 1890—93 t. 3. Innixus nimirum praeprimis 1. Cor. 15, 51 s. (secundum textum graecum), 1. Thess. 4, 12—17 et vaticiniis messianis, quae sensu literali accipit, censet, judicio finali non absolvi fata humani generis hisce in terris, sed hominum partem in conflagratione mundana servari vivos atque vivos praesentes futuros resurrectioni et judicio universali. Quo finito vitam continuabunt in terris in conditione paradisiaca, genus propagabunt per secula, electos multiplicabant, formabunt societatem religiosam seu Ecclesiam, cujus centrum erit Jerusalem, ubi et Christi vicarius sedem figet. Post vitam prolixam et felicem singuli cum corpore transferentur ad sedes coelestes. Quae opinio nullo modo probari potest: pugnat enim cum quamplurimis doctrinae catholicae capitibus, quae innuisse sufficiet. Pugnat cum universalitate peccati originalis, quod infecit universam Adami propaginem: secundum hanc theoriam minorem tantum hominum partem, eos scil. tantum qui vivent usque ad judicium universale, non autem myriades illas, quae post hoc judicium incolent terram; pugnat cum universalitate mortis omnibus hominibus indictae; pugnat cum universalitate judicii, cui interierit minima forte pars generis humani; cum notione consummationis seculi vulgata; cum tot effatis Christi et apostolorum, quae aliam viam praeter viam abnegationis, crucis, tribulationum, quae ducat ad gaudia coelestia, ignorant (n. 710) etc. Haec fusius evolvere non vacat. Cf. Zeitschr. für kath. Theologie 1894 p. 377 ss.

713. *De judicio universali.* — Clare docent s. Scripturae alterum Filii Dei adventum esse exspectandum Act. 1, 11 etc. Cf. n. 709 **a.** Quo adventu supposito verissima sunt, quae scribit Augustinus l. c. c. 30: „Nullus vel negat vel dubitat, per J. Christum tale, quale istis ss. literis praenunciatur, futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem literis nescio qua incredibili animositate seu coecitate non credit;“ cui judicio intererunt non solum omnes adulti, sed et infantes; non solum fideles, sed et infideles; non solum homines, sed et angeli tam mali, quam boni. Etsi

autem judicio particulari jam singulorum sors est definita, convenientissimum nihilominus erit judicium universale, ut **1.** ratione quadam solemni humani generis fatis imponatur finis; ut **2.** judicium particulare promulgetur; **3.** ut homines, quatenus membra sunt societatis humanae. quorum actus saepe per secula in aliorum cedebant commodum vel damnum, publice dijudicentur; ut **4.** lucidissime appareat Dei in omnibus sapientia et justitia; et hinc iniqua hominum judicia corrigantur; ut **5.** ab omnibus creaturis ratione praeditis J. Christo solemne et publicum deferatur obsequium.

Tertiam rationem ita praeclare evolvit s. Thomas 3. p. q. 59 a. 5: »Sciendum, quod licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris secundum quid dependens. Uno quidem modo, secundum quod adhuc vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonae famae vel malae. Alio modo in filiis, qui sunt quasi aliquid patris, secundum illud (Eccli. 30, 4): *Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se;* et tamen multorum bonorum sunt mali filii et e contrario. Tertio modo quantum ad effectum suorum operum; sicut ex deceptione Arii et aliorum seductorum pullulat infidelitas usque ad finem mundi; et usque tunc proficit fides ex praedicatione apostolorum. Quarto modo quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulturae, quandoque vero relinquitur insepultum et tandem incineratum resolvitur. Quinto modo quantum ad ea, in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscunque temporalibus rebus, quarum quaedam citius finiuntur, quaedam diutius durant. Omnia autem haec subduntur existimationi judicii divini. Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum judicium haberi non potest, quamdiu hujus temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale judicium in novissimo die, in quo perfecte id, quod ad unumquemque hominem pertinet quocunque modo, perfecte et manifeste judicetur.« Cf. etiam in 4. d. 47 q. 1 a. 2, ubi s. doctor explicat, quo sensu alii cum Christo sint judicaturi; Augustinus de civ. Dei XX, 2; Stentrup th. 148.

714. Inter quaestiones, quae occasione judicii universalis moventur, est etiam illa, quam Rob. Pullus sentent. l. 8 c. 27 ita proponit: »Utrum quorum tecta sunt peccata per poenitentiam, et quorum bona opera finali malitia decolorantur, in judicio debeant sub silentio sicut caritura mercede, reticeri?« Et respondet: »Potest utique recte videri vitia sanctorum, etiam satisfactione deleta, et ab ipsis, quibus tunc oblivio minime videtur competere, memoriter recolenda, et ab aliis, quibus tunc non ora, sed conscientia omnium loquatur, intelligenda. Ut enim virtus et benignitas liberatoris liberatis, imo et aliis ad laudem Dei gratiarumque actionem appareat, ut constet, sanctos vitia debellasse, illecebras pravae consuetudinis dirupisse, ipsis ad dignitatem, indignis, quoniam similiter non egerunt, ad accusationem, minime videtur absonum in judicio quoque culpas sanctorum intelligendas; imo nec bona malorum gesta in judicio videntur celanda, ut inexcusabiles sint, qui in eo, quod bene per gratiam Dei coeperant, per suae imperseverantiam culpae defecerunt; qui per bona suscepta non pervenerunt ad ulteriora, non superaverunt mala.« Magister vero sententiarum l. 4 d. 43 § 4 censet »non irrationabiliter putari

posse, peccata hic per poenitentiam tecta et deleta, illic etiam tegi aliis, alia vero cunctis propalari.« Verum displicuit theologis haec opinio, imo inter ejus errores fuit notata. Et sane varia Dei attributa, ut ejus justitia, misericordia, gratia etc. videntur omnium exigere manifestationem: ea enim ex peccatis justorum etiam remissis maxime splendescunt etc. Cf. Thomas in 4. d. 43 q. 1 a. 5 qcl. 2 et in supplem. q. 87 ss. plures quaestiones; Bautz Weltgericht; Lessius de div. perf. XIII, 22.

715. Quod *mundi* ipsius *consummationem* spectat, tenendum est

1. praesentem hujus terrae statum finem esse habiturum: ideoque passim mentio fit *consummationis seculi;* non tamen prorsus annihilari vel destrui mundanam substantiam, sed tantum praesentem ordinem, formam etc., ut testatur Paulus 1. Cor. 7, 31: *Praeterit figura* (σχῆμα) *hujus mundi.*

2. Consummabitur igne teste Petro 2. ep. 3, 6 s.: *Ille tunc mundus aqua inundatus periit: coeli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii et perditionis impiorum hominum.*

3. Ita vero consummabitur, ut simul renovetur, ut docet idem apostolus ib. v. 12: *Exspectantes et properantes in adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* Clarius vero Paulus Rom. 8, 19 s.: *Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati* (corruptioni) *enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei:* quibus triplicem hujus innovationis reddit rationem, quod scil. **a.** praesens status non sit originalis conditio creaturae; quod **b.** ipsa non sit causa suae in deterius commutationis; quod **c.** illam exspectet: cui adde **d.** quod rerum universitas est propter hominem; glorificato ergo ejus capite et rege, decet ut ipsa pro modulo suo particeps reddatur hujus glorificationis. Deinde **e.** universitas rerum visibilis opus praestantissimum est sapientiae et omnipotentiae Dei. Quare ipsa ejus praestantia poscit, ut conservetur et consummetur, ut condignum sit complementum illius regni Dei, quod judicio universali inaugurabitur. Cf. Mack in fasc. lit. tübing. 1833 pag. 601—639 et J. B. Kraus in docta diss. die Apokatastasis der unfreien Creatur auf kath. Standpunkte, Regensburg 1850; Scheeben Mysterien § 96.

4. Cujusmodi vero sit futura mundi conditio, ne conjectando quidem assequeris. Num in mundo renovato futura sint animalia et plantae, seu num haec renovatio complectatur regnum organicum, animale scil. et vegetativum, haud levis est quaestio. Theologi scholae negant cum s. Thoma suppl. q. 91 a. 5; c. gentes IV, 97. — Bautz in fasc. liter. Katsolik 1877 II, 135—158, in ll. der Himmel p. 180 ss. et das Weltgericht § 20 censet praeferendam esse sententiam affirmantem, cum ea videatur satis bene cohaerere cum Scripturis et patribus, qui de restauratione universi clare loquuntur, ad quod certe spectat etiam regnum organicum, nam universum visibile et materiale omni plane vita destitutum hinc mortuum, videtur valde imperfectum et mancum; quod rationes congruentiae sat graves illi faveant; quod difficultates a scholae theologis contra eam allatae sufficienter solvi possint. Eandem sententiam ut probabilem tuetur Stentrup de Verbo incarn. th. 167.

Sectio III.

De nexu, quo membra Ecclesiae triumphantis, militantis et ii, qui purgatorio detinentur, conjunguntur, seu de communione sanctorum.

716. Animae hominum, qui temporis cursu moriuntur, successive vel coelum, vel purgatorium, vel infernum ingrediuntur. Quaeritur autem, utrum inter has atque homines viventes intercedat nexus, an omnis conjunctio abrumpatur. De animarum damnatarum commercio cum hominibus nil dicemus, cum ordinario nullum sit; carceri enim aeterno sunt mancipatae. De relatione daemones inter et homines egimus t. II n. 425 ss. Reliquum est, ut de relatione disseramus inter animas defunctorum, quae vel in purgatorio vel in coelo sunt, et (propter analogiam) inter angelos et homines viventes.

717. *De SS. communione.* — Tenendum est, Ecclesiam triumphantem, militantem et Ecclesiae partem, quae purgatorio detinetur, non constituere tres societates penitus ab invicem divulsas, sed ita conjungi, ut inter earum membra, etsi loco et conditione diversa, multiplex exsistat nexus atque relatio. Exhibentur enim fideles in terra degentes **1.** ut beatorum conservi Apoc. 6, 11; 19, 10; 22, 9, concives et coheredes, membra ejusdem familiae et confratres sanctorum Rom. 8, 29; Eph. 2, 19; Hebr. 12, 22 ss. Et sane si unum est caput Christus, unus ipse rex, positus super omnia, quae in coelis et quae in terris sunt Eph. 1, 22 ss.: unum erit ejusdem corpus mysticum, una Ecclesia, unum regnum, una civitas unaque compago, qua omnes, qui ipsi in caritate subjiciuntur quique jam in coelis triumphant vel adhuc militant in terra, consociantur. Si autem tam beati in coelo quam in terra fideles unum sunt corpus, una civitas unumque regnum, sanctorum communio vitalisque nexus inscite in dubium vocatur: neque enim illud est corpus mortuum regnumque discors. Hinc describuntur angeli vel laeti de peccatorum poenitentia Luc. 15, 7; vel ultores, si quid damni infertur illis, qui eorum sunt commissi tutelae Matth. 17, 10; vel solliciti de electorum salute Hebr. 1, 14; quibus triplex significatur boni membri officium: commiseratio, gaudii participatio, sollicitudo.

Praeclare de hac membrorum ad invicem connexione Chrysostomus hom. in s. Romanum M. n. 1: »Nos pedes sumus, inquit, martyres autem caput. Sed non potest caput pedibus dicere: vestri non egeo. Gloriosa sunt membra, sed gloriae excellentia non aliena illa facit a conjunctione, quae est cum reliquis partibus. Tunc enim fiunt maxime gloriosa quando eam, quae nobiscum est, conjunctionem non abruperint. Nam oculus quoque, licet reliquo toto corpore sit splendidior, suam tunc gloriam conservat, quando a reliquo corpore non abscinditur. Et quid de martyribus dico? Si enim Dominus

ipsorum nostrum caput fieri non erubuit, multo magis ipsi esse nostra membra non erubescunt, habent enim radicatam caritatem. Solet autem caritas ea, quae sunt disjuncta, conjungere et colligare, neque de dignitate admodum accurate inquirit.« — Non minus praeclare Augustinus Enchir. c. 56: »Haec (Ecclesia triumphans) in sanctis angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti opitulatur, quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo caritatis, quae tota instituta est ad colendum Deum.« De civ. Dei XX, 9 n. 2: »Neque piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia, quae etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.« Belle vero in Ps. 85 n. 24: »Contristatus est b. Cyprianus in passione, modo consolatus est in corona. Modo et consolatus adhuc tristis (i. e. sollicitus de nobis) est. Dominus enim noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis (Rom. 8, 34): omnes martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster.« — Cui consone s. Ambrosius ep. 22: »Quamvis enim de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemptio totius corporis Ecclesiae, compatiuntur. Cum enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia membra, licet superiora, non compatiuntur membris unius corporis laborantibus?«

2. Sane mirum foret, si caritas, cujus est disjuncta copulare eoque arctius, quo ipsa intensior est, morte interveniente indolem mutaret suam, et visione beatifica reddita ardentissima frigeret erga eos, pro quibus quondam in terris parata fuit sanguinem etiam fundere.

»Nec aliis profecto legibus, inquit ad rem Bernardus serm. 78 in Cant. n. 1, regnum caritatis regi decebat, quam piis ipsorum, qui pariter regnaturi sunt, mutuisque amoribus et puris affectionibus in invicem et in Deum.« Et serm. 26 n. 5: »Qui adhaeret Deo, unus spiritus est (1. Cor. 6, 17), et in divinum quendam totus immutatur affectum; nec potest jam sentire aut sapere nisi Deum et quod sentit et sapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, et quanto quis conjunctior Deo, tanto plenior caritate. Porro impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper et parcere. Ergo et te (fratrem suum defunctum Gerardum alloquitur) necesse est misericordem esse, qui inhaeres misericordi, quamvis jam minime miser sis: et qui non pateris, compateris tamen. Affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus; nec quoniam Deum induisti, nostri cura te exuisti; et ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est abjecisti, sed non quod pium. Charitas denique nunquam excidit (1. Cor. 13, 8): non oblivisceris me in finem.«

3. Accedit analogia ex ordine petita naturali, in quo ordines omnes particulares variis mutuisque nectuntur vinculis ad pulcherrimum hunc mundum efficiendum tamquam ejus partes et veluti membra. Non deerit ergo unio et compago in regno supernaturali inter varios creaturarum intellectualium ordines. Haec confirmantur iis, quae dicemus de sanctorum invocatione et intercessione.

718. Jam varias relationes, quae hanc conjunctionem consequuntur, diligentius expendamus.

Thesis CCLXXIX. ***„Bonum atque utile est, suppliciter sanctos una cum Christo regnantes invocare et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus J. Christum D. N., qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.“***

Demonstratio p. I. De fide tantum est, bonum atque utile esse sanctorum invocationem, ut definivit conc. tridentinum sess. 25 verbis, quibus thesis enunciatur. Hinc sponte sua sequitur eam esse licitam, non autem per se ad salutem necessariam. Porro ut utilitas invocationis sanctorum probetur, supponere oportet, sanctos (quibus accensemus et bonos angelos) pro nobis posse intercedere (quod lutherani generatim non negant). Quare thesis demonstratio in duas dividetur partes. Ad probandam priorem partem i. e. sanctorum pro nobis intercessionem theologi haud immerito provocant ad Zach. 1, 12: *Et respondit angelus Domini et dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est;* Dan. 10, 13 et 20 s.; 2. Mach. 15, 12 ss. ubi narratur, Judam in somno vidisse Oniam, qui fuerat sacerdos, quique dixit de viro, quem pariter vidit in somno: *Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.* Provocant dein ad innumera ss. patrum testimonia, quae evidenter hanc Ecclesiae fidem enunciant. Nos ea tantum expendemus, quae ratio revelatione illustrata assequitur. Sane

1. constat ex divinis literis **a.** justos viventes intercessisse pro vivis, atque **b.** intercessione sua multa eis impetrasse beneficia, imo **c.** Deum alios ad justorum intercessionem delegasse. Ita Abraham apud Deum pro Sodomitis intercedit Gen. 18, 23 ss.; Abimelech mittitur a Deo ad Abraham, ut is pro eo oret, quod praestitit cum fructu ib. 20, 7 col. 17; ipse Deus dicit amicis Job 42, 8: *Ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia;* et ad intercessionis Moysis vim demonstrandam, *Dimitte me,* inquit Ex. 32, 10, *ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos:* illius tamen oratione placatus fuit, *ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Cf. Ps. 105, 23; Num. 12, 13; 14, 13 ss.; Jac. 5, 16 etc. Poterunt ergo intercedere pro nobis sancti, et quidem a fortiori, cum constet illorum gratiam apud Deum cum gloria crescere, eorumque vel memoriam Deo adeo esse acceptam, ut ea ad beneficia conferenda provocetur: *Protegam urbem hanc et salvabo eam propter me et propter David servum meum* 4. Reg. 19, 34; cf. et Dan. 3, 35; cum constet non abrumpi vincula, quibus nobiscum junguntur (n. 717), sed potius cum caritatis beatificae ardore intendi eorundem in nos affectum.

»Si apostoli, inquit Hieronymus adv. Vigil. n. 6, et martyres adhuc in carne constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, et Stephanus ... pro persecutoribus veniam deprecatur, et postquam cum Christo esse coeperint minus valebunt? Paulus ap. ducentas septuaginta sex sibi dicit (Act. 27, 24) in navi animas condonatas: et postquam resolutus esse coeperit, tunc ora clausurus est et pro his, qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit?« — Utitur hoc argumento etiam concilium senonense a. 1528 decr. 13 de fide; pulcherrime vero Hildebertus cenom. († 1134) epist. l. 2 ep. 23 inter alia ita quendam haereticum Vigilantii vestigia prementem impugnat: »Cum enim, teste Gregorio, nihil foris sit quod ignorent animae sanctorum, quae scientem omnia sciunt, quis dicet ab eis proximum diligi, qui proximi clamores audiunt, et nunquam exaudiunt? pulsari sciunt et aperire despiciunt vel nesciunt? angustias vident et viscera claudunt? Quid caritati est eis, quibus afflictorum gemitus nullam extorquent compunctionem, nullum lacrymae momentum, quae inter ceteras supplicationes principatum sibi vindicant impetrandi? Quia igitur eis deest dilectio proximi, deest et Dei; neque enim vel sine proximo Deus vel sine Deo proximus diligi potest... Satis jam, nisi fallor, animadvertis, quo tua evagetur doctrina, quam lutulentam bibas aquam, ibi charitatem excidere somnians, ubi charitas nunquam excidit (1. Cor. 13, 8), ubi gaudium est pro peccatoribus conversis (Luc. 15, 10) ... Resipisce igitur, et si peccatum non invenis apud te, quo necesse sit orare sanctos, ut orent pro te, noli insultare nobis orantibus, ut orent sancti pro nobis.« Patres, qui eundem fere in sensum argumentantur, cf. apud Thomassinum de incarnat. XI, 7 s.

719. **2.** Mirum revera est sanae mentis hominem sincerisque religionis christianae principiis imbutum de hac intercessione dubitasse. Si enim fideles membra sunt Christi unumque ejus corpus constituunt mysticum; si ad hoc corpus tamquam membra spectant non solum fideles viatores, sed et beati comprehensores, neque enim plures sunt corpora Christi mystica; si inter fideles, inter membra ejusdem corporis mutua vigere debet caritas, quae teste Paulo (1. Cor. 12, 26) efficit, ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra; si morte caritas non exstinguitur, sed potius a quovis naevo emundatur, augetur, perficitur: si haec, inquam, vera sunt, uti sunt, incredibile plane est, caritatis mutuae germen genuinum et proprium florem fructumque, qui est oratio pro aliorum salute, quem vel apostoli a fidelibus tamquam sincerae caritatis argumentum votis omnibus expetierunt (Rom. 15, 30 etc.), morte illico exstingui, caritatemque, ante adeo sollertem atque sollicitam, repente reddi sterilem, otiosam, torpentem.

Non ita sensere ss. patres, inter quos prae ceteris hoc argumentum luculenter proponit s. Bernardus. »Sedet veteranus miles, ita ille serm. 2 de s. Victore n. 3, debita jam suavitate et securitate quietus: securus quidem

sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carnis simul se exuit visceribus pietatis: nec sibi sic induit stolam gloriae, ut nostrae pariter miseriae suaeque ipsius misericordiae oblivionem indueret. Non est terra oblivionis, quam anima Victoris inhabitat: non terra laboris, ut occupetur in ea, non denique terra, sed coelum est. Numquid coelestis habitatio animas quas admittit indurat, aut memoria privat aut spoliat pietate? Fratres! latitudo coeli dilatat corda, non arctat: exhilarat mentes, non alienat; affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur: in lumine Dei discitur quod nescitur, non quod scitur dediscitur etc.« Et generatim de quovis sancto disserens serm. 1 in vig. ss. Petri et Pauli n. 2: »Qui potens in terra fuit, potentior est in coelis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus et oravit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria caritatem ejus non immutavit, sed augmentavit. Neque enim, quia impassibilis omnino, ideo et incompassibilis factus est: sed nunc potius induit sibi viscera misericordiae, cum ante fontem misericordiae assistit.« Cf. 717[2] et ep. 374 de obitu s. Malachiae. — Belle de ipso s. Bernardo Petrus cellensis ep. 14 ad Joannem ep. s. Maclovii: »Miror vos scripsisse destitutum patrocinio sanctissimi P. N. Bernardi, cum sancta ejus anima nexibus expedita mortalitatis non charitatis, corruptionis non afflictionis, necessitatis non voluntatis, liberius aures nunc appellet piissimi conditoris pro necessitatibus populi sui. Non mihi contingat de gratia ipsius diffidere, de orationibus ejus desperare.« — Et Augustinus de Nebridio defuncto Confess. IX, 3: »Nec sic eum arbitror inebriari ex ea (Sapientia), ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor.« — Ad rem Eck in suo enchiridion controv. seu loc. commun. 14: »Aut ergo sancti non orant pro nobis sicut vivi, quia est res eis indigna: itaque non conveniet Christo; aut quia est res tantae excellentiae, quod soli Christo et non aliis conveniat: itaque non conveniet viatoribus.« Hoc argumentum praeclare evolvit atque ex Scripturis illustrat Petrus ven. in tr. contra Petrobrusianos, ubi fuse probat (Mig. 189, 823—46) »bona vivorum vivis, bona mortuorum mortuis, bona vivorum mortuis, bona mortuorum vivis profuisse in praeteritis seculis et posse prodesse usque ad consummationem seculi etiam in futuris.«

720. Quibus permotus ipse Leibnitius in system. theol. scribit: »Cum igitur beatae mentes multo magis nunc rebus nostris intersint, quam quando in terris vivebant, multoque praesentius omnia intueantur (nam homines pauca tantum, quae in conspectu geruntur aut ab aliis nunciantur cognoscunt), cum caritas eorum aut voluntas juvandi longe sit ardentior, denique cum preces eorum longe sint efficaciores, quam quas olim fundebant in hac vita: constet autem, quantum Deus etiam viventium intercessionibus tribueret et quam utiliter nos fratrum preces nostris conjungi exspectamus: non video, quomodo crimini dari possit compellare felicem animam vel sanctum angelum, ejus intercessionem vel auxilium postulare etc.« Aliorum protestantium confessiones cf. in op. Beleuchtung der Vorurtheile wider die kath. Kirche t. 2 p. 1 pag. 152 ss. Cf. Trombelli de cultu sanct. diss. 3 c. 3 —19.

721. **Demonstratio p. II.** Sanctos licite utiliterque posse invocari, non eo invocationis genere quo Deum tamquam gratiarum auctorem invocamus: sed quo regis amicos ob eorum, qua apud illum fruuntur,

benevolentiam compellamus, ut suo interventu nostras corroborent preces ac pro nobis intercedant, colligitur

1. ex dictis. Si enim pro nobis intercedunt vel intercedere possunt, eorum intercessionem votis precibusque expetere licebit.

2. Apostoli expetierunt fidelium orationes Rom. 15, 30; 1. Thess. 5, 25. Eo magis ergo licebit invocare sanctos regnantes cum Christo, quo certior horum sanctitas, major potentia, sincerior familiaritas cum Deo. „Non solum in hoc die festo, ita Chrysostomus h. de ss. Berenice et Prosdoce n. 7, sed in aliis etiam diebus ad illas adhaerescamus, deprecemur eas, oremus, ut patronae nostrae sint. Magnam quippe fiduciam apud Deum obtinent non viventes dumtaxat, sed etiam mortuae, imo mortuae multo magis. Nunc enim stigmata Christi portant. Haec porro stigmata monstrantes, nihil non regi persuadere possunt."

3. Imo ejusmodi invocatio plurimum cedit in Dei honorem. Ea enim profitemur nostram indignitatem, summam Dei majestatem, liberalitatem in sanctos. Perbene Asterius amas. in encomio ss. martyrum: „Nam quia minime idonea est oratio nostra ad flectendum Dominum in tempore necessitatis et calamitatis, siquidem oratio nostra non tam deprecatio est, quam peccatorum in memoriam revocatio: idcirco nos ad conservos Domini dilectos confugimus." Quibus similia habet s. Augustinus serm. 332 n. 2. Eadem ratio pulchre significatur in orat. pro mense Aprili in sacramentario Leonis: „Deus, qui nos idoneos non esse perspiciens ad magnificentiam tuam, sicut dignum est, exorandam, eorum nobis, qui tibi placuerunt, praesidia contulisti; praesta ut eorum precibus adjuvemur, quorum providisti nobis miseratus auxilium." Ibidem reperies alias orationes ad dogma illustrandum.

4. Hinc jam primis Ecclesiae seculis fideles invocabant sanctos, et si de hac praxi tacerent etiam monumenta scripta, eam tamen palam proclamarent lapides, quibus a remotissima aetate ejusmodi sanctorum invocationes insculptae leguntur [1]). Ita in coemeterio s. Calixti has et similes reperimus invocationes: „Marcianum, Successum, Severum spirita sancta (spiritus sancti) in mente havete omnes fratres nostros. Petite spirita sancta, ut Verecundus cum suis bene naviget. Otia petite et pro parente et pro fratribus ejus. Vibant cum bono. Sante Suste (Sixte II.) in mente habeas in horationes Aureliu Repentinu."

722. **Corollaria 1.** Ex iisdem rationibus sequi videtur, sanctos pro *animabus in purgatorio detentis* intercedere posse; quocirca etiam Ecclesia defunctis requiem ‚intercedentibus omnibus sanctis' adprecatur. Cum tamen

---

[1]) Cf. Perrone praelect. theol. t. 6 de cultu SS. c. 3; Balmes, Briefe an einen Zweifler ep. 21; Kraus in Roma Sotterranea l. 3 c. 3.

sancti non sint in statu, in quo possint satisfacere, purgatorium vero sit locus justitiae et satisfactionis, eorum intercessio minus prodesse videtur quam suffragia fidelium. Cf. Petrus ven. loc. c. pag. 825 s.

2. Probabile est, animas in purgatorio invocare posse sanctos, quamvis earum invocatio ex ratione allata minus sit efficax. Cf. Knoll § 773 s.

3. Haud improbabile est *animas in purgatorio* pro viventibus *intercedere*, ideoque posse *invocari* [1]); earum tamen intercessio ratione habita status poenalis non ita proderit ac sanctorum oratio. Quapropter Ecclesia earum invocationem neque commendat, neque etiam reprobat. Ex patrum dictis

4. sequitur, sanctos non tantum in genere pro nobis intercedere, sed etiam in specie pro coetibus et personis singularibus certisque beneficiis.

5. Sequitur fundamento non carere, quod catholici pie tenent *de SS. tutelaribus*. Sicut enim in corpore non omnia membra eundem habent actum, neque in aliquo regno omnes ministri eodem funguntur munere, neque natura ubique easdem exserit vires, neque angelis omnibus eadem competunt officia: ita nemini mirum videri debet, si Deus dividens munera sua prout vult (1. Cor. 12, 4 ss.), specialia quaedam beneficia per alios atque alios velit elargiri sanctos: quam ob rem superstitiosum non erit, si propterea fideles alios pro aliis gratiis invocent sanctos. Ad haec propter arctiorem alicujus sancti ad certas personas, urbem, societatem etc. relationem conjunctionemque merito confidimus, eum impensius etiam pro his intercedere, hinc ceu patronum specialem posse invocari. „Sicut enim dicit Apostolus (1. Cor. 12, 30), non omnes sancti habent dona curationum . . ., ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.“ Ita Augustinus ep. 78 n. 3.

6. Neque a ratione alienum est quod statuit s. Thomas supplem. q. 72 a. 2 ad 2: „Quamvis sancti superiores sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam minores sanctos interdum orare et hoc propter quinque rationes: **1.** ex hoc quod quandoque aliquis habet majorem devotionem ad minorem sanctum quam ad sanctum majorem: ex devotione autem maxime dependet orationis effectus; **2.** propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit: per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur; **3.** quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari . . . **4.** ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis; **5.** quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod unius oratione non impetraretur.“ Merito ergo a Pio VI. „doctrina et praescriptio (70. synodi pistoriensis) generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,“ declarata est „temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini injuriosa, quo ‚ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult‘ (ex s. Augustini ep. cit.).“

723. **Thesis CCLXXX.** ***Doctrinae catholicae de sanctorum invocatione et intercessione nullatenus adversantur sive 1. dogma de uno Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu; sive 2. patrum***

---

[1]) Cf. Cölner Pastoralbl. 1883 p. 13 ss.

effata, quibus subinde inculcant, solum Deum esse invocandum; sive 3. ignoratio modi, quo invocantium preces sancti audiant.

Demonstratio p. I. Imbecillius argumentum, quo impugnetur doctrina catholica, excogitari vix potuit a protestantibus eo, quod petitur ex Mediatoris unitate. Sane **1.** vel ipsi concedere debent, justos viventes intercedere pro vivis, et ut intercedant exorari posse (cf. n. 717), quin propterea pereat unius Mediatoris J. Christi dignitas. Ergo a pari non peribit, si sancti invocentur ipsique invocati intercedant. Mediator quippe (sensu pleno) **2.** non statim venditandus est, quisquis pro aliis orat, sed qui pro omnibus orat, et pro quo nullus orat, et qui ipse non per alium orat mediatorem, quique insita sua dignitate et merito independenter ab alio alterum reddit propitium atque beneficia ab eo impetrat. At pro coelitibus olim orabatur, dum tempestate et ipsi jactabantur; neque modo ipsi orant nisi per J. Christum: omnis enim eorum fiducia apud Deum innititur meritis Christi atque gratia, qua ex ipsius meritis apud Deum fruuntur (cf. n. 502[4]). Quare illorum invocatione et intercessione nil derogatur illibatae Christi mediatoris majestati. Quod si tamen **3.** quis eos exemplo patrum mediatores velit vocare, non repugnabimus, neque exinde injuria infertur Christo Mediatori, sicut neque causae secundae virtuti causae principis, domini patresque terrestres uni Domino et Patri nostro in coelis injuriam inferunt: siquidem erunt mediatores secundarii, gradu altero, longe inferiori, participatione. Quid enim **4.** familiarius vel tirunculis scholae christianae, quam sua omnia Christum suis communicare? Sic cum Filius Dei unicus sit, eodem nos consecravit nomine: cum lux sit, petra et fundamentum, et has praerogativas suis discipulis tribuit; tribuit potestatem sibi propriam remittendi peccata, communicandi Spiritum s. etc. Mirum ergo esse non debet, si et de mediationis munere sancti non nihil participent; neque enim **5.** in ordine supernaturali gratiae et salutis abrogata est lex causarum secundarum, ut ostendimus t. I n. 252 (cf. supra n. 492). Imo **6.** in immensum Christi decus redundat istud quidem et in laudum ejus inaestimabile incrementum, quod ab eo exundant ceu ab inexhausta scaturigine ornamenta dignitatum et virtutum in alios. Universim enim illa magnificentior est opulentia, quae nec sibi deficit, et aliis sufficit, quae locupletat ceteros sine sui dispendio. Ita Thomassinus, qui omnia praeclaris patrum dictis confirmat.

724. **Demonstratio p. II.** Fatemur patres nonnunquam inculcare, ‚solum Deum esse invocandum:' sicut scil. soli Deo est sacrificandum, licet id per alios i. e. per ministros ad hoc deputatos fieri possit vel debeat; sicut soli Deo est serviendum, quamvis propter Deum etiam ejus ministris sit parendum. Loquuntur nimirum de supremo invocationis genere, quo ipsum gratiae auctorem convenimus, et ita loqui solent adversus gentiles, secundum

quorum superstitionem plurimi dii ex aequo poterant invocari. Hoc vero supremum invocationis genus non excludit, quin Deus adiri possit per suos ministros, familiares et amicos. Quod si Deus persaepe sua distribuit beneficia per angelos hominesque, proinde mediate: quare mediate i. e. mediantibus aliis, qui Deo sunt propinquiores gratia et favore, non poterit invocari, et quidem solus? quippe ministri non tribuunt gratiam, sed invocationem suo suffragio sustentant, suo ministerio Deo praesentant exaudiendam.

725. Quod si negant, ut subinde Chrysostomus, ‚mediatoribus ad Deum esse opus,' cum quilibet vitae integritate citius, quam per intercessores, quod desiderat, possit a Deo impetrare: non propterea infitiantur invocationis utilitatem, sed inculcant, quod verissimum est, non debere nos omnem nostram fiduciam aliorum in precibus collocare, cum intercessionis fructus a nostra etiam pendeat cooperatione, Deoque gratius sit, si ipsi instanter nostram operemur salutem, quam si aliis nostrae salutis curam relinquamus. Non aliam esse Chrysostomi mentem, liquet ex plurimis ejusdem homiliis, quibus ad sanctorum hortatur invocationem eorumque intercessionem quam plurimum extollit; liquet et hisce ejus verbis hom. 44 in Gen. n. 1: »Quando quod ex nobis simul est afferimus, ipsa etiam sanctorum intercessio plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus et spem in illis solis nostrae salutis collocaverimus, nihil amplius nobis confert, non quod minus valeant justi, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos prodimus.« Quo probato n. 2 ex Jer. 16, 7, prosequitur: »Id scientes, dilecti, confugiamus ad sanctorum preces et oremus, ut pro nobis intercedant: sed non illorum precibus tantum confidamus, sed et ipsi nostra, ut oportet, dispensemus recte et ad meliora semper converti nitamur, ut locum demus orationi, quae pro nobis funditur.« Cf. supra n. 720[2]; hom. 5 in Matth. n. 5; hom. 5 in 2 ad Thessal. n. 1; ita auctor serm. in symb. al. 181 de temp. inter serm. Augustini: »Debent enim sancti in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.«

726. **Demonstratio p. III. 1.** Modi ignoratio nunquam sufficiens est ratio, ut veritatem vel factum aliunde certum in dubium liceat revocare. Atqui certum est sanctos pro nobis intercedere eorumque invocationem esse licitam. Ergo modi ignoratio, quo sancti nostras cognoscant preces, non est ratio sufficiens negandi hanc veritatem catholicam.

2. Eoque minus quod constat sanctos, quantum satis est ad intercedendum, nostras novisse necessitates. Eadem enim hac in re videtur esse eorum conditio, quae angelorum. Atqui angeli quae nos spectant cognoscunt. Nam **a.** haec sciunt vel ipsi daemones, alioquin explicari nequit quae de eorum legimus tentationibus et infestationibus. Idem **b.** colligitur ex th. 138 de angelorum circa nos custodia: patet **c.** ex iis, quae Christus narrat de gaudio angelorum super uno peccatore poenitentiam agente Luc. 15, 7; cf. Tob. 12, 12; Apoc. 5, 8 etc. Quare **d.** hanc sanctorum cognitionem patres fere in omnibus de eorum intercessione effatis manifesto supponunt. Et sane **e.** si Deus nonnullis sanctis jam hic in terris concessit, ut cognoscerent subinde cordium secreta: eo magis id concedit beatis, si haec cognitio in eorum cedat gloriam.

3. Neque adeo impervius est modus, quo coelites invocantium audiant preces. Et in primis **a.** cum Hieronymo adversus Vigilantium similia objicientem n. 6 reponimus: »Tu Deo leges pones? Tu apostolis vincula injicies,

ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est (Apoc. 14, 4): *Sequuntur Agnum, quocunque vadit?* Si Agnus ubique, ergo et hi, qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et daemones toto vagentur in orbe et celeritate nimia ubique praesentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi et inde exire non poterunt?« Neque **b.** improbabilis est ille modus, quem proponit concilium senonense (a. 1528) decr. 13: »Etsi neque desint nobis angeli Gabriele Danielis, Raphaele Tobiae haudquaquam segniores, qui nobis ab exordio precum nostrarum assideant, ut illis mox offerant, quorum suffragia imploramus etc.« Vel **c.** cum Augustino de cura ag. pro mortuis c. 15 statuas: »Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse et quae necessarium non est eos non nosse non solum praeterita vel praesentia, sed etiam futura Spiritu Dei revelante cognoscere;« quod **d.** duce praesertim Gregorio M. Mor. XII, 14 ita concilium senonense c. 14 exprimit: »Sed quam sit (figmentum de sanctorum ignorantia respectu nostrarum precum) non modo veritati, sed Scripturis quoque dissonum, facile intelligit, qui beatis pervium esse non ignorat omniforme illud divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit, illucescat.« Ceterum **e.** non desunt theologi, qui cum Lessio de summo Bono II, 10 contendant, virtutem luminis gloriae ad preces nostras cognoscendas se protendere. »Quod si in quiete nocturna, inquit Ambrosius de excessu fr. I. 73, vinculis adhuc corporeis inhaerentes et quasi inter carceraria religatae claustra membrorum, possunt tamen animae altiora et discreta perspicere: quanto magis spectant haec, cum jam puro aethereoque sensu nulla corporeae labis impedimenta patiuntur?« Cf. Thomas suppl. q. 72 a. 1; Thomassinus XI, 10; Petavius de incarn. XIV, 16; Becanus op. t. 5 opusc. 1 c. 5; Scheffmacher ep. 4.

727. **Thesis CCLXXXI.** ***Sanctis in coelo regnantibus cultus religiosus a civili distinctus eoque major, latria vero multo inferior, licite, honeste pieque exhibetur.***

Declaratio I. 1. Cultus tres complectitur actus: **a.** actum intellectus, quo alterius praerogativa agnoscitur dignaque obsequio judicatur: **b.** actum voluntatis, quo judicium intellectus approbamus atque decernimus, cognitam alterius excellentiam nostramque subjectionem propter excellentiam practice profiteri; **c.** actum externum congruum, quo internos hosce actus exprimimus. Ex quibus secundus maxime proprius est et essentialis; primus enim actus potest esse sine cultu; tertius etiam cum irrisione. Cf. Bellarminus de beat. SS. c. 12.

Unde patet **a.** cultum inniti veritate, hinc **b.** esse debitum, cum veritas norma esse debeat, secundum quam agamus. Quocirca **c.** nulla est societas saltem culta, in qua non aliquis vigeat erga praestantiora membra cultus ejusdem indoli respondens. Quare **d.** praejudicio colligimus, etiam in Ecclesia, quae regnum est veritatis, esse cultum, qui debita proportione respondeat dotibus, quae in nobilioribus ejusdem membris refulgent. A cultu distingue honorem, quem s. Thomas l. 2 q. 2 a. 2 definit »signum et testimonium quoddam illius excellentiae, quae est in honorato.« Deus enim

honorat, sed non colit sanctos. Cultus est honor cum submissione, qua alterius superioritatem saltem in aliqua praerogativa, nostramque erga ipsum submissionem sub respectu hujus excellentiae profitemur.

2. Excellentia autem propter quam quis colitur, est vel increata et absoluta perfectio, quae est solius Dei, vel quaedam ejusdem participatio creata ordinis sive naturalis sive supernaturalis, quae iterum dividitur in rationes admodum diversas. Porro excellentia increata et perfectio supernaturalis et naturalis toto differunt genere, nec conveniunt nisi analogice. Quare merito cultus pro diversitate excellentiae, propter quam exhibetur, alius atque alius est. Cultus, qui soli Deo propter infinitam et increatam excellentiam est deferendus, usu ecclesiastico non sine fundamento biblico Deut. 6, 13, appellatur λατρεία, et nunc nomen adoratio ad eum designandum restringitur, etsi illud sicut et vox graeca προσκύνησις per se et apud plures scriptores veteres multo latius patet [1]). Omisso cultu civili ob excellentiam naturalem, et altero sacro, cujus objectum formale seu motivum est dignitas muneris et characteris supernaturalis: cultus, qui creaturis defertur ob excellentiam supernaturalem in ordine sanctificationis et conjunctionis cum Deo ad distinctionem a λατρεία usu loquendi ecclesiastico dicitur δουλεία, quia sancti sunt δοῦλοι Dei. Quia vero Dei matri tum ob sublimiorem sanctitatem et gloriam prae omnibus creaturis, tum ob ejus singularem cum Verbo incarnato conjunctionem cultus debetur in gradu excellentiori, ideo is dicitur a theologis ὑπερδουλεία.

Merito ergo Leibnitius in systemate theol. pag. 184 »Itaque censent viri pii et prudentes, dandam esse operam, ut omnibus modis discrimen infinitum atque immensum inter honorem, qui Deo debetur et sanctis exhibetur, quorum illum latriam, hunc duliam post Augustinum theologi vocant, non tantum inculcetur audientium ac discentium animis, sed etiam externis signis, quoad licet, ostendatur.« Unde corollarii modo patet, ineptam esse illam protestantium illationem: secundum Scripturas soli Deo honor et gloria et latria etc. est deferenda. Quivis ergo sanctorum cultus prohibetur. Est enim illatio a specie ad genus. Vel enim verba illa quam latissime et generice accipiuntur, et tunc nec filiis quidem licet honorare et colere parentes, quamvis scriptum sit Ex. 20, 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam;* quod si hoc asserere absurdum est, patet verba illa esse intelligenda de specie quadam cultus scil. de suprema. Atqui ultro fatetur catholica Ecclesia editisque sanxit canonibus, ne quis sanctis ejusmodi tribuat cultum. Aëra igitur verberant adversarii, qui haec et similia corradunt Scripturae effata. Cf. s. Thomas in 3. d. 9 q. 2 a. 1.

3. Non est cur offendantur protestantes, si cultus duliae dicitur religiosus. Etsi enim religionis objectum est Deus, cultus tamen ille dici poterit religiosus **a.** negative, quatenus non est cultus mere civilis;

---

[1]) Cf. de hisce vocibus Trombelli de cultu SS. diss. 1 c. 3; Petavius XV, 1 s.; Thomassinus XI, 1.

b. positive et reductive, quia mediate refertur in Deum, qui colitur in sanctis suis; **c.** derivative, quia cultus Dei sponte sua in sanctos utpote ejus amicos et familiares redundat.

4. Perfectio, quae est objectum cultus formale, vel inest objecto quod colitur (quod triplici modo fieri posse diximus t. II n. 561[3]), vel in objecto cultus immediato nulla est perfectio absoluta cultu digna, sed tantum relatio cum objecto quod per se colitur, sive ob specialem connexionem et conjunctionem, sive ob ipsius repraesentationem: illud habetur in ligno verae crucis et in reliquiis, hoc in imaginibus. Hinc distinctio in cultum absolutum et relativum: ille defertur objecto, cui inest ipsa perfectio et ratio cultus: hic objectis, quorum pretium pendet ex relatione et connexione cum objecto in se colendo vel ex hujus repraesentatione.

5. Denique cum homo constet anima et corpore, cultus interior sponte sua exterius se prodit et pro diversitate cultus interioris exterior, qui ab illo informatur, est vel latriae, vel duliae, vel hyperduliae. Cum autem non tanta suppetat homini varietas signorum externorum, quae reverentiam exprimant internam: ideo fieri potest, ut iisdem signis externis Deus et sancti colantur, nec tamen inde sequitur, eundem illi et his tribui cultum; sicut neque ex eo, quod et de Deo et de creatura praedicetur τὸ esse vel bonitas etc., sequitur, τὸ esse vel bonitatem univoce affirmari de Deo et de creaturis.

728. **Demonstratio. 1.** Praetermisso argumento haud inefficaci, quod petitur ex cultu licite tributo prophetis et angelis Dei (vel ei, qui putabatur Dei angelus) Num. 22, 31; Jos. 5, 15; Jud. 13, 16; 3. Reg. 18, 7; 4. Reg. 2, 15, provocamus ad praxim Ecclesiae et fidelium, qui in primis religionis christianae exordiis praecipue martyres colebant colligendo summa sollicitudine eorum reliquias, celebrando solemniter rituque religioso martyrii diem anniversarium, excitando aras, memorias, templa super eorum sepulcra, eos invocando, hymnis celebrando, sacrificium in eorum memoriis offerendo etc. Quod vero Ecclesia, quod fideles jam primis seculis sponte sua fecerunt nemine reclamante nisi infideli vel haeretico, quod eo magis invaluit, quo latius Ecclesia diffundebatur nullisque obstaculis in sua praepediebatur explicatione: id religioni christianae et Ecclesiae veluti connaturale et congenitum ejusque spiritui consentaneum censeri debet, non secus ac rationi humanae cultus quidam humanus, societati civili cultus civilis est conveniens (cf. n. 727[1]).

2. Neque illicitum erit Deum imitari. Atqui Deus sanctos honorat, imo glorificat 1. Reg. 2, 30: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum.* Licebit ergo et nobis pro modulo nostro honorare, glorificare sanctos, qui sunt amici et domestici Dei. „Refertur enim, inquit serm. 4 Petrus ven.,

hoc totum ad gloriam Dei, cujus judicio in omnibus concordans Ecclesia, eos multipliciter studet honorare in terris, quos ineffabiliter ab illo credit glorificari in coelis.“ Nae illi sunt miri servi Dei, qui negligunt eos, quos eorum Dominus honorat, quique putant se esse eo religiosiores, quo magis sunt erga Dei amicos inculti!

3. Imo sanctorum cultus intime nectitur cum cultu Dei, ex hoc veluti redundat, ita ut verus Dei cultus vix concipi possit absque sanctorum cultu. Sicut enim honor, qui regiae defertur majestati, in ejus redundat ministros, amor Dei in proximum; et sicut amor fontis amabiles reddit et rivulos: ita verus Dei cultus redundat in Dei amicos illosque omnes, in quibus refulgent participationes earum perfectionum, propter quas adoramus Deum.

„Christum, scribit ecclesia smyrnensis in ep. de martyrio s. Polycarpi n. 17, utpote Dei Filium adoramus, martyres tamquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus (dilectione, quae est praecipuum, quod alteri offerri possit, obsequium, quaeque se prodebat cultu religioso, qui ibidem describitur) propter eximiam ipsorum erga Regem et magistrum suum benevolentiam, quorum utinam et nos fiamus consortes ac discipuli.“ Egregie Jo. Damascenus or. 3 de imag. n. 33: „Quemadmodum igitur sancti vere sunt dii, non quidem natura, sed quatenus participes ejus sunt, qui natura est Deus; ita quoque adorantur, non quod suapte natura sint adorandi, sed quoniam illum, qui pro natura sua adorandus est, in seipsis habent. Ferrum ignitum secundum naturam suam ejusmodi non est, ut tangi nequeat et urat, sed quia particeps factus est ignis, cujus natura est ut urat. Adorantur itaque quatenus gloriam a Deo adepti sunt, et quia ab ipso acceperunt, ut essent adversariis terribiles, et erga eos, qui ad ipsos confugerent, benefici, imo tamquam Dei famuli et ministri quique propter suam caritatem liberum apud ipsum accessum habeant. Quamobrem eos adoramus, quia rex ipse colitur, cum famulum suum, quem diligit, non regis instar, sed tamquam obsequentem ministrum benevolumque amicum cernit adorari.“ Nemo offendatur voce adorationis προσκύνησις, qua Joannes designat nostrum erga sanctos cultum: ea enim vox laxioris significationis est apud graecos, quam adorationis nomen apud latinos: significationem enim genericam habet apud illos (et in s. Scriptura) sicut nomen cultus.

4. Hinc una patrum est vox, quia vox veritatis, tantum abesse, ut cultus sanctorum in Dei cedat injuriam, ut potius Deum in sanctis colamus: sicut dilectio proximi post et propter Deum non adversatur dilectioni Dei super omnia, sed hujus potius est fructus genuinus, quo vera sinceraque Dei caritas dignoscitur. „Quidquid, inquit Maximus vercell. in serm. de s. Eusebio, erga electos Dei devotionis impendimus, Deo totum, qui electos suos sanctificat, exhibemus.“

5. Denique cultus ille honestus et pius est, quo docemur, quid amandum aestimandumve sit, quidque fugiendum; quo efficaciter ad virtutum studium provocamur; quo fovetur sanctorum communio, excitatur humili-

tas, orandi fiducia etc. Atqui hi sunt fructus maxime genuini cultus sanctorum. Inscite ergo is damnatur. Cf. Petavius XIV, 10. ss.; Trombelli t. 2 diss. 6; Thomassinus XII., qui l. XI, 6 concedit angelorum cultum minus invaluisse primis Ecclesiae seculis; cujus facti rationem repetit ex quadam oeconomia: „ex angelorum enim, inquit, quam ex martyrum honore proclivius erat calumniari plures a nobis coli deos;" Oswald sect. 2 c. 3 § 6.

729. **Thesis CCLXXXII.** ***Reliquiarum cultus, cujus vestigia jam in divinis reperiuntur literis, plenissimo traditionis testimonio ac rationis lumine fidei illustratae suffragio comprobatur.***

Demonstratio p. I. „Reliquiarum nomine, inquit Perrone c. 1 n. 82, severiori sensu seu primario sanctorum exuvias, cineres, ossa etc., sensu autem latiori seu secundario quidquid ex iis, quae ad eos pertinuerunt ac de se aptum est ad piam eorundem sanctorum excitandam memoriam, significare consuevimus." Horum autem cultum esse pium atque licitum definivit conc. tridentinum sess. 25; et professio fidei trid. credendum exigit, sanctorum reliquias esse venerandas. Provocare autem licet ad Act. 19, 11 ss.: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia: et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur;* in quibus vestigia saltem hujus cultus reperimus. Patet enim inde **a.** fideles tunc temporis maximo in pretio habuisse res quasdam ad illos spectantes, qui charismatum copia abundabant; eo usque **b.** progressam esse venerationem, ut eas supernaturali virtute censuerint praeditas, non quidem ratione sui, sed ratione illius, ad quem pertinuerant; Deum **c.** per ejusmodi reliquias mira contulisse beneficia, ideoque **d.** testimonio authentico fideles confirmasse in pia illarum veneratione atque ad eam velut provocasse.

730. **Demonstratio p. II.** Omissis quam plurimis patrum effatis, qui et hujus cultus factum testantur, et ipsum impense commendant, ad unum provocamus Hieronymum, qui eum data opera adversus Vigilantium tuetur provocans in primis ad praxim sensumque fidelium. „Ergo sacrilegi sumus, ita ille n. 5, quando apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantius imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa b. Samuelis longo post tempore de Judaea transtulit in Thraciam? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis et tanta laetitia, quasi praesentem

viventemque prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palaestina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina et in Christi laudes una voce resonarent?"

731. **Demonstratio p. III. 1.** Ratio nequit non approbare cultum, quem Deus innumeris comprobat miraculis et collatis munerat gratiis. Deum autem reliquiarum cultum innumeris confirmasse miraculis patres sec. praesertim IV. et V. testantur unanimes. Cf. Petavius XIV, 13.

Ita ex. gr. scribit Theodoretus serm. 8 de cur. affect. graec.: „Quod vero compotes votorum fiant qui fideliter petunt (ad sanctorum sepulcra), palam testantur illorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta . . . Haec autem morborum depulsionem indicant, cui testandae ab iis posita sunt, qui sanitatem receperunt; horum porro virtus Deum eorum verum esse Deum testatur." Quam sibi similis quovis seculo catholica pietas! — Quare Cyrillonas in carmine pro festo omnium SS. ad a. 396 (cf. Bickell Ausgewählte Gedichte der syr. KV, Kempten 1872 p. 17): „Ossa, inquit, sanctorum tuorum facta sunt a te thesaurus ditissimus: immensae divitiae tunc reconditae sunt in pugillo cinerum ipsorum;" et Hieronymus ep. 46 n. 8: „Et martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus: et monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus: credamus saltem diabolo et angelis ejus: qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt et sero dolent crucifixisse, quem timeant etc." Cf. verba Augustini I. n. 92 a.

732. Quod si adversarii de horum miraculorum dubitant veritate vel ea negant, audiant **a.** Damascenum F. O. IV, 15: „Nemo credere respuat. Si enim ex rupe et duro saxo aqua in eremo prosilivit volente Deo et ex maxilla asini Samsoni sitienti: ex martyrum reliquiis unguentum suaveolens (scil. beneficia) emanare incredibile est? Nullo pacto iis, qui sciunt virtutem Dei et ab ipso habitum sanctis honorem." Suspecta est dein **b.** nobis haec responsio, quod jam ariani ea sunt usi adversus catholicos provocantes ad martyrum miracula, teste Ambrosio, qui refert ep. 22 n. 16, „eos negare martyrum merita, quorum opera etiam daemones confitentur. Sed hoc non mirum, siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus: *Jesu, Fili Dei vivi* etc., et cum haec audirent judaei, ipsi tamen Filium Dei denegabant . . . Ariani dicunt: Non sunt isti martyres, nec diabolum torquere possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta daemonum ipsorum voce (ad martyrum scil. sepulcra, proinde reliquias) probentur ac beneficia martyrum remediis sanatorum et absolutorum indiciis declarentur." Suspecta est **c.**, quod eadem ratio, quae impellebat arianos, ut hoc uterentur effugio, impellere ad idem videtur adversarios. „Neque enim, inquit Ambrosius l. c., aliter eorum operibus inviderent, nisi fidem in his fuisse eam, quam isti non habent, judicarent." Sed **d.** quo jure, qua fronte, exigere possunt, ut ipsis potius gratis post tot secula horum miraculorum veritatem negantibus credamus, quam tot sanctis patribus testibus coaevis et saepe oculatis vel auritis? Si eorum negetur veritas, jam nutat omnis certitudo historica et humana. Si ergo vera sunt miracula, si Deus universam cogit naturam sanctorum venerari reliquias, quis harum audebit impugnare cultum?

»Quid enim, inquit Thomassinus XII, 4 § 1, cum ad appulsum, cum ad contactum sacratissimi pulveris fugiunt morbi, difflantur pestes, ejulant daemones, mortes vanescunt, vita recidiva redit, quid istud est, nisi totius naturae obsequium et adoratio?« Quare concludimus cum Isidoro pelusiota ep. I, 55: »Si te istud offendit, quod cinerem ss. martyrum propter eorum erga Deum caritatem atque constantiam honore afficiamus, eos, qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga et quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet, ut non modo id, quod a nobis fit, non irrideas cavillisque incessas, verum etiam, quod recte et cum laude fit, imiteris.«

733. **2.** Accedunt gravia et rationi consentanea colendi SS. reliquias motiva, quae recenset s. Maximus serm. 88 de nat. ss. MM.: „Honoro in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro pro confessione Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina aeternitatis; honoro corpus, quod mihi Deum meum ostendit diligere, quod me propter Deum mortem docuit non timere. Cur non honorem corpus illud, quod reverentur et daemones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in coelo."

3. Quid deinde rationi christianae magis consonum et usu quotidiano apud omnes gentes cultas magis receptum, quam quod scribit hoc de argumento Augustinus de civ. Dei I, 13? „Non contemnenda et abjicienda sunt, ita ille, corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus (al. sancte) usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque conjunctius, quam quaelibet indumenta, gestamus." Quo argumento utuntur etiam Jo. Damascenus F. O. IV, 15 et Leontius serm. 5 adv. judaeos in conc. nicaeni act. 4 relatus. Et sane quo cultior aliqua societas, eo majori pietate et sollicitudine prosequitur reliquias majorum de patria bene meritorum. Hinc musea archaelogica etc. Neve quis excipiat, inde tantum sequi cultum quendam humanum et civilem, non vero religiosum esse reliquiis exhibendum. Nam cultum reliquiarum sanctorum esse religiosum patet ex motivis supernaturalibus, quibus innititur et quae a s. Maximo audivimus; dein ex modo, quo reliquiae sanctorum jam a remotissima antiquitate solebant coli: prodebat enim se hic cultus multiplici ritu religioso.

4. Cultus ille censeri nequit impius et idololatricus, qui hinc quidem eloquens est demonstratio triumphi a Christo de idololatria relati, omnipotentis ejusdem virtutis atque divinitatis, inde vero efficax ad omne virtutum genus provocatio. Ejusmodi est reliquiarum cultus. Frequens est Chrysostomus in expoliendo hoc argumento.

»Sepulcra eorum, inquit hom. 26 in 2. Cor. n. 5, qui Crucifixo servierunt, regias aulas splendore vincunt, non tantum magnitudine aut pulchritudine aedificiorum; nam hac etiam parte illa superant; sed, quod multo majus est, coeuntium studio et alacritate. Nam et ille, qui purpuram gestat, ad sepulcra illa se confert, ut ea exosculetur, abjectoque fastu supplex stat sanctosque obsecrat, ut ipsi apud Deum sibi praesidio sint: atque ut et tentoriorum opificem et piscatorem fato functos patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus est. Ergone dic, quaeso, horum Dominum mortuum dicere audebis, cujus servi, etiam defuncti, eorum, qui universo orbi imperant, patroni sunt?« Cf. in Ps. 48; in l. quod Christus sit Deus; Theodoretus serm. 8 de curandis graec. affect. eloquentissime disserens, et alii apud Thomassinum XII. 1. 2; Oswald sect. 2 c. 4.

734. **Corollarium I.** *De cruce dominica.* — Omnia, quae cultus reliquiarum probant pietatem et honestatem, ostendunt etiam, inter reliquias omnes eas maxime esse colendas, quae pertinuerunt ad Christum, nominatim lignum illud, in quo salus mundi pependit. Hinc Damascenus F. O. IV, 11: „Hoc itaque pretiosum sane ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti ss. corporis atque sanguinis tactu sanctificatum jure debet adorari: clavique item et lancea, et indumenta et sacrae ejus mansiones h. e. praesepe, specus salutaris Golgotha, vivificum sepulcrum, Sion ecclesiarum arx et similia.“ Quam autem vulgatus fuerit olim hic cultus patet ex Cyrilli hieros. cat. 10 n. 18: „Lignum illud sanctum crucis testatur (Christum esse Deum), quod hodie apud nos cernitur et per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum isthinc orbem terrarum fere replevit.“ Cf. cat. 4. — Si vero novatores cum gentibus (neque enim horum in impugnanda Ecclesia catholica societatem horrent, iisdemque exceptionum naeniis delectantur) quaerunt, quare non alia quoque quae Christus tetigerit, colantur ut ex. gr. asinus, cui insedit (quo exemplo usi sunt judaei et gentiles apud auctorem qq. ad Antiochum inter opp. Athanasii): respondemus, horum cavillorum evanescere futilitatem, si ad hominum mores legesque honoris attendimus, secundum quas ea tantum honore afficimus, quae quandam decoris speciem prae se ferunt, nec in ullam possunt facetorum hominum dicacitatem incurrere: ut significatur vel in ipsa reliquiarum definitione, quam n. 728 dedimus. Cf. Petavius XV, 8.

735. **Corollarium II.** *De peregrinationibus.* — Cum Deus per reliquias SS. mirabilia operetur atque beneficia elargiatur, hoc ipso fideles ad veneranda SS. sepulcra invitat et propemodum allicit, atque ita fautor est piarum peregrinationum. Quantum hae rationi christianae et spiritui vere religioso congruae sint, bene ostendit Jonas aurel. l. 3 de cultu imag. adv. Claudium taurin. (Migne 106, 367 s.), qui postquam probavit Deum jam in V. T. auctorem fuisse peregrinationum, prosequitur: „Qui-

bus omnibus docemur, non improbandos nec more tuo stultos insipientesque appellandos esse eos, qui devotionis augmentandae gratia intercessionisque per suffragia quaerendae apostolorum adeunt limina: quia credimus, quod per haec non solummodo eorum mentibus adolescat amor circa divini cultus servitutem, sed etiam laboris sui atque itineris, quae subire volunt intentione divini amoris, mercede donentur. Sane est etiam proprium humanae menti non adeo compungi ex auditis sicut ex visis. Sicut enim, teste beato Hieronymo, melius Scripturas divinas intelligit, qui nomina locorum atque civitatum peragrando circuit: ita credendum est eos amplioris posse fieri devotionis, qui loca apostolorum adeunt, et in alio quidem audiunt unumquemque eorum, in alio autem tortum, in alio decollatum, aut certe crucifixum, alibi vero terrae mandatum oculis etiam corporeis perlustrant."

736. **Thesis CCLXXXIII.** ***Sacrarum imaginum usum ac venerationem, quam Scriptura nullatenus absolute prohibet, piam licitamque esse, Ecclesiae traditione insigni necnon sano rationis christianae judicio comprobatur.***

Declaratio. Nonnulla prae oculis sunt habenda, ut difficultates, quae remorari possint demonstrationem, in antecessum solvantur:

1. Aliud est imago, aliud idolum εἴδωλον: imago ab imitando dicitur, idolum vero, etsi etymologice quamlibet formam vel figuram sonat, ex usu loquendi profano designat secundum Suidam similitudinem umbratilem et apparentem corporis speciem: ex usu vero loquendi ecclesiastico secundum Henr. Stephanum (in thesauro) simulacrum numen aliquod (scil. falsum) repraesentans, quod honore cultuque dignamur. Quare hoc sensu toties habetur idolum, quoties vel ipsum simulacrum habetur pro Deo, vel numen refert non exstans, vel rem creatam, quae Dei instar habetur. Merito ergo dixit Paulus 1. Cor. 8, 4: *Nihil est idolum in mundo*, idolum scil. vel est figmentum vel figmentum repraesentat.

2. Unde liquet sanctorum imagines et repraesentationes Dei symbolicas non esse idola, neque qui illas venerantur idololatras, eoque minus, quod catholici ne sanctis quidem, nedum eorum imaginibus, latriae deferant cultum. Ceterum, ut id obiter hic notemus, idololatriae calumnia in catholicos jacta, quam recoquunt pro more novatores sec. XVI., bene rejicitur in concilio oecumenico VII. act. 4: „Dic mihi, quomodo sumus idololatrae, qui et ipsa ossa et cinerem et pannos et sanguinem et tumulum martyrum ideo honoramus et adoramus, quia idolis non sacrificaverunt?" Veneratio quam imaginibus exhibemus, relativa est: „nam imaginis honor, inquit concilium oecumenicum VII., ad primitivum (πρωτότυπον) transit, et qui adorat (i. e. colit) imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam (ὑπόστασιν)." Imagines ergo non sunt colendae, ut docet concilium tridentinum sess. 25, „quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit ponenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per

imagines, quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et sanctos, quorum illae similitudines gerunt, veneremur.«

3. Neque praetereundum illud Petavii XV, 13 n. 1, »imagines ex eorum per se genere esse, quae ἀδιάφορα nominantur, h. e. quae ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam religionis attinent: sed in potestate sunt Ecclesiae, ut ea vel adhibeat vel ableget pro eo atque satius decreverit.« Quare quamvis certum sit, illas non licere injuria afficere; quamvis de fide sit, earum cultum utilem, licitum atque pium esse [1]), unde profitemur in profess. tridentina: »Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem atque venerationem impertiendam:« poterit tamen Ecclesia pro opportunitate illarum usum venerationemque moderari. Hinc etiam cum judaei in idololatriam essent admodum proni, rarior fuit in synagoga imaginum usus; et cum primis Ecclesiae seculis, quando tot ex gentilibus ad Christi fidem convertebantur, non omne periculum cultus idololatrici imaginibus exhibendi abesset: mirum videri non debet, si rarior esset earundem usus et cultus; si creverit cessante illo periculo; si varius fuerit diversis in ecclesiis et pro adjunctorum diversitate; si qui patres rigidiores hac in re fuerint. Ceterum hujus varietatis ratio alia haud spernenda debet repeti ex ipsa Ecclesiae conditione. Vigentibus enim saevissimis persecutionibus certe non adeo splendidus potuit esse in genere cultus externus et in specie imaginum usus, sicut tempore pacis, cum imperatores protegerent foverentque Ecclesiam et haec jam abundaret divitiis. Quae si prae oculis habeantur, omnes fere exceptiones ex patribus, praesertim ex eorum silentio vel ex rariori imaginum usu aut commendatione petitae solvuntur.

737. Hac occasione subtiliores quasdam quaestiones scholasticas attingemus. Triplex scil. est theologorum sententia de cultu ss. imaginibus exhibendi genere. Alii contendunt, imaginem in se nullo modo esse colendam, sed solum coram imagine et per imaginem colendum esse exemplar. Alii contra censent, eundem honorem deberi imagini et exemplari, sed huic cultum absolutum, illi relativum. Cf. s. Thomas 3. p. q. 25 a. 3. Tertia opinio inter has ambas media est, statuitque imagines in se esse honorandas, honore tamen minori quam ipsum exemplar, nullam ergo imaginem latriae cultu esse adorandam. Singulis opinionibus videtur aliquid esse concedendum pro varia imaginis consideratione. Potest enim imago considerari **a.** materialiter, prouti est res aliqua subsistens; ita considerata imagine nullus ei debetur cultus, ut prima statuit opinio. Potest **b.** imago considerari formaliter in actu, ut ajunt, signato, ut est res sacra cultui divino deputata. Ita considerata imagine cultus ei debetur, sed minor quam prototypo, qui analogice et reductive ad eam pertinet cultus speciem, seu ex ea redundat, quae debetur exemplari; eo ipso enim quod exemplaria tali prosequimur cultu, honoris non nihil redundat in eorum imagines. Qua in re consentimus tertiae opinioni, cui

---

[1]) Hoc saepius ab Ecclesia fuit definitum, ut in conc. oecumenicis VII. act. 4 et 7 (cf. Denzinger Enchiridion n. 243 ss.); VIII. act. 3 et 10 (Migne 129, 151) et trid. sess. 25; a Gregorio III. (Migne 128, 1025) et Niolao I., cujus verba lecta fuere in conc. oec. VIII. act. 8 (ib. 129, 127). De adversariis, qui imaginum usum cultumque impugnarunt cf. Petavius XV, 11.

favent et Ecclesiae definitiones, quae cum statuant, imagines esse venerandas, eo ipso innuunt, eas in se honore esse dignas, scil. quatenus sunt repraesentationes exemplaris in se colendi consecratae cultui divino. Nunquam tamen dicendum est aliquam imaginem esse adorandam cultu latriae, imo hoc prorsus est negandum, ut patet tum ex actis concilii nicaeni, tum quia is loquendi modus offendit aures christianas, ut ex controversiis sec. VIII. excitatis in Occidente occasione decreti nicaeni male intellecti patet. Considerari denique potest **c.** imago formaliter sed in actu exercito seu reduplicative ut sistens coram nobis ipsum exemplar, atque ita dici potest eundem illis tribui cultum, qui exemplari defertur, sed improprie et per accidens: tunc enim cultus per imaginem transit ad exemplar, seu cultus externus tendit immediate in imaginem, cultus vero internus externo signo expressus in prototypon; qui videtur sensus opinionis secundae.

738. **Demonstratio p. I.** Princeps (sed misellum) argumentum, quo sec. VIII. iconomachi, et horum pedissequi novatores sec. XVI. adversus ss. imaginum usum cultumque usi sunt, petitur ex Ex. 20, 4 s.: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis* etc. Verum **1.** vel haec verba universalissime accipiuntur vel cum debita restrictione: primum adversarii tueri non possunt, alioquin et ipsi quotidie peccarent pingendo vel sculpendo imagines. Quare ea de certa tantum imaginum specie et usu debent intelligi: adversariorum autem erit demonstrare illo praecepto comprehendi et prohiberi sanctorum imagines, quod nunquam evincent. Sane **2.** omnia suadent damnari l. c. usum cultumque idolorum: suadet **a.** contextus, nam antea et postea sermo est de idolis omniaque ad unum spectant praeceptum, quo tria de idolis prohibentur, ne habeantur, ne fiant, ne colantur; **b.** loci paralleli Lev. 26, 1; Deut. 6, 13 col. Ps. 96, 7 et versio graeca, quae habet εἴδωλον; **c.** adjuncta historica: dicta enim haec sunt post egressum ex Aegypto, ubi judaei idola omnis generis viderant; quare cum Moyses totus in eo sit, ut unius Dei cultum inculcet, necessarium plane erat, ut deterreret a construendis idolis. Cf. Damascenus, qui saepius hanc interpretationem ex contextu confirmat, ut or. 1 de imag. n. 8; or. 2 n. 7 et 20; or. 3 n. 4 etc. Sed concesso etiam **3.** prohiberi omnem judaeis usum cultumque imaginum, probandum esset, praeceptum hoc esse absolutum, obligans quovis tempore etiam christianos. Quaedam enim judaeis prohibita fuere ex ratione paedagogica, qua cessante, eadem permissa sunt christianis tamquam jam adultis. Ad rem Jo. Damascenus or. 1 de imag.: „Judaeis igitur, inquit, quoniam ad simulacra colenda propensiores erant, haec jussa sunt. Nos autem, quibus, ut theologice loquar, datum est, ut superstitiosum errorem fugientes et veritatem cognoscentes pure cum Deo versemur eique soli latriam offeramus et perfectas divinae notitiae divitias assequamur, infantiamque prae-

tereuntes in virum perfectum evadamus, non sumus amplius sub paedagogo, quippe qui discernendi vim a Deo atque habitum consecuti sciamus, quid imagine exprimi possit, quid non possit."

4. Vel in V. T. habentur vestigia usus cultusque imaginum. Collatis enim variis effatis, discimus viguisse usum imaginum symbolicarum Dei, Christi et angelorum, cujusmodi fuere arca foederis, cherubim, serpens aeneus, permittente, imo approbante et jubente Deo; his vero exhibitum fuisse cultum, quem Deus non solum non prohibuit, sed et probavit sumptis poenis de ejus contemptoribus.

Cf. Ex. 25, 18 s.; Num. 21, 8 s. col. Jo. 3, 14; Jos. 7, 6; 1. Reg. 6, 19; 2. Reg. 6, 6; Ps. 98, 5. Utuntur hoc argumento Jo. Damascenus or. 1 de imag. n. 15 (qui or. 3 n. 26 ostendit Deum primum fuisse, qui fecerit imaginem) et Gregorius II. ep. 1 ad Leonem Isaur., cujus verba probat Hadrianus I. in ep. ad Carolum M. (Migne 98, 1278). In primis vero hujus pontificis epistola 56 (Mig. 96, 1215—1234) ad Constantinum et Irenem est consulenda, in qua ss. imaginum usum fuse ex Scripturis et traditione probat; Leontius episc. serm. 5 pro christianorum apologia contra judaeos lecto in conc. oecumenico VII. act. 4 (Migne 129, 292 ss.). Cf. Knoll § 808 ss.

739. **Demonstratio. p. II.** Ad comprobandum ss. imaginum usum cultumque ex traditione theoretica et practica plurima documenta referunt jam Hadrianus in epist. ad Carolum M. et Damascenus in fine or. 3 de imag. Traditionem practicam alta testantur voce tot imagines et rerum sacrarum symbola, quae ex coemeteriis subterraneis quotidie ad adversariorum confusionem eruuntur. Dein jam Tertullianus haereticus hujus usus testis est, cum flocci faciens catholicorum argumentum pro recipiendis lapsis petitum ex repraesentatione Christi sub symbolo boni pastoris scribit de pudic. c. 7: „Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius;" et c. 10: „Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis." Theodoretus vero refert hist. rel. c. 26: „Ferunt maxima in Roma celebrem adeo virum (Simeonem Stilitam) esse, ut in omnibus officinarum vestibulis parvas ejus imagines statuant, tutelam ex his quamdam sibi et praesidium comparantes." Pro traditione theoretica sufficiat nobis interim Cyrillus alex. in Ps. 113, 16: „Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut iis inspectis ad ipsorum aemulationem impellamur: ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur." Ad ea vero explicanda, quae ex patribus in contrarium adducuntur, sufficiant quae supra diximus n. 736[3]; nec non quae jam respondit Damascenus or. 2 de imag. n. 17: „Quocirca quae tu in contrarium adducis loca, probatam apud nos imaginum venerationem non crimini vertunt, sed gentium eas ut deos colentium mores arguunt." Cf. Perrone c. 5.

740. **Demonstratio p. III.** Ratio quoque christiana imaginum approbat usum cultumque. Licet enim **1.** sanctorum imagines mente concipere, verbis eo veluti depingere et postquam eos sub forma sensibili nobis repraesentavimus, colere. Licebit ergo eosdem etiam exterius coloribus depingere atque materia aliqua exprimere et per ejusmodi imagines colere. Ut enim inculcat Damascènus or. 1 n. 13 et saepe alibi, quod sunt verba ad aures, sunt colores ad oculos: sicut ergo verbis sanctos possumus venerari, ita et imaginibus et per imagines. Quam rationem probat conc. oecumenicum VIII. a. 869 can. 3: „Sacram D. N. J. Christi effigiem eadem, qua s. Evangelia veneratione colendam statuimus. Ut enim per syllabas in Evangeliis scriptas salutem consequuntur omnes, ita per imagines arte coloribusque pictas et expressas docti juxta et indocti ex objecta re utilitatem capiunt. Quaecunque enim syllabis oratio, haec in coloribus pictura docet.“ Quare sicut sanctorum biographiae sunt licitae, ita et eorum imagines. Idem enunciat Gregorius M. ep. XI, 13: „Quod legentibus Scriptura, hoc idiotis praestat pictura credentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi debeant, in ipsa legunt, qui literas nesciunt.“ Cf. conc. trident. sess. 25.

Accedunt alia patrum hunc in sensum praeclara dicta. „Locum martyris laudandi, inquit s. Basilius hom. 17 in s. Barlaam n. 3, cedamus linguis magnificentioribus, atque vocaliores doctorum tubas ad id praeconium invitemus. Exsurgite nunc mihi, o praeclari athleticorum gestorum pictores. Mutilatam hujus ducis imaginem artibus vestris adornate. Coronatum athletam obscurius a me depictum solertiae vestrae coloribus illustrate. Velim abeam victus a vobis egregia martyris facta pictura repraesentaturis: gaudeam tali hodie per vestram dexteritatem victoria superatus. Videam manus et ignis inter se luctam a vobis accuratius expressam: videam luctatorem in vestra imagine splendidius depictum. Plorent daemones ob martyris victorias per vos hodieque prostrati. Manus ardens et victrix denuo eis ostendatur. Depingatur in tabella et certaminum praefectus Christus«. Quem parallelismum urgent et Gregorius II. ep. 10 ad Germanum CP. et Nicolaus I. ep. 4 (Mig. 119, 777). Eum vidit pro more suo etiam Leibnitius in syst. theol. pag. 140 scribens: „Coram imagine externa adorare non magis reprehendendum est, quam adorare coram imagine interna, quae in phantasia nostra depicta est; nullus enim alius usus est externae imaginis, quam ut interna expressior fiat.« Quare egregie Damascenus explicans quaedam s. Basilii de Spiritu s. c. 18 verba or. 1 (Mig. 94, 1163) adversarios ironice ita alloquitur: „Ex duplici natura sum conditus: sicque id, quod visu cernitur, aspiciens, illud veneror non tamquam Deum, sed tamquam venerandae rei venerabile simulacrum. Sed tu quidem fortasse sublimior es atque a materia remotior, ac supra corpus incedens ceu nullo carnis pondere gravis, id omne despicis, quod in aspectum cadit. Ego vero homo cum sim et corpore vestitus cum iis, quae sancta sunt, corpore versari cupio eaque oculis contueri. Tu qui praecelsus es, humilis sensus mei rationem habe, ut tuam ipse serves celsitudinem!« Quam bene

dictum etiam in novatores sec. XVI., qui generatim in suis innovationibus cordis affectusque humani sunt penitus obliti, unde omnis eorum cultus tetro inficitur frigore.

2. Neque spernenda est ratio ex humana consuetudine usuque petita, qua utitur conc. oecumenicum VII. act. 1: „Si regum laureata et iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes: quanto magis oportet in ecclesiis Christi Domini nostri iconam depingi Salvatoris Dei nostri, et intemeratae matris ejus omniumque sanctorum et beatorum patrum et studiosorum virorum?“

741. **Scholion I.** Si excipias, conc. francofordiense conc. nicaeni II. definitionem de ss. imaginum cultu reprobasse, notes, eam damnationem ortam esse ex errore facti. Putavit enim illa synodus, barbara definitionis versione decepta, cum pluribus occidentalibus, concilium nicaenum decrevisse, tribuendam esse ss. imaginibus adorationem secundum latriam, quae defertur ss. Trinitati. Errore patefacto galli et germani decretum nicaenum admiserunt. Cf. Nat. Alexander diss. 6 in sec. VIII. — Quod si quidam occidentales, ut auctor librorum carolinorum (qui scripti sunt ut videtur nomine Caroli M., sed non innotuerunt nisi sec. XVI), minus honorifice de ss. imaginum cultu loquuntur eumque minus sapiunt: id ortum est ex detestatione erroris certe gravis, quem per ignorantiam graecis tribuebant: non autem propterea eo tempore rejectus fuit in Occidente omnis usus cultusque imaginum secundum genuinum Ecclesiae sensum, ut patet ex scriptoribus illius temporis, ut ex praeclaro Dungali reclusi l. contra Claudium taurinensem (Migne 105, 459—529); ex liturgia feria VI. hebdomadis majoris tunc vigente in adoratione crucis, de qua cf. Amalarius de eccles. offic. I, 14 (ib. 1028); ex Jona aurelianensi l. 3 de imag. cultu (Migne 106, 331 s.) etc. Cf. KL. 7, 189.

742. **Scholion II.** *De signo crucis.* — Jam olim verae Christi Domini cruci impensum fuisse cultum, supra vidimus n. 734. Verum praeterea a remotissima jam aetate invaluit pius religiosusque usus imaginis et signi crucis. Innumera sunt ea de re patrum testimonia.

1. Frequentiam hujus usus testatur Tertullianus de corona mil. c. 3: „Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum ad lavacra et mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque conversatio nos exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.“ Hinc Hieronymus ep. 22 n. 37 Eustochio virgini praecipit: „Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Domini crucem;“ et Ambrosius ep. 72 n. 12: „Sed jam levi circumcisionis dolore non opus est christiano populo, qui mortem Domini circumferens per momenta singula fronti propriae mortis contemptum

inscribit, utpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse."

2. Solemnis praeterea fuit illius usus, cum adhiberetur in sacramentorum confectione et liturgia. „Omnia per illud perficiuntur, ait Chrysostomus hom. 54 in Matth., quae ad nos spectant. Si regenerari oporteat, crux adest: si mystico illo cibo nutriri, si ordinari et si quidvis aliud faciendum, ubique nobis adest hoc victoriae symbolum. Idcirco et domi et in parietibus et in fenestris et in fronte et in mente illam cum multo studio depingimus. Hoc quippe signum est nostrae salutis, communis libertatis et mansuetudinis Domini."

3. Ideo autem signi crucis usus erat adeo universalis, frequens, solemnis, quod censebatur admodum salutaris, „nam solo crucis signo adhibito, fraudes daemonum omnes repelluntur," asseverat s. Athanasius de incarn. n. 47; utilitatemque exponit l. c. Chrysostomus: „Cum igitur te signas, totum crucis argumentum cogita, exstingue iram omnesque pravos affectus. Cum te signas, multa fiducia frontem tuam reple, liberam facito animam . . . Neque enim simpliciter illam digito efformare oportet, sed prius voluntate et multa fide. Si hoc modo illam in facie tua depinxeris, nullus impurorum daemonum contra te stare poterit, cum ensem videat, quo vulnus accepit; cum gladium videat, quo letali plaga perfossus est . . . Ne itaque te pudeat tanti accepti boni, ne Christum tui pudeat, quando veniet cum gloria sua et hoc signum ante Christum videbitur ipsis solaribus radiis splendidius." Cf. hom. 4 c. judaeos et gent.

4. Merito hinc idem s. doctor in l. quod Christus est Deus, ex tanta hujus signi celebritate, quam per orbem est adeptum, crucis victoriam depraedicat infertque Christi missionem divinam n. 9.

5. Cum ergo novatores sec. XVI. crucis signum negligant, aversentur fere horreant: dissensus tam evidens et palpabilis a vita practica antiquitatis christianae, conjectura, imo argumentum est, eos deviasse etiam a fide et religione verae Christi Ecclesiae, quae sane floruit sec. IV. III. II. Quare repetieris verba gravia Jonae aurel. adv. Claudium taur. l. 1 (Mig. 106, 333): „Ut quid crucis vexillum exhorrescis? Nescisne, quia daemonum est, ejusdem crucis vexillum exhorrescere? Quid rogo sorduit tantum tibi crux Christi? Puto sane, si te cruce Christi redemptum fideliter credidisses, nunquam te infestum ejus inimicum et exsecratorem atque abdicatorem constituisses. Per crucem namque mortis auctor superatus est, et mortalibus vita reddita est [1])."

---

[1]) Cf. Petrus ven. tract. adv. petrobruss. Mig. 189, 771—87. Quod attinet imagines ss. Trinitatis, quarum rarior olim usus, cf. quae fuse et erudite disserit Benedictus XIV. in ep. ad episc. augustanum a. 1745, quam reperies in Fleurii

743. Quare concludimus hanc de ss. imaginibus disputationem verbis Joannis Damasceni, quibus absolvit tertiam de imaginibus orationem n. 41: „Quamobrem, fratres, in petra fidei et Ecclesiae traditionibus insistamus, nec terminos transferamus, quos sancti patres posuerunt. Neve illis locum demus, qui novarum rerum cupidi, sanctae catholicae et apostolicae Dei Ecclesiae aedificium demoliri nituntur. Nam si ejusmodi licentia volenti cuilibet detur, totum Ecclesiae corpus sensim destruetur. Nequaquam fratres, nequaquam dilecti Ecclesiae filii, matris vestrae pudori parcite. Ornatu illam suo ne spolietis. Hanc suscipite, quae per me vos alloquitur. Discite, quid de ipsa Deus dicat: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. 4, 7). Solum Creatorem et rerum opificem Deum adoremus, cui latriae cultum exhibeamus tamquam Deo pro sua natura adorando. Sanctam quoque Dei Genitricem adoremus, non tamquam Deum, sed tamquam Dei matrem secundum carnem: ad hoc omnes sanctos, ceu electos Dei et amicos, quibus facilis ad ipsum patet aditus, adoremus. Nam si reges, qui interitui obnoxii sunt, quin imo plerumque impii et peccatores, necnon praefectos a regibus constitutos, et imagines ipsorum, homines adorant: quanto magis oportet Regem regum, qui solus per naturam suam Dominus est, adorare, ejusque famulos et amicos, qui cupiditatibus suis imperarunt, universique orbis principes constituti sunt, qui contra daemones et languores potestatem acceperunt: qui regno illo, quod non corrumpetur, nec dissipabitur, una cum Christo potituri sunt: quorum umbra sola morbos et daemones in fugam agebat."

744. **Scholion practicum.** Quae in hac sectione exposuimus, facile in concionem convertas. Et **I.** quidem in exponenda sanctorum communione considerari possunt hujus communionis amplitudo, vitalitas, momentum.

1. Amplitudo inde patet, quod ad eam **a.** spectant Ecclesia triumphans, quae constat non solum ex hominibus sanctis, sed et angelis beatis, ecclesia quae in purgatorio mundatur, ecclesia in terris militans. Qua occasione ponderetur non tantum membrorum numerus, sed et **b.** eorum varietas, **c.** perfectio, **d.** pulchritudo incipiendo ab infimo hominum justorum et ascendendo usque ad angelorum reginam, Dei genitricem Mariam, quibus omnibus praeest Christus Jesus, cui Pater coelestis *omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo ejus* Eph. 1, 22 s. (t. I n. 208). Quam amplum regnum quamque nobile.

2. Vitalitatem cerne **a.** ex capitis praestantia, cujus divitiis universum irrigatur corpus, ut ostendimus ibid.; **b.** ex symbolo, sub quo passim

---

H. E. 78, 532 ss. ed. Aug. Vind. a. 1790, et prop. 69 syn. pistoriensis a Pio VI. damnata. Ex positis principiis, quantum satis est, vindicari poterit et usus et cultus harum imaginum symbolicarum, et simul ratio reddi rarioris usus.

exhibetur hoc regnum Christi, haec sanctorum unio et communio, scil. ex symbolo corporis, quod fusius exsequitur Paulus 1. Cor. 12, 12 ss. col. n. 717; **c.** ex lege caritatis, qua SS. communio regitur, animatur, fovetur, ut praeclare ostendit s. Bernardus n. 717[1]. 719 s. Colligitur **d.** exinde, quod quam plurima revera redundant bona ex membris perfectioribus in ea, quae metam terminumque nondum sunt adepta. Redundant enim in nos tot commoda, quae consequuntur bona opera, quorum sancti sunt auctores, doctrina ab ipsis propagata, bona exempla data, quae nos ad eorum excitant imitationem, orationes (n. 718), satisfactiones superabundantes, quae per indulgentias in fideles derivantur (n. 523. 526[g]), commiseratio et sollicitudo de nostra salute (n. 717).

3. Momentum communionis SS. inde conjice **a.**, quod ea motivum efficax est, quo incitemur, ut digni reddamur tanto consortio: *particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua* Ps. 118, 63; ut reddamur **b.** capaces et idonei percipiendi bona, quae in membra hujus communionis redundant; ut aemulemur **c.** illorum virtutem et qua membra viva et utilia intendamus bonum commune secundum institutionem s. Pauli 1. Cor. 12, 14 ss. atque ideo nitamur quam maxime esse aliis utiles.

745. **II.** Ex SS. communione sponte sua sequitur **1.** sanctorum pro nobis intercessio: nam in corpore bene ordinato, cujusmodi profecto est corpus Christi, idipsum pro invicem sollicita sunt membra: *et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* 1. Cor. 12, 25 s. (n. 717 s.)

2. Sequitur sanctorum invocatio, quae **a.** naturae, rationi, fidei est consona; quae **b.** majestatem Dei extollit, virtutem honorat, humilitatem fovet (n. 721); quae **c.** Christi liberalitatem commendat (n. 723), virtutis praemium depraedicat, ad imitationem provocat.

3. Sequitur sanctorum cultus: nam **a.** nulla societas culta sine cultu: cultissima autem societas communio sanctorum (n. 727); **b.** sanctorum communio regitur caritate (n. 769[2]): nobilissimus cultus continetur exhibitione caritatis, hinc etiam Deus in primis exigit dilectionem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. Matth. 22, 37. **c.** Membra sequantur necesse est capitis exemplum: sed Christus caput servos, milites, ministros fideles honorat: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum* 1. Reg. 2, 30. Sanctorum cultus supponit sanctitatis studium, docet quid sit colendum, aestimatione dignum, pretium habeat pro aeternitate: hinc virtutis aemulationem, in obsequio divino fervorem alacritatemque fovet atque accendit (n. 728). Demum **d.** teste Paulo in corpore bene ordinato si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra 1. Cor. 12, 26. Maximus vero cultus est gaudium de alterius gloria. Cf. Oswald Eschatol. s. 2 c. 3 § 6.

736. **III.** Cultus reliquiarum populo christiano secundum dicta th. 282 facile commendari potest. Eum enim commendat

1. sana ratio, quae se prodit **a.** moribus hominum (n. 733[3]), **b.** populorum usu, qui quo cultiores sunt, virorum de patria meritorum reliquias magni aestimant (hinc musea nationalia), ipsa indigentia naturae rationalis ad sensibilia et ad absentium oblivionem adeo pronae, quae ideo eget rebus, quibus sanctorum memoria servetur et foveatur. Eum commendat

2. christiana ratio tot suggerens (n. 733[2]) motiva colendi reliquias, quae temere reprobantur vel negliguntur. Commendat

3. solemnis Dei approbatio tot miraculis reliquiarum contactu, praesentia, occasione patratis de quibus recolantur, quae dedimus n. 731 s.

4. Commendat hunc cultum fructus et utilitas, quae illum consequitur. Est enim **a.** practica professio dogmatis de resurrectione gloriosa corporum SS.; est **b.** visibilis demonstratio triumphi a Christo de idololatria relati (n. 733[4]); est **c.** anticipatio quaedam et umbra illius gloriae, qua quondam secundum corpus fruentur sancti in coelo; est **d.** provocatio ad sectanda tantorum heroum vestigia, imitandas eorum virtutes; est **e.** gratiarum actio relata de beneficiis, quae ex sanctorum gestis et exemplis in Ecclesiam universam et in nos redundarunt; est **f.** obsequium ipsis merito impensum pro gloria et gratia, qua modo apud Deum fruuntur: est **g.** glorificatio ipsius Dei, qui est mirabilis in sanctis suis, quique celebratur in servis suis. Cultum tot bonis redundantem negligere vel spernere oscitantis est animi.

747. **IV.** Cum frequens sit apud fideles usus signi crucis, proderit populum christianum instruere de hujus signi momento, est enim signum fidei, spei ancora et alimentum caritatis. Est **1.** signum fidei: est enim **a.** tessera, qua nos distinguimus non solum a gentilibus et judaeis, sed et a protestantibus, ideoque nos probamus genuinam sobolem primorum christianorum, qui et ipsi tam libenter usi sunt hac tessera. Merito autem **b.** est tessera christianorum, qui ea se profitentur discipulos Christi, qui pependit in cruce. Neque **c.** est professio solum discipulatus Christi, sed summae fidei christianae, quae in primis versatur circa mysterium redemptionis per mortem Salvatoris secundum illa s. Pauli 1. Cor. 2, 2: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum;* praesertim vero **d.** si addatur pro pio fidelium usu invocatio ss. Trinitatis in formando ipso signo crucis. Verum **e.** crucis signum non solum est professio fidei christianae, sed et externae ejusdem confessio, qua non erubescimus Filium hominis ejusque Evangelium, estque jugis monitus praecepti solemnis Christi Luc. 9, 23: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie et sequatur me.*

2. Signum crucis est spei ancora: profitemur enim eo **a.** in cruce salutem nostram repositam esse; per illud **b.** attrahere nitimur in nos, nostra negotia vitamque universam gratiam et benedictionem, cujus crux exstitit fons uberrimus; illo **c.** nos munimus adversus daemonis insidias.

3. Signum crucis alimentum est caritatis, quatenus **a.** in memoriam revocat omnem illius caritatem, *qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me* Gal, 2, 20; quatenus **b.** nos provocat, ut et ipsi crucem nostram ex amore erga ipsum feramus, nam Christo pro nobis passo et nos eadem cogitatione armari oportet 1. Petr. 4, 1; quatenus **c.** illo monemur, ut omne quodcunque facimus in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. J. Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum, faciamus Coloss. 3, 17. Denique **d.** frequenti illius usu testamur ipsum esse insigne (Wappen) nostrum atque sequimur Paulum dicentem: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce D. N. J. Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* Gal. 6, 14. Cf. n. 742 et praeclara patrum ad haec illustranda testimonia opusc. XI, 99 ss. a.

748. „Facturi igitur finem [1]) modumque cursui imponentes bravium postulamus, non aurum argentumve seu etiam secularis aurae laudisque favorem mundanae; verum ab illo remunerari petimus, cui servire regnare est, de quo et a quo diximus quidquid bene diximus. De cetero ab illis, qui hoc opus lecturi sunt, si quis tamen hoc captus amore leget, de omissis vel non sane dictis veniam postulamus, ut et de bene dictis Deo grates persolvat eumque pro nobis imploret, quatenus viam universae carnis ingressuri, praesto habeamus defensorem nostrum misericordem et pium Dominum Jesum Christum, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu s. per omnia secula seculorum. Amen."

---

[1]) Verba sunt Gualteri de Castellione, insulani, praepositi canonicorum tornacensium (fl. ab a. circ. 1160—1200 vel ultra etiam), quibus suum contra judaeos tract. absolvit (Migne 209, 458).

INDEX I.

Theologia specialis.

Tractatus VIII.

De gratia Christi.

Pag.

Gratiae praestantia 1
Multiplex ejusdem acceptio et partitio 4
Thesis 172. Sola dona supernaturalia vocantur proprie gratia . . . 5
Aliae gratiae partitiones 8

Pars prima.

De gratia actuali.

Caput I.

De natura et partitione gratiae actualis.

Thesis 173. De ratione gratiae actualis est immediata mentis illustratio et voluntatis inspiratio 11
Gratiae actualis partitiones 17

Caput II.

De proprietatibus gratiae actualis.

Articulus primus.

De gratiae actualis necessitate.

§ 1. Refelluntur exaggerantes liberum arbitrium. . . 21
De discrimine inter actus salutares et ethice honestos . . 21

A. Necessitas gratiae ad actus salutares.

Thesis 174. Gratia ad omnes actus salutares necessaria est 22
Thesis 175. Ad actus salutares pertinet etiam initium fidei 26
Thesis 176. Ad omnes actus salutares necessaria est gratia supernaturalis, actualis, interna 28
Scholion. De supernaturalitate actuum salutarium . . 29
Thesis 177. Ipsi justi indigent gratia actuali ad actus salutares . . . 30
Thesis 178. Necessitas gratiae ad actus salutares non est tantum moralis, sed absoluta et physica 32
Scholion. Augustini doctrina de gratiae necessitate . . 34

Pag.

Thesis 179. Justus sine speciali auxilio perseverare nequit 35
Thesis 180. Justus sine privilegio nequit vitare omnia venialia peccata . 37
Scholion. Num peccator possit vitare omnia peccata gravia . 40

B. De necessitate alicujus adjutorii Dei ad actus ethice bonos.

Thesis 181. Homo lapsus adjutorio aliquo eget ad servandam totam legem naturae et ad vincendas graves tentationes 40

§ 2. Refelluntur exaggerantes necessitatem gratiae.

Thesis 182. Gratia sanctificans non est necessaria ad omne opus bonum . 42
Scholion. Solvuntur objectiones 43
Thesis 183. Fides non est necessaria ad opus ethice bonum . . . 45
Thesis 184. Neque obstant Rom. 14. 23; ad Tit. 1, 15; Hebr. 11, 6; neque docrina Augustini, opera infidelium esse peccata . . . 46
Thesis 185. Homo lapsus potest sine gratia aliquod opus ethice bonum facere et quaedam legis naturalis praecepta servare . . . 51
Thesis 186. Satisfit objectionibus ex Scriptura, conciliis et patribus . . 53
Scholion. Possitne homo solis viribus naturae elicere amorem Dei 57

Articulus secundus.

De gratuitate gratiae.

Thesis 187. Gratia non datur ob ullum meritum naturale, nec vi impetrationis et dispositionis naturalis 58
Scholion I. Vindicantur patres graeci a nota semipelagianismi 62
Scholion II. De axiomate: Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam 64

Articulus tertius.

De distributione gratiae.

Gratiae mysterium 65
Thesis 188. Omnibus justis datur gratia vere sufficiens 66
Thesis 189. Omnibus adultis, etiam infidelibus datur gratia proxime vel remote sufficiens 69
Thesis 190. Neque excipiuntur excoecati et indurati 72
Scholion I. Exceptionibus satisfit 75
Scholion II. De vocationis gratia 77
Coroll. Gratia sufficiens admittenda est 78

Caput III.

De habitu inter gratiam et liberum arbitrium.

Libertatis notio 79
Principium I. Gratia praeparat voluntatem 82
Principium II. Praeparat voluntatem illustratione et inspiratione et subministratione virium 83
Scholion I. Voluntatis inspiratio non consistit in inspiratione solius caritatis 84
Scholion II. Quomodo concipienda sit virtus, quam gratia subministrat 86
Principium III. Hae vires gratiae propriae fiunt voluntatis 87

Pag.

Principium IV. Unde gratia physice et subjective voluntatem praeparat 87
Thesis 191. Voluntatis est gratiae consentire eaque uti, adeo ut actus salutares tribui debeant tamquam causae adaequatae voluntati auctae gratia 88
Thesis 192. Gratia non infert necessitatem 93
Thesis 193. Nexus inter gratiam boni operis et libertatem non est ex se infallibilis 96
Thesis 194. Exceptionibus satisfit 106
Scholion I. De discretione formali et efficienti . . . 112
Scholion II. Difficultates ex Augustino 113
Scholion III. Dantur quaedam auxilia ex se efficacia . . 115
Scholion IV. Rejicitur exceptio de semipelagianismo . . 116
Scholion V. Discrimen inter gratiam ante et post lapsum . 116

Pars secunda.

De gratia habituali seu de justificatione.

Caput I.

De dispositionibus ad justificationem.

Principium I. et II. Neque vires naturae neque lex mosaica sufficiunt ad salutem 119
Principium III. Nemo salutem consequi potest nisi per J. Christum 119
Principium IV. Adulto aliqua dispositio est necessaria ad justificationem 119
Thesis 195. Fides justificans est fides dogmatica, non fiducia . . . 121
Thesis 196. Fides ad justificationem necessaria est necessitate medii, et quidem fides supernaturalis, quae explicite saltem se extendat ad veritates Dei exsistentis et remunerantis 122
Scholion. Num mysteria incarnationis et Trinitatis explicite sint credenda necessitate medii 126
Thesis 197. Sola fides non justificat 127
De aliis dispositionibus deque earum necessitate ad justificationem 129
Thesis 198. Satisfit exceptionibus 132
Coroll. s. Jacobi ap. doctrina 133

Caput II.

De natura et essentia justificationis.

Articulus primus.

De natura et essentia justificationis secundum fidem catholicam.

Thesis 199. In justificatione peccatoris vere delentur peccata . . . 135
Thesis 200. Justificatio non est sola remissio peccatorum, sed etiam interior renovatio 137
Thesis 201. Justificationis gratia inhaeret animae, et non solum imputatur 138

Pag.

Articulus secundus.

Uberior illustratio doctrinae de justificationis natura.

Thesis 202. Gratia justificans est habitualis et qualitas spiritualis animae . 140
Thesis 203. Gratiae justificantis est delere peccata 144
reddere hominem Deo gratum 146
justum 148
pulchrum 154
Christo similem 155
vivum membrum Christi et filium Dei adoptivum . . . 156
heredem regni coelorum 156
consortem divinae naturae 157
capacem meriti condigni 159
Scholion. Expenduntur quidam effectus secundarii ejusdem gratiae 159
Thesis 204. Spiritus s. speciali modo inhabitat justos 161

Articulus tertius.

De virtutibus infusis.

Praenotiones de habitibus et virtutibus 164
Thesis 205. In justificatione infunduntur habitus operativi, in primis fides, spes, caritas 169
Scholion. Quaestiones de infusione virtutum moralium; de discrimine inter gratiam habitualem et habitum caritatis; de relatione inter gratiam et virtutes infusas . . . 171

Articulus quartus.

De causis justificationis.

Causa efficiens 173
Causa instrumentalis separata et conjuncta 173
Causa finalis 173
Causa formalis 173
Causa ministerialis 173
Causa dispositiva 173
Causa subjectiva 173
Utrum gratia justificationis creetur 173

Articulus quintus.

De proprietatibus justificationis.

Gratiae inaequalitas 174
Nemo scire potest certitudine fidei se esse in statu gratiae . 176
Thesis 206. Ad perseverantiam in gratia requiritur observatio praeceptorum 177
Thesis 207. Letali peccato amittitur gratia cum donis infusis excepta fide et spe 179
Scholion. Num gratia habitualis imminui possit peccato veniali 182

Caput III.

De merito.

Meriti notio 183
Meriti conditiones 184

Pag.
Homines apud Deum mereri possunt 192
Meriti objectum 194
De reviviscentia meritorum 196
Scholion practicum. Concionum argumenta . . . 197

Tractatus IX.

De Sacramentis.

Sacramentorum momentum et praestantia 201

Pars prima.

De Sacramentis in genere.

Caput I.

De sacramentorum natura.

Articulus primus.

De eorum notione, exsistentia et convenientia.

Sacramenti notio 203
Sacramentorum exsistentia 205
Sacramentorum convenientia 207

Articulus secundus.

De virtute sacramentorum.

§ 1. De operandi ratione sacramentorum.

Thesis 208. Per sacramenta N. T. tamquam per causas instrumentales confertur gratia 207
Thesis 209. Doctrina protestantium de efficientia sacramentorum est falsa 211
De formula: ex opere operato 212
Propositiones de modo operandi sacramentorum:
Propositio I. Sacramenta sunt operationes vicariae Christi 214
Propositio II. Sacramentis inest supernaturalis dignitas objectiva 215
Propositio III. Sunt ergo verissimae causae morales collationis gratiae 216
Propositio IV. Quo sensu sint etiam causae physicae . 216
Propositio V. Quo sensu non sint causae physicae . . 218

§ 2. De effectibus sacramentorum.

De gratia quam conferunt sacramenta 219
De reviviscentia gratiae 221
Conferunt sacramenta gratiam sacramentalem 222
Thesis 210. Tria sacramenta imprimunt characterem, signum spirituale indelebile 222
Quid sit character 228
Scholion I. Differentia inter sacramenta V. et N. T. . . 231
Scholion II. De sacramentalibus 234

Articulus tertius.

De sacramentorum causis.

De materia et forma sacramentorum 235
Thesis 211. Christus immediate et per se est auctor omnium sacramentorum 238

Pag.
Thesis 212. Sacramentorum valor non pendet a sanctitate vel fide ministri 241
Scholion. Intentio necessaria et sufficiens 245
Thesis 213. Catharini sententia de intentione externa admitti nequit . . 246

Caput II.

De numero sacramentorum.

Thesis 214. N. L. sacramenta sunt septem 248
Scholion practicum. Concionis argumentum . . . 253

Pars secunda.

De sacramentis in specie.

Sectio prima.

De baptismo.

Quaestiones praeviae 254
Thesis 215. Materia remota baptismi est aqua naturalis; proxima, immersio, infusio et aspersio; forma vero invocatio distincta trium divinarum personarum 258
Scholion. De baptismo in nomine Christi 261
De ministro hujus sacramenti 261
Thesis 216. Infantes valide et licite baptizantur, nec postea interrogandi sunt, utrum promissiones factas ratas habeant 262
Thesis 217. Baptismus omnibus est necessarius ad salutem . . . 266

Sectio secunda.

De confirmatione.

Thesis 218. Confirmatio est verum sacramentum a baptismo distinctum . 269
De ministro et materia hujus sacramenti 272

Sectio tertia.

De ss. Eucharistiae mysterio.

Praestantia hujus sacramenti 273

Caput I.

De ss. Eucharistiae sacramento.

Articulus primus.

De reali praesentia.

Thesis 219. Realis praesentia corporis et sanguinis Christi etiam seposita doctrina Scripturae et patrum demonstratur praescriptionis argumento 284
Thesis 220. Idem dogma demonstratur ex verbis promissionis Joan. 6, 48 ss. 286
Thesis 221. Idem dogma ex verbis institutionis demonstratur . . . 291
Scholion. Sacramentariorum objectionibus satisfit . . 296
Thesis 222. Eadem veritas demonstratur ex traditione 299
Thesis 223. Ex doctrina PP. demonstratur eadem realis praesentia Christi in ss. eucharistiae sacramento 302
Thesis 224. Imo patres jam in antecessum damnarunt opinionem et dubia sacramentariorum 308
Thesis 225. Eadem realis praesentia J. Ch. in eucharistia patribus principii instar erat ad probandas alias veritates fidei 315
Scholion. Solvuntur objectiones ex patribus 317

Pag.

Articulus secundus.

De transubstantiatione.

Thesis 226. Tota substantia panis et vini per consecrationem convertitur in substantiam corporis et sanguinis D. N. J. Ch. . . . 324
Scholion I. Difficultatibus satisfit 330
Scholion II. Praeposterae opiniones de transubstantiatione rejiciuntur 333
Scholion III. Variae sententiae theologorum de transubstantiatione 334
Thesis 227. Realis praesentia efficitur verbis evangelicis 336

Articulus tertius.

De modo praesentiae sacramentalis.

Thesis 228. Totus Christus est sub utravis specie et qualibet ejus parte . 339
Scholion. De objectiva accidentium realitate . . . 341
Coroll. Ratio exsistendi corporis Christi in sacramento . 344
Thesis 229. Praesentia Christi sacramentalis perdurat post consecrationem 344

Articulus quartus.

Dogma hujus mysterii prae rationis lumine.

Prae ratione christiana 346
Prae ratione mere naturali 347
Solvuntur difficultates 348
Scholion. Regulae loquendi 351

Articulus quintus.

De eucharistiae effectibus et aliis doctrinis sacramentalem praesentiam concernentibus.

Thesis 230. Effectus eucharistiae est vitae spiritualis perfectio et praeparatio ad fruitionem aeternam 353
Thesis 231. Sumptio eucharistiae est moraliter necessaria ad perseverantiam in gratia per longius tempus 359
Scholion. Utrum Augustinus aliique absolutam eucharistiae necessitatem ad salutem statuerint 360
Thesis 232. Communio sub utraque specie non est necessaria ad salutem . 361
Thesis 233. Christus in eucharistia adorandus est cultu latriae . . . 364
Scholion. Quaestiones quaedam de ratione et unitate sacramenti eucharistiae 365

Caput II.

De sacrificio missae.

Articulus primus.

De veritate sacrificii missae.

Quaestiones praeviae de sacrificio 367
Thesis 234. Traditio invicte probat veritatem hujus sacrificii . . . 371
Thesis 235. Idem verum sacrificium a prophetis praedictum, a Christo promissum et institutum, aetate apostolica oblatum est . . 375

Articulus secundus.

De essentia sacrificii missae.

Thesis 236. Essentia hujus sacrificii in consecratione consistit . . . 383

Pag.
Sententiae variae de essentia sacrificii missae 386
Scholion. Quaestiones reliquae de sacrificio missae . . 389
Thesis 237. In sacrificio eucharistico Christus est offerens principalis; sacerdos vero secundarius et ministerialis 391

Articulus tertius.

De efficientia sacrificii eucharistici.

Thesis 238. Sacrificium missae est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium 393
Scholion. De sacrificii missae fructu 395
Scholion practicum. Concionis argumentum . . . 399

Sectio quarta.

De sacramento poenitentiae.

Caput I.

De potestate Ecclesiae data remittendi et retinendi peccata.

Thesis 239. Christus dedit Ecclesiae potestatem remittendi retinendique peccata, distinctam a jure baptizandi vel annunciandi remissionem peccatorum 402
Scholion I. De formula solvere et ligare . . . 408
Scholion II. De potestate ligandi 408
Coroll. Haec potestas est ministerialis 409
Thesis 240. Potestas remittendi retinendique peccata est judicialis . . 409
Thesis 241. Potestas clavium ad omnia baptizatorum peccata se extendit . 411
Thesis 242. Distinctio in peccata remissibilia et irremissibilia Scripturae patrumque testimoniis fulciri nequit 412
Thesis 243. Ecclesia nunquam rite dispositis veniam negavit . . . 416
Thesis 244. Ecclesia non habet jus denegandi veniam rite dispositis . . 420
Scholion. Respondetur ad objectiones 422

Caput II.

De contritione.

Thesis 245. Contritio caritate perfecta reconciliat peccatorem Deo ante susceptionem sacramentorum non tamen sine voto recurrendi ad potestatem clavium 429
Scholion I. Contritio perfecta ut justificet includere debet sacramenti votum 431
Scholion II. Quare recurrendum sit ad potestatem clavium venia peccatorum accepta 432
Scholion III. Contritio non requirit gradus intensionis . . 433
Neque certam temporis durationem 435
Quaenam caritas requiratur ad contritionem perfectam . . 436
Thesis 246. In sacramento non requiritur contritio perfecta . . . 437
Sufficit ad sacramentum poenitentiae attritio 439
De attritione ex metu inferni 440

Caput III.

De confessione ejusque necessitate.

Thesis 247. Fideles tenentur recurrere ad potestatem clavium ad obtinendam remissionem peccatorum letalium 445

Pag.

Thesis 248. Fideles peccatores jure divino tenentur omnia et singula confiteri peccata gravia 447
Confessionis convenientia 453
Confessio peccatorum venialium 455
Thesis 249. Satisfit exceptionibus adversus confessionis necessitatem . . 455

Caput IV.

De satisfactione.

Satisfactionis necessitas 462
Thesis 250. Non requiritur, ut satisfactio opere praecedat absolutionem . 463
Propositio I. Non semper tota poena cum culpa remittitur 464
Propositio II. Poena temporalis bonis operibus redimi potest 464
Propositio III. Ministri clavium habent jus et officium imponendi satisfactiones 465
Propositio IV. Satisfactio non est praemittenda absolutioni 465
Scholion. Quaestiones de satisfactione 466

Caput V.

De absolutione aliisque ad hoc sacramentum spectantibus.

Notanda de absolutione 468
Thesis 251. Soli sacerdotes sunt ministri potestatis clavium . . . 469
Scholion I. Satisfit exceptionibus 470
Scholion II. De jurisdictione ad absolvendum requisita . 471
Coroll. De reservatione peccatorum 473
Scholion III. de sigillo 473
Thesis 252. Ritus, qui contritione, confessione et satisfactione peccatoris necnon sacerdotis absolutione continetur, verum N. L. est sacramentum a baptismo distinctum 473
Scholion. De materia hujus sacramenti 478

Caput VI.

De indulgentiis.

Indulgentiarum notio 479
Propositio I. Datur thesaurus satisfactionum Christi inexhaustus 480
Propositio II. Ad hunc thesaurum pertinent etiam satisfactiones sanctorum supereffluentes 481
Propositio III. Hae satisfactiones in alios derivari possunt 482
Thesis 253. Pastores Ecclesiae jure divino concedunt indulgentias . . 483
Propositio IV. Ministris clavium competit jus concedendi indulgentias 488
Propositio V. Indulgentiis non relaxantur peccata . 489
Propositio VI. Indulgentiis relaxantur non solum poenitentiae canonicae, sed etiam poenae temporales Deo debitae 490
Scholion I. Indulgentiae ratio formalis 491
Propositio VII. De causa legitima concedendi indulgentias 492
Propositio VIII. Indulgentiae fidelibus prosunt . . 492
Propositio IX. Prosunt etiam defunctis 493
Scholion practicum. Concionis argumentum . . . 494

Pag.

Sectio quinta.
De extrema unctione.

Thesis 254. Extrema unctio est verum sacramentum 495

Sectio sexta.
De ordine.

Lemma I. Discrimen inter laicos et clericos in Ecclesia . 498
Scholion. Diluuntur objecta 500
Lemma II. Clerici ritu solemni constituuntur ex Christi voluntate 501
Thesis 255. Ritus, quo potiores clerici Christo auctore constituuntur, est verum sacramentum 501
Scholion. De hierarchia ecclesiastica 505
Propositio I. Diaconi sunt institutionis divinae . . 505
Propositio II. Ordinatio, qua constituuntur diaconi, est sacramentum 506
Propositio III. Presbyteri proprio sacramento constituti a diaconis distinguuntur 507
Thesis 256. Sicut jure divino presbyteri diaconis sunt praestantiores, ita eodem jure episcopi utrisque antecellunt 507
Thesis 257. Soli episcopi jure divino diaconos et presbyteros ordinare possunt 510
Coroll. Ordinationes factae ab episcopis haereticis et schismaticis sunt illicitae, non invalidae 512
Thesis 258. Ritus, quo initiantur episcopi, verus est ordo a reliquis distinctus verumque sacramentum 514
Thesis 259. Hieronymi doctrina catholica de hierarchia et singularis improbabilisque opinio de episcopatus origine 515
Scholion I. Unum est tantum ordinis sacramentum totale 517
Scholion II. De ordinibus minoribus 518
Scholion III. Quot sint ordines 519
Scholion IV. De materia et forma ordinis 519
Scholion V. De coelibatu 520
Scholion practicum. Concionum argumenta . . . 524

Sectio septima.
De matrimonio.

Matrimonii notio 527
Thesis 260. Matrimonium est verum sacramentum 529
Thesis 261. Ipse contractus matrimonialis inter christianos est sacramentum 533
Scholion. Proprietates contractus matrimonialis . . . 535
Thesis 262. Minister hujus sacramenti sunt contrahentes ipsi . . . 536
Corollaria 539
Scholion. Qua ratione matrimonium sit sacramentum . . 539
Thesis 263. Proprietas matrimonii christiani est unitas 539
Thesis 264. Altera ejusdem proprietas est indissolubilitas 543
Thesis 265. Matrimonium christianum etiam in casu adulterii est indissolubile 548
Scholion I. De privilegio paulino 553
Scholion II. Matrimonium ratum solvitur professione solemni religionis 555

Pag.

Scholion III. Matrimonium ratum dissolvi potest a rom. pontifice gravi de causa 556
Scholion IV. Divortium quoad torum et mensam variis ex causis legitime fieri potest 556
Thesis 266. Ecclesia potest statuere impedimenta dirimentia matrimonium et ad ejus tribunal spectant omnes causae matrimoniales . 557
Thesis 267. Ecclesia ea potestate fruitur jure proprio et originali et quidem sola 560
Scholion practicum. Concionis argumentum . . . 564

Tractatus X.

De Deo Consummatore.

Sectio prima.

De consummatione singulorum hominum.

Caput I.

De morte et judicio.

Notio mortis 566
De universalitate mortis 567
Mors finis est status viae 568
De judicio particulari 568
Sententia lata mox exsecutioni mandatur 569
Scholion. De daemonum statu 570
Thesis 268. Animae justorum, quibus nihil luendum superest, statim post mortem visione fruuntur beatifica 571

Caput II.

De inferno.

Thesis 269. Trangressiones legis divinae in praesenti vita non remissae in altera a Deo puniuntur 578
Thesis 270. Distincta poena damni et sensus dicimus, inter varias sensus poenas quibus puniuntur impii, esse etiam ignem verum et proprium 580
Scholion I. Quomodo ignis agat in spiritum . . . 584
Scholion II. Diversa poena pro diversitate criminum . . 586
Scholion III. De loco inferni 587
Thesis 271. Poenae damnatorum sunt aeternae 587
Coroll. Ex inferno nulla redemptio 588
Thesis 272. Aeternitas poenarum non adversatur rationi 590
Scholion. De damnatorum statu 593

Caput III.

De sorte aeterna infantium non baptizatorum.

Infantes non baptizati salute excidunt 594
Infantes non baptizati poena sensus non puniuntur. . . . 596
Qualis sit eorum conditio 597

Caput IV.

De purgatorio.

Thesis 273. Praeter coelum et infernum exsistere purgatorium fide tenemus 598
Scholion. Animae in purgatorio certae sunt de sua salute . 603

Pag.

Non possunt amplius peccare 603
Affliguntur poena damni 603
Patiuntur poenam sensus 603
Ignem esse in purgatorio probabile . . . 603
Magnitudo poenarum 603
Non durat purgatorium ultra diem judicii . . 604
Mensura poenarum 604
Locus purgatorii 604
Fideles juvare possunt animas in purgatorio . . 605

Caput V.

De aeterna sanctorum felicitate.

Beatitudinis notio 605
Thesis 274. Visio beatifica est supernaturalis 607
Thesis 275. Beati peccare non possunt 614
Thesis 276. Licet objectiva justorum beatitudo sit eadem, inaequalis tamen est subjectiva et formalis pro diversitate meritorum . . 615
Scholion I. Difficultas contra hanc inaequalitatem ex parabola operariorum in vinea 616
Scholion II. De dotibus et aureolis beatorum . . . 617
Scholion practicum. Concionum argumenta . . . 618

Sectio secunda.

De consummatione universali.

De praeambulis consummationis universalis 620
De antichristo 622
Thesis 277. Omnes mortui eodem tempore cum suis propriis corporibus resurgent 623
Scholion II. De dotibus corporis gloriosi 630
Scholion III. Utrum resurrectio naturae humanae sit debita 631
Scholion practicum. Concionum argumenta . . . 631
Thesis 278. Chiliasmus omnis rejici debet 632
De judicio universali deque mundi consummatione . . . 638

Sectio tertia.

De communione sanctorum.

De communione sanctorum 641
Thesis 279. Bona et utilis est invocatio sanctorum 643
Thesis 280. Ad examen vocantur objectiones contra invocationem sanctorum 647
Thesis 281. Sanctorum cultus est licitus 650
Thesis 282. Reliquiarum cultus pius comprobatur 654
Coroll. I. De cruce dominica 657
Coroll. II. De peregrinationibus 657
Thesis 283. Ss. imaginum cultus vindicatur 658
Scholion. De crucis signo 663
Scholion practicum. Concionum argumentum 665

A. M. D. G.

INDEX II.

Testimoniorum s. Scripturae

quae accuratius in Compendio exponuntur.

Gen. 1, 1 ss. II, 267 ss.
1, 1 II, 234[4]
1, 26 II, 273. 300
2, 7 II, 273. 296
2, 17 II, 336[3]
2, 19 II, 332
2, 25 II, 331
3, 15 II, 594
6, 2 II, 410
6, 5 III, 61
14, 18 III, 410[3]
49, 10 I, 42 ss.

Ex. 3, 13 II, 27[2]

Deut. 18, 15 I, 72

1. Reg. II, 25 III, 451[1]

Ps. 2, 7 II, 136[d]. 138
109, 3 II, 139[c] a
4 II, 669 s.

Prov. 8, 22 II, 144

Sap. 4, 11 II, 120
7, 25 II, 136[b] a
11, 18 II, 240
13 II, 6

Eccli. 31, 8 III, 109

Is. 7, 14 II, 608 s.
9, 6 I, 107; II, 466
53 II, 650[5]

Ez. 11, 19 III, 123. 208[4]

Dan. IX, 24 I, 46 ss.

Os. III, 4 ss. I, 73. 74[2]

Ag. II, 7 s. I, 49

Mal. 1, 10 III, 408

2. Mach. 9, 13 III, 445[4]
12, 43 III, 670

Matth. 1, 25 II, 612
12, 31 III, 446
16, 18 I, 197[4], 345
16, 19 I, 352 ss.
III, 524
19, 7 III, 614 ss.
20, 1 ss. III. 688
20, 21 ss. II, 113[5]
21, 5 II, 465
22, 37 III, 466
24, 22 ss. II, 114
25, 34 II, 113[2]
25, 41 III, 652[2]
26, 26 s. III. 338 ss.
352[6]. 363
26, 29 III, 342
28, 19 I, 263[2].
II, 168

Marc. 6, 3 II, 613
13, 32 II, 161

Luc. 5 1, 28 II, 485. 595
1, 34 II, 611[3]
1, 35 II, 542
1, 39 ss. II, 622
1, 48 II, 633
10, 30 II, 440
11, 20 III, 116[a]
12, 32 II, 115
22, 19 III, 410[2]
22, 20 III, 341
22, 32 I, 357. 414

Jo. 1, 1 ss. II, 148 ss.
1, 15 II, 145
1, 18 II, 135[d]
2, 4 II, 582

Jo. 4, 21 ss. III, 409
6, 44 III, 124
6, 52 ss. III, 334
6, 54 III, 395
8, 34 III, 61[2]
10, 26 ss. II, 116
10, 28 II, 186
10, 36 II, 542
14, 28 II, 159
15, 1 ss. III, 31
15, 26 II, 174
16, 13 II, 169[3]
17, 3 I praef. II;
II, 160
17, 21 II, 192
18, 36 I, 212 a.
20, 22 s. III, 436 ss.
21, 15 ss. I, 358

Act. 13, 2 III, 412[2]
13, 33 III, 542
13, 48 II, 117
19, 13 ss. III, 489

Rom. 1, 3 II, 545[2]
2, 15 II, 55
4, 25 I, 664 a.
5, 12 ss. II, 362 ss.
5, 15 II, 671
7, 18 III, 48
8, 3 II, 473
8, 28 II, 118
9 II, 121
9, 16 III, 125
14, 23 III, 54

1. Cor. 2, 10 II, 166[f]
4, 1 III, 597
4, 7 III, 128
7, 10 III, 617[b]
8, 6 II, 162
10, 31 III, 230
11, 7 II, 301[3]

1. Cor. 11, 27 III, 339
11, 28 III, 490
15, 10 III, 103
15, 47 II, 475
15, 51 III, 638

2. Cor. 2, 6 III, 524[2]
4, 23 II, 327[2]
5, 22 s. I, 592

Eph. 1, 4 s. II, 119
5, 22 ss. III, 592
5, 25 I, 242

Phil. 11, 5 II, 469
4, 3 III, 577

Col. 1, 15 II, 143

1. Thess. 5, 23 II, 299

1. Tim. 1, 9 III, 88[5]
2, 1 ss. II, 100 s.
3, 15 I, 263[3]

2. Tim. 1, 6 II, 549
3, 16 I, 158[e]

Tit. 1, 15 III, 54[2]

Hebr. 1, II, 136
3, 2 II, 145[4]
4, 12 II, 298
4, 25 II, 664[a]
6, 4 III, 447[7]
8, 4 II, 647
10, 26 III, 447[7]
11, 6 III, 54[3]

Hebr. 12, 16 III, 447[8]
13, 10 III, 412[3]

Jac. 2 III, 155
5, 14 III, 539
5, 16 III, 489

1. Petr. 2, 5 ss. III, 546[2]
2, 8 II, 107
3, 18 s. II, 665

1. Jo. 3, 9 III, 45
5, 7 I, 182[1]
II, 183[1] a
5, 16 III, 448

Apoc. 20 III, 711 s.

INDEX III.

rerum quae his tribus Compendii tomis continentur.

Romanus numerus tomum, arabicus numerum textus, litera a. adnotationem numero subjectam designat.

Abrahae sinus III, 646[2]

Absolutio prorsus necessaria est fideli peccatori II, 477; sensibilis esse debet 504[2]; verbis danda et quidem praesenti ib.; valeatne forma deprecativa 505; ad eam dandam requiritur jurisdictio 510; est actus judicialis 443; efficax remissionis 438. 504; quid significet 464; quando olim dabatur 501[2] a.

Accidens II, 505; in eucharistia III, 374

Actiones sunt suppositorum II, 193[2]

Actus et potentia II, 32; purissimus 33; notionalis 220; 227[4]; actus ethice bonus et salutaris III, 26; quomodo unus ab alio distinguatur 36; secundum substantiam supernaturalis 35; ad omnem actum salutarem requiritur gratia 31; cf. *gratiae* necessitas; actus salutaris tribui debet gratiae et libero arbitrio 104; quomodo 105; quo sensu dici possit gratia 131; ad actum ethice bonum, non semper requiritur gratia 58, actus vitiatus utrum sit meritorius III, 226[3]; externus utrum augeat meritum 228; v. *meritum.*

Adamus peccando nocuit universo generi II, 357; v. *protoparentes;* num pactum intercesserit inter Deum et ipsum 390[2]; Adamo non peccante futurane fuisset Verbi incarnatio 458

Adjutorium quo et sine quo non III, 133

Adoptio opus ss. Trinitatis II, 194; justificationis effectus III, 188

Adoptianismus refellitur II, 538

Adorationis notio II, 561; nomen III, 727[2] a; 728[3] a.

Adventus Christi duplex III, 709

Aeternitatis notio II, 62; aeternitas poenarum inferni III, 657; rationi non adversatur 659; est potius consona 660

Aevum II, 62 a.

Affectus Christi II, 482; quam diversi a nostris 483; quo sensu Deo tribuantur 59

Aggaei vaticinium de Messia I, 49

Altaria quam veneranda III, 325[2]

Amor Dei splendet in incarnatione II, 443[b]. 447[5]; quando sit ex toto corde III, 466; initialis an requiratur ad attritionem 476; non requiritur a concilio tridentino ib.[3] a; proprius non semper malus 475[3]; an naturalis viribus naturae possibilis 66; singularis fidelium in Christum argumentum veritatis religionis ipsius I, 88

Angelorum exsistentia II, 399; creatio 399; initio temporis 401; angeli pollent facultate cognoscendi 403; quid non cognoscant 404; cognitio eorum matutina et vespertina 247; ex se quomodo inferiores illuminet 417; quomodo loquantur invicem 405; pollent virtute agendi praestantiori quam sit humana 406; sed non possunt patrare miracula 406[3]; sunt puri spiritus 407; quo sensu mentio fieri possit materiae in angelis, ib.; non peccarunt cum filiabus hominum 410; eorum ordines et hierarchiae 411; evecti sunt ad ordinem supernaturalem 412; indigebant gratia III, 37[4]; plures lapsi sunt II, 413; quibus Deus non pepercit 416; cf. *daemones;* angeli boni sunt hominum custodes II, 418; singulorum fidelium 419; imo hominum

singulorum 420; et regnorum 421; quae doctrina non fuit derivata a platonicis 423; utrum Christus illis aliquid meruerit 672
Anima Ecclesiae I, 224[2]; quinam ad eam spectent 227; latius patet corpore 231
Animarum praeexsistentia rejicitur II, 279; de earum origine patrum dubia 280; eae creantur 282; quando 285; anima est immortalis 290; forma corporis 295; perfecte purgata admittitur ad visionem Dei III, 643; cf. *justi*; num sejuncta a corpore Deum minus bene videat III, 646[3]; animarum in purgatorio status III, 672; invocatio et intercessio 722[3]
Antichristus III, 695
Apocalypsis canonicitas I, 175
Apologiae revelationis necessitas I praef. 11; distinctio ab Apologetica ib. 8 a.
Apostoli quo sensu inter se aequales I, 365; quo sensu Ecclesiae fundamentum 356; eorum cognitio quam perfecta 152[3]; continentes vixerunt III, 577
Apostolicitatis notio I, 313; apostolicitas ministerii ecclesiastici 314
Appellationes ad sedem apostolicam I, 375; ab hac appellare non licet 400.
Appetitus innatus et elicitus III, 682; utrum eo homo possit appetere visionem beatificam ib.
Approbatio librorum I, 261; ordinum religiosorum 278
Appropriatio II, 228
Arausicani concilii II. canon 22 explicatur III, 62
Arcani disciplina III, 325[3] a.
Archaeologiae momentum in theologia I, 129[6]
Ars magica non videtur admittenda II, 436[3]
Articuli fundamentales et non fundamentales I, 295.
Assensus certus et evidens I, 95; qualis exhibendus magisterio ecclesiastico 516; assensus fidei v. *fides*.
Assumptio Virginis in coelum II, 618; hujus festum 618[2]
Attributionis subjectum I praef. n. II. a.
Attributum divinum II, 23 a; num unum sua notione alterum includat 46; distinctio inter attributa divina 41.
Attritionis notio III, 472; sufficit in sacramento poenitentiae 473; an ad eam requiratur dilectio initialis 476; ex attrito fieri contritum 471
Auctoritatis via quam accommodata humano generi ad discendum I, 7; auctoritas Dei qua ratione cognoscitur 461; fidei objectum qua ratione 473
Augustinianorum sententia de gratia victrice III, 113
Augustinus explicatur de Ecclesiae membris I, 243; de cognitione Dei II, 13; de scientia media 76[3]; in quaestione de voluntate Dei salutifera II, 102. 104[4]; de praedestinatione 124; de donis naturae debitis 345[3]. 346. 351; de libero arbitrio peccato amisso 393; de origine necessitatis gratiae III, 40; de necessitate caritatis ad bene agendum 51; de axiomate: infidelium opera sunt peccata III, 55; de gratiae necessitate ad non peccandum 63; de praecepto faciendae et perficiendae justitiae 64; de gratiae universalitate 83; quid saepe intelligat nomine charitatis n. 51. 94; vel delectationis 131[2]; de gratiae efficacia III, 123, quo sensu provocet ad Dei omnipotentiam in hac explicanda 130; de adjutorio quo et sine quo non 133; de reali praesentia in eucharistia 337. 357[5] s.; de eucharistiae necessitate ad salutem 394; de sacramento poenitentiae 478; de timore inferni 475[4]; de rom. pontificis infallibilitate I, 434[d]
Aureola III, 689
Authentiae notio I, 31. 177; ea quoad Scripturae versionem declaranda est ab Ecclesia 178; v. *vulgata*.

Baji errores circa statum protoparentum II, 310[4]
Baptismi sacramentum III, 302; typi et nomina 303; effectus 305[4]; materia remota 306; proxima 307; forma 309; haec quam efficax ad probandam Spiritus s. divinitatem II, 168; peccatum originale 403; baptismi minister III, 311; necessitas 317; quando haec inceperit ib., quo sensu peccata postea commissa deleat 478; de baptismo in nomine Christi 310
Beati vident Deum III, 674; non tamen comprehendunt II, 18; peccare non possunt III, 685; unde hoc oriatur 686
Beatificatio I, 279
Beatitudo quid sit III, 673; variae divisiones ib.; consistit modo in visione Dei 674; complectitur amorem et gaudium 684; inaequalis pro ratione meritorum 687; est aeterna 685; variae quaestiones 684; quam magna 691; v. *visio*.
Bernardi (s.) de conceptione b. Mariae V. doctrina II, 601
Bonitas Dei in incarnatione II, 443[b]. 447[5]

Cabillonensis concilii (II.) can. 33 de confessione explicatur III, 495.

Cajetani de parvulis sine baptismo morientibus sententia III, 662[3]
Calvinianorum de voluntate Dei salutifera error II, 97; de praedestinatione 106
Canonis variae significationes I, 170 a.; canon Scripturae tridentinus authenticus 170; ad traditionem expressus 172; probari nequit criteriis internis 165; neque ex solis Scripturis 168; traditione probandus 167. 170; judaeorum veterum 172[2] a; controversiae de eo 173
Canonizatio SS. I, 279
Captivitas diaboli II, 391[4]
Caritatis perfectae motivum III, 468; criterium ib. a; quando ex toto corde 466; caritatis multiplex acceptio apud Augustinum 51
Caro Christi vera II, 471; ex Maria V. 474; quam conveniens id fuerit 447; cur patres ejus libenter faciant mentionem 480: carnis resurrectio III, 843; v. *resurrectio.*
Catechumeni non pertinent ad Ecclesiae corpus I, 230; pertinere possunt ad animam ib.
Catholicae appositum quam antiquum I, 304; proprium verae Ecclesiae 305. 310, quae cum rom. pontifice communione jungitur 307; notio genuina 309; minus probanda 312
Catholicitatis notio I, 309; minus probanda 312
Catholico quare dubitare non liceat de fide I, 479; catholici germani descriptio 264[3]
Causae matrimoniales spectant ad Ecclesiam III, 627
Censura theologica, I, 508; variae species 509. 510; obligat sub gravi 511; Ecclesia in ea ferenda infallibilis ib.
Cephas cui restitit Paulus I, 364
Certitudinis ab evidentia discrimen I, 95; quae requiratur ad credendum 469
Chalcedonense concilium I, 385; 405[3]
Chabauty opinio singularis III, 712[a]
Character sacramentalis III, 270; quid sit 275; quo sensu perennis 277[8]; quotuplici modo signum 277
Chiliasmus III, 706
Christiani quo sensu dicantur sacerdotes III, 546
Christi exsistentia I, 29; personae imago 33[2] a.: 67 de se testimonium 55; de sua missione triplex 30; multiplex 54; vaticinia in eo adimpleta 41; ab ipso edita 65; miracula 57; quare haec subinde non tanti fecerit 60: cf. *miracula;* mors vera 64: resurrectio 63; doctrina praestans 68; ipso suae missionis exitu probatur Messias 77; exemplum quam efficax II, 447[4]
Christus verus est Deus II, 467; et verus homo 471; verum habuit corpus 472; ex Maria V. 474; quo sensu fuerit semen David 476; cur se dixerit filium hominis 477; fuit affectibus et miseriis obnoxius 482; conditione naturae 486; eorum discrimen a nostris 483. 485; habuit animam 478; eamque rationalem 479; naturarum unio in ipso 488; unitas personae 489; duae naturae 520; illustratur ex unione animae cum corpore 522; duplex operatio et voluntas 525; libertas 530; quomodo concilietur cum impeccabilitate ib.; unus operans 529; operationis theandricae 527; est compositus 531; filius Dei naturalis 537; hujus filiationis ratio 539; num dici possit creatus 543; servus 544; praedestinatus 545; homo triduo mortis 534; fuit immunis a peccato actuali 546; originali 547; a concupiscentia 548; quam ne assumere quidem potuit 549; fuit impeccabilis 550; sanctus sanctitate substantiali 552; plenus gratia 554; fruebatur visione beatifica 556; quae non excludebat doloris sensum et tristitiam 557; plenus fuit scientia infusa 558; habuit et acquisitam 560; quo sensu profecerit ib.; quomodo ignoraverit diem judicii II, 161; est adorandus 562; v. *incarnatio, Filius Dei.*
Chhristus mediator II, 635; sacerdos 637; ab ipsa conceptione 638; obtulit sacrificium in cruce 640: pro nobis satisfecit 650; quomodo sibi 653[4]; secundum quam naturam 654; operum ejus valor 655. 656; pro omnibus est mortuus 660; quo sensu pro iis etiam, qui jam damnati erant 663; ad inferos descendit 665; III, 745; est sacerdos in aeternum II, 669; secundum ordinem Melchisedech 670; III, 410[3]; unicus sacerdos III, 413; quomodo pro mundo non oraverit II, 101; pro nobis interpellat 667; ejus munus triplex II, 635; num angelis meruerit 672; Ecclesiae caput I, 207; ejus in Ecclesiam influxus 208; arcta cum Ecclesia unio 209; in persona fidelium loquitur II, 158[2]; I, 209[c]: sine Ecclesia adaequate concipi nequit I, 209[d]; cum Adamo comparatur II, 360. 368
Christus totus in eucharistia III, 373; adorandus 397; ejus corpus vere in eucharistia praesens est 334 ss.; ejus corpus aliter in coelo, aliter in eucharistia 357[3]; multis in locis, et totum in singulis particulis III, 348; non est subjectum accidentium 374; v. *eucharistia.*
Chrysostomus vindicatur circa dogma de unitate Christi II, 496; de gratiae

gratuitate III, 70; de peccato originali 373[2]; de confessionis necessitate III, 493; de visione beatifica III, 675; de sanctorum invocatione 724
Circumcisio utrum conferret gratiam ex opere operato III, 278[4]
Circuminsessio in personis divinis II, 190; in Christo 513
Circumscriptive esse alicubi II, 53
Circumsessio daemoniaca II, 428
Clavium potestas quid significet I, 354; Petro collata 351; collata Ecclesiae III, 436; est judicialis III, 443; differt a jure baptizandi 437; vel annunciandi remissionem peccatorum 438; est ministerialis 442; efficax remissionis peccatorum 438: et quidem omnium post baptisma commissorum 444; bifariam patet 440; qui ejus ministri 506; qui inde habent jus imponendi satisfactiones 440; necessarius recursus ad eandem 477; v. *absolutio*.
Clerici nomine quis significetur III, 543; clericorum distinctio a laicis 544; quae efficitur ritu visibili 547
Coelibatus innititur exemplo Christi et apostolorum III, 577; antiquae, imo apostolicae originis 578; etiam in Oriente servatus 579; quam conveniens 580; utilis vel societati 581; inepte propter quorundam lapsum impugnatur 582
Cognitio Dei triplex II, 20: genesis 21; quo sensu naturalis, congenita 9; non est in hac vita immediata 11; cognitio creaturarum matutina et vespertina 247
Communicatio idiomatum II, 567; ejus radix 568; regulae 570
Communio sub utraque specie non est necessaria III, 395: communionis indignae peccatum 350[3] a; v. *eucharistia*
Communio ecclesiastica, quid includat III, 455[3]; cum rom. pontifice tessera orthodoxiae I, 307. 379. 419
Communio sanctorum III, 717 ss.
Comprehensio II, 16
Conceptio immaculata Mariae V. II, 587; probatur 589; ejus festum 590
Concilium oecumenicum I, 269; conditiones ad illud requisitae ib.; ejus infallibilitas 270; non pendet a fidelium acceptatione 272; criteria ad dignoscendas definitiones infallibiles I, 504; est admodum utile 284[3]. 430; non tamen prorsus necessarium 271. 428. 430; non est supra rom. pontificem 399, jus convocandi competit rom. pontifici 402; et praesidendi 404; illudque confirmandi 405; quo sensu confirmetur a concilio particulari 406[2]; ab imperatoribus 406[3]; quo sensu subjecerint definitiones rom. pontificum examini 433; agnoverunt primatum rom. pontificis 382. 388. 404. 405[3]. 407 ss.; concilia provincialia quando authentice docere possint 514[2]; de eorum approbatione 503 a; absque pontifice non sunt medium efficiendae unitatis 334
Concionum argumenta: Angeli custodes II, 424; Character sacramentalis III, 301; Christi missio divina ex vaticiniis I, 41. 65; ex proprio testimonio 55; ex ipsius miraculis 56; resurrectione 63; vita et doctrina 67; gentium conversione et judaeorum reprobatione 70; aliisque motivis 107; de ejus nativitate II, 463; Coelum seu coelestis beatitudo III, 692. Communio sanctorum III, 745. Confessionis utilitas III, 487; Cor Jesu II, 566; Creatio II, 258[a] ss. Crucis sacrificium II, 643; signum III, 742. 747; Cultus SS. III, 746. Dei infinitas II, 27; immensitas 55; bonitas 443[2]; 447[5]; providentia 96[4]; cf. II, 229; 258; Ecclesiae praestantia I, 186. 211[4], 218. 448 s. Eucharistiae praestantia III, 325 ss.; effectus 387; Evangeliorum genuinitas et authentia I, 31 ss.; Fidei praestantia I, 454. 481[3]. 521[2]; fides est rationalis 493; 517 ss.; rationem perficit 494. Gratiae praestantia III, 2. 171 ss. 241 ss.; universalitas 79. 20; operandi modus 91 ss.; 2 a. Hominis dignitas II, 286. 306. Indulgentiae III, 535; Infallibilitas romani pontificis I. 340. 407 ss. 443. 452. Infernus III, 691; poenarum in eo gravitas 650. 691; aeternitas 657: Jesus triumphator nobilis I, 104; S. Joseph II, 616; Mariae dignitas II, 578. 626 ss.; gratiae plenitudo 584; immaculata conceptio 587. Matrimonium III, 634. Mors III, 690. Mysteria I, 3. 488. Peccatum II, 396; Poenitentiae sacramentum III, 537; Primatus I, 488 ss.; 337. Protoparentum laetissima conditio II, 352; lapsus 396. Providentia II, 96[4]. Purgatorium III, 668. 671. 693; Religionis christianae veritas I, 79. 83. 87. 89. 92. 105; Reliquiarum cultus III, 733. 746; Resurrectio mortuorum III, 705: 697; Revelationis utilitas I, 7; commendatio 103; Sacerdotii praestantia III, 583 ss.; Sacramentorum praestantia III, 245; Sanctorum intercessio III, 718. 745; invocatio 744; cultus 727. 745; Trinitatis mysterium II, 229 ss.

Conclusio ex revelatis an sit de fide I, 502[3]; theologica ib.
Concordia ecclesiae graecae cum latina in canone I, 172[4]
Concupiscentia II, 329: duplex distingui potest 329[4]: utrum sit mala 329[6]; quo sensu dicatur peccatum ib.; quo sensu alliciat ad peccatum ib.; est

defectus naturalis ib.; 341[2]. 351[3]; ea carebant protoparentes 331; non est peccatum originale 379; quo sensu dicatur materiale peccati originalis 391[2] vel per eam propagari pecc. originale 390[4]
Concursus Dei ad omnes operationes necessarius II, 258
Confessionis peccatorum gravium necessitas III, 481; omnium peccatorum 485; facta 483[d]. 489; praeceptum ib.; ea praecipi non potuit auctoritate humana 484; ejus congruentia 487; praemittenda eucharistiae 490; quo sensu soli Deo facienda 492; laicis olim facta 509; utrum a Nectario abrogata 491 peccatorum venialium 488
Confirmationis sacramentum III, 320; minister 323; materia 324
Congregationum romanarum auctoritas I, 515
Consensus fidelium criterium veritatis revelatae I, 140; II, 589[5]
Conservatio rerum II, 258
Consortium divinae naturae per gratiam III, 193
Constantiensis concilii sess. 4 et 5 I, 440
Constantinopolitana ecclesia rom. pontificis primatum agnovit I, 375. 377. 405[3]
Consubstantialitas personarum divinarum II, 185
Consultationes ad sedem apost. directae quam frequentes I, 372
Consummatio rerum duplex III, 635; mundi 694; quae hanc comitabuntur 694; variae sententiae de tempore 695 a.
Contritio quid III, 459; perfecta cum voto sacramenti justificat 460; quare adhuc confitendum 463; non requiritur temporis duratio 467, neque intensio 465; quando sit ex toto corde 466; perfecta non est necessaria in sacramento poenitentiae 469; imperfecta 472; v. *attritio*.
Controversiarum judex I, 117. 257; eas dirimendi methodus I, 123. 134
Cordis Jesu cultus legitimus II, 566; quare tam utilis 566[7]
Corpus Ecclesiae I, 224
Cosmogonia mosaica ab incredulis impugnatur II, 267; sed frustra 268; praecipuae opiniones de ea 269; collatio cum gratiae operatione III, 2 a.
Creare quid significet II, 237
Creationis notio II, 237; dogma 238; veritas est rationalis 241; creatio non est unius personae 242; solius Dei est 244; ejus finis 248; creatio ab aeterno nequit admitti 266; num ratione demonstrari possit 241
Creaturarum a Deo discrimen II, 48; creatura creare nequit 245; num aliqua reparare potuerit humanum genus 457
Credibile et credendum quid 501[5]
Criteria revelationis I, 17; externa internis praeferenda 18; quae potiora ib.
Crucis lignum III, 734; signum et imago 742. 747
Cultus notio III, 727; species ib.; sanctorum 728; absolutus et relativus 727[4]; imaginum 739; reliquiarum 729
Cypriani controversia cum Stephano I. 297. 434; utrum diaconis concesserit jus absolvendi a peccatis III, 508
Cyrillus alex. vindicatur II, 500

Daemonum exsistentia II, 413; conditio post lapsum II, 416; III, 642; infestatio II, 425; malitia adversus humanum genus III, 588; v. *obsessio*, *magia*, eorum expulsio quam frequens olim I, 92[1]; quo sensu daemon ligatus III, 712; sanctorum reliquias timent 731
Damnatorum poenae III, 650; aeternae 657: nulla redemptio 658; vel relaxatio ib. a; tristis conditio interna 661; quare dicatur eorum conditio mors 658[3]; orationes ipsis non prosunt ib.[2] v. *infernus*.
Danielis vaticinium de 70 hebdomadis I, 46
Darwini theoria II, 272
Debitum physicum et morale II, 317; proximum et remotum contrahendi peccatum originale II, 587
Definitio concilii qua late pateat I, 504; ex cathedra 407
Definitive esse alicubi II, 53.
Dei exsistentia ratione cognoscibilis II, 5; num credi possit I, 473; qua via cognoscatur II, 6. 20 s.; et quidem facile 7; probatur 15; argumenta pro ea potiora 14; Dei cognitio quam utilis 1; non immediata 11; vel innata 10; Deus est incomprehensibilis II, 17; invisibilis III, 678[3]; quadamtenus cognoscibilis II, 19; ineffabilis 22; quo sensu anonymus 23; ejus nomen praecipuum 27. 28; Deus est infinitus 27: simplicissimus 31; etsi trinus 199; actus purissimus 33; ejus essentia 39; admitti potest in eo rationis distinctio 41; distinguitur se toto a creaturis 48; ejus pulchritudo 51; est immensus II, 52; specialiter aliquibus in locis praesens 56; immutabilis 57; aeternus 62; est spiritus 64; omnipotens 66; omniscius 71; praescius futurorum liberorum 72; et conditionatorum 75; est summa veritas 78; malum morale nequit velle 84; potest tamen permittere 87; liber 89; in creando 254; solus potest creare 244; quid eum ad crean-

dum moverit 250; quo sensu creationis finis 252; omnia propter semetipsum operatur 253; v. *creatio;* vult omnium salutem 99; est unus natura II, 182; trinus 132. 180; Deus (Filius) dici potest natus, passus II, 495. 567; ejus veracitas non cognoscitur primum ex revelatione I, 462; revelanti est credendum 471; et quidem super omnia 475; *Dei* nomen quid significet II, 226. Cf. *Scientia, voluntas, libertas, reprobatio, praedestinatio, Trinitas.*

Descensus Christi ad inferos, II, 665; III, 645

Deuterocanonici libri I, 171. 172; eorum cum protocanonicis auctoritas 176

Diabolus quo sensu ligatus III, 712; diaboli captivitas II. 391[4]; v. *daemones.*

Diaconatus institutionis est divinae III, 553; praestantia ib.[2]; sacramentum 554

Diaconi III, 553; absolvere nequeunt 508; utrum a presbyteris ordinari possint 562[3] a.

Diaconissae III, 553 a.

Dies mosaici quales II, 269

Dilectionis ex toto corde praeceptum III, 466 v. *amor.*

Discretio per gratiam III, 128

Dispositio quid III, 67[4]; quae requiratur ad justificationem 137 ss.; duplex 151[1]; hujus pretium morale 152

Distinctio realis et rationis II, 41; aliae species ib. a; rationis in Deo admittenda 42; secundum considerationem 499

Divortium quoad mensam et thorum III, 624

Doctores Ecclesiae I, 130

Doctrina catholica quae I, 506

Dogmatum stadium triplex I, 149[4]. 173[6]; explicatio 149[2]; quid requiratur ad dogma 498 ss.; hoc non semper ex vetustissimis patribus probandum 134

Dominium Dei II, 70

Dona s. Spiritus III, 206; infunduntur in justificatione 197

Donaria olim ad ss. sepulcra oblata III, 731

Dotes beatorum III, 689; corporis gloriosi 703

Dubium de fide num permissum I, 478 s.

Duliae cultus III, 727[2]

Ecclesiae nominis notio I, 189; exsistentia 192; instituta a Christo 192; quando coeperit 195; ejus praestantia I, 186. 211[4]. 448 s.; figurae 187; paradiso comparatur II, 396[1] f.; mira cum Christo analogia I, 188. 204 ss.; et cum Maria ib.; perennitas 196; visibilitas 198; finis 202; Christus in ea continuat missionem suam 204; jus habet ut ubique esse possit 226; quot commoda ex ea redundent in societatem humanam 218; est societas 194; perfecta 215; supernaturalis 205; corpus 206; Christi 207; mysticum 210; vocatur Christus 207; regitur Spiritu Christi 208. 211[1]; intima cum Christo unio 209; extra eam non est salus I, 211[2]. 219. 232; quo plus quis eam amat, eo magis participat Spiritum s. 211[3]; mater nostra 220[5]; quo sensu non est hujus mundi 212 a; est distincta a societate civili 212; ab eaque independens 211[4]. 216. 217. 259; ejus ad hanc relatio 218; est distincta a secta philosophica 213; a synagoga 214; dicitur regnum coelorum 212 a; Ecclesiae materia remota 224[3]. 225; quomodo Deus malis etiam in bonum Ecclesiae utatur 225[4]; anima et corpus Ecclesiae 224; illa latius patet 231: quinam spectent ad Ecclesiam 233; ad ejus animam 227. 229; non excluduntur ab Ecclesia peccatores 240; ejus causa exemplaris 246; formalis 247; ministerialis 248

Ecclesia inaequalis I, 248; ejus potestas 255; competit ei jus docendi 256; damnandi doctrinas dissonas 258. 508; ferendi censuras de doctrina 511; proscribendi et approbandi libros 260; in docendo est infallibilis 262; quod probatur sine circulo vitioso 265; est infallibilis in sancienda disciplina 277; in approbandis ordinibus religiosis 278; in canonizatione sanctorum 279; in factis et textibus dogmaticis 280; unica est I, 286; in se una 287. 329; in fide 288; hujusque professione 290; liturgia 291; una esse debet unitate corporis 292; quando ea laedatur 297; exigit primatum 335; v. *unitas;* est sancta 299. 242; catholica 304; quo sensu 315. 311; apostolica 313; ejus notae 309. 319; duplici modo remittere potest peccatum III, 441. 514; nunquam absolute denegavit veniam alicui peccato 452; neque habet jus 454; pollet jure statuendi impedimenta matrimonii III, 626; judicandi causas matrimoniales 627: non ex concessione principum 629: sola pollet hoc jure 631: potest ab iis dispensare 633; nunquam diu in terris felix III, 710; non est biceps I, 367

Ecclesiae ad Scripturam relatio v. *Scriptura.* Qui non habet Ecclesiam matrem, non habet Deum patrem I, 220[5]; trium ecclesiarum figmentum 196

Ecclesia romana vera est Ecclesia I, 101; 226[2]; 246; 308; 450; huic competunt notae Ecclesiae verae 321; somnia protestantium de ejus defectione 322 a; nunquam defecit 322[3]

Efficacia duplex gratiae III, 85[1]; sacramentorum 254; cf. *sacramenta.*
Eleemosyna quam satisfactoria III, 502[2]
Eliae reditus III, 694
Eminenter inesse II, 26
Episcopatus est sacramentum III, 566; 502[2]; v. *episcopi.*
Episcopi distinguuntur a presbyteris III, 557; divinae sunt institutionis 559; presbyteris superiores 558; et quidem jure divino 560; eorum praerogativae 561; spectant ad Ecclesiae constitutionem 559; soli ordinare possunt 562; sunt confirmationis ministri ordinarii III, 323; sunt doctores authentici I, 262 ss. 271. 514; jure proprio sedent in concilio 268[2]. 269; si conspirant sunt infallibiles 268. 271; singulis non est concredita unitatis ecclesiasticae custodia 333; neque eorum coetui 334; quando judicare possint de fide 514[1]
Epistola ad Hebraeos canonica I, 174
Esau quo sensu odio habitus a Deo II, 122
Esse purum II, 27[3]
Essentia II, 39 a; 528; physica et metaphysica Dei 39. 40; in Deo idem cum exsistentia 35; rationem habet esse absoluti et relativi 198
Eucharistiae varia nomina III, 325[1]; sacramentum 398; figurae 346; praestantia 325 ss.: compendium mirabilium incarnationis 327; miracula, quae eam comitantur 348; comparatio cum aliis sacramentis 326; cum incarnatione 327; rationes institutae eucharistiae 349; non est figura corporis Christi 339; 352[6]; quo sensu subinde figura, signum dicatur ib. 353. 354[4], 384[4]; vel panis 342 vel memoriale 344; dissensus patrum a protestantibus de eucharistia III, 351 ss.; inde alia dogmata probant 355; in ea realiter est corpus Christi III, 332 ss.; v. *transubstantiatio;* accidentia quare maneant 354[8], non repugnat 379; ejus effectus non est remissio peccatorum 385; sed gratiae conservatio et incrementum 386; alii effectus 387; specialis unio 388; resurrectionis nostrae causa quo sensu 355[7]. 390; est moraliter necessaria ad salutem III, 393; non tamen sub utraque specie 395; Christus in ea est adorandus 395; qua reverentia recipienda 350[1]; modus de ea loquendi 357[2]. 348; est sacrificium 405[2]; v. *missa.*
Eugenii IV. decretum I, 441
Evangeliorum genuinitas I, 31; authentia 33; incorruptio 34
Excoecati non privantur omni gratia III, 82
Excoecatio III, 81; quo sensu Deo adscribatur ib.
Excommunicati sintne extra Ecclesiam I, 238
Exomologesis III, 480 a.
Extra Ecclesiam non est salus I, 219. 232
Extrema unctio III, 538; materia et forma ib.; est sacramentum 540; effectus 541

Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam III, 71. 80[5]
Facta dogmatica I, 280; Ecclesia in iis est infallibilis ib.; magica II, 436[2]
Fidelium consensus quanti momenti I, 140; II, 589[5]; quo sensu fideles sint divinitus edocti I, 253[4]; sancti 241; laici a clericis distinguuntur 248; III, 542
Fides in genere quam necessaria in omni ordine I, 7. 98 a; christiana quam praestans I, 454. 517 ss.; continetur intellectus assensu 356; quali 475 ss.: ejus discrimen ab aliis mentis assensibus 459; ejus genesis obscura 455; objectum formale 458; materiale 501. 502[1]. 505; continetur assensu libero 476; num libera esse possit, si revelatio sit evidens 477 a; 96; fidei certitudo 486; obligatio 474. 479; et quidem evidens 99; ad credendum requiritur certitudo facti revelationis I, 461; qualis 469; discrimen in hoc a virtutibus moralibus 472; fides christiana supernaturalis 454[11]. 480 ss.; hinc requiritur gratia ad eam 480 ss. 471; fides supernaturalis semper vera 485; hujus discrimen a fide naturali 484; est libera I, 476; fidei analysis 488; certitudo; 475; 486; fides ab Ecclesia discenda I, 108. 114. 117. 121 ss.
Fides non adversatur rationi I, 487. 493; nec rationis juribus I, 493[4]; rationem excedit 488; etiam excultam 489; ratione non caret 493; ejus postulata 493[4]; est secundum rationem 493; hanc juvat 494; ad altiorem scientiam provehit 495; simul esse potest cum scientia 460; ad fidem catholicam requiritur Ecclesiae propositio 498; fides divina, catholica, ecclesiastica 499; fides explicita et implicita I, 149[1]; III, 142; quomodo crescere aut proficere possit I, 151; quomodo eadem in V. et N. T. 151[2]; fidei proximum 510[3]
Fidei universalitas et unitas postulat authenticum magisterium I, 116 s.; quid ad eam requiratur 289. 290. 297. 505; summi facienda 293. 294; fidei examen ad rom. pontificem spectat 379. 382. 408[2]. 421; v. *unitas.*
Fides est necessaria I, 521[1]; ad justificationem III, 141; necessitate medii ib.; quae sint credenda 143; sola fides non justificat 147; 153; quo sensu absque operibus justificet 158; initium, funda-

mentum et radix justificationis 153; non est necessaria ad opus ethice bonum III, 52; infusa non amittitur quovis peccato 223[5]; sed peccatis oppositis 223[6]; fides puerorum I, 470
Figuli exemplum a Paulo adhibitum II, 122[5]
Filiatio adoptiva per gratiam III, 188
Filii Dei Gen. 6, 2 II, 410
Filioque merito additum symbolo II, 179
Filius Dei naturalis seu genitus II, 135; ejus praerogativae 137: primogenitus omnis creaturae 143; Deus 148; apud Patrem 150; non tamen a se 163; quare rarius in Scriptura dicatur Deus 159[4]; nunquam a se 152; est aeternus 140. 149; actus purus 156; Patri consubstantialis 146[2]. 186; ejusdem cum ipso operationis 191; omnia per ipsum facta 153; omnia portat 137 a; principium Spiritus sancti 171[4]; quo sensu ignoraverit diem judicii 161; factus II, 144 s.; obedierit Patri 196[2]; minor Patre 159; portio Patris 196[5]; per Filium quid significet 191[3]; quo actu a Patre genitus 203; an voluntate 196[3]; cur non gignat ipse filium 210; nomina propria 222; Scriptura triplici modo de eo loquitur II, 158[2]
Filium decuit incarnari II, 444; solus est incarnatus 461; cur assumpserit naturam humanam 447; ex femina 448; nativitate non fuit maculatus 449; cf. *Christus, incarnatio, Verbum*
Finis multiplex II, 248; mundi 249; Dei in creando 250; Ecclesiae I, 202; naturae rationalis duplex III, 1
Florentini concilii definitio de rom. pontifice I, 388
Forma sacramentorum non est concionatoria III, 282
Formaliter inesse II, 26
Formatae literae I, 309 a.
Fratres Christi II, 613
Frohschammer error circa mysteria I, 488[6]; de animarum origine II, 280
Fructus generalis, specialis, specialissimus sacrificii missae III, 430

Generatianismus rejicitur II, 282
Generatio Filii II, 135; ab aeterno 140; consectaria ejus 146; quomodo differat a spiratione 206; Verbi triplex 196[1]
Gentium conversio motivum credibilitatis I, 71
Genus humanum ab Adamo propagatum II, 274; ejus aetas 276; conveniens fuit ut redimeretur prae angelis II, 416
Gloriatio quo sensu prohibita III, 129
Gratiae praestantia III, 2; multiplex acceptio 4; partitio in creatam et increatam 5: in naturalem et supernaturalem 6; theologicam et philosophicam ib. a; in supernaturalem quoad substantiam et quoad modum 23[5]; gratiam Dei et Christi 8; internam et externam 9: quae intime sunt connexae 20; in gratum facientem et gratis datam 10: actualem et habitualem 11. 14; operantem et cooperantem, excitantem et adjuvantem etc. 21; medicinalem et elevantem 23; efficacem et sufficientem 23[6]; proxime vel remote sufficientem 74
Gratia distinguitur a concursu III, 14: consistit in illustratione et inspiratione 15; immediata 17; ipsius est praevenire et praeparare voluntatem III, 91; quomodo hoc praestet 93; subjective et objective 99; gratiae in libertatem influxu 93. 108. 111; subministrat virtutem 96[8] 123: non necessitat 108; varia de gratiae efficacia systemata 111; duplex gratiae efficacia 85; non est ex se efficax 115; quo tamen sensu gratia ex se efficax possit admitti 131; qua ratione Deus faciat ut faciamus 123: trahat 124; non omnis gratia est invicta, sed reddere potest invictum 130[6]; neque actus causa adaequata III, 106; discrimen inter gratiam ante et post lapsum 133; exsistit gratia sufficiens III, 85
Gratia est gratuita III, 68; necessaria est ad omnes actus salutares 29; ad fidem I, 480; ad ipsum fidei initium III, 32; partes gratiae in fidei genesi I, 471: gratia supernaturalis neeessaria est III, 34[3]: necessitate absoluta 39; non tamen gratia sanctificans 49; necessaria est gratia ad perseverandum 41; ad cavenda omnia peccata et vincendas tentationes 47; non tamen ad omne opus ethice bonum 58. 61; justis omnibus datur gratia ad servanda praecepta 74: omnibus hominibus datur gratia ad salutem III, 79; in ejus distributione inaequali latet mysterium 73; aliud est gratiam dare et aliud eam accipere etc. 83[4]
Gratia justificationis est habitualis III. 167; forma et qualitas 170; ejus praestantia 171 ss.; effectus formales II, 340: III, 171 ss.: delet peccata 172; facit gratos 175; justos 182; pulchros 184; Christo similes 186; filios Dei adoptivos 189: divinae naturae consortes 193; reddit opera bona meritoria 195. 231; effectus secundarii 196; merito luci confertur 185; differt ab habitu caritatis 211 s.: ejus proprietates 214 ss.; inaequalis in diversis et in eodem subjecto ib.; in quo consistat ejus augmentum 215: ex se perennis 196[6]; est amissibilis 223; quovis peccato mortali 223[3]; non minuitur

224; est bonum supernaturale II, 340; num creetur III, 213 v. *justificatio.*
Gratia sacramentalis III, 269, reviviscit 268: v. *sacramentum.*
Gratuitas gratiae III. 67
Gregorius M. quo sensu noluerit dici episcopus universalis I, 392
Güntheri error de profectu cognitionis in Ecclesia I, 152; de notione fidei 459[c]; personae II, 512; de libertate Dei in creando II, 254; de anima forma corporis 293

Habitus III, 202; variae divisiones ib.; infusus 202[3]; habitus in justificatione infunduntur 208; infusi peccato amittuntur 223[4]; non tamen fides et spes 223[5]
Haeresis I. 297. 510; ut incurratur, non requiritur semper solemnis Ecclesiae definitio 506[2]
Haeretici qui I, 233. 236. 237; dici nequeunt catholici 305; ab auctoribus suis nomen habent 306; sunt extra Ecclesiam 235. 239, de eorum salute quid tenendum 219. 221 a; de occultis quid tenendum 237; materiales ad Ecclesiae animam spectare possunt 236; haeretici ambiebant rom. pontificis communionem 380; a sede apostolica damnari solebant 382. 421; de defunctis quid judicandum 219[3] a; 221[2] a.
Hebdomadae Danielis I, 47. 48
Henoch nondum mortuus III, 638
Hermesii error de mysteriis I, 490[2]; de fide 459[5]; 480; de motivo fidei 467; de protoparentum statu II, 310[6]; de peccato originali 380, de gratiae necessitate III, 32. II, 480; de infantibus sine baptismo decedentibus III, 662[5]
Hierarchia III, 552; est divinae institutionis 567
Hieronymi dictum de epistola ad Hebraeos I, 174; de Apocalypsi 175; de discrimine inter episcopos et presbyteros III, 568 ss.
Hilarii pictav. doctrina de passione Christi II, 487
Hodie quid significet in Deo II, 138
Homo revelationis est capax I, 6; ejus obligatio ad inquirendam veritatem 15; ejus praestantia II, 287. 303; constat anima et corpore 294; est ad imaginem Dei 300; ejus conditio primitiva II, 311. 326 ss.; absque gratia ethice bene agere potest III, 58; homines specie non differunt II, 275[4]; omnes ab Adamo descendunt 275; num etiam secundum corpus immediate a Deo fuerit creatus 273; absque gratia creari potuit 344; absque integritate 345; et malis physicis obnoxius 347; in statu naturae purae 348
Honorius P. nullam edidit definitionem I, 435; neque errorem docuit 436; neque propter haeresim fuit damnatus 437; ejus damnatio similis Petri reprehensioni 438
Hormisdae formula I, 408[1]. 419[c]
Hypostasis quid II, 506; ejus discrimen a natura 508. 509: eam subsistere in aliqua natura quid significet 507; ejus nomen 504 a.

Jacob dilexi, Esau odio habui II, 122[1]
Jacobi vaticinium Gen. 49. I, 42
Jahn refellitur I, 176
Jansenii prop. 1. III, 74; pr. 3. III, 108. 110

Idea Dei innata rejicienda II, 10; ideae divinae 77[4] a,
Identitatis principium in mysterio ss. Trinitatis II, 200 s.
Idiomatum communicatio II, 567; ejus radix 568; regulae 570
Idolum quid III, 736[1]
Jejunium quare adeo satisfactorium III, 502[2]
Ignis inferni verus III, 651; quomodo cruciet spiritus 654
Ignorantia Dei invincibilis admitti nequit II, 8; ignorantia quo sensu spectet ad materiale peccati originalis 391[2]
Illustratio mentis duplex III, 17
Imago Dei in homine II, 300; imaginis notio in divinis II, 224; imagines sanctorum colere licet III, 738; quo cultu 896; hujus cultus utilitas 899.
Immensitatis divinae notio II, 52; fructus inde colligendi 55
Immortalitas sensu pleno soli Deo competit II, 58[4]
Immutabilitatis divinae notio II, 57; conciliatur ea cum creatione II, 60; cum libertate divina 90; cum incarnatione 460[1]
Impanationis theoria absurda III, 365[6]
Impedimenta matrimonium dirimentia ab Ecclesia constitui possunt III, 626; ab ea sola 631; potest ipsa in iis dispensare 633
Imperatores carent jure convocandi concilia oecumenica I, 402[4]; quo sensu iis praesederint 404; ea confirmaverint 406[3]; confirmant suo suffragio rom. pontificis primatum 381; v. *principes.*
Impetratio III, 67[3]
Impotentia physica I, 11 a.
Incarnationis convenientia II, 442. 447; et quidem Filii 444; ex virgine 444; facta est tempore congruo 450; non fuit absolute necessaria 451; neque in hypothesi creationis 452: vel lapsus

Adami 453; vel reparationis 454; quo sensu necessaria 455; num futura fuisset, si Adamus non peccasset II, 458; possibilitas illustratur 459; opus commune Trinitatis 461; ejus finis 634; fructus 463; praedicta fuit 469; v. *Christus*.
Increduli quomodo tractandi I, 102; eorum mala fides ib.; II, 272[4]
Index librorum prohibitorum I, 260
Indifferentia religiosa quam exitialis I, 221
Indulgentiarum notio III, 519; jus Ecclesiae eas concedendi 524; quis possit eas dare 526. 528; ex justa causa 534; iis non remittuntur peccata 530; neque solum poenitentiae canonicae 531; sed poenae Deo debitae 532; continetur absolutione et solutione 533; earum utilitas 535; quomodo prosint animabus in purgatorio 536; varius conferendi modus 525 a.
Induratio III, 81; quo sensu Deo adscribatur ib.; induratio Pharaonis II, 122[3]; induratis Deus non omnem denegat gratiam III, 82
Infallibilitas Ecclesiae I, 256 ss.; ejus notio 284; subjectum 267. 444; objectum 273. 507; rom. pontificis 407; sequitur ex ipso primatu 340; ex aliis veritatibus 407. 411. 442; hoc dogma quo sensu novum 408; definitionis opportunitas 443; in factis et textibus dogmaticis I, 281. 283; in canonizatione SS. 279; in approbatione ordinum religiosorum 278; in sancienda disciplina 277
Infantes peccato originali obnoxii II, 375; quo sensu dicantur sancti a Paulo ib.; quo sensu Deus eos velit salvos fieri II, 103. 105; baptizari possunt III, 312; et obligari ad servandas sponsiones in baptismo factas 315; sine baptismo decedentes pereunt 662; sed non videntur pati poenam ignis III, 664; eorum conditio 665; num in statu originali insigni scientia praediti II, 333[3]
Infernus III, 648; quadruplex ib.; exsistit 649; negatur ex daemonis seductione 649[5] a; quam horrendus 650. 691; verus in eo ignis 652; poenae inaequales 655; aeternae 657; nulla ex eo redemptio 658; nec relaxatio ib. a; quare dicatur mors 658[3]; locus 656
Infestatio diabolica II, 426; ejus species ib.; cf. *daemones*.
Infidelium opera quo sensu peccata III, 55; ipsis datur gratia 80; quando 79
Infiniti notio II, 26
Ingeniti notio II, 221[2]
Inhabitatio Spiritus s. in justis III, 198
Inquisitio I, 223 a.
Inspirationis notio I, 159; non est mera assistentia 161; vel approbatio subsequens 162; non extenditur ad singulas voces 163; neque ad solam libri substantiam 160; conciliari nequit cum errore ib.; probanda est criterio 164; non mere interno 165; hoc non est apostolatus scriptoris 166; constare nequit traditione mere humana 169; sed solum divina 167; inspiratio Scripturae probatur 158
Inspiratio voluntatis III, 16. 19; non continetur sola caritate 94
Integritatis notio II, 330; ea praediti erant protoparentes 331; est indebita 345
Intellectus catholicus I, 125; norma est interpretationis s. Scripturae 126
Intellectus divini perfectio II, 77
Intentio in sacramentorum administratione requisita III, 292; non sufficit externa 295
Intercessio sanctorum III, 718; pro animabus in purgatorio 722; animarum in purgatorio pro nobis ib.; non adversatur dogmati de Christo mediatore 723
Interpellatio Christi II, 667
Intolerantia religiosa I, 221[5]; s. Joannis Evang. 222[d]; triplici jure Ecclesia intolerans esse potest 223
Invocatio sanctorum III, 721, animarum in purgatorio 722[3]; quo sensu Deus solus invocandus sit 724
Joannes XXII de beatitudine SS. III, 647
S. Joseph semper virgo II, 613; dignitas ejus 616
Josephi Flavii de Christo testimonium I, 57[3]
Judae nomen quid significet in V. T. I, 43[3]
Judaei exspectabant Messiam I, 35; vaticiniis innixi 36; quare per orbem dispersi 38; tristis eorum conditio 73; quia Messiam i. e. J. Christum non receperunt 74; eorum incredulitas nihil probat 66; fides de s. Scriptura 154
Judex controversiarum I, 257; non est Scriptura 117; infallibilis esse debet 263[6]. 340
Judicium particulare III, 640; mox executioni mandabitur 641; quare universale instituatur 713; quare hujus saepius fiat mentio 646; num in eo manifestentur peccata jam deleta 714
Justificare quid significet III, 108
Justificationis notio III, 181; falsa 169; prima et secunda ib.; ea peccata delentur III, 160; 185; renovatur peccator 163; ejus cum opere sex dierum analogia 2 a; ea non consistit in imputa-

tione justitiae Christi 165; causa illius formalis 164; reliquae causae 212; non gradatim perficitur 169; effectus formales 171 ss. v. *gratia justificationis;* infunduntur in ea virtutes III. 208; ad eam requiritur dispositio 137; qualis 138; ea duplex esse potest 151[1]; non sufficit sola fides 147; dispositio ad eam est meritoria de congruo 152: tamen justificatio dici debet gratuita 156; quo sensu debita dici possit II, 653[3]
Justitiae notio et varia acceptio III, 178; generalis ib.; commutativa, distributiva, legalis ib.; divina quantum distet ab humana 659[3]; quomodo servata in incarnatione II, 443[2] c.
Justus quoque indiget gratia actuali III, 37; ad perseverandum 41; nequit vitare omnia peccata 43; omnibus datur gratia ad salutem necessaria 75; justi tenentur praeceptis 219; quae ipsis sunt possibilia 218; sunt templum Spiritus s. 198; nesciunt certitudine infallibili suam justitiam 216; satisfacere possunt de condigno III, 502[3]; et merere 235; quid merere possint 238; gratia excidere possunt 223; eorum animae mox in coelum post mortem recipiuntur III, 644; discrimen inter justos N. et V. T. 199. 645; num justi V. T. fuerint filii Dei 190[2]; justus quare non gignat justum II, 387

Laici baptizare possunt III, 311: ipsis olim etiam facta est confessio 509; a clericis distinguuntur 542; I, 248
Lazari resuscitatio figura sacramenti poenitentiae III, 470
Lectio s. Scripturae quo sensu interdicta I, 184
Leonis M. epist. ad Flavianum I, 433
Lex mosaica non sufficiebat ad salutem III, 135; naturalis servari nequit absque auxilio divino 47
Libelli martyrum III, 526; libellus repudii apud hebraeos 613
Liber vitae II, 123[5]
Liberius Pont. I, 435 a.
Libertatis notio III, 87; essentia et sufficientia 88[1]; gradus varii 89; libertas peccandi non est perfectio 88[4]; libertas Dei II, 89. 254; conciliatur cum ejus immutabilitate 90; et libertas Christi cum ejus impeccabilitate II, 530; libertas non fuit amissa per peccatum 392; sed attenuata 391[5]; libertas gratiae III, 89[3]; evangelica 220; quo sensu augeri vel minui possit 90; non constituit hypostasis rationem II, 510[2]
Libri protocanonici et deuterocanonici I, 171; nullum inter eos discrimen 176; libros approbare vel prohibere est Ecclesiae 260 s.
Limbus III, 646 a. 648; conditio infantium non baptizatorum in eo 664 ss.
Loci theologici I. proleg. X a.
Lotio pedum quare non sit sacramentum III, 300[5]
Lumen gloriae III, 681
Lutheri de reali praesentia in eucharistia confessio insignis III, 330; de b. Maria V. II, 581[3]. 589[1] a; de primatu romanae ecclesiae I, 339 a.
Lux praeclarum gratiae symbolum III, 185

Magia II, 435; magiae crimen possibile 436; facta magica ib.
Magisterium Ecclesiae competit I, 256; quam aptum ad propagandam doctrinam Christi I, 116; necessarium 251; a patribus assertum 121; infallibile 262; ejus subjectum 267 ss. 514; objectum 273 ss. 507
Magnetismi phaenomena II, 437; quam diversa a Christi miraculis I, 62
Maria Dei genitrix II, 573; momentum hujus professionis 574; et disputationis 573; summa Mariae dignitas 578. 622; mirabilium complexio 580[7]; relatio ad ss. Trinitatem 578[1]; sanctis praestantior 578[4]; mater nostra 578[3]; num Scriptura de ea adeo sileat 581; cur a Christo mulier compellata 582; ejus typi 579[d]; gratia plena 584; gratiae omnium sanctorum in ipsa 586; pars quam habuit in redemptione II, 620; cum Eva comparatio 593; analogia cum Christo II, ib.[5] 622; cum Ecclesia I, 188[1]; mediatrix ad mediatorem II, 620[2]; ita salutatur ab antiquitate 623; gratiarum canalis 621[4]; mediatio ejus non obscurat Christum 625; excellit sanctorum mediationem 624; ejus laus Deo grata 574. 622; ejus cultus munimentum fidei in Christi divinitatem 573
Maria immaculate concepta II, 587; rationes congruentiae 588; consensus fidelium de hac veritate 589; ejus festum 592; idea patrum de ejus puritate 592; excepta a lege peccati originalis 596; aliter tamen ac Christus 599[1]; quo sensu redempta 588[4]. 596[3]; quo sensu caro ejus caro peccati 592[2]; mundata ib.; immunis a peccato actuali 604; et concupiscentia 606; virgo in partu II, 608; quo sensu aperta ejus vulva 610; virgo post partum 611; virginitatis votum emisit ib.[3]; cur desponsata 614; ejus mors 617; assumptio in coelum 618; exemplar praesertim sexus feminei 621[3]
Martyrium supplet baptismum III, 317; quare non sit sacrificium II, 645
Martyrum constantia motivum credibilitatis I, 89; differentia inter eos et mi-

lites 91; vel sectarum martyres ib.; martyrum intercessio pro lapsis efficax III, 526
Maternitas Dei sitne praeferenda filiationi adoptivae II, 583
Matrimonii notio III, 587; christiani descriptio 593c; non est sequela peccati II, 331[4]; ejus honestas III, 589; est sacramentum 590. 600; coram Ecclesia celebrandum 591[2]. 590[2]; re non distinguitur a contractu inter christianos 594; est contractus sui generis 595; minister sunt contrahentes 586; materia et forma 599; quam conferat gratiam 600; matrimonium haereticorum est sacramentum 598[3]; errores de ipso 588; unde tot errores adversus ipsum ib.
Matrimonium excludit polygamiam III, 601; est indissolubile 609; etiam ex institutione primitiva 601; et jure naturae 611; etiam in casu adulterii 614; infidelium solvitur si una pars ad fidem convertitur etc. 619; ratum solvitur religionis professione 621; ex gravi causa pontificis dispensatione 623; quoad thorum justis de causis fieri potest divortium 624; Ecclesiae potestas statuendi impedimenta dirimentia 626; ea fruitur jure proprio, non ex principum concessione 629; ei soli competit 631; sicut et jus dispensandi in impedimentis 633; matrimonium plurimum Ecclesiae debet 629[8] a.
Mediatio Christi qualis II, 635; Mariae 620 ss.; sanctorum III, 723
Melchisedechi sacrificium III, 410[3]; sacerdotium secundum ejus ordinem ib.
Membri Ecclesiae varia consideratio I, 243; membrorum variae species ib.; conditiones ut quis sit Ecclesiae membrum 234
Meritum III, 67. 225; personae et operum ib.; congruum et condignum 67; hujus conditiones 226 ss.; num actus externus augeat rationem meriti 228; requiritur status gratiae 231: status viae 231[2]; acceptatio Dei 232; requiraturne specialis relatio in Deum 229; num de ejus ratione sit difficultas 227[2]; supra condignum compensatur 233; conditiones ad meritum congruum 234; meriti objectum 238; merita reviviscunt 239
Messias a judaeis exspectatus I, 35; a prophetis praedictus 40; jam advenit 44; est Christus Jesus 41
Methodus disputandi cum incredulis I, 102. 265; cum protestantibus 123. 265; tradendi doctrinam revelatam omnibus accommodatam 116; peremptorie dirimendi controversias 123
Millenariorum error III, 706 ss.
Ministerii ecclesiastici exsistentia I, 248: institutio divina 250: necessitas 251; perennitas 254; auctoritas 255; medium propagandae doctrinae Christi 115
Ministri Ecclesiae indigent missione I. 314. 327[2]
Miraculi notio I, 19; variae species ib.; differt a supernaturali II, 321[3]; possibilitas I, 20; utilitas 21; sunt criteria revelationis 23; dignosci possunt 24 s.; gentilium miracula 27; miraculorum Christi veritas historica 57; philosophica 58; relativa 59; discrimen a magnetismi phaenomenis 62; quare Christus ea subinde minoris fecerit 60; miraculis probatur veritas revelationis christianae 92; eorum charisma durat in Ecclesia I, 303; quare modo rariora 93
Missae sacrificium III, 403; suadetur conjecturis 405; probatur traditione 406; divinis literis 408; jam oblatum apostolorum tempore 412; consistit in consecratione utriusque speciei 416; est sacrificium relativum 417; variae de ejus essentia sententiae 419; ejus relatio ad sacrificium crucis 413; quae ejus victima 420; participatio spectat ad integritatem 416; offerre licet etiamsi populus non communicet 421; minister primarius Christus 422; secundarius solus sacerdos 423; est propitiatorium 425; alii fructus 427; missa privata 421
Missio necessaria ministris Ecclesiae I, 314; ordinaria et extraordinaria I, 327; utraque carent protestantes ib.; missionis in divinis notio II, 169[2]
Mivartii opinio de productione corporum protoparentum II, 273; de inferni poenis III, 658[3] a.
Mohammedanae sectae celeris propagatio nil probat I, 82; neque ejus conservatio 86
Monarchia optima regiminis forma I, 335[3]
Monophysitarum errores II, 520
Mors Christi vera I, 64; verum sacrificium II, 640; ejus fructus 648. 661; pro omnibus oblata 660; mors multiplex 637: num admitti possit exceptio 638; finem statui viae imponit 639
Motiva credibilitatis non sunt motiva fidei I, 467; potiora 94. 101. 106. 107. 469[4]
Moysis cosmogonia v. *cosmogonia.*
Mundus creatus ex nihilo II, 238; a Deo trino 242; de ejus origine errores 235; causa ejus exemplaris 246; quo sensu optimus 257; sensibilis et intelligibilis 246; scala ad Deum 265; creatus in tempore 265[3]; finis 249; in hominis utilitatem 265[2]; num creari potuerit ab aeterno 266; ejus duratio III, 694 a; consummatio 715

Mutationis species II, 57
Mysteriorum notio I, 3; partitiones ib.; exsistentia 4; 488: revelatio possibilis 5; utilis 8; quamdiu hic vivimus semper erunt 152[4]. 489

Naturae notio II, 313: natura quid 503; eam subsistere in alio quid significet 507; divina an potuerit incarnari 445[1]; natura a Verbo assumpta vera et integra 471; cur assumpta 447; quare non persona 462. 515; seorsim non exsistit 516; assumpta ab ipso exsistentiae exordio 532; neque unquam seorsim exsistet 536; est Verbi organum II, 528; cum veste confertur 514[2]; adoranda 563; naturae in Christo quomodo sola consideratione distinguantur 499; natura ab hypostasi differt 504; sed non re 508; quomodo excidat a ratione hypostasis 516. 518[2]; natura humana Christi sola divisione redderetur hypostasis ib.; naturae duae in Christo 521.
Natura panis quo sensu in eucharistia maneat III, 365[5]
Natura humana creari potuit absque gratia II, 344: absque integritate 345; miseriis obnoxia 347: non fuit peccato Adami in se debilitata 391; quomodo vulnerata 394; status naturae purae est possibilis II, 348; quare potius quam angelica reparata 416
Naturalis significationes variae II, 314; nil naturale peccato amissum 339:
Necessitas medii et praecepti III, 140
Nectarii factum III, 140
Nestorii errores II, 490. 575
Nihilum sui et subjecti II, 237; de axiomate: ex nihilo nihil fit 240[2]
Nomina Dei II, 22; nomina abstracta apte de Deo praedicantur 38
Nota quid I, 315; notae Ecclesiae secundum protestantes 317; verae 319; eae competunt soli Ecclesiae romanae 321
Notiones in divinis II, 197[3]
Novitas dogmatis triplex II, 598[5]; I, 409
Nuptiae ultra primas permissae III, 607

Obex sacramenti et gratiae III, 254
Objectum formale et materiale I, 457
Obsessio daemoniaca II, 428; est possibilis 429; non adversatur divinae providentiae 430; locum habuit tempore Christi 431; et etiam postea 433; ejus signa 434
Odium phaenomenale adversus religionem christianam veritatis argumentum I, 84[3]
Oeconomia V. Testamenti III, 278[1]; nulla nova exspectanda I, 147; nominis oeconomiae significatio II, 441 a.
Omnia in divinis sunt idem ubi non obviat relationis oppositio II, 197[2]
Omnipotentiae notio II, 68; ea resplendet in incarnatione 443[2]
Omnipraesentiae notio II, 52
Ontologismus refellitur II, 11
Opera bona Deo adscribenda III, 126; quo sensu non requirantur ad justificationem 158; requiruntur ad perseverandum 222; opera infidelium quo sensu sint peccata 55; v. *actus, meritum*,
Operatio Christi quotuplex II, 526; theandrica 527; operationis unitas in Deo 191; quo sensu sit suppositi 193[2]
Optimismus quo sensu rejiciendus II, 257
Oratio quare satisfactoria III, 502[2]; pro defunctis 669; pro damnatis inutilis 658[2]. 669
Ordinationes anglicanae III, 564[3]
Ordo ritus est visibilis III, 547; sacramentum 548; unum totale 572; ejus praestantia 583 ss; materia 576; ab haereticis collatus valet 563; ordines majores et minores 573. 575; quot sint ordines 575
Orientalis ecclesiae testimonium pro rom. pontificis infallibilitate I, 412. 426; pro immaculata conceptione II, 589[1]
Origenis de praeexsistentia animarum opinio refellitur II, 279

Paedobaptismus III, 312; argumentum efficax peccati originalis II, 370
Pantheismi falsitas II, 49; fontes ib.
Parentes in creatianismi systemate non privantur sua dignitate II, 286
Partis notio II, 30
Passionis Christi fructus II, 652. 661: cur ipsi adscribatur redemptio 657
Pater quomodo gignat Filium II, 203; num voluntate genuerit Filium 196[3]; quo sensu Filio major 183; ejus nomina propria 253; Patris nomen quotuplex in divinis 226
Paternitas II, 220 a. 253
Patres Ecclesiae qui I, 130; eorum auctoritas critice spectata I, 120: theologice considerata 131; occidentalium consentientium 132: plurium 133; etiam subinde paucorum 135: notanda de eorum auctoritate 136; vel si dissentiant 137; reverentia erga eos 136[2]. 137; dogmata non semper sunt probanda ex patribus vetustissimis 134; eorum zelus adversus haereses I, 222[d]
Patres a tritheismi errore liberantur II, 184: vindicantur circa dogma de ss. Trinitate II, 195; de anima Christi II, 480: de angelorum spiritualitate 409[3]. 410; graeci in materia de peccato ori-

ginali 373; de immaculata V. conceptione 598; de gratia III, 70; patrum dissensus a protestantibus de eucharistia 351 ss.; difficiliora dicta de eucharistia exponuntur III, 353. 357. s. 365; de tempore collationis visionis beatificae 643
Patroni tutelares III, 722[5]
Paulus non est caput Ecclesiae I, 367; coelebs permansit III, 577
Peccatores spectant ad Ecclesiam I, 240; varie considerari possunt III, 51; peccatores possintne vitare peccata sine gratia 46; satisfacere possunt de congruo III, 502[3]
Peccatum a Deo intendi nequit II, 85; potest permitti 87; quo sensu infinitae malitiae III, 659; nullum irremissibile 444; in Spiritum s. quo sensu irremissibile III, 446; omne remittebatur ab Ecclesia antiqua 453; omne grave confitendum 485; mortale gratia deletur 172; per baptismum vel clavium potestatem 514; quo sensu aliis quoque mediis remissio impetretur 494; peccato amittitur gratia III, 223; non reviviscit peccatum remissum 240; veniale quomodo deleatur 174. 672[9]
Peccatum originale II, 358; num probari possit ex miseriis praesentis vitae 351[4]; ejus natura 376; non est forma substantialiter mala 377; non consistit in concupiscentia 379; vel in vitiositate 380; de ejus ratione est privatio gratiae sanctificantis 381; in ratione peccati minimum 382[a]; quo sensu naturale ib.[b]; ejus propagatio 385; sequelae 391; variae quaestiones 390
Pelagianorum errores de statu originali II, 310[1]; protoparentum lapsu 359; de gratia III, 29; non fuit controversia cum ipsis de gratia necessitante vel ex se efficaci 108[3]
Peregrinationes III, 735
Perfectiones simplices et mixtae II, 26; absolutae et relativae 39[2]; absolutae in Deo non distinguuntur re ib.; perfectionum div. distinctiones 25
Perichoresis in personis divinis II, 190; in Christo 513
Periodos admittere licet in explicanda cosmogonia mosaica II, 268[4]. 269
Permissio mali non adversatur sanctitati divinae II, 87
Perseverantia finalis III, 41; quare adeo magnum donnm ib.; omnibus tamen paratum ib.; gratia ad eam est necessaria 42; non est objectum meriti condigni III, 238[4]
Personae notio II, 515; Boëthii definitio 511; personae divinae notio II, 197. 216; tres in Deo personae 132. 180. 218; ab invicem distinguuntur 132; ordo ad invicem 171[1]; adumbratae in V. T. 180; unus Deus 182; consubstantiales II, 186; aequales 187; similes 189; sibi invicem insunt 190; earum una operatio 191; nulla in eis compositio 198; quid in eis commune, quid proprium 197; quare tres 211 s. 217; possintne assumere eandem naturam humanam II, 445[2]
Petrus a Christo ceteris apostolis praefertur I, 343; cum Abrahamo confertur ib. a; cum Moyse 358[2]; primatus ei promittitur 345; est Ecclesiae fundamentum ib.; 346; non quae concionator 350; clavium potestas immediate ei tribuitur 354; pascendi potestas 358; primatis instar se gessit 361; in suis successoribus vivit 368[3]. 420; pollet fide indefectibili 357; quomodo Ecclesiam repraesentaverit 355; relatio ad reliquos apostolos 356. 357. 365; evangelistarum de eo scribendi ratio 344; quomodo a Paulo reprehensus 364; qui ejus familiaritate caret, Christi familiaris esse nequit 353; solus Ecclesiae caput 367
Philosophia magisterio ecclesiastico obnoxia I, 276. 491; ejus ad revelationem relatio ib. 491. 497; quo sensu christiana dici possit ib.
Philosophorum insufficientia ad docendos homines I, 13; quantum distent a Christo 68[4]
Poena non omnis remittitur remissa culpa III, 497; redimi potest bonis operibus 498; damni et sensus 651
Poenitentiae sacramentum III, 513; collatio cum baptismo 514; materia 517; necessitas ad remissionem peccatorum obtinendam 458. 514[f]; quo sensu una concedebatur 457; v. *clavium* potestas: *contritio*.
Polyandria est contra naturam III, 601[a]
Polygamia lege divina prohibita 601; juri naturae contraria 603; et institutioni originali 602; permissa tamen in V. T. 605; successiva licita 607
Pontifices romanos potiri primatu probatur vel ex facto I, 337. 451; et quidem jurisdictionis 339; eorum primatus adscribi nequit causis naturalibus 338; successores sunt Petri 370; undique fuerunt consulti 372. 418; recursus ad eos 374 ss. 379; vel haereticorum 380; appellationes 375; de episcopis judicant 377 s.; eminent in haeresum damnatione 382. 421; eorum agendi ratio 383; cura de pauperibus ib.; sollicitudo de universa Ecclesia 383; primatum exercent in Ecclesiam CP. 374. 375. 376. 382. 383[c]; promulgabant tempus cele-

brandi paschatis 783c; invigilabant canonum custodiae 383d; approbant episcoporum electiones 383e; concilia approbant et cassant 405[3]; vicarios constituunt ib.b; eorum decreta quantae auctoritatis 419d; placeto non obnoxia 396c; eorum testimonium in causa propria quare magni momenti I, 371; cur aliqui mali divinitus permissi 338[3]

Pontifex romanus jure divino pollet primatu I, 386; in universum orbem 392 a; plenitudine potestatis 388. 397. 408[3]; vere episcopalis 391; universalis 392; ordinariae 395; immediatae 396; supremae 398; plenae 397; est centrum unitatis I, 494. 419; judex supremus in Ecclesia 398. 408[2]; super concilium 399; ab eo appellare non licet 400; ipsius est concilia convocare, confirmare, eis praesidere 402; infallibilis est 340. 407; ejus fides norma orthodoxiae 381. 419; independenter a consensu Ecclesiae 424; num ut persona privata possit esse haereticus 422; possitne dici episcopus universalis 392; quam opportuna infallibilitatis definitio 443; ea negata nutat Ecclesiae infallibilitas 411c. 445; ejus auctoritas sufficit ad dirimendas controversias 419. 428; 430c; qua ratione earum epistolae examini subjectae 433; num sit de fide hunc esse Ecclesiae primatem I, 502[2]; fruitur plena immunitate personali 446; decet eum frui et principatu ib.; quam beneficus ejus primatus 452; v. *primatus*.

Possessio daemoniaca II, 428; v. *obsessio*.

Potentia et actus II, 32; potentia absoluta et ordinata 69; obedientialis 324

Potestas jurisdictionis et ordinis III, 510; potestas solvendi et ligandi 436; v. *clavium* potestas; non derivatur ab Ecclesia in pontificem I, 258. 396

Praeadamitae refelluntur II, 274

Praecepti observatio quoad substantiam et quoad modum III, 47 a; praecepta non sunt impossibilia 75[1]. 80[4]. 218

Praedestinati non spectant immediate et soli ad Ecclesiam I, 227; numerus II. 123[3]; si non es praedestinatus, fac ut praedestineris ib. 113[5]

Praedestinationis notio II, 110; errores et variae sententiae de ea 111; ad gloriam est post praevisa merita gratiae 113; pendet quadamtenus a nobis 123; est certa ib.; mysterium in quo sit ib.[6]; quare plures videantur docere praed. ante praevisa merita 128; praedestinatio Christi II, 545

Praedicatio ecclesiastica est norma credendi I, 121[1]. 125; interpretationis s. Scripturae 126

Praemotio physica III, 112; quo sensu concedi possit 100

Praescientia Dei non adversatur libertati II, 73

Praesentia realis corporis Christi in eucharistia a quibus negata III, 330: probatur multiplici argumento 332; efficitur verbis Christi 369; qualis sit 372. 376; est permanens 377; v. *eucharistia*.

Praeternaturale II, 321[1]; plura dona Adami fuere praeternaturalia 341

Presbyteratus est sacramentum III, 556

Presbyteri distinguuntur a diaconis III, 555; et ab episcopis 557

Prima sedes a nemine judicatur I, 439

Primatus multiplex I, 341; primatus jurisdictionis probatur fidei analogia I, 335. 339; quid de eo tenendum 328. 342; ejus jura 339. 388 ss.; quae non circumscribuntur verbis conc. florentini ib.; est perennis 368; centrum unitatis I, 307. 394. 419; complectitur plenitudinem potestatis episcopalis 391; universalis 392; ordinariae 395; immediatae 396; supremae 398; exigit infallibilitatem 340; ejus explicatio 384; quo jure annexus sedi romanae 387; magnum beneficium 452; exceptionibus respondetur 384; v. *pontifex* romanus.

Principes laici non habent jus in Ecclesiam I, 216[3]. 330. 396. 406[3]; carent jure statuendi impedimenta dirimentia matrimonium III, 631

Privilegium paulinum III, 619

Probabilitas sufficit ad virtutem, non ad fidem I, 472

Processiones divinae II, 215; quot 211; earum termini personae 209; processio Spiritus s. quare non sit generatio 206

Profectus revelationis nullus in N. T. I, 148; qualis admitti possit quoad cognitionem religiosam 151; motiva 496[5] a.

Propositio Ecclesiae necessaria ad fidem catholicam I, 498; qualis 503: quomodo innotescat 504; propositio particularis universali revelata contenta num sit de fide 502[2]; haeretica, erronea etc. 510

Propositum Dei II, 118

Proprietates personarum divinarum II, 197[2]; non obstant aequalitati 188.

Protectio Dei est gratia externa III, 9

Protestantismi rapida propagatio nil probat I, 82; tristissima conditio 119

Protestantium coetus non sunt vera Ecclesia I, 101. 226. 325; ipsi sunt rei schismatis 294; sibi contradicunt 119. 144[6], 169[1]; III, 313[3]; carent unitate aliisque notis verae Ecclesiae I, 32;

missione 327; utuntur argumento communi omnibus haereticis 324[1]; eorum somnia de Ecclesiae romanae defectione I, 322[3] a.

Protoparentes immediate a Deo creati II, 272; etiam quoad corpus 273; non in statu infantili 334; doctrina catholica de ipsis 311; et errores 310; gratia erant praediti 326; ab ipsa creatione 328; dono integritatis 329; scientia 332; morti non erant onnoxii 335; erant felices 337; laetissima conditio 352; haec dona erant supra et praeter naturam 378; transiissent in posteros 358; peccarunt 355[2]; graviter ib.[3]; num potuerint errare vel peccare venialiter 333

Providentia Dei II, 93; ei non adversatur mali permissio 94; vel malorum bonorumque inaequalis distributio 96

Pudor in confessione cavendus III, 483; de concupiscentia II, 351[3]

Pueri quomodo ad fidem perveniant I, 470

Purgatorii exsistentia III, 668; poenae 672; num verus ignis ib. duratio ib.[7]; locus ib.; qualis in fine mundi ib. 10 a; hoc dogma rationi quam consonum 668[1]. 671. 693

Ratio non nimis deprimenda I, 468; praecedit in triplici ordine fidem 476; cognoscere potest Dei exsistentiam II, 5; non est autonoma I, 9; neque fons parallelus revelationi 490; juvatur revelatione I, 7; 494; habitus ad revelationem 497; et circa hanc munera 496; ejus de eucharistia judicium III, 379

Rationalistarum errores I, 490[2]

Rebaptizare quam ingens crimen III, 270[2]

Redemptio in cruce consummata II, 664; cur morti Christi potissimum adscribatur 657; quo sensu excedat ruinam 671; ejus ubertas argumentum divinitatis Christi 673

Regimen Ecclesiae cujus formae I, 366; quale optimum 353[3]

Regula fidei I, 108. 498

Regulae loquendi de Deo II, 38; de Trinitate 207. 208. 227; de Christo 570; de eucharistia III, 357. 384

Relationes divinae II, 217; relatio operum in Deum III, 65. 229

Religionis christianae rapida per orbem propagatio I, 79; invicta constantia 83; fructus insignes 87; religio christiana nunquam abrogabitur I, 147; non est evolutio religionum praecedentium 94; v. *revelatio, Ecclesia.*

Reliquiae III, 729; earum cultus licitus ib.; commendatur 746; quam mirabilis Deus in sanctorum reliquiis 731

Remedium naturae III, 251[2]; num conferret gratiam ex opere operato 278[5]

Remissionis peccatorum causa formalis III, 172; media multa 494

Reordinatio illicita III, 563; caeremonialis 564[2]

Reparatio humani generis absque incarnatione possibilis II, 454; facta ordine analogico quo lapsus 593[1]; v. *redemptio.*

Repletive esse in loco II, 53

Reprobatio positiva ante praevisa peccata rejicienda II, 106; etiam negativa 109

Repudii libellus apud hebraeos III, 613

Reservatio casuum III, 512

Restitutio damnatorum (ἀποκατάστασις) rejicienda III, 658[4]

Resurrectionis Christi veritas historica I, 63; quomodo ea sit causa justificationis II, 664 a; resurrectio carnis dogma fundamentale III, 696; probatur 697; ejus congruentia 698; universalitas et unitas 669; carnis identitas 701; acriter impugnata 702; dotes corporis gloriosi 703; resurrectio prima 864; num naturalis 704

Revelatio quid sit I, 5; quotuplex ib.; varii gradus ib. a.; ejus possibilitas 6; utilitas 7; necessitas 10. 19; veritatum rationalium 11; est supernaturalis 14; ejus inquirendae obligatio 15; criteria 17; criterium non est positiva cum ratione convenientia 490: revelationis factum 28 ss.; non evidens 96; certum tamen 97; ipsa evidenter est credibilis 98; et credenda 99; in Ecclesia catholica 101; ejus fontes 108; qua ratione propaganda 114; ab Ecclesia discenda 121; nulla alia exspectanda 147. 196; non habet amplius objectivum incrementum 148; aliter atque aliter continentur in ea veritates 149[2]; quomodo explicari possit ib.; ejus profectus ib.: 151; scopuli in eo urgendo cavendi 151[4]

Revelationis factum certo cognosci debet, ut credere possimus I, 463; quare 472; non tamen certitudine summa, sed sufficit moralis 469; pro pueris qualis 470; revelatio christiana abundat motivis credibilitatis 469[4]; continet mysteria I, 448; habitus ad rationem 491; cujus est norma ib.: non adversatur philosophiae 497; vel rationi 487; quid ea contentum dici possit I, 149. 501; formaliter vel virtualiter revelatum ib.; quot modis aliquid cum ea connexum

507: quid de revelationibus privatis dicendum 500
Reviviscentia meritorum III, 239; gratiae 268; peccatorum non admittenda 240
Romani episcopi v. *pontifices* romani, *primatus.*
Rosmini errores II, 11; III, 366[3]. 373[1]. 392
Rousseau de Christo testimonium I, 33[2] a.

Sacerdos minister est potestatis clavium III, 506; duplici modo remittere potest peccata 514[d]; vide *absolutio;* est judex 443. 481: medicus 483[b]; ejus est confitentibus imponere satisfactionem 499; offerre sacrificium missae 422[a]
Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech III, 411; sacerdotii dignitas 583 ss.
Sacramentalia III, 279
Sacramenti significatio III, 248; notio 249; sacramentorum praestantia 245; convenientia 252; exsistentia ante Christum 251; conferunt gratiam vi ritus 254; ex opere operato 258; sunt operationes vicariae Christi 260; quibus inest pretium supernaturale 261; hinc causae morales 262; quo sensu physicae 264; conferunt gratiam sanctificantem III, 267; pro ratione dispositionis ib.[5]; num sacramenta vivorum conferant subinde gratiam primam ib.[4]; num gratia sacramentalis reviviscat 268; tria imprimunt characterem 270
Sacramenta N. et V. T. quomodo differant III, 278; num haec conferant gratiam ex opere operato ib.[2]; sacramentorum causae 280; constant materia et forma ib.; de distinctione inter sacramentum, rem sacramenti, et sacramentum et rem sacr. simul 281; eorum auctor III, 285; per institutionem immediatam 286: valor non pendet a probitate 288; vel fide ministri 290; v. *intentio;* eorum numerus 297; ordo dignitatis 302[a]
Sacrificii notio et significatio II, 641 s.; III, 400; in quo differat a sacramento III, 401[3]; num quilibet instituere et offerre possit sacrificium 402; sacrificium crucis II, 640: hujus praestantia 643; actio sacrifica quae 645; fructus 650; v. *missa.*
Salus nonnisi per Christum III, 136; non est salus extra Ecclesiam I, 219
Sanctitas Ecclesiae I, 242. 299; substantialis Christi II, 552
Sanctorum communio III, 717; hujus momentum 744; intercessio 718; invocatio 721; non adversatur dignitati Christi Mediatoris 723; sancti nostras necessitates cognoscunt III, 726; quomodo ib.; cultus eorum licitus 729; quo sensu fideles dicantur sancti 241
Sanguis Christi num manserit triduo mortis hypostatice unitus Verbo II, 535
Sapientia in incarnatione II, 443[d]
Satisfactionis notio II, 648; distinguitur a merito III, 520 a; conditiones requisitae 502[1]; satisfactio Christi II, 650; abundans 651; ejus valor 655; fuit condigna secundum rigorem justitiae 658; non excludit nostram 653[3]. III, 502[4]; quae ipsius satisfactioni innititur ib.; peccatores fideles tenentur satisfacere III, 496: opera satisfactoria praecipua 502[2]; satisfactio in sacr. poenitentiae imponenda 499; non debet praecedere absolutionem 500; sacramentalis operatur ex opere operato 502[3]; satisfactiones nostrae aliis applicari possunt 523; supereffluentes sanctorum spectant ad thesaurum Ecclesiae 521; quomodo concurrant cum satisfactionibus Christi in indulgentiis 533[a]
Schisma crimen gravissimum I, 293[1]; quando formale 233; schisma occidentale ib.
Schismatici quinam sint I, 233; sunt extra Ecclesiam 234
Scholarum auctoritas I, 138
Scientiae divinae partitiones II, 81; perfectio 77; medium 79, scientia media II, 75. 81[3]; matutina et vespertina 77[4] a; scientia Christi II, 558
Scripturae s. nomine quid significetur I, 155; quid nomine partis 157 a; ejus praestantia I, 145. 153; exsistentia 154; auctor Deus 157; inspiratio 159; dictatio verborum num necessaria 163; inerrantia 160; canon 170; obscuritas 183[3]; lectio ab Ecclesia moderanda 184; habitus inter eam et Ecclesiam 183; non est controversiarum judex I, 117; neque medium propagandae doctrina: Christi 118; indiget interprete 117; non est absolute necessaria 118[4]: 121[6]; editiones ante Lutherum frequentes 184[a]; exponenda ad normam praedicationis ecclesiasticae 121[6]. 126: non complectitur totum revelationis depositum 144: quo tamen sensu sufficiens dici possit 146[1]; doctrina de ipsa ex traditione est haurienda 143. 168; quo sensu adscribat Deo membra et affectus II, 59; v. *canon.*
Sectarum propagatio celeris nihil probat I, 82; neque earum diuturna conservatio 86
Sedes apostolica nunquam maculata I. 408[1]; undique consulta 372. 418; sedes

prima a nemine judicatur 439; v. *pontifex* romanus.
Sensus specificativus et reduplicativus II, 537 a; objectivus et formalis II, 47; divisus et compositus III, 117
Sigillum confessionis III, 513
Significare II, 226 a.
Signum crucis III, 734. 747
Simplicitatis notio II, 30; simplicitas Dei 31; incarnatione non laeditur II, 461[1]
Sinus Abrahae III, 646 a.
Societas civilis caret jure in Ecclesiam I, 216[3] 330. 396. 406[3]
Socinianorum error de Christi sacrificio II, 646; et satisfactione 649
Somnambulismi magnetici phaenomena suspecta II, 437 ss.
Species eucharisticae objectiva realitate gaudent III, 374; subjecto carent ib.; quare maneant 354[8]: quomodo explicentur 375; iis corruptis quid fiat 368
Spiratio Spiritus s. quare non sit generatio II, 206
Spiritismi phaenomena II, 437; differunt a miraculis I, 62; videntur facta magica II, 439
Spiritus s. est Deus II, 164; omniscius 166[f]; a Patre Filioque distinguitur 164; et procedit 169. 207; num a Filio distingueretur, si ab eo non procederet 173; ea relatione refertur ad Filium, qua hic ad Patrem II. 173[3]; quo sensu principaliter a Patre 176; per Filium 177. 207; mediante Filio procedat 207 a; quare non sit Filius 206; quare dici non possit pater Christi 461[b]; ejus praerogativae 166; nomina 225; quo actu spiretur 205; habitat in justis III, 197; etiam V. T. 199; ejus invocatio in liturgiis orientalibus non est forma consecrationis III, 371; vocis *spiritus* multiplex notio II, 298.
Status notio II, 325; varii status ib.; status naturae purae 348; est possibilis 349; originalis justitiae II, 325 a; status legis naturae III, 251 a.
Subjectum attributionis I, proleg. II a.
Subsistentia II, 503 a; 507
Substantia II, 503 a; prima et secunda 505; sitne possibilis supernaturalis III, 682[2]
Suffragia pro defunctis III, 669
Supernaturalis notio genuina II, 317; falsa 316, 323; partitiones 221
Supponere quid significet II, 326 a.
Suppositum II, 503 a.
Syllabus quid de eo tenendum I, 513
Synagogae diuturna conservatio I, 38. 86; fueritne infallibilis 266
Tentationum victoria exigit gratiam III, 47
Tertullianus explicatur circa miracula I, 56; de discrimine laicorum a clericis III, 546[3]; de venia quibusdam peccatis negata refellitur III, 455[1]; sophista 546[3] a.
Testamentum V. abrogatum I, 72; quomodo differat a novo III, 220. 278
Textuum originalium s. Scripturae authentia I, 180; textus dogmaticus 282: Ecclesia in eo dijudicando infallibilis 283
Theologiae notio I, proleg. 1.; naturalis et revelata 2. 5; variae partitiones ib. 2. 8; divisio ib. 9. 10; differt a fide 6; num sit scientia 4; est sapientia ib.; dispositiones ad eandem 7; objectum 2; munus ib.; studium quale esse oporteat ib. 7 a; theologia positiva 2; scholastica ib. 3; unde hujus nomen ib. a; fundamentalis seu generalis et specialis 8. 9; symbolica 6 a; comparativa 296[5] a; unita et distincta II, 2
Thesaurus Ecclesiae III, 520; ad eum spectant etiam satisfactiones superefluentes sanctorum 521
Thomae auctoritas I, 139; vindicatur adversus Döllinger de infallibilitate rom. pontificis 429; de immaculata conceptione II. 602; de voluntate Dei antecedenti et consequenti II, 91; de praedestinatione II, 125; doctrina de unione in Christo 508[4]; de ministro matrimonii III, 597[3]; de visione Dei 683; de gratia efficaci 121
Thomistarum sententia de gratia efficaci III, 112
Timor inferni bonus III, 475; servilis 475[1]; timoris variae species ib.
Tolerantia religiosa respuenda I, 221[5]
Totalitas ad amorem Dei perfectum requisita III, 466
Tractus Patris III, 124
Traditionis notio I, 110. 125; propria 112; variae species 111; regulae ad eas discernendas I. 111[7]; ratio incorruptae conservationis 122; ejus vis et auctoritas 121[7]. 124; canales 129; prior Scriptura tempore 142; ordine cognitionis 143; plura continet quam Scriptura 145; quo sensu oralis 112. 122; magis necessaria quam Scriptura 118[4]. 145
Transubstantiatio III, 360; spectat ad fidem 359; probatur 363; analogiis illustratur 364; erroneae explicationes 366
Trichotomia reprobatur II, 294; quo sensu possit admitti 298
Trinitatis mysterium quanti momenti II, 129. 229 ss.; summa 130; adumbratur in V. T. 180; probatur 135; excedit

rationis captum 202: analogiis illustratur 184[10]. 203 ss. medium inter judaismum et gentilismum 184[3]; nulla in ea realis compositio 198; non adversatur rationis principiis 201
Tritheismus rejicitur II, 182

Ubiquistae refelluntur II 571
Una natura Dei Verbi incarnata II, 500
Unio in Christo qualis II, 488; substantialis II, 497; secundum hypostasim 501. 513; inconfusa 520; perennis 536; utrum etiam mortis tempore 533; cum sanguine 535; a conceptionis exordio 532; illustratur unione animae et corporis II, 522
Unitas Dei qualis II, 182 ss.; unitas in Trinitate analogiis illustratur 184[10]; unitate trium hominum qua ratione 192; unitas Ecclesiae qualis I, 286 ss.; exigit medium, quo efficiatur I, 329; hoc non est s. Scriptura 117; non sunt principes laici 330; neque ipse fidelium coetus 331; neque singuli episcopi 333; neque horum coetus 334; sed unus supremus pastor 335; unitas fidei quid exigat 289. 297[4]
Unus de Trinitate crucifixus est II, 572

Vaticinium I, 19; possibile est 22; genuini criterium 26; vaticinia messiana sunt genuina 37. 39; praecipua 40; in Christo adimpleta 41.53; vaticinia Christi 65; vaticinium jacobeum 42; Danielis 46; Aggaei; 49; exceptiones contra vaticinia 53
Verbum est aeternum II, 149; Patri consubstantiale II, 150; Deus 151; quare ejus processio sit generatio 204; incarnatione non mutatum II, 460[1]; neque maculatum 449; assumpsit naturam, non personam humanam 517; num assumere potuerit naturam irrationalem 445[5]; quare assumpserit humanam 447; unitum carni mediante anima II, 502; Verbi illapsus in naturam assumptam 513; nunquam ab ea se separavit 533; hujus nominis vis II, 223; v. *incarnatio; Filius Dei.*
Veritas revelata in ecclesia particulari obscurari potest I, 149[3]; diverso modo continetur revelationis deposito ib.[2]. 15[2]; implicite et explicite revelata 149[1]
Versio itala I, 180
Vincentii lirinensis regula I, 150
Virginitas christiana excellit virginitati Vestalium I, 87[3] a.
Virtualiter inesse II, 26
Virtus quid III, 204; variae divisiones 205; virtutes intellectuales ib.; cardinales ib.; theologicae 205[3]; infusae 206[2]; praeposterae notiones, ib. a. infunduntur in justificatione 208; earum ad gratiam relatio 211; virtus, quam gratia confert III. 97
Visio beatifica est supernaturalis III, 678; ejus varia nomina 677; num naturaliter appeti possit 682; num major sit post resurrectionem 646[2]
Vita Dei II, 65
Vocationis gratia III, 84
Voluntas Dei malum nequit velle II, 85; potest permittere 87; ejus partitiones 91; in antecedentem et consequentem ib.; in efficacem et inefficacem 92; ea nunquam est victa ib.; beneplaciti et signi ib.; salutifera est universalis 99 ss.; qualis 104; quoad infantes 105; duplex in Christo II, 525; voluntatis gratia praeparatae est gratiae consentire III, 101; eaque uti 102; num virtute propria concurrat ad actum salutarem 105
Vulgatae authentia I, 178; quo gradu 181 ss.; vulgata magni fit vel a protestantibus 182[6]

A. M. D. G.

N.B. Satisfacturus desiderio quorundam, qui cum theologiae dogmaticae studio lectionem scriptorum ss. patrum jungere optant, horum opuscula a me hactenus edita, quae singulis disputationibus respondeant, designabo, ut ea quae inter studendum prae ceteris sint consulenda utiliterque legenda, cognoscant.

Pro disp. I. de apologia religionis christianae consulantur:

S. Augustini l. de utilitate credendi et l. de fide rerum quae non videntur opusc. t. VI. — S. Cypriani l. ad Demetrianum t. I. — Minucii Felicis Octavius, S. Joan. Chrysostomi demonstratio quod Christus sit Deus, Epistola ad Diognetem t. XV. — Tertulliani Apologeticum t. XIX. — S. Aurelii Prudentii Apotheosis, Sedulii carmen paschale t. XXXIII. et s. Athanasii orat. duae t. XLIV.

Pro disp. II. de divinae revelationis fontibus:

Vincentii lirin. commonitorium, Tertulliani l. de praescriptionibus t. IX.

Pro disp. III. de Ecclesia (et de romano pontifice):

S. Cypriani l. de unitate Ecclesiae t. I. — S. Augustini opuscula selecta de Ecclesia t. XXVII. — Romanorum pontificum epistolae t. XVII. XVIII. XXV. XXVI; s. Bernardi ll. 5 de consideratione t. XLVII. — S. Optati milevitani ll. 7 de schismate donat. t. X.

Pro disp. V. de Deo uno et trino:

S. Anselmi monologium t. XXVIII. — S. Joan. Chrysostomi or. 5 de incomprehensibili, S. Greg. Nazianzeni or. 5 theologicae t. XXIX. — S. Ambrosii II. 5 de fide t. XXX. — S. Basilii l. de Spiritu s. t. XXXI. — S. Fulgentii l. de fide ad Petrum t. XVI. — S. Augustini de Trinitate ll. 15 t. XLII. et s. Jo. Damasceni de fide orthodoxa ll. 4 t. XLI; s. Hilarii ll. XII de Trinitate t. IV. ser. II.

Pro disp. VII. de incarnatione:

Cassiani ll. 7 de incarnatione t. XXXII. — S. Leonis M. sermones t. XIV. — S. Augustini de fide et symbolo, S. Thomae expositio in symb. t. VI; s. Aug. Enchiridion t. XVI.

Pro Mariologia:

SS. Patrum opuscula de gloriosa Dei Genitrice t. XII. et XXXIV.

Pro disp. VIII. de gratia:

Auctoris anonymi ll. 2 de vocatione omnium gentium, Auctoris anonymi Epistola ad Demetriadem t. III. — S. Prosperi carmen de ingratis t. XXIV. — S. Augustini et s. Prosperi de gratia opuscula selecta t. XXXV. et XXXVI.

Pro disp. IX. de sacramentis:

S. Cypriani l. de lapsis t. V; epistolae in causa lapsorum t. XXI; ep. 63 de sacramento dominici calicis, ib. Tertulliani l. de baptismo t. VII; l. de poenitentia tom. V. — S. Cyrilli hieros. catecheses 5 mystagogicae t. VII. — S. Ambrosii l. de mysteriis t. VII; ll. 6 de sacramentis t. XXXVII: ll. 2 de poenitentia t. V. — S. Paciani ep. 3 ad Sympronianum et paraenesis ad poenitentiam t. XXXVII. — S. Augustini l. unicus de baptismo t. XXXVII. — Algeri de sacramentis corporis et sanguinis dominici ll. 3 t. XXIII. — Guitmundi et Gregorii bergom. l. de verit. corporis Christi, Flori lugd. exp. missae t. XXXVIII. et XXXIX.

Reliqua opuscula cursu studii theologici pro opportunitate legi poterunt scil. Vitae s. Augustini t. IX. s. Ambrosii t. VII. et s. Cypriani t. I: s. Severi opuscula de s. Martino t. XLVIII; — Acta ss. martyrum t. XIII. — S. Hieronymi epistolae selectae t. XI; s. Cypriani epistolae selectae t. XXI. — S. Cypriani, Tertulliani et s. Thomae expositio orationis dominicae t. II. S. Augustini l. de doctrina christiana t. X. — S. Cypriani et Tertulliani opuscula ascetica t. IV. — S. Victoris vitensis historia persecutionis vandalicae, Lactantii l. de mortibus persecutorum t. XXII. — S. Gregorii M. l. regulae pastoralis t. XX. — S. Gregorii naz. or. apolog. de fuga sua et s. Joan. Chrysostomi de sacerdotio ll. 6 t. XL.; epistolae s. Fulgentii t. XLV. et XLVI; s. Augustini tr. 124 in s. Joan. Evang. t. I. et II; Cassiani collationes XXV t. III; s. Bernardi serm. in cantica cant. V. et hom. s. Gregorii M. in Ev. t. VI. seriei alt.

---

3 1197 21064 2978